UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Conciones, Siue Conceptvs Theologici Ac Praedicabiles, In Omnes Totivs Anni Dominicas

Opvs Novvm Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus plenißimum, cum occurrentium fidei controuersiarum tractatione.

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1620**

**Nutzungsbedingungen**

urn:nbn:de:hbz:466:1-56314

Visual Library

Th. 3313.

C 326.



# CONCIONES
siue
# CONCEPTVS
THEOLOGICI AC
Prædicabiles
R. D. PETRI BESSÆI SS
Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris.

*EDITIO POSTREMA AVCTIOR*
*Renouata Indice quadruplici, et*
TOMIS IV. *distributa*

COLONIÆ AGRIPPINÆ
Apud IOANNEM KINCHIVM
sub Monocerote A. MDCXX.
*Cum priuil: S. Cæs: Maj: speciali.*

CONCIONES,
*Siue*

# CONCEPTVS THEOLOGICI AC PRAEDICABILES, *IN OMNES TOTIVS Anni Dominicas:*

AVCTORE

R.D. PETRO BESSAEO SS. THEOLOGIAE DOCTORE,
Regi Christianissimo Galliarum, &c. à Concionibus:

INTERPRETE
D. MATTHIA MARTINETZ.

*OPVS NOVVM FIGVRIS, ALLEGORIIS, SIMILIBVS EX Sacris profanisq; Scriptoribus plenissimum, cum occurrentium fidei controuersiarum tractatione.*

HAC EDITIONE, PRAEFIXA AD SINGVLAS CONCIONES Synopsi, cum Indice quadruplici, locupletatum, Quadragesimali etiam suo loco inserto.

*TOMVS PRIMVS.*




Mauri Aldinghoff
Ord. S. Benedict.
Paderborn.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud IOANNEM KINCHIVM sub Monocerote,
ANNO M. DC. XX.

*Cum priuilegio Sacræ Cæsareæ Maiestatis speciali.*

## APPROBATIO.

NOs infrà ſcripti SS. Theol. Doctores in alma Vniuerſitate Pariſienſi notum facimus legiſſe & viſitaſſe Conceptus Theologicos in Euangelia Dominicalia & Quadrageſimam; Authore M. Petro Beſſæo SS. Theolog. Doctore: neque in eis quidquam, quod S. Rom. Eccleſiæ Apoſtolicæ aduerſetur, quin imò inſignes ac doctiſſimos conceptus pro ædificatione & conſolatione fidelium reperiri. Act. Pariſijs 5. Aprilis, Anno 1609.

*A Soto.*

*Dauid.*

*F. Pigne. Guard Pariſ.*
*F. Matthæus Doct. Reg. Carmelit.*

---

*CONCIONES R. SS. Theol Doct. Petri Beſſæi in Dominicas ac Ferias Quadrageſimæ ac Paſchæ habitas Pariſiis in Eccleſia S. Seuerini, nihil orthodoxæ fidei habere contrarium, quin magna cum Eccleſiæ utilitate Latino idiomate imprimi poſſe cenſeo.*

TILMANNVS VOSMERVS
Librorum in Diœceſi Colon.
Cenſor ordinarius.

IN-

# INTERPRES LE=
## CTORI.

NON omnino à scopo mihi aberrasse videntur illi, amice Lector, qui per reginam illam à dextris summi Regis adstantem, & varietate omnigena circumdatam, quam coloribus suis ad viuum peniculo Dauidico depingit Spiritus sanctus, Ecclesiam Catholicam, Apostolicam, & Romanam arbitrantur designari. Hæc siquidem, ceu Regina quædam potentissima, suum hactenus longè lateque per omnes terrarum oras, & incognita regionum imperium propagauit, & etiamnum sua quotidie, quemadmodum fide dignissimorum testimonio scriptisque litteris constat, per ignotas Europæis prouincias, & alio sub sole calentes victrix & gloriosa signa circumfert. Non immeritò porrò Reginam nominemus, quæ suæ auctoritatis potentiâ insurgentes in se aduersarios in sua cogit iura concedere, hæreticorum elidit audaciam, schismaticos etiam & perduelles suum iubet nutum agnoscere, ipsis denique infernalibus potestatibus ac dæmonibus terrori est: stant etenim, & perpetuò stabunt Redemptoris promissa; quibus portas inferi minimè aduersus eam prævalituras iam olim asseuerauit. *Psal. 44.* *Matth. 16.*

A dextris autem sponsi adstare dicitur, quòd præ alijs congregationibus & conuentibus, nec non præ Mosaica Synagoga, illi intima sit, carissima, & proxima, vt qui ad consummationem vsque sæculorum cum eadem se permansurum pollicitus sit, auxilio futurum, & ab insurgentibus obloquentium oppugnantiumve procellis vindicaturum: Adeò vt, quamuis nutet, titubet, vacillet; perstet tamen, consistat, & inuicta emergat. Videmus enim, tametsi hoc illove loco paulatim deficere, nec non perire videatur, alio eam caput longè gloriosius iam oppressam extollere, vel, vbi eius hactenus auditum non fuit nomen, ibi innotescere incipere, & in nouo longè feliciùs orbe oriri, quàm in cognito occidat infeliciùs. Verè igitur ipsa est, quæ ascendit de deserto innixa super dilectum suum: quæ de deserto inquam gentilitatis & inculto horridoque ethnicorum senticeto, & hæreseos vepreto efflorescit, eius innixa & subnixa potentiâ, à quo plantata, irrigata, & hactenus conseruata est; etenim eius potentia attingit à fine vsque ad finem terrarum, & sub illius vnius nutu potentissimorum colla tyrannorum inflectuntur. Illam ergo qui intermorituram sperat hæreticus, aut metuit Catholicus, næ ille vel diuina ignorat promissa, vel de Altissimi ambigit potentia. Vigebit enim, & ætatem feret: quamdiu verò vigebit, numquam ei promissa illa discolor deerit varietas, numquam multiplex illa munierum variegatio: nam, quamdiu sacra illa & hierarchica stabit respublica, commodi eius non deficient administri, & quamdiu erunt, qui bella bellabunt Domini, non deerit inter illos functionum distinctio: quamdiu summi illius patris-familias domus perstabit incolumis, non deerunt diuersicolores (vnicolores tamen, & vnius linguæ) famuli, qui Domini honorem tueantur, nomen celebrent, potentiam dilatent, & aduersus obtrectantium calumnias vindicent. Hæc quippe ministrorum varietas, & officiorum distinctio ni foret, Babylonica familiam hanc occuparet confusio, merum chaos. Vt enim corpus vnum multa habet membra, & omnia quidem

non vnum vsum habentia: sic & Ecclesia illa vna, quam ceu corpus anima, sponsus illius Christus vegetat & informat, iam inde ab suo exordio in varia est administrorum functiones & operariorum discrimina eleganter admodum interstincta, quę quidem multiplex varietas non decus ei modò & splendorem adfert & ornamentum, verùm etiam fructuosa est & vtilis. Nec nostrâ duntaxat ætate, sed abolitanis etiam temporibus, & sub Ecclesiæ nascentis primordia eamdem in ipsa functionum differentiam videre licuit. Sic enim ipse ad Ephesios scribit Apostolus: *Et ipse dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, &c.* Apostolis siquidem primis illis morte sublatis succedere alij, eodem fidei Christianæ propagandæ, & per orbem terrarum Euangelij disseminandi studio ardoreque animati. Neque etiam Euangelistarum soli illi numerum explent, quos peculiari illo in Ecclesia dicimus nomine; sed & omnes illi, qui Euangelium vel priuatim in scholis, vel publicè pro concione interpretantur, quales nulla non fert vniuersitas & ciuitas. Doctorum verò nomen semper patuit in Ecclesia quam latissimè, nec vllo vmquam tempore hi defecere. Vt enim de veteribus illis tum Latinæ, tum Græcæ Ecclesiæ Patribus atque Episcopis nihil dicam, qui scriptis habitisque homilijs, sermonibus, & concionibus cùm fidem Christianam aduersus Gentiles & hæreticos, quoad potuere, propugnarunt; tum etiam tetras vitiorum fibras ac radices è Christianorum animis stirpitus euellendo, ad meliora eosdem studia traducere sunt conati; etiam exulcerato hoc sæculo nostro (quo & longè lateque laxatis impunè habenis vagatur impietas, flagitiosa deinde vitiorum contagio, & intolerabilis aduersus summum Dei numen audacia; quo denique pestilens illa hæreseos per omnes propemodum Europæ angulos vel iam dudum se insinuauit propago, vel occultis molimini-bus atque artibus, quâ potest, proserpere allaborat) impigros nauosque diuina bonitas excitare Ecclesiæ suæ dignata est Ecclesiastas ac doctores, qui, ad vitæ sanctimoniam integritatemque accedente & doctrina & eloquentia non vulgari, per omnes Christiani orbis prouincias & enatas hæreses iugulant, & ad virtutum decus omni studio, totaque animi contentione & omnibus neruis proximum animare contendunt. Non hic eos intelligo, qui tam in remotis ac barbaris regionibus, quàm in Europa ad populum in suggestis agunt: sed eos, qui scriptis concionibus proximorum, qui in cathedra ipsos detonantes audire non potuere, commodis consulere student. Horum de numero Panigarola, Caracciolus, Mussus, Valderama, Granatensis, Costerus, aliaque cathedrarum decora, & Ecclesiastarum Principes, atque imprimis Bessæus hic noster, Condæi olim Principis, modò Christianissimi Galliarum Regis orator: quo quantum Lemouices ciue, Sorbonici Doctores Collega, ac primariæ Galliarum vrbes Ecclesiaste queant gloriari, cuiuis notius est, quàm vt pluribus hic à me sit opus commemorari. In quo eam dicendi vim notaui & vberratem, eam diuinioris doctrinæ, & reconditiorum conceptuum abundantiam, eam quoque humanarum diuinarumque scientiarum varietatem, eam obscuriorum sacræ scripturę locorum in omni propè sensus genere explicatorum copiam, eam denique in omnigena materia concionum diuersitatem, vt ille mihi vnus instar sit omnium, nec (quamquam aliorum labores ipse carpere nec possum, nec debeo, neve à scribendo quempiam deterrere volo) in ipso quid quis desiderare queat. Si enim Ecclesiasticum, vt Catholicus Doctor, adstruat dogma, summus est; si controuersas in fide quæstiones enucleet, nullus id eo videtur posse facere disertius, solidius nullus; si litteralis, allegoricus, tropologicusque Scripturæ sensus producendus, vnus ad hoc Bessæus non factus, sed natus apparet; si à vitijs deterreat, & ad virtutem quamcumque auditorem excitet, tanquam vmbræ alij volitare, solus ipse sapere videtur. Ipsum igitur inexhaustum rerum omnium promptuarium, omnigenæ doctrinæ scrinium, humanæ diuinæque scientiæ promumcondum, Catholicæ fidei hyperaspisten, & Caluino-mastygem, denique sacrorum thesaurorum gazophylacem non iniuria appellauero. Neque vero vnicum id in tam numerosa conceptuum & concionum multitudine: vt qui suis vniuersas totius anni quantus quantus est Dominicas, Sanctorum tum

*Ephes. 4.*

publi-

publicorum, tum priuatorum aliquot festiuitates, tum Ven. Eucharistiæ Sacramenti Octiduum sacra verni ieiunij & Aduentus Dominici tempora, habitis scriptisve concionibus condecorauit. Quas qui legerunt, in his certus sum fore, vt prudentiam ac sanctimoniam discat ætas adolescentior, morum conformationem virilis, & Christianam vitæ terminandæ rationem senilis; vt suam Præsules ac Clerus, suam coniugatus ac cælebs vitæ cõponendæ formam inueniant; vt hæreticus & à fide deuius errorem, & eam, in qua versatur, caliginem ac dementiam agnoscat; nutans verò ac fluctuans dubitare desinat; Catholicus denique in eadem confirmari, & errandi occasionem harum lectione à se amouere queat. E quibus quanta promanarit hactenus, & etiam hodie promanet vtilitas, vel inde ad liquidum patet, cùm quòd suis varię eas gentes loquentes linguas fecerint, suis Hispani, suis Germani, suis Itali, nos denique postliminio eas Latina ciuitate donauerimus; tum verò quòd iam quartam Latinam illarum editionem Typographus noster Colonienſis adornet, & quõ tuis, Lector, commodis vel ificetur, vno eas duplicive tomo simul prælo subiecerit. Cuius tibi gratificandi studium, simul & opellam interpretis æqui bonique consulas obsero, ac si quid palato tuo subtiliori minus placuerit, pro tua benignitate ac candore æquus rerum arbiter & æstimator ignoscas. Vale, Coloniæ Agrippinæ Kal. Martij, anno M.DC.XX.




*Magna quod in Cathedra sublustre Lutetia lumen*
*Suspicit, hoc tectum sculpta tabella dabit.* M.M.

# DOMINICA PRIMA ADVENTVS.

## SYNOPSIS SEV ARGVMENTVM CONCIONIS.

1. *Supremi iudicij obliuionem esse noxiam, salutarem vero memoriam.*
2. *Iudicia & iudicii nomina esse ipsi mundo congenita.*
3. *Signa futuri iudicii qua & qualia sint.*
4. *De signorum modo ac sensu.*
5. *De rebus signatis.*

*Erunt signa in sole, & luna, & stellis.* Luc. 21.

## FIGVRA.

Exod. 10. IVSTISSIMVS ille ac potẽtissimus scelerum vindex Deus, cum impiũ olim Pharaonem, qui populo Israel varia intulerat mala, eumq; seruitute durissima & diuersis calamitatibus afflixerat, castigare ac dire vltionis tela in Ægyptios detorquere decreuisset, plurima cum in cœlo tũ in terra signa, velut præambula, & impendentis ruinæ regnique totius excidii prænuntia, quin & furoris sui testes, præmisit. Orbis quidem lampas sol, lunq; stellæq; per noctem cœlo splendere solitæ, triduo lumen amisere, tenebræque densissimæ, quæ & manibus tangi potuerunt, per vniuersam Ægyptũ, factæ sunt. Ad eundem plane modum, priusquam circa finem mundi dignis in peruersorum hominum flagitia supplicijs animaduertat, iudiciorum suorum furorem & indignationem in miseros mortales effundat, eosque stirpitus quasi excindat; horrenda ac terribilia, quæ metum cunctis incutiant, signa, velut præcursores, emittet. Tunc nimirum stellæ delitescent ac fugient, sol tetro & ferrugineo amictus velamine non lucebit, luna deliquium patietur, sidera cælo cadent, mundus denique densissimis tenebris obsitus ingemiscet ac palpitabit. O diem cruentum ac lugubrem! diem terribilem & vere formidandum! signa horrorem terroremq; incutientia, lachrymas ac gemitus excutientia! Hodierno hæc Euangelio describuntur, quæ vobis iam latius exponere est animus. Atq; vtinam idcirco in lachrymas hodie vox conuertatur, vtinam lingua terribilem tonitrui boatum induat, gemitus eloquij vice fungantur, tremor & pauor aliaque doloris & luctus argumenta gestus efformet! Cœptis adesto sanctissime Spiritus, tuq; sacratissima Virgo, Iudicis, cuius hodie furorem æquissimaq; iudicia verbis prosequar, mater, precibus & patrocinio apud eundem, dicenti auxiliare: ideo te salutatione, qua olim à Gabriele Archangelo in Nazareth salutata es, compellabimus. *Aue Maria.*

Cælestis ille Theologus atque orbis Me- I.

taphysicus Ecclesiastes, qui plurima hieroglyphicis & emblematibus obscurioribus mysteria inuoluit, duos nobis in sacræ Scripturæ theatro exhibet, velut actores, nimiũ quantum inter se differentes: quorum vnus sapientissimus, alter vero stolidus vt qui maxime; vnus dextra, alter sinistra cor teneat: *Cor sapientũ in dextra illius, & cor stulti in sinistra eius.* Hieronymus loci huius interpretem agẽs, hæc inuolucra de extremo iudicio intelligi debere existimat, in quo ad dextrã electi, reprobi ad sinistram collocabuntur. Docemur autem, quemadmodũ cordati ac circumspecti est, extremi Iudicii semper ac nullo non tẽpore recordari, sortemq; Beatorum, quam per dexteram hic denotari certũ est, assidue mente voluere, ita è contra stolidi atq; insipientis esse, ad sinistram animum cogitationesq; conuertere, viam reprobor ũ insistere, nec horrendũ illud tonitru diuinæ sententiæ, aut inexorabilem Iudicis seueritatem vmquam præ oculis habere. Et sane quicunq; hęc animo semper insculpta gerit, næ ille sapientissimus mortalium dicendus est, at insipiens & fatuus ille, qui animum hinc auertens alio conuertit. Ille scil. à peccato reuocatur, iustitiam metuendo; hic vero eidem sese implicat, dum impune se habiturum confidit, aut peccata disquirenda à Iudice negat.

*Eccl.*10. Sapiens extremi iudicij meminit, stultus vero obliuiscitur.

Qui iudicij extremi meminit, à peccato auocatur; è cõtra, qui obliuiscitur.

Impij dũ sperant se impune apud Deũ habituros, audacius in eundem peccant.

Dauid propheta in lege diuina versatissimus, & in scientia Sanctorũ absolutissimus, cum hinc sibi Deum, illinc vero effrenem sceleratorum hominum audaciam, & summam creaturam in Creatore ad iracundiam peccatis prouocando ingratitudinem, quæ nimirum maiestatem illius vilipenderent, eique prout par est non seruirent, considerauerat; nullam profecto aliam contẽptus huius rationem dare potest, quam summam diuinorum iudiciorum obliuionem: dum nemo vel obiter perpendit, exactam, post hanc vitam, de omnibus verbis, operibus & cogitationibus coram summo iudice rationẽ reddendam esse, singulaque minutissime disquirenda. Ait enim, *Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo: Non requiret.* Et profecto nulla alia contempti numinis dari ratio potest, quam quod stulte sibi persuadeant impij, nullam Deo de operibus rationem reddendam, nullamque de ijsdem disquisitionem instituendam.

*Psal.*9.

Horum sermones ad viuum depingit Iob, cum sic eos loquentes induxit, *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* Perinde, ac si dixisset, Scelestus & diuinæ maiestatis contemptor, cum opera sua peccatis sese inuoluit, ac sceleribus animam à Deo incoinquinat, tam securus est ac confidens, vt spici. Deum esse vix credat, vel si credat esse, eum cæcum & talpã existimet: quin & his impietatem suam verbis stabilire contendit, Post nubes in cœlo delitescit, vitam nostram aut opera non contemplatur, per cœlos quietus & quodammodo deses obambulat, de rebus nostris ne hilum solicitus. O errorem deplorandum, blasphemiam intolerabilem, læsæ Maiestatis crimen, peruersas cogitationes, omnis mali & impietatis matres! Quidì *qui plantauit aurem, non audiet? qui finxit oculum, non considerat?* Profecto quicunq; Deo aures & oculos aufert, illius quoq; iustitiã & prouidentiam simul auferat necesse est: ac talẽ qui sibi Deum fingit, idola sibi fabricat, qualia Psalmographus describit, *Oculos habent & non videbunt; aures habent, & non audient.*

*Iob* 22. Nõ cogitãt impij, Deum esse vix credat.

*Psal.*93.

*Psal.*113.

Vidit olim Zacharias Propheta lapidem, qui septem oculos haberet. Lapis hic Christum futurũ nostrum Iudicem denotat (*petra autem erat Christus*) omnes porro, quos habere dicitur, oculi, illũ oculatissimum esse innuunt, qui nimirum omnem in partem circumspiciat, actiones nostras diligentissime contemplẽtur & inspiciat, vitæq; nostræ statum attentissime consideret. Ita aũt persuasum habeat Ptopheta Iob. ac proinde gemens ac tremens Domino ait, *Tu quidem gressus meos dinumeraſti*, adeo vt nihil agere aut cogitare queam, ac ne mouere quidem corpus, quin noris. Ita enucleate scil. omnia inuestigat.

*Zacharia visio.*

*Zach.*3.

*Iob* 14.

Inter cætera, quæ Poetæ fabularum artifices effinxere monstra, numeratur vastus Argus, quem centum oculis instructum dẽpinxerunt, omniaq; circũquaq; intuentẽ. Hæc quidẽ fabula, at certũ est, eum qui extremo iudicio summa cum auctoritate præsidebit, in sacris litteris gigantẽ appellari, *Exultauit vt gi-*

Iudex Christus futurus.

Argus est centum oculis instructus.

Psal. 93. *vt gigas ad currendam viam*; sed & gigantem valtissimum, *Magnus Dominus & laudabilis nimis & magnitudinis eius non est finis.* Vere inquam gigas est atq; Argus centum oculis circumsecus vallatus, qui quidquid in hoc inferiori mundo agitur acutissime peruidet. Quicunque igitur quid agere se posse putat, quod iudicem hunc oculatissimum subterfugiat, qui acutum hunc lyncea se fallere posse confidit, fallitur profecto & mente destitutus est: ac similem se ostendit ijs, quos Psalmista, postquam tyrannica quadam barbarie viduas interfecissent, alienigenas iugulassent, pupillos oppressissent, in sui purgationem dixisse ait: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* His igitur alta voce inclamãndum est, hi corripiẽdi sunt, ac stultorum loco habendi, his Propheticum illud intonandum, *Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite:* cogitate inquam, in cœlo iudicem viuere, qui quidquid hic apud nos agitur intuetur, operaque vestra singula contemplatur.

Psal. 18.

Psal. 114.

Apoc. 1. Prima, quam Ioannes in solitudine Pathmos insulæ visionem habuit, vidit quendam similem filio hominis, cuius frons instar solis radiabat, manus stellas plurimas continebant, vox tanquam vox aquarum multarum erat, ore gladius acutissimus egrediebatur, oculi vt flamma ignis collucebant. Quicumque in visionem hanc commentati sunt, dixere per prodigiosum hunc Iudicem Christum, qui omnes dijudicaturus est, designari: equidẽ vt cæteras proprietates præteream, arbitror per flammantes & igneos illos oculos, iustitiæ illius furorem, oculorum perspicacitatem, ac diligentem scelerum nostrorum disquisitionem, quam tunc adhibebit, ostendi. Vt hinc scilicet discereremus, eum, quem Iudicem futurum constat, oculos habere perspicacissimos acutissimosque, vt quidquid a nobis agatur, peruideat acutius quam aut aquila, aut serpens Epidaurius, nihilq; eum fugiat eorum quæ in mundo fiunt. Quod autem rarius hæc homines mente voluant aut non credant, hinc fit, vt in omnia vitia præcipites ferantur, magnamque capiti suo calamitatem, interitum quin etiam sempiternum, arcessant.

Ita nempe Propheta regius innuit; cum enim rationem redderet, cur impij tam præcipites in omne flagitium ferantur, tamque leuiter diuinam maiestatem offendant, *Non est*, inquit, *Deus in conspectu eorum, inquinatæ sunt viæ illorum in omni tempore, auferuntur iudicia tua à facie eorum.* Hebraica autem & Caldaica versio, loco *Deus*, hoc loco legunt *Heloim*, quasi dixeris Iudex. Sensus igitur is est, eo quod peccatores Deum Iudicem sibi ob oculos non ponant, eiusque iudicia non perpendant, hinc eos in profundam vitiorum abyssum proruere vitamque flagitiis fœdare.

Diuinorũ iudiciorũ contemptus.

II.

Primũ Deus sibi nomẽ imposuit, fuit Iudex.

Gen. 1.

Quanta igitur, Deus bone, filiorum Adam stultitia est? quanta mortalium cæcitas, vt non agnoscant quod mundus iam inde a sui primordio agnouit? Primum namque verbum Geneseos, ac primum quod à mundi creatione nomen sibi sumpsit Deus, fuit ipsum nomen Iudicis. Vbi enim in Vulgata legitur: *In principio creauit Deus cælum & terram*, fontes hebraici legunt, *In principio creauit Iudex.* &c. Quod S. Hieronym. disquirens, decemque nominum Deo in Sacris libris attributorum enumerans genera, qualia sunt Iehoua, Adonai, Saddai, Hagios, Athanatos aliaque plurima, non parum miratur, cur nam cæteris relictis nominibus, hoc sibi in primis attribuat, ac tandem concludens ait, hoc mysterio non vacare: vt hinc nimirum discerent mortales, ab illo tum tempore Deum iudicem nostrum extitisse, eumque fore, qui omnia opera nostra inquiret atque examinabit: atque ideo nostrum esse, huius interdum recordari, recordandoque percelli.

Tom. 3. ad Marcellã.

Gen. 1. Prima mundi die creator, *diuisit lucẽ à tenebris*, quod exponens Augustinus, per diuisionem hanc creaturam, iudicium, quod summus Deus in Angelos tulit, probos à rebellibus & contumacibus sequestrando, idipsum & de hominibus aliquando facturus intelligi debere ait. Forsitan etiam, vt hinc notum fieret, quod quemadmodum ab Angelorum iudicio mundus cœpit, ita in hominum sit iudicio desiturus; quid si, vt demonstraret, se, quemadmodum Creator & Iudex ab initio incolarum cæli fuerat, ita

Mundus cœpit ab Angelorũ iudicio, desinet in hominum iudicium.

quoque sub mundi finem hominum, terræ inquilinorum, futurum. semper autem, vt mortales illius iudicia sententiamque perhorrescerent.

Adhæc Enoch, qui fuit à mundo condito septimus, is inquam, qui postquam trecentis sexaginta quinque annis in mundo egisset, mortem, eiusque tela exsibilans, in paradisum translatus est, singulari quadam ratione, vt diuina iudicia annũtiaret, ac suos edoceret, a Deo electus ac missus est. Testatur idipsum Apostolus Iudas. *Prophetauit de his septimus ab Adam Enoch* dicens. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes.* Mirum profecto, Deum tam cito iudiciorum suorum præconem misisse, & quidem è septem qui in terra viuebant hominibus septimum, qui eorum terrorem hominibus imprimeret, sibiq; vt ab ijsdem cauerent, auctor esset. Egregium profecto mysterium hic delitescit. æger namque tunc mundus erat ac pessime habebat. Septimus autem in affecta valetudine dies criticus est: tunc quippe natura mutante mutant & symptomata, ægri meliuscule habere incipiunt; ac medici optimam de morbo spem concipiunt. Hinc, vt vlterius progrediar, cum peccator male habet, animaque illius debilitata est, iudicium Domini & eius iustitia ei in mentem reuocanda sunt, tunc etiam imprimis peccato egredi, prauam consuetudinem deserere; mores in melius mutare, vitæque emendatioris spem dare debet. Nulla autem crisis in animæ ægritudinibus melior aut salubrior quam illa supernaturalis, peccatis nimirum mori, ac gratiæ incipere viuere

Bõbyces tonitru emoriuntur.

In tantum bombyces, filatores illi admirabiles, aut potius miserabiles, cum fatale sibi filum trahant, & suis ipsi laqueis irretiti exspirent, tonitru perhorrescunt, vt quamprimum eo audito emoriantur; opusque cœptum vna cum vita deserant: verum solent qui eorum curam habent, quo casum illum auertant, dum tempestatem cœlos minitari, aeremque concitari vident, nolis circum secus strepere ac sonum quendam confusum edere, ne dum tonitrua boatusque cælestes ingruunt, repentino illo fragore exanimentur & exspirent. Peccatores vermes quoque appellari queunt; ita namque omnium nomine de se testatus est Israel rex Dauid, *Ego sum vermis & non homo*: sed vermes serici, bombycini, bysso & holoserico induti, quiq; sibi interitum ac ruinam sępenumero accersunt, sed qui nihil magis quam horrenda diuinorũ iudiciorum tonitrua perhorrescunt: hæc namque efficiunt, vt peccato moriantur, ac gratiæ reuiuiscant. Verum mundus, à quo in omnibus diriguntur, vt hoc à fragore eos immunes præstet, tantum circa aures & caput strepitum excitat, totq; negotiorum campanulis aures eorum obtundit, vt quodãmodo obsurduerint, adeo vt summi Præsidis minas eiusque iustitiæ fragores audire nequeant. Hinc Propheta, *Aures eorum surdæ erunt.* *Psal. 21.*

Ceruæ, vt rerum naturalium scriptores tradunt, Musica mirum in modum capiuntur, ac cœli boatum è contra exhorrescunt. Musicam tamen audiendo illaqueantur, & per tonitru vitam conseruant. Cum enim fœtus edendi tempus aduenit non prius parere queunt, quam cœlum tonare cœperit: occulte namque in vtero operante metu quẽ è tonitru concipiunt, facillime fœtum effundunt. Huc respexisse crediderim S. illum Philosophum Iob, dum ait, *Numquid nosti tempus ibi eum in petris, vel parturientes ceruas obseruasti?* Est profecto stupor & hebetudo quædam brutalis in hocce animali, quod noxia consectetur, salutaria vero & profutura subterfugiat: At maiora adhuc, mihi crede, est hominum stoliditas, ne dicam vesania: hi enim præter delicias, voluptates, inaniasque, quæ tamen interitum ac ruinam deplorandam illis afferre solent, nihil consectantur; diuinorum vero iudiciorum fragorem, quæ sola prodesse vtilitatemque singularem afferre possunt, ne vel semel de iis cogitantes sancto quodam metu percellantur, animum delinquendi exuant, vitæ emendationem pariant, & grauem peccatorum vterum deponentes pœnitentiam agant, remis velisque fugiunt. Ceruæ musicam amant, ac tonitru terrentur. *Iob. 39.*

Porro Ecclesia, à Spiritu S. in omnibus directa, cum nosset, quantum iudicij extremi memoria boni afferre queat, quo peccatores percellat, ita vt caput erigant, aures aperiant, Hodie Ecclesia, vt peccatores percel-

lat, iudicii meminit.

riant, palpebras recludant, peccata agnoscant, diuina iudicia perhorrescant: extremi diei iudicij tonitruo, tubis Angelicis, astrorum deliquijs, terræmotibus, tempestatibus maris, elementorum motionibus, animaliũ rugitu, demum omnibus ijs quæ in mundi catastropha metum incussura sunt, eosdem è peccatorum veterno, quo sopiti iacent, excitare conatur. Inter cætera autem ait, fore signa in sole, luna, & stellis. ita quippe Euangelium hodiernum præfert, *Luc. 21.* *Erunt signa in sole, & luna & stellis* de quo vt præsentem concionem instituam, & quidem recta quadam methodo, primo de signis his loquar, deinde diem ipsum, & quidquid in eo euenturum signa illa prognostica docuere, describam.

III. Deus antequã aliquẽ puniat, signa præmittere solet.

Richobaldus in Chron.

Principio igitur certissimum est, quod & à S. Patribus variis in locis confirmatur, Deum, quando aliquos in hoc mundo punire, iustitiamq; exercere constituit, plurima præmittere signa ac prodigia solere: qualia sunt, vt plurimum, solis deliquium, lunæ defectus, insolitæ cometarum apparitiones: vt hinc homines discerent, ingentia sibi cœlitus mala instare: quæ, si sapiant, præuertant atq; euitent. Solent n. signa huiusmodi malorum esse præsaga ac prænuntia. Ita quarto Neronis anno legimus solem media die defeciisse ac deliquium passum, terram tremuisse, concussam: ecce haud multo post crudelis in Christianos religionemq; nostram excitata est persecutio.

Seneca etiam in quæstionib. naturalibus refert post cometæ cuiusdam apparitionem (qui & stellis fixis & errantibus materia & forma discrepat: ac non nisi vapor quidam est Dei voluntate in materia viscosa & adustibili, vt Ioann. Damasc. ait, accensus: signum tamen semper est impendentis calamitatis, ac mali præambulum, vt in propositionibus suis ait Ptolomæus, & in Meteoris Aristot.) Oceanum sæuire cœpisse, atque intumescere, duasque insulas cum habitatoribus absorptas interisse.

Antequam Mithridates Ponti rex in lucẽ ederetur, alius in aere cometes visus est, idque per multos dies, qui tantum per nubes & aeream regionem fulgorem eiaculabatur, vt cœlum ardere spectantes putauerint: tamq; ingens erat, vt magnam orbium cœlestium partem occuparet: itaq; lucidus, vt ipsum etiam solis lumen offuscaret, atque hunc in modum quatuor per diem horis apparebat. At nihil aliud Deus, qui eundem in cœli theatro spectandum proposuit, spectabat, quam vt truculentiam immanitatemq; barbari huiusce tyranni, quo vix Oriens crudeliorem habuit, quiq; continuis populum Rom. prælijs terra marique exercuit, vt Valerius & Eutropius testantur, denuntiaret.

*Lib. 5. de ciuitat. vl.*

Plurima quoq; prodigia quæ bellum Punicum præcesserint, refert Orosius, cui & suffragatur August. vt & boues locuti fuerint, infantes nondum nati ex vtero materno incondita quædam verba efformarint, serpentes per aera volauerint, Clades quoque Romanorum ad Cannas, qua quadraginta quatuor millia ab Hannibale & Carthaginiensibus interfecta sunt, quando tres modij annulis pleni, quos tamen soli equites gestabant, quos mortuis detraxerant Pœni, Carthaginem in signum victoriæ missi sunt, multis præuijs signis, demonstrata fuit.

Clades Cannensis.

*Lib. de bello Iudaico.*

Iosephus etiam rerum Iudaicarum auctor, prodigijs varijs, & quidem mirabilibus, destructionem Hierosolymam denuntiatam ait: & imprimis, stellam quandam in forma gladii vrbi imminere visam, eiusdem excidium designantem: luna quoq; duodecim continuis noctibus deliquium passam: portam templi orientalem, ex ære conflatam, quam ne viginti quidem viri summa nitentes vi occludere poterant, subito, nemine impellente, ne quidquam impedientib. repagulis & seris referatam. Sic etiam antequam mundus in exitium ruat, & ingens hæc machina dissoluatur, tempore extremi iudicij, plurima signa ac prodigia præmittentur. ait namque Euangelista, *Erunt signa in sole, & luna, & stellis.* *Luc. 21.*

Ceterum signa hæc misericordiam & clementiam innuunt, vt nimirum ijs visis homines saluti inuigilent suæ, rebusq; animæ prospiciant. Imitatur siquidem Deus iudicem quendam fictum & subornatum, qui maleficum aliquem quæsiturus, eius tamen libertatis & salutis studiosus, strepitum vl-

Signa extremi iudicii misericordiã innuunt.

tro excitat, vtálle eo audito sibi fuga consulat, lictorumq; manus effugiat. Deus enim amore & affectu transuersum actus, hominem multorum delictorum reum comprehendere coactus, & tamen eius liberationem desideraus, priusquam descendat, multiplicem strepitum excitabit, mutabit quadrata rotundis, solis deliquium inducet, stellę cœlo cadent, elementa concutientur, cœli tonabunt, ac trement, animalia vlulabunt, orbisque vniuersus ingemiscet, vt his auditis homo in tuto se collocet, graueſque iustitiæ illius manus effugiat. Insinuat hoc Psalmista dicens: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* *Psal. 59.*

Holofernes princeps militiæ regis Assyriorum cum terram Madian flamma ferroque vastaret, regnoque Assyrio subiugaret, terram Damascenorum tempore messis ingressus est, cuius segetes & sata succendit, arboresque & vineas incidit: quæ cum in Iudæa annuntiarentur, terror & tremor *cecidit super omnes inhabitantes terram*: dicebantque intra se, si tantam barbarus hic in segetem nostram, montes ac fruticeta, vineasque crudelitatem ostendat, quæ nihil omnino in eum admisere: quid nobis fiet, qui toties eius imperium negleximus, atque in eum rebellando insurreximus? Idem omnino in mundi fine facturus est Deus, siquidem omnia hæc inferiora destructurus, limitibus eorum id est montibus cœlestibus, qui toties ita in scripturis nuncupantur, & apud Psalmographũ, *Leuaui oculos meos in montes, vnde auxilium mihi*, factus vicinior, omnia disperdet ac destruet, solẽ obscurabit, lunæ lumen eripiet, stellas cœlo euellet, aerem succendet, igne vastabit vniuersa, terræmotus causabitur, vt nimirum homo his visis & auditis perculsus & insolito metu consternatus dicat, Quid? itane summum illum Principem in creaturas, quæ nunquam aduersus eum insurrexere, sed fidele semper obsequium præstitere, insurgere? quomodo igitur me tot tantorumque scelerum reum, qui toties eum ad iracundiam prouocaui, animaduertet? *Eruntque signa in sole, & luna, & stellis.* *Iud. 2.* *Psal. 120.* *Luc. 21.*

Iustitiam

Signa inquam misericordiæ: nunquam enim iustitia sine clementia sese demonstrat, semper ac vinculum inter vtramque habetur indissolubile. Scriptum quippe est, *Iustitia & pax osculatæ sunt*, & alibi, *cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis, &c.* Hinc olim apud Prophetam ait Dominus, *Assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Funiculum, & alteram vocaui Decorem.* Quid nam iudicio vestro denotant hæ virgæ Auditores? duo scilicet attributa Dei, eaque nobilissima, Iustitiam scilicet ac misericordiam, aut potius duas habenas, quibus vniuersam hanc rerum machinam moderatur ac regit, Iustitiæ ac misericordiæ: vnam suauem ac mitem, ipsius nempe clementiæ: alteram vero grauem ac duram quam iustitiam dicimus. Et quoniam iustitiam semper misericordia comitatur, hinc est quod hæc virga, non gladius, non nouacula, non culter, quibus vt plurimum homines interimuntur, sed funiculus nominetur, eo quod instar funium ac vinculorum, metu ac formidine peccatores retineat, in officio contineat, atque impediat ne in peccatis vlterius progrediantur. Ideoque extremi iudicij die *Erunt signa in sole, & luna, & stellis.* misericor dia comitatur. *Psal. 84.* *Habac. 3.* *Zach. 11.*

IV. Signa extremi iudicii allegorice exposita.

Signa horrenda ac terribilia, sed signa iustitiæ in sole Christo, luna Deipara, ac stellis, Sanctis inquam ac Beatis. Tunc sc. stellæ illæ cœlo cadent, pulchra illa luna lumen denegabit, peccatoribus auxiliari desinet: tunc lucidus ille sol obscurabitur, nubibusq; furore & cholera velatus vultum teget. Tunc quoque idem sol signum iustitiæ ingredietur: modo quidem in misericordiæ signo, in vitæ huius Zodiaco comparet, at tunc in iustitiæ. Nouistis Auditores, duodecim Zodiaci signa esse, quæ mundi oculus, princeps luminis, omnium influentiarum dominus sol, anni spatio perambulat, *Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, &c.* Totidem quoque in Euangelio reperire est: & Christus sol noster, cum aliqua horum in vita percurrisset, iudicij tempore cætera percurret. Arietis iam olim signum ingressus est, in eo namque à Ioanne videtur, dum velut astrologus peritissimus exclamat, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* quin in hoc eum signo à longo iam tempore vidit Isaias, *Ioan. 1.* *Isa. 16.* *Isai. 7.*

*Emit-*

Ioan.2. *Emitte agnum Domine dominatorem terra.* signum quoque Virginis pertranſit, in quo idem eum vidit.vaticinans namque ait, *Ecce virgo concipiet & pariet filium.* Geminos etiam prætergreſſus eſt,in quib. totus eum vidit orbis:in myſterio videl. Incarnationis,in quo duplex natura,diuina & humana, velut gemini,in vnam hypoſtaſin coaluerunt, ac nonniſi vnam perſonã conſtituerunt. Cancrum quoque ingreſſus eſt, cancrum inquam, qui retrogredi ac retrocedere ſolet: quando a maieſtate & magnificentia ſua recedens infra Angelos ſeſe demiſit, & homo factus eſt.atque in hoc ſigno eum aperte Ioan.vidit,dum ait, *Et verbum caro factum eſt,* Pſal.8. quin & prædixerat Pſalmograph. *Minuſti eum paulo minus ab Angelis.*

Verum extremi iudicij tempore Libram ingredietur:Leuate capita veſtra Auditores, tunc, tunc inquam ſigna in ſole conſpicabimini,tunc ſol Libram ſubibit, tũc ponderabit, omniaque opera, verba, cogitationes noſtras iuſtitiæ ſuæ trutinæ imponet & examinabit.Sol cum in Libra eſt, æquinoctium eſt,vnde poeta: 1.Greg.

*Libra diem ſomnq; pares vbi fecerit horas:*
*Et medium lucis atq; vmbris vbi fecerit obtĩ*

ira cum myſticus ille ſol iudiciorum ſuorum libram ingreſſus fuerit, noctes æquabit dies.dies inquam Beatis ac cœleſtibus,noctes damnatis ac reprobis,nam & horum ſupplicia, & illorum gaudia perennia futura ſunt, nulloque vnquam fine terminanda. Deinde Leonem etiam intrabit, itaque furore & indignatione accendetur, vt omnia quæ hic in terra ſunt,ad ima vſq; fundamenta montium,incendio conſumpturus ſit. *Montium,* ait hinc Moſes, *fundamenta comburet.* Ecquis,Deus bone,ardor! ecquod incendium! *Non eſt qui abſcondat ſe à calore eius.* Tunc vere ſol in Leone futurus eſt:iudex. n. non iam humana,ſed leonina voce detonabit ac rugitu ſuo totum percellet orbẽ. Docuit hoc me Prophetes, dicens, *Leo rugiet, quis non timebit?* & alius: *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam & mouebuntur cœli & terra.* Huc reſpiciens Dauid, ſimulque conceptum noſtrum auctoritate ſua confirmans, duas ei qualitates aſſignat, penitus inter ſe contrarias, clementiam nimirum ac rigorem: *Dulcis & rectus Dominus:* modo quidem dulcis eſt, quam diu in miſericordiæ ſigno hæret,at rectus & rigidus futurus, quando iuſtitiæ ſignum fuerit ingreſſus. S. Bern. quoq; eodem reſpiciens, iudicem noſtrum comparat api, in ore quidem mel, in cauda vero aculeum geſtanti: modo enim nonniſi nectar ſpirat & miſericordiam. at in mundi fine aculeos,ſtimulos,iuſtitiã proferet.ideoque *erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis.* Luc.21.

Signa luctus ac triſtitiæ:erunt namque lugubres hæ ante mundi conſummationem apparitiones, velut luctus quidam generalis, atque vniuerſalis omnium creaturarum in hominis interitu planctus.Nam quemadmodum rege mortuo tota aula luctum induit,atque vniuerſum regnum plangit ac lamentatur,ita cum homo totius vniuerſi rex, circa mundi finem in extremis verſabitur, tota orbis huius aula lugebit, magnates cœleſtes,elementorũ præſides,terræ vaſalli:totus deniq; mũdus planget & vlulabit.Quod ad viuum expreſſit Ezechiel. *Et operiam, cum extinctus fuero, cœlos: & nigreſcere faciã ſtellas eius, ſolem nube tegam, & luna non dabit lumen ſuum.* Et quamuis hoc iuxta literalem ſenſũ de rege Ægypti intelligatur, myſtice tamẽ de homine,qui mundi huius dominator eſt, intelligi quid vetat? Ezech.32.

Dauid audito, Saulem & omnes fortiſſimos Iſrael in montibus Gelboe occubuiſſe, contriſtatus eſt quam maxime, vtq; omnes tantam cladem deplorarent,omnis Iſrael luctum induceret, lamentis perſonaret, ac lugubre carmen funderet, auctor fuit: quin & Iſraelitides, vt mortem Principis ſui plangerent,adhortatus eſt, *Filiæ Iſrael ſuper Saul flete,qui veſtiebat vos coccino in deliciis.* 2.Reg.1. Nõ aliter, quando circa diẽ iudicij mors hominis, qui velut regulus in hoc mũdo eſt, ac totius nobilitatis filiorũ Adam annuntiabuntur, natura tam acerbum caſum ægre ferens,omnes creaturas ad lacrymas & gemitus excitabit, efficietq; vt totius vniuerſi aula luctum induat: ideoq; ſtellæ abſcondentur, planetæ cælo ruent, elementa rebellabunt, animalia præ anguſtia emorientur, per omnia deniq; loca luctus, querelæ, lamenta, gemitus exaudien-

Pſal.24. *Dulcis & rectus Dominus.*

Signa hæc futura sũt ſigna luctus.

Beatitudo electorũ & pœna damnatorũ ſemper durabunt.

Deut.32. Pſal.18. Amos 3. Ioel.3.

Hiſtoria de morte Saul allegorice expoſita.

audientur, &, vt Euangelij verbis loquar, *erunt signa in sole, & luna, & stellis.*

*Luc. 21.*

In signes cõceptus morales.

Et quemadmodum, inquit Chrysostomus, patre aliquo familias in mortis articulo constituto, tota domus in luctu & mœrore versatur: hinc filii carissima pignora, illinc vero domestici ac serui plangunt ac lamentantur, aulæis parietes denudantur, aliisque vestibus conuestiuntur, ac per omnes domus angulos vnica imago mortis oberrat: ad eundem modum paulo ante finem mundi, hominem magno illo patrefamilias, qui totum orbem regit ac moderatur, cœlos, vt contempletur: elementa, vt temperet: anni tempora, vt dirigat: bestias, vt frenet: omnia deniq;, vt libere de iis disponat, in extremis agente: magna hæc mundi familia turbabitur ac plangет: herbæ siquidem exarescent, arbores deflagrabunt, aues obmutescent, omnia luctu & lamentis replebuntur, pulchri illi agrorum tapetes auferentur, siluarum viror peribit, flammantes illæ cælorum faculæ extinguentur, omniaque atras & pullas vestes induent, tenebras inquam ac nebulas. Ita namque testatur Euangelium, *Erunt signa in sole, & luna & stellis.*

Signa discessus hominis, dierum illius finis, omnium rerũ derelictionis signa. An non enim, cũ palatii fenestræ & ianuæ claudentur, aulæa è parietibus auferuntur, tubæ discessum sonant, excubitores & stipatores regii procedunt, signum est Principem abitum adornare? quando columnæ & bases tremunt, an nõ hinc colligere est, domum ruinam meditari; quando naturalis ac vitalis color, & faciei decor perit, & pallor corpus obsidet, an non hinc mortem licet præsagire? Quando igitur rutilantes illæ fenestræ cœlorum, ianuæ illæ mundi, solem & lunam intelligo, manu Creatoris ipsius claudentur, aulæa ac peristromata lucis & diei auferentur, tubæ quibus mortales ad iudicium euocabuntur personabunt, Angeli denique qui Dei lateri semper adhærent, progredientur: an non manifestum signum est Principem, id est hominem, velle discedere? Demum vbi tot terræ motus, tot concussiones audientur, atque vterque mundi cardo quassabitur, ingens illa mundi domus an non præsens periculum adibit? Adhæc vbi color ille naturalis agrorum, ille candor, viror, rubor, color ille purpureus, giluus, ac rubicundus qui in pratis modo oculos omnium delectat & afficit, creaturarumq; fronti insculptus legitur, deficere & emarcescere cœperit: nonne certissimum præsagium est, mortem adesse, ac finem imminere? Cum homines denique pallescent & arescent præ timore qui superueniet vniuerso orbi, cum sol, luna, stellæ, radios, lumen, fulgorem amittẽt: profecto dubitare nemo potest, quin mors præ foribus sit, omniumque rerum finis instet. Atque adeo nolite mirari, *si erunt signa in sole, & luna, & stellis.*

Signa interitus mundi.

*Luc. 21.*

Felix ac faustum omen est, cum cœli exultant, vt in sacro natiuitatis Domini die, quando Angeli cœlo descendentes suauissime in aere modulabantur, Gloria in excelsis Deo: & quando stellæ in signum lætitiæ in Oriente fulgebant. Verum cum luctum induunt, ac tetro velamine cooperti sunt, vt in tristi Passionis die, triste solet augurium appellari. similiter non triste omen erit, cum in die iudicii globi cœlestes tristitiam præferent, planetæ obscurabuntur, stellæ præ mœrore concident, sol & luna luctum demonstrabunt? quam fatale hocce futurum est prognosticum! vnde Propheta qui nouisse omnia videbatur, *Finis venit, venit finis, euigilauit aduersum te, ecce venit: immittam furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas.* Ita quid aliud è signis prodigiosis nisi prodigia colligi poterunt? quamobrem *Erunt signa in sole & luna, & stellis.*

Bonum omen est cœlos exultare; malũ, dolere.

*Ezech. 7.*

*Luc. 21.*

Quid? an non sufficit, signa esse in sole, vt in luna etiam ea apparere sit necesse? O signa, ô mirabilia! nempe sole obscurato obscuratur & luna, ac stellæ deliquium patiuntur. Demonstratur hinc quantum magnorum exempla, tum in bonum, tum malum virium habeant ad plebem permouendam. Quando igitur Principes & optimates in timore & cultu diuino defectum faciunt, inferiores & subditos eundem experiri necessum est. Nam vt columnis & fundamentis domus, in qua Philisthæi epulabantur, à Samsone inter se collisis, trabes, & tigna, & lapides conciderunt: ita & magnatibus,

bus, qui velut baſes & columnæ reip. ſunt in vitia prolabentibus, populum ac plebem eodem lapſu & ruina cõcidere oportet. Aaron & Principes populi Iſrael mox vt idola conflare cœpêre, tota multitudo eadem ſupplex adorauit. Dici profecto non poteſt, quantũ ſuperiorum exempla obeſſe vel prodeſſe in ſubditorum animis queant: ſol nempe hic deliquium patitur & luna, cum luna ſtellæ.

*Iudic.16.* *Exod.32.*

Delicta q̃ initio parua ſunt, tandẽ tẽpore maiora fiunt.

Ecce & alium cõceptum ex his ſignis procuſum. Mirabile eſt, ſole tantum obſcurato, lunam lumine deſtitui, ac ſtellas cœlo cadere. Profunda hic Philoſophorum quæſtio eſt, qui nimirum vitium ſemper in deterius creſcat, quoq; magis à fonte recedit, quo & in peruerſitate inualeſcat. Aiunt ſiquidem Philoſophi, *Paruus error in principio, maximus eſt in fine.* Muſca quidem initio eſt, antequã vero ad finem peruenerit, elephantem ſuperabit: quique in exortu gutta minor erat, in oceanum tandem excreſcit. Ita filium Dei ſatan à lapidibus tentare incepit, atq; in regna finiuit, quod initio nonniſi inſtar vermiculi erat in crocodilum tandem euadit. ait enim Propheta, *De radice colubri egredietur regulus.* Exemplum autẽ euidentius hodierno in Euangelio reperimus, vbi ſole tantum obſcurato, luna lumine deſtituitur, ac ſtellæ cœlo ruunt. *Erunt enim ſigna in ſole, & luna, & ſtellis.*

*Matth.4.* *Iſai.14.* *Luc.21.*

Admirabili illa creationis die, qua omnipotens rerum opifex cuncta è nihilo produxit, hunc in modum ipſe locutus eſt, *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, & ſint in ſigna ac tempora, & dies & annos, &c.* Luminaria hæc nihil erant aliud quam ſol, luna, ac ſtellæ, quæ, vt Creatoris legibus obſequantur, erunt in ſigna & prodigia: non autem vt tempora iam & annos diſcriminent, dieſque diſtinguant à noctibus. Tunc ſiquidem horologia finem habebunt, de diebus, menſibus, ſeptimanis nulla amplius erit mentio, vnica omnia dimetietur æternitas. Ita namque affirmauit hoc ipſum Angelus ille Apocalypſ. qui pede vno terram, altero mare calcabat, *Et iurauit per viuentem in ſæcula ſæculorum, &c. quia tempus non erit amplius.*

*Gen.1.* *Apoc.10.*

Legem item ſuam promulgaturus hunc in modum Moſi locutus eſt, *Signa faciam quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram, nec in vllis gentibus: vt cernat populus iſte in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus ſum.* Extremi ſcil. iudicij die legem omnib. hominibus Deus dabit, tunc enim ſigna edet, quæ nunquam hactenus à quoquam mortalium viſa ſunt vt omnes mundi incolæ opus Domini terribile, quod horrendo illo die facturus eſt, quando omnes ſc. mortales dijudicabit, videant & agnoſcant.

*Exod.34.*

Plura ſigna in die iudicii apparebunt.

Ioannes magnum aliquid omnibusque inauditum ſæculis narrare volens, admiratione & exclamatione vſus eſt, prodigia, miracula, paradoxa. *Signum magnum apparuit in cœlo.* Si diſcipulus ille quem diligebat Ieſus, quemq; ſingularibus gratijs ditauerat, vnico in cœlis ſigno viſo adeo obſtupuit, vt magnũ quid ſe vidiſſe exclamet: quid in vniuerſali mundi excidio erit, quando infinita ſigna apparebunt in terra, mari, elementis, alijſq; mundi partibus. Audite vt in numero plurali dicatur, *Erunt ſigna in ſole, &c.*

*Apoc.12.* *Luc. 2.*

Varię opiniones de ſolis hac obſcuratione.

Et quænam ſigna? & quomodo? ſol nimirum obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, ac ſtellæ cœlo cadent. Quomodo vero hęc futura ſint, nõ eadem omniũ eſt opinio, cenſent enim aliqui, non ita ſolem & lunam obſcuranda, vt lumen penitus amiſſura: ſed quod alio quodã lumine maiori Chriſto ad iudicium veniente offuſcanda ſint. Maius enim lumẽ, teſte Philoſopho, offuſcat minus. In hanc opinionem conſentiunt Hieron. Euthymius, Venerabilis Beda, Auguſt. Ioannes Chryſoſt. qui ait, *Sol obſcurabitur, non quia deſtruetur, ſed quia luce aduenientis Chriſti ſuperabitur, &c.*

*Lib.21. ſerm.130. de tempore.*

Alij vero metaphoricum ſenſum conſectantes, aiunt ſolem & lunam non realiter ac vere lumine ſuo priuanda, ſed tropologicam hic loquendi formulam cõtineri, qua anguſtiæ & miſeriæ tẽporis illius denotentur. Solent enim in Sacris literis afflictiones & anxietates per nubes & tenebras, caliginẽq; vt plurimum deſignari, vt in cap. XVIII. Iob ſcribit Gregor. atq; adeo huiuſmodi hinc elici ſenſum poſſe iudicant. Tantas anguſtiarum tenebras, calamitatumq; nebulas tunc miſeri mortales patiẽtur, perinde ac ſi cum ſo-

le luna omni lumine destituetētur, nullumque splendorem emitterent. Atq; hanc Scripturarum loquendi consuetudinem in illo Isaiæ loco ad oculum cernere est, esse *stellæ cæli & splendor earum nō expandent lumen suum, obtenebratus est sol in ortu suo, & luna nō splendebit in lumine suo, &c.* quæ verba Hieron. eo quo diximus sensu exposuit. itē apud Amos, *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die lucis.* Sunt hæ metaphoricæ locutiones, quibus omnibus ostenditur, omnes eorum delicias ac gaudia in luctum & amaritudinem conuertenda, solem autem in meridie occidere, quid quæso significat aliud, quam in mediis eos voluptatibus ac iucunditatibus maximis angustiis molestiisq; inuoluendos?

*Isai.* 13. *Amos* 8.

Longius etiam deuians Origenes, singula remque opinionem secutus, solis hanc lunæque obscurationem è fumo tetroque vapore, quem incensus infra orbis terrarum emittet, prouenturam putat. Sed veluti & alii à veritate nimium quantum alienus est, eosque falsitatis, hoc potissimum nixus argumento, coarguo, quod prius solem obscurari necesse sit, quam mundus succendatur: omnes alioquin homines incendio absumerentur, ac nullus proinde signa hæc præambula videret. Cum tamen Euangelij cōtextu certissimum sit homines hisce visis percellendos, præque timore ac formidine propemodum perituros, *Arescentibus hominibus præ timore.*

*Luc.* 21.

Verosimilius igitur videatur, solem & lunam vere obscurāda, ac deliquium passura. nam vti tempore passionis Dominicæ vere ac realiter defecere: ita quoq; in vltimo eius aduentu, quando cum sceleratis iustitiā facturus veniet, vere deficient. Quatuor autem Abulensis modos producit, quib. hanc obscurationē solis fieri posse putant. Primo per subtractionem radiorū; tunc enim Deus non sine miraculo, generalē concursum suspendet, nec amplius cum luminaribus illis, quo lumen effundant, cooperabitur: atq; ita sole radios reuocante, luna aliaq; astra, quæ nonnisi solis adminiculo lucent & à quo omne lumen suum mutuantur, obscurabūtur. Quod autē scriptura dicat, stellas cœlo collapsuras, insinuare vult, eas lumine priuandas, mundoque non amplius facularum aut luminarium instar fore. Secundo per interiectionem corporis cuiusdā spissioris. Tertio per claritatis suspensionem: tunc siquidē non amplius lumen aut radios sol effundet. Quarto per eclipsim, q̄ mihi præ cæteris arridet, si de eclipsi supernaturali intelligamus? nam si naturalis foret, inter signa & prodigia censeri minime posset: fieri adhæc naturaliter non potest, vt sol & luna eodem tēpore simul deliquium patiantur: solis enim per interpositionem lunę inter solem & terram fieri solet: lunæ vero, cum terra diametraliter inter solem & lunam interiecta est. Hæc quin etiam eclipsis à cæteris differet, q̄ futura sit vniuersalis, quippe quæ omne vbique terrarū lumen auferet, tenebrasq; quacūq; diffusas causabitur, q̄ nulla hactenus eclipsis p̄stitit. Præterea erit diuturna, vt ab vniuerso mundo percipi queat, ac velut certissimum venturi mali excidiiq; præsagium habeatur. Credunt nōnulli ad tres eam horas duraturā, vti ea quæ Passionis tempore visa est. alii ad plures: nonnulli triduo, vt tenebræ Ægyptiæ. Equidem medium iter cōplexus, tam diuturnam eam fore non crediderim, ne fortasse inferiora hæc lumine destituta pessum eant. Quidquid demum sit, certissimum est, fore *signa in sole & luna, &c.* *Luc.* 21.

Eclipsis solis ac lunæ vnde prouenit.

Quot horis solis eclipsis in mundi fine duratura sit.

*Erunt signa in sole*: res mysterio non vacat. Sol quippe inter cætera duorum symbolum est: in primis iustitiæ. hinc apud Orpheum plerumq; iustitiæ oculus nuncupatur. Nam vt lumine illo suo bona à malis secernit, ita & iustitia. Deinde etiam vitæ. atq; hinc cum Persarum rex Cyrus somniasset, solem manib. elabi suis, somniorum interpretes arioli eum propediem moriturum coniiciebant. At quando in Euangelio legimus, solem obscurandum, ac velut è mundo fugiturum, conicere licet & augurari, mundum in extremis esse, ac propediem moriturum, iustitiamq; mox vnicuique reddendam, O signa prodigiosa!

Sol duo significat.

Agnus in Apoc. cum sextum sigillum aperuisset, terra tremere & moueri, sol obscurari, luna rubescere, stellę ruere, venti insurgere & grassari, reges demiq; præ pauore relictis

*Apoc.* 6.

ctis vrbibus in cauernis sese occultare cœperunt. Sextum hoc sigillum sextam mundi ætatem mystice designabat, quæ & vltima est, & in qua horrenda hæc prodigia euenient, terribiles nimirum motus terræ, nouæ in sole eclipses, exoticæ mutationes in luna, stellarum lapsus, regum ac principum fuga
*Luc. 21.* & pauor. Atq; hæc prodigia sunt, quæ Euãgelium declarat, *Erunt signa in sole, &c.*

*Gen. 37.* Quid? anne signa in sole? ô subita rerum mutatio, ac tristis metamorphosis! vidit olim in somnis Ioseph, ad tantam se aliquando dignitatem sublimandum, vt à sole, luna & stellis se adorandum dicat. At in die iudicij omnia hæc mutabuntur: astra namq; quæ hominibus cultum & obsequium lucendo exhibebant, quæ vitam illis etiam conferebant, tantum aberit, vt placide eos habitura sint aduersus eos insurrectura, bellũ motura, lumenque sint denegatura: antiquus ille cultus in tyrannidem, honores in contemptũ, obsequia in barbaram inhumanitatem transitura: quod triste atque infaustum erit augurium.

*Iosue solem sistit. Ios. 10.* Iosue cum aduersus Amorrhæos bellum gereret, victoriaq; in se inclinaret, solem in medio Zodiaci, lunamque in sphæra sua, ne vlterius progrederentur, cursum sistere coegit, donec barbaros ad internecionem deleuisset, & quinq; illos reges qui ad bellum exciti venerant, interemisset. Idẽ omnino mihi in extremo iudicio euenturum videtur; adeo vt ad solum Christi nutum, sol, luna, ac stellæ, in medio cœli fixa mansura sint, lumenque & influxus solitos mũdo negatura, donec maledictos illos Adæ posteros, hostes suos iuratissimos confecerit. *Vt sumat vindictam de inimicis suis*, ait Ieremias, *Impijs reddit*
*Ier. 46.* *vindictam*, addit Ecclesiasticus, *ad faciendam*
*Eccles. 12.* *vindictam in nationibus*, subnectit Psalmographus. Idcirco nimirum Planetæ in medio
*Psal. 149.* cœli stabunt, signaq; & præsagia impendentis hominibus calamitatis edent.

Tunc quoq; verum fuisse comprobabitur vaticiniũ Iob, qui cum Dei miracula describeret, ait: *Qui præcipit soli, & nõ oritur, & stel-*
*Iob 9.* *las claudit quasi sub signaculo: qui cõmouet terrã de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* Illo quippe die, die inq̃ omnium dierũ maximo & extremo, soli præcipiet Deus, & non amplius quo diem hominibus afferat, orietur; tunc etiam stellas claudet, & velut in carcerem cõpinget, adeo vt cœlo exulare & in terram concidisse visuræ sint; tunc quoq; terrã cõmouebit, eius cardines cõcutiet, & vtrũq; polum tremere faciet. O prodigia inaudita!

Rex ille ac monstrorũ domitor Dauid, futura olim disquirens, non sine admiratione ijsdem locutus est dicens, *Sicut cera fluit, au-* *Psal. 57.*
*ferentur, supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Attentius hocce vaticinium examinanti in mentem venit, de nostris eum signis, quæ circa mundi finem videbuntur, sermonem instituisse: tunc enim omnia instar ceræ defluent; tunc ignis cœlo descendet; tunc homines non amplius solem aut lunam videbunt; tũc quoq; merito dicere mortales poterunt, quod longe ante prædixit, *Sol cogno-* *Psal. 103.*
*uit occasum suum*; sol quippe signis his finem suum, atque omnium rerum ruinam instare, demonstrabit.

Sapiens hominem, qua ratione vitam instituat, commonefaciens, his eum verbis allocutus est: *Memento creatoris tui in diebus iu-* *Eccl. 12.*
*uentutis tuæ antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appropinquent anni, de quibus dicas, non mihi placent, antequã tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ.* Omnia hæc, etiam nulla adhibita periphrasi, de iudicio extremo, ac signis præambulis intelligenda sunt. Modo namq; velut iuuenta hominis est, tunc vero tẽpus afflictionis, tunc grauior quodãmodo ætas ac tarda senecta malis varijs circũsepta ingruet; tunc sol obscurabitur, luna deliquiũ patietur, stellæ abscõdentur: quamobrem si homo consilijs meis velit acquiescere, sapiẽtique monenti auscultare; creatoris sui, antequam omnia hæc non expectata adueniãt, recordetur.

Hoc Iosue duci fortissimo tribuit elogiũ Ecclesiasticus, *An non in iracundia sua impe-* *Eccl. 46.*
*ditus est sol, & vna dies facta est quasi duo?* At Iosue laudes. meliori nos hoc iure Iesu Christo attribuẽmus, eiusq; potentiã super omniũ regũ terræ potentiã efferemus; ipse etn. in indignatione sua, & cholera non modo solis cursum impediet, sed omne etiam lumen tũ ei ac lunæ, tum etiam stellis eripiet, efficietque vt

dies illa omnium dierum maxima dici queat, *dies magna & amara valde.*

*Isai.24.*

Alius quidam magnum quid & nouum innuere volens; ait: *Et erubescet luna, & confundetur sol, cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.* Equidem mysterium rei subodorans, signa iudicium extremum præcessura hic designari arbitror: tunc nempe Christo angelicarum humanarumq; cateruarum duce ad iudicandum descendente, vt ab omnibus mundi rex salutetur, & in medio Patriarcharum ac Prophetarum, qui sæpius sub senum imagine in sacris litteris exprimuntur, gloriam amplissimam consequatur, tunc inquam, erubescet luna, ac sol pudore quodam modo cõfusus vultum abscondet, & apparere non audebit atque hoc est quod Euangelium innuit, *sol obscurabitur, & luna nõ dabit lumen suum.* Isaias hominẽ de beatitudine ita allocutus est, *non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor luna illuminabit te.* quod hic Propheta de electis in alio mundo ait, ipse de miseris mortalib. hoc in mundo vsurpem; quasi dixerit, Tecum statuas velim ô homo, in mundi extremo nõ amplius tibi solem radios ad illuminandum præbiturum, aut lunam noctes splendore suo illustraturã, stellas quoq; luce destituendas. Quamobrem, audi quid Euangelista dicat: *Erunt signa in sole, & luna, & stellis.*

*Matth.24.*

*Isai. 69.*

*Luc. 21.*

Dies extremi iudicij dies tenebrarum & caliginis.

Ioel & Sophonias Prophetæ dum diem quendam horrendum describerent, ijsdem omnino verbis vsi, eum *diem tenebrarum & caliginis* nuncuparunt. Importunius horum verborum sensus non est inquirendus; vterque enim proculdubio de iudicio locutus est, quo sole, luna, stellisque lumine destitutis, densissimæ vniuersam tetræ superficiem tenebræ occupabunt; tenebræ quales erant illæ quibus Ægyptij diuexati fuere: tunc mundus non amplius paradisus voluptatis, sed, vt Iob olim eum describpsit, *terra miseria ac tenebrarum* erit. In quib. verbis notare vos velim vt hic miseriæ tenebræ velut maius quid, postponantur, vt hinc disceremus, solis absentiam, lunæ stellarumque retractionem, deniq; tenebras hasce horrendas, miseriis & calamitatib acerbissimis grauiores & intolerabiliores fore, atque ideo Euangelista, vt totum mundum percellat, solum ait, *Erunt signa in sole*, &c.

*Ioel. 2.*

*Soph. 1.*

*Exod.10.*

*Iob.10.*

*Luc. 21.*

Dixisti olim de sponsa tua, amore transuersum actus, Domine, *Pulchra vt luna, electa vt sol*, sed in mundi fine hæc loquendi ratio penitus exoleuerit, nec amplius locum habebit: nihil quippe tunc sole tristius, nihil luna luctuosius, nihil stellis fœdius apparebit, *Sol & luna obtenebrati sunt*, ait Ioel: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*, Euangelista: *Luna tota facta est sicut sanguis*, scribit in Apocal Ioan.

*Cant.6.*

*Matt.24.*

*Apoc.6.*

Tu vero ô regum propheta, ac prophetarum rex Dauid, dum diuinas laudes in organis & psalterio decantas, solem & lunam & astra ad continendum inuitare soles, *Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ & lumen.* At in lugubri illo die mutandi erunt termini, nec summi illi naturæ modulatores ad iubilum & pæana, sed ad nænias, lacrymas, luctum & tristitiam inuitãdi. *Musica in luctu importuna narratio*, ait Sapiens; toto siquidem mundo in lacrymis constituto planetæ quomodo exultabunt? quomodo hominibus præ timore arescentibus, ridebunt cœli? tantum porro abest, vt risuri sint, vt amarissime ploraturi; nam *erunt signa in sole & luna.*

*Psal.148.*

*Eccl.22.*

*Luc. 21.*

Ad quid obsecro hæc signa? cur tam tetrũ sol amictum induat? luna cur lumine priuetur? cur tantam in stellas crudelitatem exerceat creator, vt eas cœlo deturbet? Quid meruere sidera, planetæ quid peccarunt? quod crimen admisere? O arcana & inscrutabilia iudicia Dei! Nihil, fateor, admisere, multas tamen ob causas ea fieri signa permittet Deus: Primo, vt omne se peccatum odisse ac detestari, quidquid peccato seruiuit, rigidissime se castigare velle significet. Videte obsecro peccati grauitatem ac peruersitatem: quia sol radiis suis peccanti famulatus est, ideo ad tenebras condemnabitur; luna quod latronibus de nocte lucem dederit lumine tunc carebit; stellæ denique quod impiis auxiliatæ sint, cœlo deturbabuntur: vsurpare vt hic liceat Horatij illud,

*Quidquid delirant reges plectuntur Achiui.*

Cur creator hæc signa editurus sit.

Peccati malitia.

Nam

Nam miseræ creaturæ propter hominis, qui in hoc mũdo velut rex est, peccata puniẽtur.

2 Ad peccatorẽ percellendũ.

Secundo; vt ita peccatores perterrefaciat, & ad pœnitentiam inuitet: si enim cœlum iram indignationemq; iudicis, cœlo descendẽtis, quo iustitiam suam exerceat, sustinere nequeat; qui obsecro, miser peccator eandem sustineat: In Exodo scriptum est, tenebras horribiles per vniuersam Ægyptum factas esse, adeo vt nemo per triduum videre fratrẽ, aut loco in quo erat mouere se potuerit. Si tantum tenebræ illæ Ægyptiis terrorẽ incusserint; quid facient tenebræ illæ vniuersales, quæ quatuor mũdi cardines cooperient? quantum illæ peccatoribus terrorem ac formidinem incutient, cum sol sese abscondet, luna eclipsim patietur, & stellæ lumen amittent?

*Exod.* 10.

Israelitæ auditis tonitruis, & visis fulminibus, quæ montem Sinai circumuallabant, in tantum perculsi sunt, vt ad Mosem cateruatim confluentes dixerint, *Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Peccatores igitur & impii quid agent, quando vallem Iosaphat fragoribus & fulminibus septam videbunt? quando Deum tonantem audient, & tot ligna in sole & luna, & stellis videbunt?

*Exod.* 20.

3 Dei proprium est ignoscere.

Tertio, vt hic manifestũ fiat, quam à diuina natura alienũ sit, in peccatores insurgere, dignis delicta suppliciis castigare, cuius sc. propriũ est misereri semper & parcere, quiq; peccatorum mortẽ non desiderat. Ignoscere namq;, Deo proprium est quarto modo. Sunt iudices, qui prius quam aliquem morti addicãt, vbertim fleant, ad eũm modum Deus, priusquã diluuio vniuersali mundum eiusq; habitatores deleret, ploraſſe ac doluisse dicitur, *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem quem creaui.* Plorauit qui etiam super ciuitatem Ierosolymitanam, cũ eius excidium & ruinam præsentiret. quin & diu ante per Isa. Prophetam dixerat: *Seruire me fecisti in peccatis tuis.* perinde ac dixisset, nihil mihi accidere potest grauius aut acerbius, ô peccator, quã dum iniquitates tuas punire, iustitiæque tela in te exerere cogor.

*Gen.* 6.

*Luc.* 19.

*Esai.* 43.

4. Omnia hæc inferiora ab influxu cœlesti dependeant.

Quarto, quod omnia hęc inferiora ab influxu cœlesti dependeant, cunctaq; ab operatione solis vitam habeant, adeo vt quod Physici dicunt, *Homo hominem generat & sol*, hic scite vsurpare possimus. Et quoniam tẽpore extremi iudicii omnia pessũ itura sunt, non erit amplius necesse, solem lunam ve aut stellas in hoc mũdo operari, at dolorem potius induere, quod rebus hisce inferioribus non amplius possint succurrere, aut etiã nolint, eo quod homines creaturæque Deum peccando offenderint, ideoque indignabuntur. An non igitur rationes hæ tam egregiæ sunt, quam signa horrenda & terribilia? vos autem hæc animo insculpta gerite, interea ad alteram me cõcionis partem præparabo.

Profecto si prodigiosa illa signa, funestæque impressiones, quæ in mũdi fine apparebunt, antequam ad iudicandum venerit Dominus, timorem & metum incussura sunt; res ipsæ quas præsignarunt, malaq; quæ post sequentur, maiorem haud dubie metum incutient, quam verbis exprimi queat. Solebãt Prophetæ, cum ingentem quandam populo suo Deus calamitatem plagamque comminaretur, eam hominib. annuntiare, non modo verbis, sed etiam exteriori agendi vestiendiq; ratione illam exprimere, vt hoc nouo inusitatoq; schemate diuinam vltionem innuerent, populoq; timorem incuterent. Modo namq; nudi foras prodibant, modo exotica quandam & peregrina ratione vestiti, vt his visis populus virgam diuinam apprehendens, eandem euitaret.

Quomodo Prophetæ ira Dei exprimere solerent.

*Isai.* 20.

Hinc Isaias & Michæas Prophetæ altissimi, nudi per plateas Ierusalem iram diuinam annuntiarunt, vt ita excidium & ruinam vrbi ab inimicis imminentem ostenderent, non tam verbis quam gestib. prædicantes. *Vadã spoliatus & nudus, faciam planctum sicut draconum.* Quid? præco ille flagellorum Dei, vt euersionem vrbis vnius declaret, nudus in cathedram venit, instar draconis vult plangere, non vero instar hominis loqui. Quam vero sibi cathedram deliget præco Euangelicus, in qua horrendum illum iudicii diem, vniuersi orbis destructionem, omnium mũdi vrbium ruinam, cœli terræque excidium, hominum animaliumque stragem annuntiet? quibus hæc verbis exprimet? lacrymis hic potius quam verbis agendum.

*Mich.* 1.

*Ierem. 21.* Video deinde Ierem. ferrea grauatum catena, ſuſpirantem gementemque, Ieroſolymitanas plateas obambulantem, vt vrbis captiuitatem deſolationēq; populo exponeret: Ezechielem vero peregrini habitu indutū; ita quippe Deus præceperat, *Fac tibi vaſa*

*Ezech. 12.* *tranſmigrationis:* quo hinc habitatores colligerent, aliquando ſe profugos & exules futuros, domoq; & patria relicta in alienū ſolum tranſuehēdos. Hæc eum ita ſint, quod ſchema, quā hodie veſtē induet Iudicij extremi præco, quib. verbis & geſtibus vtetur, vt vniuerſo orbi impendentem calamitatē denuntiet? Ipſe porro Creator cū ſciret hominum vires ac loquelam ad tanta mala denuntianda non ſufficere; cœlos, aſtra, ipſa quin etiam elementa præconis vice hic fungi voluit. Idcoq; ſol egredietur atro tectus velamine, luna deliquio deturpata, ſtellæ ruinam minantes, aer fragorib. rugiens, terra tremet, mare feruebit, atque vniuerſus orbis incendium præferet. O ecquæ ſchemata, quam triſtes colores, quales prædicatores, quæna nuntia!

*Apoc. 10.* Angelus quem ad iudicium nuntiandum Ioannes veniſſe ſcribit, nouum quendam habitum præferebat; facies quippe eius inſtar ſolis, cuius radij interiora terræ penetrant, rutilabat; vox vero inſtar rugitus leōis horrenda erat; pede vno mare, altero terrā premebat; amictus erat nube, iride velut diademate redimitus, manu librum magnum præferebat, & quæcunque loquebatur nonniſi clamores & tonitrua imitabantur. Innuunt hæc omnia qualis eſſe debeat extremi iudicii præconis habitus, & agendi ratio. Imprimis Angelus ſit oportet, & non homo, manu Euangeliorum librum præferat, vt diuinas ſcripturas intelligat; mentem inſtar ſolis lucidam, veſtē inſtar nubis ſimplicem habeat; vox nō hominem, ſed leonem ſonet, omniaque verba eius mera ſint tonitrua ac fragores, ad quod alludens Propheta canit: *A voce*

*Pſal. 105.* *tonitrui tui formidabunt.*

Vox, inquam, tonitrui fragores imitetur, vt diē qualis nulla hactenus exſtitit aut exſtabit aliquādo, deſcribat; idē qua videbuntur quæ nūquam viſa ſunt, qua *erit tribulatio*

*Matt. 24.* *qualis non fuit, ex quo gentes eſſe cœperunt.* tunc nempe cum calamitas, afflictio & miſeria ad ſummum deuenerint. Quidquid hic vidimus, aut factum audiuimus hactenus, nō niſi præludia quædam & velitationes vmbratiles fuere; at tunc conflictus vniuerſalis erit, ac grando rubigoque communis vniuerſum orbē deſtruet. Ingēs profecto calamitas fuit *4. Reg. 17.* Samaritanorum, quando leones deſertis, ad peccatorum caſtigationem emiſſi, vrbem introierunt, paruulos deuorarunt; homines dilaniarunt, & miſerandam lōge lateq; ſtragem ediderūt. dirum ſane fuit agmen, in quo belluæ militum, vngues armorū, iubæ galearum, rugitus tubarum loco fuere. At miſerabilior adhuc futura eſt extremi diei calamitas, quando non modo leones, ſed varia monſtrorum genera cauernis egrediētur, & piſces mari, aues cœlo, mortui ſepulcris prodibunt. quænam obſecro tympana erunt, audire elementorum fragores & agitationes? quis conflictus, videre motus & concuſſiones montium? quænam ſtrages, cernere animalia cum hominibus ab igne deuorari? *Erit* *Matth. 24.*
*tunc ſcil tribulatio, qualis non fuit ex quo gentes eſſe cœperunt.*

*Iob 19.* Grauis quoq; calamitas & tribulatio Gabaonitarum fuit, quando manum cum Hebræis cōſerentes, ita ſe ab eorū agmine vndiq; videre cinctos, nulla vt ratione euadere, aut fuga ſibi conſulere potuerint: ſi enim terram intuerētur, Hebræis eadem cooperta erat, qui ſub duce Ioſue ſtrenue admodum decertabant; ipſe deinde armorum fulgor oculos perſtringebat; clamores adhæc vincentium aurib. inſonantes auditum obtundebant, quocunq; demum oculos verterent; mortis imaginē videbant. ſi autem mōtes reſpicerent, cernebant Moſem precibus Deum placantem, victoriamq; enixe deposcentem: ſi ſolem, inimicum & aduerſarium ſibi eum ſentiebant, qui ſcilicet in perniciem Gabaon coniurans, in medio curſu, quo Hebræis diutius luceret, hærebat. At nonniſi ludicra hæc ſunt, ſi cum tribulatione, quæ iudicium præceſſura eſt cōferantur; tunc ſiquidem omnia aduerſus peccatorem inſurgent, omnis tūc ſalutis ianua occluſa, ac deſperationis reſerata erit. quocunq; namq; ſe verterit, ſeſe irretitum cernet; ſi oculos ſurſum erigat, Iudicem videbit inexorabilem, ſi deor-

si deorsum vertat, infernale baratrum patens; si à dextris, angeli indignantes; si à sinistris, dæmones sæuientes & accusantes adstabunt: circumquaq; denique ignem inextinguibilem, atque lexcentas alias calamitates cernet. Adeo vt nunc futura sit tribulatio, qualis ab hominum memoria fuisse nusquam legitur.

Ingens etiam fuit tribulatio excidij Ierosolymitani, quam Dominus Iesus sibi ob oculos ponens lacrymatus est, quando tot excelsæ turres, tot superba palatia, & murorum propugnacula hostili manu euersa sunt, & ad terram cõciderunt: quando magnificum illud templum, quo nullum in orbe erat augustius, ab igne consumptum est, & in cineres redactum: quando milites sacerdotum sanguinem effuderunt, infantes cunis extractos iugularunt, parietibus illiserunt, senes & decrepitos magna crudelitate velut victimas ante aras, & per compita trucidarunt; matronas crinibus abrepta, per plateas miserum in modũ traxerunt, filias publice ante parentum oculos violarunt, omniaque sanguine & cæde permiscuerunt. Ipsa tamen iudicij calamitas grauior futura est: tunc namque non vrbs vna, sed quotquot in orbe sunt vrbes euertentur, & in fauillas redigentur, omnes arces & propugnacula concident, omnes mõtes solo æquabuntur, arbores cum radicibus euellentur, animalia præ angustia & incendio exspirabunt, templa prosternentur, & quotquot iã in orbe sunt moles, iniuriam cœlo facientes, in cineres & puluerem conuertentur; tunc quoq; terra ac mare ardebunt, cœli turbabuntur, homines eiulabunt, aereæ regiones tonitru ac fragore horrendum in modum, boabunt, omnes denique creaturæ concitabuntur ac trement. *Erit* namque *tribulatio, qualis non fuit.* *Matt.24.*

Quatuor in rebus hæc tribulatio sita est.

Hæc porro tribulatio quatuor in rebus sita est. Primo namq; tunc apparebit signum nouum, quod ab omnibus conspici poterit, quod ab Euangelista *signũ filii hominis* appellatur. Per quod Origenes gloriam designari putat, quam Christus sibi in cruce moriẽdo comparauit: adeo vt sensus sit Christum tanta cum maiestate & gloria ad iudicium venturum, vt nemo dubitare possit: quin ipse, & non alius Iudex futurus sit. Auctor operis imperfecti hic flagrorum vibices, & cicatrices clauorum quibus cruci affixus fuit, intelligit. At cõmunis Patrum semper opinio fuit, per signum nonnisi crucem in Christi, quæ vexillum eius est, designari; ita scilicet exponunt Beda, Euthymius, Theophylactus ac Hieronymus. *Matt.24.*

Crux futura signũ filij hominis quod in iudicio apparebit.

Erit scilicet signum hoc, cuius olim figura in deserto Sinai à Mose erecta fuit, quæ à serpẽtum morsibus intuentes immunes reddebat, *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo.* Erit signum Thau, quod frontib. hominum insculptum a morte eos & angeli exterminatoris gladio defendebat: & vt Thau postrema alphabeti Hæbraici littera est, ita crux Christi vltimum legis Mosaicæ membrum fuit. *Et signa thau super frontes virorum gementium,* &c. signum, inquam, purpureum per quod Raac Ierichuntina, & omnis eius cognatio ab excidio & cæde immunis exstitit. Signum quoque pacis & fœderis, quod mox a diluuio daturum se Dominus promisit. *Hoc est signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem,* Signaculum quod sponsus in Canticis dilectam in corde, velut arrham & pignus amoris, quem sancte ei iurauerat, gestare cupiebat, *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Denique signum cui multos contradicturos Propheta vaticinatur, *Et in signum cui contradicetur.* *Num.21.* *Ezech 9.* *Iosue 2.* *Gen. 9.* *Cant.8.* *Luc. 2.*

Crux terrori erit improbis in die iudicii.

Signum, quod lõge quam prius aliam naturam induet: nã crux quæ prius amoris, pacis, fœderis signum erat, quæ peccatorum spes, afflictorum solamen, ac miserorum refugium solebat esse, iam belli signum & nota, calamitatis prognosticon, impiis terror, peccatoribus ruina, gentib. mors futura est. O signum terribile ac metuendum! signa namque quæ in sole, luna, stellisque apparebunt, nonnisi vmbratica & leuia, si cum signo filij hominis comparentur, videbuntur. Illa non nisi homines, hoc etiam Angelos percellet: *Et virtutes cœlorum commouebuntur.* atque omnes orbis incolas coget ingemiscere; *Plangent se super eum omnes tribus terræ.* *Matt.24.* *Apoc.1.*

In die iudicii quo

Quid igitur tunc facies, peccator infelix? quo fugias non habebis, nullum tibi restabit asylum,

fugiat nõ habebit peccator. *Gen.3.*

asylum, omnis tunc spes tua perierit. Adam olim iudicio se sistere coactus abscondit se, & post vmbram arboris delituit, *Abscondit se in medio ligni paradisi*, quod non temere, sed cum mysterij alicuius indicio factum est. demonstrauit inscius, crucis lignũ verum peccatoribus, cum à Deo ad necem conquiruntur, refugium esse. At in die illo extremo omnia secus euenient. Iacob quoq; in patriã reuersus, idola quæ è domo Laban soceri clam sustulerat, ad radicem arboris Terebinthi sepeliuit. quo nil denotatur aliud, quam omnem scelerum idololatriam, quæ in domo Adam regnarat, aliquãdo ad nouæ terebinthi, crucem intelligo, radicem sepeliẽdam. Hæc quidem ante iudicij diem, sed vt ipso nulla amplius salutis in ea inueniendæ spes supererit, arbor nulla salutaris tunc futura est, ipsa quin etiam crucis tunc noxia & hostilis erit: illa siquidem, quæ olim in terra plantata fuit, nunc in cœlo conspicua vniuersis apparebit. *Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad iudicandum venerit.*

An non hoc miserum, ac vere deplorandum erit, summe Deus! Ea ipsa nocte, qua Ægypti primogeniti ab Angelo interfecti sunt, omnia regni idola ad terram deiecta sunt, vt è verbis illis Exodi intelligitur, *In cunctis Dijs Ægypti faciam iudicia.* *Exod.12.* Adeo vt matres mane strato surgẽtes, primogenitosque suos interemptos cernentes, cum lararium, dijs penatibus supplicaturæ, sortemque ac calamitatem suam enarraturæ, ingressæ essent, non parum perculsæ fuerint, cum eos manibus, brachiis, capite truncos, solo prostratos viderunt: patres vero dolore acti propemodum exanimati sint, cum in templa, hic ad Isidem, ille ad Serapidem, ad Anubim, alius inuocãdum, fugientes, ad terram collapsos videre: ita vt summus per vniuersũ regnũ dolor & gemitus exaudiretur. Idipsum, & ne dicam, deterius quid, in die iudicij peccatoribus eueniet, in quo non primogeniti modo, sed omnes mundi incolæ cognatioq; interibunt: tunc namque, cum domo egredi, & ad templa velut ad loca tutiora cõfugere, diuinam opem, Deiparæ & Sanctorum omnium intercessionem, crucisq; huius merita imploraturæ, parabunt; omnia hæc euersa, & ad terram quodammodo collapsa reperient, Deum scilicet iratum, Deiparam indignantem, Sanctos ad iracundiam concitatos, & crucem, exitium & interitum minitantem. An non igitur hæc tribulatio est, qualis ab initio non fuit?

Secundo, tuba illa terribilis per omnes mundi regiones reboans, magnum timorem mortalibus incutiet: Illa, illa boatu suo palatijs exciebit reges, thalamis principes, officinis opifices, musæis Philosophos, pisces quin etiã mari, aues aere, monstra cauernis, mortuos deniq; sepulchris: idq; non triduo, aut tribus horis, sed per omnes orbis angulos strepens vt cũcti se coram iudice sistant. Tuba hor ribilis oẽs ante thronum conuocabit.

*Tuba mirum spargens sonum*
*Per sepulchra regionum*
*Coget omnes ante thronum.*

Ad terribilem hunc boatum omnes plangẽt & ingemiscent, mundus in lacrymas resoluetur, cum finem suum instare, ruinam imminere excidiumq; vicinũ esse perspexerint. *Tunc plangent omnes tribus terræ:* plangent inquam. quia homines emorientur, mũdus ardebit, Angeli cęlo à summo Iudice missi descendent, *Et mittet angelos suos.* vt autẽ Deus esse demonstretur, dicitur *suos*, atq; ita prædixerat Psalmista, *Qui facis angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Plangent, quia videbunt Præsidẽ summa cũ potentia ac maiestate descendentem, nubib. insidentem, Angelis comitatũ, igne circumseptum; ipsum quinetiã clamantem audiẽt, & media tẽpestate ambulãtem. vnde idem Psalmista: *Deus manifeste veniet, & non silebit: ignis in cõspectu eius exardescet; & in circuitu eius tempestas valida.* dicitur *in circuitu*, quia tã sursum quam deorsum, tam hic quam illic tẽpestas erit, cœlo, in terra, aere, mari & mundo, quæ per tubam præuiam instare denuntiabitur. *Apoc.1.* *Matth. 24.* *Psal. 103.* *Psal. 84.*

Verane hæc tuba erit? nequaquam, sed metaphorica hac locutione horrenda quædam & terribilis ac semirauca, qualis est tubæ sonantis, vox designatur; qualẽ Ioannes audiuisse se Apocal. primo, quarto atq; vnde vicesimo cap. ait: *Tanquã vox aquarum multarum*, &, *Audiui quasi vocẽ tubæ.* Ducta aliquorum iudicio metaphora ab antiqua Iudæorũ consuetudine, qui sono tubę conuocare Non erit tuba hæc verè tuba.

*Num. 10.* cate tribus solebant, vt è libro Numerorum
*Isai. 27.* & Isaiæ prophetia colligere est: quãuis alij à castris & bellis eam detruatam putẽt. In præliis namq; tubarũ vsus est nõ modo ad manipulos dispersos colligendos, verum etiam ad hostibus metum formidinẽq; incutiendum.
*Isai. 18.* Ita namq; trias quædam Prophetarũ hocce confirmat, imprimis Isaias, *Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit signum in montibus, videbitis, & clangore tubæ audietis.* deinde Sophonias, *Dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas* postremo
*Soph. 1.* Zachar. *Dominus Deus super eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius. & Dominus Deus in tuba canet* singuli ecce tubarũ meminere.
*Zach 9.*

Tubæ signum regiæ maiestatis.

Tubæ quoq; regiæ maiestatis signum ac nota sunt: atq; ideo in Salomonis inauguratione statim ac populus sonitũ buccinæ audiuit, exclamauit voce magna; *Viuat rex Salomo.* Idcirco Dominus totum mundum iudicaturus, quo se regem regum esse demonstret, atque eum, de quo in Psalmis mentio
*3. Reg. 1.* est, *Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem sanctum eius*, buccinam ac tubam
*Psal. 8.* præmittet *cum tuba & voce magna*
*Matt. 24.*
*Iudic. 7.*

Sunt enim futuri belli indictium: ita namq; Gedeon Madianitis bellum indixit, quos enim sonitu tubarum & testeorum vasorum collisione perterritos in fugam egit ac deleuit. Bethulienses etiam dum aciem Holofernis fugã capessere viderent, buccinas inflantes eandem prosecuti sunt, victoriamque & spolia luculentissima retulerunt. Ita in tremendo illo iudicij die tuba perstrepet ac clãget, quo omnes bellum hominibus, animalibus, atq; adeo vniuersis creaturis indictum esse intelligant. Omnes itaque creaturæ tunc in armis erunt, omnes terræ incolæ, summi Imperatoris iussu, tunc vnum in locum coacerabuntur, *Accipiet armaturã zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* An non igitur pertimesces infelix peccator, cum Creatorem & creaturas aduersum te insurgere, bellumq; tibi videbis indicere?

*Num. 10.* In Numeris dicitur buccinæ sonus signũ profectionis & conuasationis esse, *Et iuxta hunc modũ reliqui facient vlulantibus tubis in profectione.* Idipsum de die iudicij sentiendũ est. cum enim horribilis illa tuba insonuerit, signum erit, omnes omnino creaturas profectionem instituere atq; exire debere, Angelos & sanctos cœlo, diabolos ac dãnatos tartaro, viuentes terra, mortuos sepulchris, & coram Iudice apparere. *Erit signũ in profectionem,* signum esse moriendum, palatiis exeundum, domib. auratis egrediendum, diuitias relinquendas, amori mulierum valedicendum, sodalitia & symposia deserenda, vitæq; præteritæ rationem reddendam. *Tunc erit tribulatio magna, qualis non fuit,* &c. *Num. 10.* *Matt. 24.*

Tertio, tribulationem hanc augebit grauis illa pressura & perturbatio gentium omnium quæ tunc in mundo reperientur: *Et in terra p. essura gentium.* nihil enim præter lacrymas, tristitiam, angustiã tunc per vniuersum orbem videre erit. Expressit hoc Esdras, dum ait, *Cum venerit dies pressura & angustia, alij plorabunt & tristes erunt,* &c. Hunc diem Dominus respexit, dum in Euangelio dixit, *in mundo pressuram habebitis* At quinq; è causis pressura hæc originem sumet. Primo, ob hæreses & errores. Nã, vt bene notauit Chrysost. quemadmodũ qui in extremis versantur, varia agitare animo solent, inq; plurima distrahi: ita mundo exspirante & ad finẽ declinante varij oborientur errores & hæreses, quib. credentiũ animi in diuersa scindentur. Idcirco bene filius Dei admonuit, *Videte ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo.* Secundo, ob bella & assidua prælia. Dominus siquidem, cũ discipuli aduentus illius signa peterent, hæc in primis posuit, *Auditurus estis, ralia: videte ne turbemini. Surget enim gẽs contra gentem.* Tertio ob immensam famem, quæ vt plurimum post bella sequi solet: nam in Ierosolymitano obsidio tanta rerum penuria fuit, vt proprios matres deuorauerint filios. Quid autem futurũ putatis post diuturna illa prælia, quæ mundus finiendus videbit, in quibus maxima vbicunque terrarum strages edetur? Huc accedat & pestis morsque plurimorum repentina. Horrendus denique terræ motus, qui vtrumque mundi cardinem concutiet, mundumq; vniuersum sede quodãmodo mouebit, atque in tantum omnes percellet, vt lacrymantibus oculis confessuri sint, nihil se horribilius aut calamitosius vnquam vidisse. *Luc. 21.* *4. Esdr.* *Ioan. 16.* *Matt. 24. 2.* *Mar. 13.*

Quarta tribulationis huius causa, erit veneranda illa maiestas, furor intolerabilis iudicis, ante quem omnes nos comparere oportet vt de vniuersæ vitæ ratione diiudicemur. Tam rigidus autem ac seuerus ille futurus est, vt oculi flammarum instar scintillaturi sint, manus minas intentaturæ, pedes in vindictã ꝓperaturi: seueritatẽ vultus, tonitrua, lingua demõstratura. Ira autem eius & furor verbis exprimi, aut oratione cõprehendi nequit, nã & hic ignorantiam suã confessi sunt Prophetæ: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

*Psal. 89.* Nemo se hoc in iudicio poterit abscondere. *Matth. 24.*

Ipse enim iudex est, cuius nemo vultum poterit declinare. *quia videbunt filium hominis*; ante quem nemo peccata celare, quia veniet *in nube*, id est magna scientia instructus: cuius nemo etiam potentiæ resistere, quia veniet *cum potestate magna*: quẽ nemo precibus flectere, quia *in maiestate* præsidebit. At iudex adeo rigidus ac seuerus, vt opera etiã bona ac meritoria disquisiturus ac iudicaturus sit, Vnde ipse de se, *Cum accepero tẽpus, ego iustitias iudicabo.* id est opera iustorum, ac bona: non ait se homicidia, furta, sacrilegia, aliaq; scelera diiudicaturũ: sed virtutes, ipsasque iustitias Iudex adeo terribilis, vt etiam recti diuinorumq; mandatorum obseruátes vix eidẽ respõdere ausuri sint, Dauid idcirco Dominũ orauit dicens, *Nõ intres in iudicium cum seruo tuo*: perinde ac si dixisset, In tantum Domine Iudex iudicia tua perhorresco, vt me ab iis liberatum velim: neue vitam meã, rogo, disquiras accuratius, ne quæ forte inscio mihi macula adhærescat. Eheu; si serui Dei iudiciũ metuunt, quid carnis mancipia, mundi passionumq; suarũ serui facturi sunt? quomodo iudicio huic se sistat diaboli seruus, si magistri seruus hoc ipsum in tãtũ perhorrescit: Monuit olim Isaias suos, vt ab homine cauerent, cuius spiritus in naribus. Loquebatur hic haud dubie de iudice nostro, qui instar hominis iudicio huic præsidebit. Et quoniam iræ signum putatur, spirare naribns: denotare voluit, iudicem hunc iram ac choleram tunc assumpturum, quam in iudicandos exercebit. quamobrem caueant diligenter homines, neque eum dum viuunt offendant, ac proinde iratum experiantur.

*Psal. 74.*

*Psal. 141.*

*Isai. 2.*

Iob propheta inter cætera quæ deprecari solebat, petebat ne se visus hominis aspiceret: De quo eum homine locutũ putatis? nõnisi de illo qui in forma nos hominis iudicaturus est, sed hominis indignãtis & ira æstuantis, cuius se vultũ Propheta sustinere posse diffidebat, vt in inferno delitescere se malle, quam furorem eius perferre dicat. *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* *Iob 7.* *Iob 14.*

Docent Pierius & Euseb. de præparatione Euangelica, vario Ægyptios schemate Iudicem expressisse. Pingebant hominẽ grandæuum, varias capite plumas præferentẽ, veste hyacinthina indutũ, manu dextera sceptrũ, sinistra circulum è stellis contextum, ore autem gladium ancipitem ostentantem. Picturam hanc dum intueor, iudicem nostrũ videre videor. Ætatẽ namq; habet, qui nimirũ ab omni æternitate fuit, ideo à Daniele *Antiquus dierum* nuncupatur. Sceptrum hoc maiestatem, vestis cærulea diuinitatem, circulus æternitatẽ denotat, plumæ autem consiliorum eius sublimitatem, vtpote quæ à nobis cõprehendi nequeant. Exclamat hinc Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Gladius autẽ anceps, verborum, sententiæq; illius fulmina, quæ tũc ore illius egrediẽtur, designat. *Dan. 7.* *Rom. 11.* *Dan. 10.*

Quod autem gentiles fortuito atq; ex ingenio expressere, idipsum Propheta à Deo inspiratus graphice depinxit. Vidisse namq; se ait antiquum dierum, vestitum lino, cuius facies instar fulguris, oculi instar lãpadis ardentes rutilabant. Mirabilis ꝓfecto visio, at quæ suis Iudicẽ nostrum colorib. ad viuum depingat. Linea veste indutus producitur, vt enormem hunc vestium luxũ & exoticas vestiendi formas coarguat: oculi quoque flammantes ac scintillantes dicuntur, vt insinuetur nihil eum posse fugere, omniaq; penitissime penetraturum: facies autẽ fulguris furorẽ seueritatẽq; quã tunc assumet designat. Dauid autem, vir licet sanctissimus, hãc pertimescens Dominũ rogat. *Auerte faciẽ tuam à peccatis meis* Id est, A me obsecro Domine, oculos auerte, tã ipsius cõtẽplare essẽtiã, aut Angelorũ naturã: nõ vero peccatorum malitiam: *Psal. 50.*

tiam: intuere quidquid volueris, modo iniquitates sceleraque non consideres.

Vultus porro iudicis huius adeo terribilis erit, vt Prophetæ eum è quoquam infracto & irretorto oculo conspici posse negent, imo ne cogitare quidem de eo aliquē sine metu posse. Audiamus quid de his Malachias dicat. *Quis poterit cogitare diē aduentus eius? quis stabit ad videndum eum?* Adeo vt & ipsi angeli corā iudice hoc stātes trepidaturi sint, eiusq; iustitiam formidaturi. Quin & Bernardus verba illa Abacuc 3. exponens, *Contriti sunt mōtes sæculi, incuruati sunt colles mūdi, ab itinerib. æternitatis eius*: ait per colles hos mundi, Angelos designari, qui iudicē æstuantē flammantēq;, longāq; post hęc sæcula æternitatē imminere videntes, trepidabūt & plāgent.

Mal. 3.

in Psal. 90.

Nemo potest iudici respōdere.

Graue igitur erit ac durum coram iudice hoc comparere: durius, eius choleram ac furorem sustinere: at omnium durissimum, ad illius interrogata respōdere, seueramq; eius examen subire. Si enim fratres Ioseph perculsi & pauidi fuere, cum dicentē eum in Ægypto audiuere, *Ego sum frater vester Ioseph*, delictorū quæ in eum admiserant memores quid peccatores, obsecro, tot sceleribus cooperti, cum non Ægypti Dominū, sed totius orbis Monarcham cōspecturi sunt, in quem toties deliquere & quem debita pœnitentia nō placauere? Quid hic auari facient, cum illum præsidere iudicio cernent, qui toto vitæ tempore adeo inops fuit, vt non haberet vbi lassum caput reclinaret? Superbi quid hic acturi, quando iudicem hunc cruce onustum fuisse, & ad imum terræ centrum sese demisisse conspicient? Ambitiosi an non hic trement, cum eum qui eos iudicaturus est, regnum ad quod natus erat, declinasse considerabūt? At lurcones & vētris mancipia quonā se loco abscōdent, videntes ab eo se iudicandos, qui felle & aceto potatus fuit? O tribulatio incōparabilis, & afflictio intolerabilis! ¶ Vere, inquam, tribulatio incomparabilis, pœnaque nequaquam ferenda, quando à iudice coarguentur, ingratitudinisque singularis accusabuntur, quando inquam ipse delicta omnia exprobrabit, dicēs, *Esurui, & non dedistis mihi manducare*. O dolor, ô cruciatus, ob frustum panis, calicem aquę frigidæ pauperi denegatum, regno cœlorum, & æterna beatitudine excidisse! Elisæus Propheta grauiter ægrotans lecto decumbebat, hūc Rex Ioas cum inuisisset, Propheta beneficij à rege accepti memor, victoriā q̄ de Syris, aduersus quos tunc bellum gerebat, relaturus erat, prædixit, & ait, Affer arcum & sagittas. quo facto, ait, Pone manum tuam super arcum, cui & Propheta dein suam imposuit: & ita aduersus Syriam telum direxere. Rex, insolitum hunc agendi modum demiratus, iaculatus quidem est, sed nescio qua torpedine in iaculando non perrexit, at bis terve eiaculatus supersedit. quamobrem vir Dei iratus ei, *si percussisses Syriam quinquies aut sexies, siue septies, percussisses vsque ad consummationem*. Cogitate hic vobiscum, Auditores, quam hoc illi auditu graue fuerit: an non putamus eum negligentiam & inertiam suam culpasse, quod cum tantillo labore vniuersam Syriam subijcere sibi potuisset, vecordia tamen sua id facere neglexerit? At maior, mihi credite, futura est impiorum querimonia lamentatioque, quādo nimirū Deus, negligentiā illorū corripiens, magna ijs indignatione exprobrabit, quam exigua regnum cœlorum voluptatula amiserint, q̄ tamen vel frusto panis, vel haustu aquæ frigidæ sibi parare potuissent. O casum amarū, ac tribulationem intolerabilem!

Gen 45.

Peccatoribus graue erit à iudice coargui.

Matt. 25.

4. Reg. 13.

Vere tribulationem magnā, quæ nec verbis exprimi, nec ingenio potest comprehendi. In cuius rei signum Ioannes in Apoc. audiuisse se ait septem tonitrua, quibus totum sedib. conuellendum orbē putabat: quę cum scribere & chartæ mādare decreuisset, subito vocem audiuit; qua scribere vetabatur, *Nolī scribere:* fieri enim non potest, vt hos aliquis fragores exprimat, imo temerarium est, eosdem velle mente cōprehendere. Fragores hi, tonitruaque, figura sunt & imago eorum, q̄ diem iudicij præcessura sunt, quæ describere nemo nec ingenio poterit comprehendere. Atq; ideo etiā manum ab ijsdem describēdis auoco, vos tantum exhortans vt auditis tonitruis à fulmine saltem immunes vos præstetis, ideoq; verba Moysis, quibus Israelitas allocutus est, producam:

Apoc. 10.

Peroratio

*Vos vidistis vniuersa quæ fecit Dominus corā vobis* Deut. 29.

*vobis in terra Ægypti. Tentationes magnas, quas viderunt oculi tui, signa illa portentaque, & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ possint audire vsq; in præsentem diem, &c.* Vos igitur ijsdem hodierna die verbis compello: Vidistis oculis atq; auribus audiuistis, quidquid summus ille iudex in die iudicij facturus est, audiuistis inquam signa illa mirabilia, prodigia illa terribilia, tentationes illas insolitas, deliquia solis, pallorem lunæ, stellarum turbationem, aeris tempestatem, terræmotus, ac totius vniuersi cõcussionem & excidium: fierine igitur poterit, vt in animo hæc voluatis, non videntes non videatis, & audientes non audiatis?

Omnes tribus filiorum Israel cum in Sichem cõueniissent, ac Iosuam admonentem audiuissent, qui eosdem ad fidelitatem Deo exhibendam, cultusq; diuini obseruationem adhortatus erat, hunc in modum respondерunt, *Absit à nobis vt relinquamus Dominũ, & seruiamus diis alienis: Dominus Deus noster ipse eduxit nos & patres nostros de terra Aegypti, &c. fecitq; videntibus nobis signa ingentia.* Sola ecce signorũ quæ populus hic in exitu Israel de Ægypto viderat, memoria, plus apud eũ ponderis quàm longa ducis oratio habebat. Si tantum hæc apud Hebræos rebellioni assuetos rerumq; nouarum cupidos potuere, vt eos in diuino seruitio confirmarent: apud Christianos an non maius momentum habeat horrendorum signorum, quorum quotidie mentionem fieri audiunt, quæq; extremi iudicij tempore, quando vniuersus orbis mundo velut Ægypto egredietur, accident, memoria? An non illa plus virium auctoritatisq;, quam omnes Concionatorum demõstrationes & argumenta, ad animas in timore Dei continendas, inque diuino obsequio confirmandas obtineat?

Dauid Rex cum arcam fœderis in tabernaculo collocasset, ministrosq; sacrorum & cãtores qui diuinas laudes concinerent, cõstituisset, his populum verbis allocutus est; *Recordamini mirabilia eius quæ fecit, signorum illius, & iudiciorum oris eius.* Ijsdem vos hodie verbis, Christiani, alloquor: Recordamini, obsecro mirabilium quæ Deus extremo iudicio editurus est: memẽtote signorum quæ in sole, luna, & stellis apparebunt, & imprimis seueræ illius sententiæ, ac fulminis iudiciorum, quæ sacro illius ore prodibunt: & si quæ in mundo habẽtur, quę à peccãdo auocent, hoc vnũ inter cætera præcipuũ censeo.

*1. Para. 16.* Nihil ad peccati iter impediendum validius quam iudicij extremi memoria.

Propheta regius cum Psalmo sexto, quem totum de iudicio Augustinus interpretatur, superborum tumidorumq; fastum cõprimere, impiorumque malitiam inhibere satageret, postquam iliadem calamitatum iis euenturarum enarrasset, ita tandem sermonem cõclusit, *Exurge Domine, & exaltetur manus tua &c. Iudicare pupillo & humili, vt non opponat vltra magnificare se homo super terram.* Insinuare vult, & ipse ego cum illo, nihil in hoc mũdo ad peccatoris cornua deiicienda, eiusque audaciam cohibendam efficacius aut maioris ponderis reperiri, quam vt cogitet compariturum aliquando iudicem, qui omnes, etiã orphanos ac pupillos, diiudicaturus sit. *Psal. 6. Psal. 7. Psal. 9.*

Mirabilia profecto fuere arma illa, quibus Madianitas Gedeon superauit, quando suis tubas lagenasq; vacuas, ac lampadas lagenis inclusas in manus dedit, Anima scilicet timoris Dei, quib. dæmonum vitiorumque, quorum figura Madianitæ erant, agmina in fugam vertuntur, ac tandem etiã prosternuntur. Ecquæ enim ad timorẽ Domini ingerendum arma sunt tuba, quæ in die iudicij clanget omnesq; ad rationem reddendam cõpellet, si sæpius auribus nostris insonet: & lagenæ illæ collisæ, si sæpius ante oculos misera illa cadauera, lutea vasa, corporum nostrorum lagenas, quæ aliquando cõminui & collidi, sepulchris, ossibus hinc inde sparsis, includi debent, ponamus: item ignis ille tartareus qui perpetuo ardebit, aut ille qui tempore iudicij totum mundum incendet? Non sunt igitur ad spirituales hostes superandos arma aut meliora aut efficaciora. *Iud. 7.*

Hæc igitur in manus sumite, Auditores, ijsque inimicorum impetum propulsate, in hoc timore perpetuo viuite; huius semper recordemini, atque imprimis signorum quæ hunc præcessura sunt, tenebrarum scilicet, quæ Phœbi lumen offuscabunt, defectum qui tunc in Phœbo apparebunt, ac ruinæ, quam tunc sidera incursura perhibentur. Ponite inquã vobis ob oculos perturbationem

nem illam generalem, quæ per vniuersum terrarum orbē inualescet, quando nimirum intelligentiæ cœlestes palpitabunt, homines in desperationis abyssum ruent, cœli trepidabunt, elementa inter se conspirabunt, montes concutientur, turres & arces ad terram concident, bestiæ morientur, terra tremet, Oceanus intumescet, natura ipsa obstupescet, infernus patens hiabit, totusque terrarum orbis dirissimo incendio deflagrabit: quando nimirum tribulatio erit, qualis non fuit ex quo homines in terra viuere cœpere.

Tu vero summe & metuende Iudex, ante cuius maiestatem omnes nos comparere oportet, Præses æterne, cœli terræq; rex, nobis propitius esto, furorem tuū mitiga, iram compesce, tuarumq; te creaturarum tangat miseratio. Quis vero peccatis indulgeat, quis te ad iracundiam prouocet, si tam rigide singula delicta examines? quid peccator agat, si ex rigore cum illo egeris? Vix iustus saluabitur, quid igitur impio fiet: Angeli trement, quid igitur acturi sunt homines: totus orbis planget & eiulabit, quis securus esse poterit? Recordare obsecro Domine creatos nos esse vt saluemur, non vero vt animæ perniciem incurramus: ideoque ostende nobis misericordiam tuam, iustitiam illam nimiā moderare, delictorum nostrorū memoriam exue, & quidque nobis ad meritum deest, tua benignitate clementer supplere dignare. Placidam illam pro nobis sententiam, *Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, pronuntia: sentētiam sc. beatitudinis æternæ cuius nos compotes reddat Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

Matth. 25.

## DOMINICA SECVNDA ADVENTVS.

Partes Concionis.

1. *De necessitate tribulationum in iustis.*
2. *Herodiadis malitia: & aliarum mulierum.*
3. *De luxuria malitia.*
4. *De captiuitate Ioannis documenta.*
5. *Ioannis captiui percunctatio.*
6. *Christi responsio.*
7. *Notæ prædicatoris.*
8. *Ioannis præconium.*

*Cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, Matth. 11.*

FIGVRA.

ELias Propheta cum igneo curru in aera mirabiliter subuectus esset: Prophetarum filij repentino illo discessu aut potius raptu non parum perculsi fuere, atq; in primis discipulus illius Elisæus, qui eosdem per montes & conualles, eius quærendi ergo, destinauit, quem cum triduo quæsiuissent, nulla ratione inuenire, aut vbi nam locorum ageret, intelligere potuerunt. Sciebat quidem Elisæus a Deo illum in cœlos raptum, sed vt omnem ex animis eorum siuistram opinionem dubitationemq; auelleret, illucque eos emisit, vt illo minime reperto, vere in æthera subuectum crederent. Simile quid hodierno in Euangelio videre licet. Cum enim Messias in mundū iam veniisset, & hunc Ioan. discipuli mirarentur sed Messiam esse in animum ne inducere quidem possent: ad Christum magister eos, quo certiores redderentur destinat: non quod ipse de rei veritate vlla ratione dubitaret, sed vt omnē dubitandi occasionem alijs præcideret: vt nimirum, visis quæ passim per Iudæam edebat miraculis, firmiter crederēt eum ipsum esse, & non alium, qui in mundo à longo iam tēpore exspectatus erat. Ipsum huius Dominicæ Euangelio declaratur, quod præsenti vobis concione exponere iam contendam: quod vt in maiorem Messiæ gloriam, & viuacius præcursoris eius Ioannis encomium cedat, Deiparæ patrocinio Spiritus paracliti opem postulemus, dicamusque omnes ingenua prouoluti, *Aue Maria.*

4. *Reg.* 2.

Sapientissimus mortalium Salomon, cum iustorum sortem beatitudinemque describeret, tribulationib. eos, non secus ac flāma aurum, à Deo probari solere perhibet his verbis, *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus.* adeo vt quod ignis & caminus auro, hoc iustis sint afflictiones & tribulationes. Sapienti suffragatus est Iob, qui hoc ipsum sese expertum tradit: *Quasi aurū* inquit, *quod per ignem transit, probauit me Dominus.* Testantur idem omnes veteres sancti quorū omnium nomine Dauid loqui, velut

Tribulatione probātur iusti.

Sap. 3.

Iob. 6.

interpres, coactus, in genere cecinit. *Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti sicut examinatur argentum.* Psal. 65.

In excidio & direptione Ierichuntina omnia in cineres & familias redacta sunt, præter aurum, argentū, & vasa ænea & ferrea, q̄ in vsum suū reseruari voluit Dominus, quo in tabernaculo consecrarentur. Mirū profecto rebus incendio cōsumptis, solum metallum iustum reseruari, quo Domino offerretur. At mystice hic significatur, quod quēadmodum aurum, argentū, æs, & ferrum flammis resistit: ita iusti ferro & ære duriores, igni tribulationū nequaquam cedant, sed omnibus in vniuersali orbis ruina deperditis & deletis, reseruentur, ac velut vasa in honorem Altissimi consecrata, eiusq; seruitio dedicata, in diuinæ maiestatis thesauris seponantur ac secludantur.

Et quoniam Thesaurorum mentio incidit: Dauid vates cum quæcumque in domo Domini, diuinæq; maiestatis thesauris reperiuntur recensseret, inprimis vento, & turbines enumerat: dicens, *Qui producit ventos de thesauris suis.* Psal. 134. Venti tribulationū in thesauro diuino. Quotquot locū hūc attigere Patres litera sepolta, mysticū confectantes sensum, per ventos hos, tribulationes, quas Deus interea dum hic viuimus, terra marique emittere consueuit, vt ijsdem Iustos locupletet ac ditet, intelligunt. Habet Deus diuitias, habet & thesauros: gloria inter diuitias reperitur, *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Psal. 111. sed venti in thesauris illius recōduntur: *Qui producit ventos de thesauris suis.* Psal. 134. diuitiæ quidem omnibus communes sunt, sed in solos amicos thesauri hi tribulationum effunduntur; quibus eos hoc in mundo ditat.

Cum anxia illa sponsa, dilecto maxime in omnibus gratificari cupiens, quo eum in sui amorem excitaret, atq; omni voluptate afficeret, hortulū exornasset, eumq; muro altissimo cōmunijsset, arbores in eo varias plātasset, fontibus vberrimis atq; limpidissimis torulos illius irrigasset, ac varijs eum floribus repleuisset: ventos inuitauit, vt hortum circum vndiq; perflarent, sed ventos turbulentissimos, quales sunt Auster & Notus, Boreas & Aquilo, quorum hi frigidi & vehementes, illi pluuij & nubili: *Surge Aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Cant. 4. Electorum animæ, veræ summi Dei spōsæ velut horti quidam voluptatis ac pomaria sunt, in quibus virtutum arbores, gratiarum fontes ac fluenta, bonorum & sanctorum desideriorum flosculi, meritorum fructus consiti reperiuntur: quæ omnia excrescere & exsurgere in altum nequeunt, nisi Austri Aquilonesque tribulationum insurgant, & eosdem perflent: qui quo turbulentiores & austeriores, quo & fauentiores & meliores.

Angeli illi, de quibus in Apocalypsi, quos Deus ad terræ, maris, arborumq; exeidium emiserat; priusquam rabiem suam exercerēt, ventorum alas continuere, ne terram & mare afflarent, & arbores, spiritu destitutæ animali, exarescerent. Diaboli quoque, angeli illi exterminatores, quos Deus in mundi hominumque ruinam constituit, priusquam damnum aliquod inferant, tribulationum ventos sistunt, atque omni ratione impedire conantur, ne illi continentem & firmam Religiosorum terram, & inconstans mundanorum mare, atq; proceras electionis arbores id est iustos, affluant. Sciunt enim, omne ab ijs nostrum ac totius orbis bonum & salutem animarum dependere: quibus flabris si careant, perniciem, infortunium, & ruinam sempiternam incurrant necesse est. Mare namque, si venti in ipsum vires non exererent, ad quid foret vtile? terra quid sine Zephyri afflatu produceret? quos fructus progignerent arbores, si ventis non peterentur? Quænam vero in hominib. si tribulationum expertes viuant, virtutes reperientur? qui enim ventos hos excludit, omnes virtutes excludat necesse est. Dicēdū est igitur, mundanos, quod vētos aduersos nō sentiant, quod perpetuo prosperitatis tenore recreentur: & quiete assidua gaudeant, virtutum fructibus non abundare. Quam quietem æmulatus quodammodo Propheta, ait, *Zelaui super iniquos pacem peccatorum videns.* perinde ac si dicere voluisset, fateor Domine, ac veniam deposco, me cum iudiciorum tuorum abyssum penetrare nō valerem reproborum paci inuidisse, eorumq; sortē & beatitudinē quæ illis perpetua erat, nullisq; tribulationū turbi- Apoc. 7. Impii nullis tribulationibus impetuntur. Psal. 72.

turbinibus permista, exoptasse. Sed ne quid nimis, ô vates. Nescis enim, nescis quantum turbines hi procellæque vtilitatis afferant.

*4. Reg. 1.*

Tribulationes turbinibus conferũtur.

Cum in Scriptura Eliæ raptus describitur, curru flammeo in cœlum subuectus, & turbine quodam procelloso velificante sublatus dicitur. Per turbinẽ autem, & nõ per placidum aliquem ventum vel auram, raptus traditur, vt legentibus cõstaret, per tribulationum turbines, & afflictionũ procellas, quas in hac vita patiuntur, non vero per placidos prosperitatis & lætitiæ Fauonios, instar Eliæ in cælum se subuehendos. Nam vt venti festucas in altũ & cœlo tenus librant, ita tribulationes animas fideliũ in altũ sustollunt.

*Psal. 24.*

Hinc Psalmo XXIV. quo in loco Vulgata præfert, *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*: Hieron. ad fontes Hebraicos interpretatus, legit, *Tribulationes cor meũ sursum ferre fecerunt*. Id est, summa mundi prosperitas voluptatesq; animũ meum ad terram deiecere, & quodammodo afflixere: sed tribulationes & aduersitas eundem auulserũt & ad Deum contemplandum sustulerunt, vt mũdo etiam bellum indixerit. Atq; vt tonitrua stertẽtes excitant, tremorem incutiunt, hominumq; oculos adaperiunt: nõ secus & tribulationes, quæ animas peccatorum somno sepultas excitant, oculos homini aperiunt, formidinẽq; iniiciũt, ac paucis vt cõplectar, à terra cui adhæremus, violenter diuellũt.

*Gen 7.*

Tribulationes cũ diluuii fluctibus cõparatæ.

Quanta magis arca Noe fluctibus & procellis agitabatur, tanto & cœlo fiebat vicinior. Vita hæc, Auditores, merũ diluuiũ est: ipsi iusti arca sunt & nauis: tribulationes, vndæ & fluctus: quæ quo magis ingruunt & frequentiores sunt, quo nauis euehatur, sublimis, cœlo propior, a terra fiat remotior. Ecquod obsecro diluuium fuit Martyrium & lapidatio Stephani; ecqui fluctus & procellæ vehemens ille lapidum imber? qui tamen quo densius in humeros illius ingruit, quo & magis eleuatur, vt terræ tandem conspectu amisso cœlorum ianuas conspiciat, clametque voluptate perfusus: *Video cœlos apertos & Iesum stantem. &c.*

*Act. 7.*

Sæpius mecum demiratus sum, cur sponsa in canticis, dilecti sui pulchritudinem ac perfectiones describens, staturã eius palmæ comparet: *Statura tua assimilata est palmæ*: & cur alibi de seipsa dixerit, *Quasi palma exaltata sum*. atq; hæc tandem occurrit ratio, q palma quo grauetur magis, quo & exurgat altius contraq; pondus obnitatur: quæ & ingentis cuiusdam virtutis, nullaq; aduersitate domabilis emblema est. Mystice autem hic innuitur, animas, quæ vere Christi sponsæ sunt, quas fides in baptismate ei coniunxit, vt apud Prophetam legimus, *sponsabo te mihi in fide*, palmæ persimiles esse: quo enim magis hic tribulationibus & afflictionibus premuntur, quo & caput erigunt altius, cœloq; viciniores fiunt, infractæ & inuictæ nullisque casibus succumbentes.

*Cant. 7. Eccles. 7.*

*Ose. 2.*

Simile.

Instrumenta musica prius manib. percurri debent, quam sonitum edãt, & quo feriũtur viuacius eo & sonant iucũdius. Hoc quidam emblemate virtutem expressit: varia namq; instrumẽta musica, vt testudines, tibias, citharas, cymbala, psalteria, & sistra, simul cõgessit, & hanc epigraphem addidit. *Non percussa sileat.* Cuius hic erat sensus: virtutem nisi percuteretur & moueretur, nullum edere sonitum & iustos probæq; vitæ homines, qui vere instrumenta musica sunt, laudes diuinas quotidie decantãtia, nisi ad viuum fetiantur, & tribulationum plectro aut digitis hoc in mundo tangantur, nullam famam acquirere, inglorioſq; abire. at mox vt ab illis tangi cœpere, iucundissimum sonum & harmoniam suauissimam edere. Tunc demum virtus per nubila splendet, animus indies excrescit, ac robur eorum exserere se per aduersitates incipit.

Iusti instrumẽto musico collati.

Ioannis Baptistæ laudes.

Exemplum nobis hodierni Euangelii lectio suppeditat, veram inquam virtutis imaginem Ioannem Baptistam, deserti incolam, Eremitarum decus, pœnitentiæ speculum, Messiæ prodromum, regum terrorem & flagellum, angelum deniq; cœlestem humano incluſum corpori, hodie scilicet ille carceri includitur, ferro grauatur, manus pedesque vincitur, & supplicio destinatur, hic ab incestuosa Herodiade, illinc ab impedum crudelissimo Herode Tetrarcha ad necẽ quæsitus. Ingens profecto tribulatio, ingentes turbines & procellæ: verum egregia etiam virtus, ingens animus, ac robur heroicum! quo enim

enim plus affligitur, quo & maius meritum ostendit, & Dei gloriam & animarum salutem magis cordi habet. Audite quid de eo dicat Euangelium: *Cum audisset Ioannes in vinculo opera Christi.* De Ioanne primum sermonem instituam, de vinculis scilicet eius, captiuitate, carcere, deq; discipulorũ illius missione: deinde Christum in scenam producam, miracula patrantem, encomiaq; in Ioannem plurima corãm vniuersa multitudine effundentem depromam. Auribus porro me benignis ac solita beneuolentia audite.

*Matt.* 11.

Crudelis tragœdia Ioannis decollatio.

Principio igitur, ipso Euangelii in limine, tristis ac luctuosa occurrit Tragœdia, qualẽ vix vnquam mundus exhibuit aut spectauit. Argumentum est, innocentissimi viri decollatio, idq; ob diuini honoris zelum, & quod veritatem coram rege truculentissimo non erubuerit confiteri: Actores sunt, Herodes, Herodias, & Zachariæ filius Ioannes; theatrum & scena, ipsa regis Iudæorum aula: prologum ipse agam. Vt igitur quam gero, personam repræsentem, eremicolam vobis sanctissimum, viginti quinq; ipsis annis desertum incolentem, ac per solitudinem, singulari pœnitentiæ vitæq; austerioris exemplo vagatus est, exhibeo, cameli exuuias indutum, locustis & melle siluestri victitantem, & hunc diuini honoris zelo actum salutisque animarum siti æstuantem, dum abominationes quæ in regia perpetrabantur minime ferret, hodie solitudine egredientem, Ierosolymam petentem & aulam Herodis ingressum his eum verbis corripientem; Fama est, Domine rex, fratris te thalamum incæstuoso concubitu violare; qua permotus solitudine excitus vrbem adij, quo te peccati illius enormitatem turpitudinemq; edocerem, & officij te tui cõmonefacerem: incæstus namque te reum constituis, Deum ad iracundiam prouocas, omnibusque subditis es offendiculo. Quamobrem rebus tuis prospice, & saluti consule; nam *non licet tibi habere vxorem fratris tui* Philippi.

Oratio Ioannis ad Herodem.

*Matt.* 4. *Marc.* 8.

Fuere nõnulli, qui hanc Ioãnis castigationem accuratius inquirentes, dixere Herodem ab eo reprehensum, quod in legem Mosis peccaret, fratris vxorem ducendo, ex qua iam liberos suscepisset. Scriptum siquidem est in Lege: *Quando habitauerint fratres simul, & vnus ex eis absq; liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri: sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui: & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Israel.* Si vero ex defuncto liberi supererant, matrimonia hæc illicita & incæstuosa censebantur. Vtrum vero Philippus hic defunctus an superstes fuerit, Herode vxorem illius sibi sacrilego connubio copulante, nemo iuxta Augustinum, tuto dixerit, cum sit incertum; constat tamen filiam ex eo superstitem fuisse, quam Euangeliũ nobis describit. Quidquid sit, certum est, Herodem in legem diuinam, fratris vxorem sibi copulando, peccasse, & merito à Ioanne idcirco reprehensum fuisse.

*Deut.* 25.

*Lib. de fide & operib. cap.* 19.

Alii vero, vt Tertullianus & Montanistæ, qui monogamiam asserentes à secundis nuptiis abhorrebant, aiunt ideo Herodem castigatum fuisse, q; Herodiadem ducendo secundas nuptias adiisset; verum Iosephus, & illustrissi. Cardinalis Baronius, cæterique Patres, alterius opinionis sunt: aiunt quippe Herodem ob solũ incæstum, & scandalum, quod ex eo subditi patiebantur, à Ioanne reprehensum, atq; hoc verba illius indicant, *non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Perinde ac si dixisset, multa quidem scio licita sunt Regibus, quæ aliis negantur; at quæ ad legem diuinam spectant, multo tibi minus quam aliis inferioribus, violare licet. Scias igitur velim, fratris tibi vxorem copulando, diuinis te legibus aduersari, iustitiæ statum euertere, honorem tuum prostituere, famam offuscare, homines simul & angelos offendere, & ea quæ tibi penitus illicita sunt, agere.

*Li.* 18. *ant. Iud. cap.* 7. *Baron. to.* 2. *anno Christi* 31. *Matt.* 14. *Marc.* 6.

Ingratitudo in S. Ioannem.

Sed, ô ingratitudinem singularem! sancta hæc reprehensio & amica correctio infelici, prô dolor! mercede compensatur, opus sanctum sanguineo donatur præmio, ipse prœco carceri includitur, in iudicium vocatur, regẽ aduersariũ patitur, aulicis & purpuratis exosus est, & omnes eũ ciues morte dignũ censent. Et quãobrẽ? dicat Marcus; *Ipse Herodes misit ac tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadẽ vxorem Philippi fratris sui.* Dux femina facti; sanctum virũ in carcere cõiici impia iubet mulier, mulier scelesta; mulier

*Marc.* 6.

II. Feminæ ira extrema est.

mulier, cuius incestum reprehendebat. Ecquęnam, Deus bone, rabies est, in amicum correctorem conspirare, medico mortem & necem moliri, omnes aduersus innocentem concitare, non vereri eum quem omnes vt Messiam suspiciunt, honoris & decori limites transilire, virtutem calumniari, viros sanctos carceri tradere, vinculis denique mancipare eum, quem omnes velut Deum colunt & adorant? At nemo miretur, femina est, in qua nimirum furor & ira extrema sunt, & omniũ aliorum iram superant. Vnde Ecclesiast. *Eccl.29.* *Breuis omnis malitia super malitiam mulieru.* Hinc Dominus, cum innuere vellet, Israelis se amplius misereri nolle, sed indignantis instar, summa in eum seueritate animaduersurum filiam in scenam produxit; Prophetæ quippe Oseæ præcepit, vt confestim vxorem duceret primamq; quam ex ea suscideret filiã, *Ose.1.* *Absque misericordia*, nuncuparet, quod nullã amplius Israeli misericordiam esset ostensurus; *Voca nomen eius Absque misericordia, quia non addam vltra misereri domui Israel.* Adeo vt nullum ad exprimendam malitiam crudelitatemque aptius reperire emblema aut symbolum potuerit Deus quã mulierem Ignoscent hic mihi, spero, honestæ ac pię matres, nam nonnisi impias & scelestas mea iam ferit oratio.

*Zach.6.* Zacharias Propheta inter ceteras, quas habuit visiones, vidisse se ait mulierẽ in medio amphoræ constitutam, massam plumbeam ore gestantem. Cumq; anxius hæreret & dubitans, quid portentum hoc designaret, dicentem audiuit Angelum: *Hæc est impietas.* & profecto quã appositè ad propositũ nostrũ! ad depingendã namq; impietatẽ & improbitatẽ nulla conuenientior haberi figura potuit, q̃ fœmina. Vt & interea hic de plumbo, quod ori eius insertum erat, taceam, existimo per amphoram & infundibulũ, cui incidet, quod vtrimque patet, nihilque continere potest, tacite femineam garrulitatem designari, quę hac & illac perfluat, nihilq; celare possit; atq; ideo forsitan aliam illam plumbum ore præferre, vt mulieri silentium custodiendũ esse demonstretur. Sed ad malitiam eius, cuius occasione in hanc digressionem descendit, reuertatur oratio.

Impietatis figura.

Ioann. in Apoc. mira se quædam prodigia vidisse ait, & imprimis nouum quoddam locustarũ genus, quas equis ad bella profecturis, similes fuisse scribit, caudas scorpionũ, dentes leonum, & capillos mulierum habentes, & nocendi hominibus potestatem adeptas. Mirum profecto, Spiritũ S. vt locustarum harum pestẽ exaggeret, omnem quæ in mundo haberi potest crudelitatem coacernantem, vti rabiem equorũ bellis assuetorũ, virus scorpionum, dentes leonum, capiti earũ, velut malitiæ omnis & crudelitatis summum, feminæ capillos imponere voluisse: vt sc. nihil in mundo virulentius ac deterius ea haberi posse demonstraret, ac malitia mulieris, non secus atq; aspidis veneno, virum occumbere & labefactari. *Apoc.9.*

Malitia mulieris omnem crudelitatem superat.

Idem alio in loco vidisse se scribit feminã virulentam ac pestiferam, quæ bestiæ septẽ capitibus instructæ, & decem minitanti cornibus insideret, & varia blasphemiarum nomina contineret, purpura, & coccino indutam, auro fulgentem, ac crudelem quã quæ maxime, vtpote quæ sanctorum ac martyrũ Iesu Christi sanguine ebria esset, & cui nomẽ, *Mater fornicationum & abominationum terræ.* *Apoc.17.* Morali ęnigmatis huius significatione sepositа, ac literali maxime inhærendo, atque allegoricam hinc inde permiscẽdo, veram hic malitiæ mulieris imaginem proponi sentio. Nã quod bestiæ septicipiti, & decem armatæ cornibus insidere dicatur, eius hic garrulitatem denotari existimo, vtpote quæ plus quam alii septem loquatur, cum septem capita & linguas habeat: milleq; artib. & technis instructa sit, quarũ figura decem illa cornua esse perhibentur: at hæc nonnisi peruersitatẽ illius explicant, quia nomina eius blasphemiis, & maledicentia plena sunt. Purpura porro & auri fulgor, superbiam & fastum denotant; sanguis autem quo ebria fingitur, crudelitatem.

Vera quin etiam hic Herodiadis nostræ imago repræsentatur, & in hac meretrice, velut in tabula mores eius & agendi ratio ad viuum depicta legũtur. Videte enim, vt hodie instar belluæ truculentissimæ desæuiat, spumet, efferascat, mille hodie cornua assumat, mille technas machinetur, quo de in-

Herodias per meretricem Babylonicã denotatur

nocuo ſanctoque viro vindictã ſumat. Videte quin etiam, vt turgeat & ſuperbiat, quæ & reginæ luxum ac ornatum præferat, regiaq; pellex ſit. Videte quam vere fornicationum, abominationum, & inceſtuum omnium in Iudæa mater appelletur. Videte inquam, vt ſanguine Ioannis Baptiſtæ ebria ſit, quam in carcerem coniici, vinculis conſtringi, & ad necem conquiri iubet. O malitiam intolerabilem & extremam! ô rabiem barbarã nimis & intolerabilem, ô affectus nimium crudeles! Ita porro exclamare me cogit Origenes, qui in peruerſas inuectus mulieres, hac eas fuligine inficit. *Mulier caput eſt peccati, rea diaboli, expulſio paradiſi, corruptio legis antiquæ.*

*Homil. 7. in diuerſos.*

Nunquam Elias Propheta impii Achab crudelitatem timuit: tametſi in regno eius quadringẽtos pſeudoprophetas interfeciſſet: verum dum ſe ab impia Ieſabele ad necem conquiri cerneret, ac compertum haberet, quanta illius malitia & furor eſſet, vrbe deſerta, ſolitudinem petiit, & cauernas ferarum incoluit, atq; in tantum eius potentiam veritus eſt, vt priuſquam in manus illius incideret, mortem à Deo velut laborum ſuorum præmium enixiſſime peteret, vt ſcilicet ipſa ærumnarum & calamitatum filum præcideret. Audite, vt imis cauernis exclamet, *Ob ſatis Domine, tolle animam meam*, &c. Vnde manifeſtum eſt, nihil eſſe furore muliebri formidabilius, nec ſimile quid ei reperiri poſſe, præſertim cum mulier princeps furorẽ induit, & laſciuos ac furtiuos amores conſectatur.

*3. Reg. 18. 19.*

Elias magis Ieſabelem quam Achab Regẽ timuit.

Hiſtoriæ monumentis proditum eſt, Megalopolitanos ſimulacrum quoddam Veneris erexiſſe, eiq; inſcripſiſſe: *Dea machinatrix & artifex.* Docere ſcilicet volebant, nihil difficultatis eſſe, quod nõ Venus & amores impudici, quos hodie tamen mundus adorat, non audeant, & quiduis eadem, quo voluptatis compotes fiant machinari. Cui enim delicto ignoſcunt? quam vero crudelitatem non exercent? quam impietatem illicitis amoribus ſatisfacturi non oſtendunt mortales? vnde Poeta,

Imago Veneris in vrbe Megalopolitana.

*Et nil eſt, quod non effreno capti amore Auſit.*

*Ouid 6. Metam.*

Hæc porro Venus ipſa Herodias eſt, quã in magna illa & ſancta Ieruſalẽ Herodes adorat & ſupplex colit: ipſa peſſimi conſilij & damnoſi artificij machinatrix, qua inſtigatrice Phœnix ille mundi Ioannes, gemma ſanctorum, & Iudææ Propheta in carcerem detruditur.

III. Amore cæcus Herodes Ioannem in vincula coniicit.

Rex quidem fieri iubet, aſt amor ſuggeſſit & cõſilium dedit, ſceleratus ille cupido animum illius eo perpulit: ille, ille tantæ impietatis auctor eſt, ille eum excæcat & faſcinat, vt propter Herodiadem, delicias illas crudeles & amaras, virum ſanctiſſimum in carcerẽ compingat, compedib. grauet, vinculis cõſtringat. Cæcus igitur reuera amor eſt, tum quod inter impares aliquando coaleſcat, tũ vero quod mentem hominis penitus obnubilet & excæcet. Vnde Propheta, *Fornicatio & vinum, ebrietas auferunt cor*: quibus in verbis duo notanda occurrunt. Primum, quod amor & voluptas homines vſu rationis priuet, & in beſtias quodammodo tranſmutet. Dauid ſiquidem hoc ſcelere inquinatus, cor ſe & mentem amiſiſſe confitetur, & aliud & nouum quidem à Deo poſtulat: *Cor mundum crea in me Deus*. Alterum, quod fornicationem vino comparet: nam vt ebrius iudicio & ratione deſtitutus eſt, & à bruto nihil omnino differt: ita & fornicator, illicitiſque amoribus irretitus. Oculos in Herodem hunc coniicite, & videbitis eum mente orbatum inſtar ebrii in peccato ceſpitare, nec poſſe conſiſtere.

*Pſal. 4.*

*Pſal. 50.*

Infelix profecto peccatum & deteſtandũ, quod Dauid non alio, quam generali iniuſtitiæ nomine nuncupauit: *Non dominetur*, inquit, *mei omnis iniuſtitia*. & alio in loco infernale barathrum appellauit: *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia miſericordia tua, magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori*. Perinde ac ſi dixiſſet: Quantam mihi gratiam, benigniſſime Domine è peccato nec carnis educendo contuliſti: ſi enim certiſſimum eſt, peccata infernum quẽdam eſſe, hoc profecto omnium infimus eſt & profundiſſimus, è quo non niſi difficulter quis egrediatur. In quem ſenſum interpretatur pſalmum hunc Euthymius, & per infernũ inferiorem adulterii peccatum intelligit.

Adulterii malitia.

*Pſal. 118.*

*Pſal. 58.*

Grauiſ-

III. Deus grauiter fornicatores corripit. *Gen. 6.*

Grauissime porro Deus in fornicatores & adulteros animaduertere solet, adeo vt cum omnes propemodum homines hoc irretitos peccato videret, gemēs dixerit: *Delebo hominem quem creaui, a facie terræ, ab homine vsque ad animantia, à reptili vsq; ad volucres cœli*, &c. Ecquænam illa, Deus bone ira tua? nulli omnino animali parcere vis, nisi solis piscib. qui quod non ceterorum animalium instar, per copulam carnalem, sed alia quadam ratione honestiori, generent, castitatis & puritatis symbolum sunt. Hinc Dominus, eos solos excipiens, in cetera animalia animaduertere proponit. Vnde manifestum redditur, magno Deum peccatum hoc eiusq; sectatores odio prosequi. Et est reuera detestandum ac fugiendum, propter varia quæ id ipsum comitari solent mala, atque ob hoc Eremitarum princeps in carcerem coniectus est.

Magna elucet iniustitia in eo quod Herodes Ioannem in vincula cōiecerit; Herodis scelera.

In quo magna omni ex parte elucet iniustitia. Quoad Ioannem imprimis, qui nihil vnquam deliquerat, virtutum omnium speculum erat, cœlo gratus, angelorum socius, mundi fax, Messiæ præcursor, pœnitentiūque dux & coriphæus. Quid n. offenderet is, qui desertum incolebat, omnium rerum sæcularium inopia laborabat, nemini grauis aut iniurius, sed omnes ad pœnitentiā inuitans? Deinde quantum ad Herodem, vtpote quo nullus in orbe nequior aut sceleſtior viuebat, qui templū profanauerat, sacerdotia inuaserat & indignis contulerat, imperium pessundederat, leges omnes & cultū diuinū, ac sancta ipsa conculcauerat: qui ciuiū depeculator, nobilium prædo, bonorum flagellū, populi tyrannus, filiorum suorū tortor & carnifex, externorum vastator, patriæ pestis, regni labes & ruina erat. Et præsertim quoad Herodiadem, Aristobuli filiam, mulierē perditissimam, sortum illud publicum Herodis pellicē Iudææ propudium, lasciuiæ fomitē, animarum sirenem, Veneris mancipium, illicium libidinis, scelerum artificem, vinculorumq; Ioannis Baptistæ machinatricē. Huic nempe vni carcerem & compedes innocuus Domini pcursor acceptos referat necesse est.

Item Herodiadis.

Causa captiuitatis Ioannis.

Nulla autem carceris captiuitatisq; illius alia dari potest ratio, quam quod veritatem libere fuerit confessus, regiisq; Herodis scelera magna libertate & confidētia corripuit. In tantū quippe tyrannus verbis viri exacerbatus est, vt ira furoreque tumens mortem illius iurauerit, qui animæ regiæ vitā daturus aduenerat. Proh scelus, sed principib. & magnatibus perfamiliare! qui nulla ratione veritatem patiuntur, vitiaque sua coarguiægerrime ferunt. Hinc bene quidam magnæ auctoritatis vir mihi visus est dixisse, dū veritatem non magis Principum aures, quam thesauros eorum, lucrum è proprio censu pecuniaque, fœnore duodeno redactum, subire assereret: è duodecim namque verbis vix vnū iis verum aliquis audet dicere, adulatio siquidem in palatijs perpetuo dominatur, veritas autem exulat, & repulsam patitur, adeo vt ille vere audax dicendus sit, qui regib. & purpuræ veritatem loqui præsumat: hoc cum Psalmographus fecisset, magnum quid se fecisse gloriabatur, dicebatque: *Loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar.*

Principes veritatem exosi.

*Psal. 118.*

Amos Propheta cum Regi Ieroboam veritatem olim diceret atque illius idolatriam non ferret, summus eum Pontifex acriter velut loquacem & importunum, reprehendēs, regia eiecit dicens: Quænam illa tua temeritas est & audacia Amos? ecquæ dicēdi libertas? quomodo ausus es regi veritatē in terra Bethel annuntiare? an non illius & principū omnium maiestatem veritus es? Quamobrē confestim hinc te propipe, fuge in terram Iuda in qua quo minus libere loquaris, per nos non stabit: at hic, inter alienos, obmutesce, præsertim cum in aula versaris, & nemo regibus veritatem adaperire soleat. Vnde efficere volo, principibus & optimatibus omnē veritatem grauem & exosam esse, ac nonnisi summo cum vitæ discrimine eandem in aula annuntiari.

*Amos 7.* Amos ꝙ veritatem dixerit, arguitur.

Deus cum Balthasaro Babyloniorum regi veritatem annuntiatam cuperet, illiusq; impietatem coarguere, prophetæ alicuius adminiculo non est vsus, sed manum quandam cœlitus demisit, quæ è regione candelabri in parietis superficie, rege inspectante, veritatem describeret, ac linguæ vice quodammodo fungeretur. *Et apparuerunt digiti, quasi*

*manus hominis scribentis cõtra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ.* Nulla siquidem in palatio manus inueniebatur, cuius tanta audacia ac robur foret, vt veritatem describeret; cœlitus aliquam in hanc rem descẽdere, ac parietes linguam, omnib. elinguibus, assumere necessum fuit. Nullus igitur veritatẽ eloqui, ac præsertim coram optimatibus ac regibus, audet.

Nathan Propheta, cœlitus ad Dauidi veritatẽ annuntiandam, vitiaque illius castiganda destinatus, priusquam ad rem descenderet, longo & altius petito exordio vsus est; nec id, cuius gratia venerat, libere, sine ambagibus, ausus fuit aperire; sed parabolã instituto parũ, vt quidem exterius apparebat, conducentem, narrare occepit: fuisse nimirũ eadem in ciuitate duos, quorum vnus opulẽtus, alter inops & pauper foret, priori multa armenta & greges; alteri nisi vnicam ouiculam fuisse, quam à teneris domi aluerat suæ, atque instar filiæ dilexerat. Superueniisse deinde diuiti hospites, quos conuiuio excipere pararet, pauperis illius ouiculam, suis parcẽdo, iugulasse. Qua re iniuria ad iracundiam prouocatus, morte illam castigandam censuit omnemq; se daturum operam spopondit, quo in peculatum illũ animaduerteretur. Tum Nathan captata opportunitate, & veritatis absynthium, quod parabolæ hactenus melle texerat, detegens, subintulit: *Tu es ille vir qui fecisti hanc rem.* Vniuersa rei huius series, Prophetæ exordium, inuentionesque & artes quibus regem aggressus est, euidẽter demonstrant, quanta cum difficultate, ac discrimine principibus veritas declaratur. Exemplo sit, ne diutius euagari cogar, Ioannes Baptista, qui quod Herodi verũ dixisset, in carcerem coniectus est, vitæq; discrimen adiit.

2. *Reg.* 12.

Carcer Ioannis & eius captiuitas exaggeratur.

*Ioan.* 1.

*Psal.* 49.

Hæret igitur constrictus in carcere, & instar malefici alicuius aut homicidæ cõpedibus grauatus iacet. O Paradoxa inaudita hactenus & inuisa! Hominem sanctissimum, Deo perfamiliarem, Põtificis Zachariæ filiũ in carcere gemere? manum illam, quæ filium Dei demonstrauit, dum ait, *Ecce agnus Dei*, vinculis constringi? Referre igitur huc Dauidicum illud licet, *Et nobiles eorum in manicis ferreis.* Quid? linguam illam obmutescere, quæ tam præclarum de Messiæ diuinitate testimonium protulit? Libertatem illa in custodia constrictam teneri, qua tam sancte in vasta vixit solitudine? illum denique qui Iordanis prius aquis Saluatorem mundi abluerat, proprio tandem sanguine tortoris manu abluendum? O spectaculũ tragicum ac nusquam visum! Interea Ioannes *in vinculis* suspirat.

IV. Varii de vinculis Ioannis cõceptus.

1.

Et profecto cum vincula hæc considero, mille mihi conceptus animo obuersantur. Occurrũt in primis profunda illa & inscrutabilia Dei iudicia: vt nimirum iustos & innocuos, hic in mundo affligi & cruciari sinat, & hanc Ioanni Baptistæ infamiam, iniuriam, iniustitiamque irrogari permittat. Quod alias expendens Chrysost. demiratus exclamat: *Ioannis magisterium vitæ, sanctitatis norma, schola virtutis est in vinculis.* Atq; huc alludens Psalmographus, & quam proxime sancti huius Episcopi verbis accedens, dicebat; *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & iustitia tua in terra obliuionis?* Mundum hunc ecce terram obliuionis vocat, eo quod Deus bonos & malos, illos affligendo, hos ex merito non castigando, oblitus videatur; & alio in loco non satis diuinam bonitatem demirari potest, quod impios diuturna gaudere vita permittat, ac rerũ temporaliũ affluentia locupletet, vt eorum & sui quodammodo videatur oblitus, ait enim, *vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur.*

*In hoc Euang.*

*Psal.* 87.

Mundus terra obliuionis.

*Psal.* 93.

2.

Secundo, aduerto hinc, Deo solenne esse vna cum afflictionibus & ærumnis gratiam quoque elargiri, tristiaque lætis tẽperare & prospera aduersis, adeo vt quamuis corpus exterius grauari & excruciari sinat, animam tamen nunquam deserat, sed perpetuo eam custodiat ac tueatur. Hinc in libro Sapiẽtię legitur: *Iustorum anima in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentũ mortis*, vel vt alia versio habet, *tormẽtum malitiæ*. id est, peccatum. Vnde duo colligere licet: primum ingentem honorem & decus iustis accedere, quod in manu Dei versentur, quo ab eadem defendãtur, quod etiam Angelus ille, qui Apocalyps. primo stellas manu prę ferebat, significat. Alterum, Deum animas quidẽ electorum, quo cas-

Deus suos nunquam deserit.

*Sap.* 3.

eas tueatur, manu tenere, non autē corpora; & hæc quidem affligere & torquere, illas autem ab omni discrimine præstare immunes. Quod exemplo Iob Prophetæ satis probare licebit: in cuius quidem bona & corpus Satanæ potestatem dedit; animam vero ab omni impetu & casu tutatus est. aeriter quippe vetuerat; ne quod in illam cruciatus genus exerceret. *In manu illius serua.* Ipse quoque vnigenitus Dei filius, tristi passionis die, Patris æterni naturam perspectam habens, quāuis corpus suum defereret; idque tormentis exponeret & quodammodo prodigeret; de sola anima fuit sollicitus, quam in manus Patris commendauit: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Cuius rei figura erat lectulus Salomonis, quē ambiebant, vt plurimum sexaginta fortissimi Israel. Thalamus hic animā iusti, in qua Deus requieseere & dormiscere cōsueuit; armati illi custodes, gratiarum diuinarum præsidium, quæ die noctequc circum illam excubant, eamq; circumeingunt, designant.

Iob. 2.

Luc. 23.

Cant. 3.

3 Mundi fauor inanis est & futilis.

Tertio hinc disco quam fragilis & inanis sit mundi huius gloria, fauor, quamque leui & caduco nitatur fundamēto, cum nimirum ille quem omnes paulo ante, vt Prophetam suspexerant, Messiā esse crediderant, ad quē legati à Rege Herode destinati erant, hodie in carceribus gemat, compedibus constrictus iaceat, ac breui carnificis mucrone vitā amissurus sit. Hic renouatum videris casum illum tragicum, quo Daniel, quem hodie super omnes regni Satrapas & principes euectū, summis honoribus cumulatum vidistis, cras ad mortem condemnatus in lacum leonum conijcietur. O rerū vices! ô honores nimium fugaces & fragiles! Paulus cū Lystris miraculose claudum ab vtero matris persanasset, pedumque vsum tribuisset, ciues nouo hoc miraculo perculsi, dixere ad inuicem: *Dei similes facti nobis descenderunt ad nos*: atque idcirco Paulum Mercurij, Barnabam Iouis nomine donarunt; quin & ipsi sacrificuli nectentes coronas & serta, victimasque domū illorum adducentes, iisdem illas immolare velut diis voluere, sed audite, quid mox cōtigisse Scriptura dicat: *Superuenerunt quidam Iudæi, & persuasis turbis lapidantes Paulum, traxerunt extra ciuitatem.* Ecce qui paulo ante Mercurius habebatur, cui litare victimam sacerdotes volebāt, mox vt maleficus & scelestus quidā vrbe, velut ciuium consortio indignus, eiicitur. Hęsc. sunt metamorphoses & mundi inconstantia.

Psal. 14.

Concionator veritatem celare non debet.

Quarto notandum hic occurrit, ideo Ioannem in vincula coniectum, quod veritatē aperuisset; vnde manifestum redditur, concionatorem libere loqui, nemini parere, veritatemq; sine vllo metu proloqui oportere. Ideoq; vox illius tubæ comparatur clangētis: in Isaia quippe legitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam.* Vt, quemadmodum tuba in castris omnes compellat, omniumque auribus instrepit, tām ducis quam militis, tam principis quam gregarii aut lixæ, ita vocem cōcionatoris in Ecclesia aduersus omnes exclamare, magnos & paruos compellare, principes & plebeculam ad pœnitentiam vocare, vitiisque omnium sine vllo discrimine bellū indicere debere, manifestum fiat.

*Isai. 58.*

Concionatores tuba appellantur.

Idem Isaias vidisse se refert olim homines, qui leuitate nubes superarent: quod mysterium dum percipere nequiret, petiit à Domino, *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* Sancti Ecclesiæ Doctores, per hos nonnisi concionatores intelligunt: quos ideo nubibus comparatos aiunt, quod quemadmodum nubes in aere suspensæ, spongiæ inquam illæ naturales, dū aquā è terra & mari exsugunt, eandem, dum plenæ fuerint, hinc & illinc, sine vllo discrimine, effundunt; nequaquā anxiæ vtrum in principis alicuius aut agricolæ agrum ea decidat; ita nubes illæ supernaturales Ecclesiæ, verbo Dei turgidæ, dum sanctū & benedictum Euangelij liquorem effundunt, promiscue illum sine vllo respectu aut exceptione, tam in pauperis quām diuitis animam emittere, & Dei indignationē eiusq; iudicia, tam coram Rege aut Principe quam coram populo & indoctioribus, referre debeant.

Isa. 60.

Comparātur nubibus.

Cum Ieremiæ Deus rerum futurarum euentus aperiret, ait: *Mittam eis multos venatores, & venabūtur eos de omni monte, & de omni colle.* Locutus est haud dubie hic de concionatoribus, qui è cœlo in hunc mundum missi sunt, vt animas venentur, & in Dei casses illiciant.

*Ierem. 16.*

Item venatorib.

ciant. At in omni monte & colle venẽtur necesse est, imo in summis montium iugis, id est, in aulis ac palatijs Principum. Et vt venatorẽs animoſũ nullum laborem ſubterfugiunt, per rupes & ſaxa repunt, in præruptos ſcopulos aſcendunt, vepreta & dumos perrumpunt, ſpinas perfringunt, modo vt lepuſculum, modo vulpem, alias ceruum, & alias aprum aut lupum, vel aliam feram comprehendant & conſtringant, nulliq; parcunt animali: ita concionatorem honoris diuini zelo accẽſum, & animarum ſalutis ſiti laborantem agere etiam par eſt, nullã difficultatem metuat, nulli labori parcat, quo ſanctam hanc venationem inſtituat, per omnes agros & ſiluas volitet, per omnia diſcurrat loca, tã per pauperum tabernas, quam magnatum palatia, vt ipſa etiam regum nõ obliuiſcatur limina: modo agricolam ſimplicem, & inſtar leporis meticuloſum, modo cauſidicum, inſtar vulpis aſtutum; modo ceruos, reges inquam, modo lupos & apros, depeculatores illos prouinciarum, in caſſes trahat; atq; ita in omni monte & colle venetur, omniaque ferarum genera conſectetur. Hac porro ratione venationem inſtituebat Ioannes noſter, qui cum deſerta, ſiluas, rupes, agros, Palæſtinæ montes, omnemque Iordanis ripam percurriſſet, vrbes tandem intrat, palatia regum petit, vt in ijſdem Herodem in caſſes pertrahat ſuos. ſed, eheu! fera elapſa venator in vincula incidit. *Cum audiſſet Ioannes in vinculis.* Matt. 11.

5. Virtutes hodie cõſtrictæ tenentur, & vitia dominantur.

Quinto, vt allegorice aliquid proferam, cum Ioannem in Herodis Antipæ, filij Herodis Magni, Aſcalonitæ, infanticidæ, carcere iacentem intueor, malum quid animo auguror, ac triſte menti omen occurrit; Ioãnes namq; gratiam ſonat, qui cum hodie in vinculis eſſe ſcribatur, ſignũ eſt, virtutes & gratias diuinas hodie captiuas detineri, vitia autẽ libere per omnia dominari. Et ſane ita ſe res habet, fides in primis compedibus cõſtricta eſt, & hæreſis impune graſſatur. *Cum venerit filius hominis putaſne inueniet fidẽ?* Luc. 18. ſpes quoque captiua detinetur, omneſq; mendacium conſectantur; *Poſuimus mendacium ſpem noſtram.* Pſal. 28. Charitas quoq; non amplius apparet, ſed bellum inualeſcit. *Surget gẽs contra gẽtem, & regnum aduerſus regnum.* Luc. 21. Liberalitas ſeruitutem ſeruit, & auaritia regnat; *à maiore vſq; ad minorẽ omnes auaritiæ ſtudent.* Ier. 6. Caſtitas comprehenſa eſt, & libido libera vagatur. *Corrupti ſunt & abominabiles factí ſunt* Pſal. 13. Ioãnes denique qui virtutis ſymbolum eſt, vinculis conſtrictus tenetur: & Herodes qui ſcelerum ſceptrum tenet & late dominatur.

Nullus Herodẽ, præter Ioannẽ noſtrum auſus eſt reprehẽdere.

Sexto, zelum hinc & audaciam, & infractũ animi robur in ſancto hoc Anachoreta notare eſt: cum enim nullus omnino in Iudæa reperiretur, qui Herodis peccatum arguere inceſtumque illius caſtigare auderet, ſolus Ioannes eremicola, ſolitudinem egreſſus, inuicti profecto animi, id aggreſſus eſt. Ægyptij cum Pharaonis peruicaciam animiq; indurationem cernerent, nullus eum arguere auſus fuit: ſed tandẽ ſerui, viſis tot prodigijs dixere, *Vſquequo patiemur hoc ſcandalum?* Exod. 10. Nõ erant Principes, aut ſacerdotes, non optimates, aut ſummates, ſed vilia mancipia quę regem reprehenderunt: nõ erat hic in vniuerſa ſynagoga Scriba, aut Rabbi, nec in aula nobilis, nullus in cõcilio Senator, nec vllus in vrbe ciuis, qui eũ taxare aut corripere audeat: ſed Ioannem deſerto, eius coarguẽdi ergo, egredi neceſſe erat. Quam bene igitur de eodem prædixit Pſalmiſta, *Loquebar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundebar,* Pſal. 118. & eodem in loco aliis verbis. *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuã.*

Ioannes auditis Chriſti miraculis ſpem concipit.

Septimo, è verbis Euangeliſtæ, quibus ad Ioannem in carcerem Chriſti miracula audita relata ſcribit, duo colligimus: primo, Ioannem non mediocre ſolatium malorumq; leuamen in carcere, cum miracula Chriſti quæ diſcipuli hinc inde facta narrabant, audiret, ſenſiſſe: *Cum audiſſet Ioannes in vinculis opera Chriſti.* Matth. 11. Vt hinc diſceremus, maximum nobis in mœrore & tribulatione conſtitutis ſolamen eſſe, ſacras conciones adire, in ijſq; miracula quæ de Chriſto narrantur, audire. Secundo, Ioannem poſtquam Saluatorẽ baptizaſſet, rariſſime deinde cũ ipſo egiſſe, nõ quod illius familiaritatẽ ſubterfugeret, quippe quod ardentiſſime cũ illo agere, conuerſari, & loqui deſideraret: & non mediocre gaudiũ ſenſiſſet, ſi miraculis illius intereſſe, conciones audire, coràm eum videre, adorare Matth. 23.

quem

quē Deum nouerat, auxiliari, adesse, omneque illi obsequium deferre potuisset: sed cum summum perfectionis gradū esse sciret, Dei voci obedire, quo nimirum nihil eidem esse potest gratius: præcursoris officio fūgi, pœnitentiam prenuntiare, quam cum illo agendo sibi vni prodesse & voluptatem propriam sectari maluit. Quo nos ille edocuit, non parum falli eos, qui indiscreto quodā zelo acti, ea ad quæ ex voto obligati sunt deserunt, vt alia quæ maiorem pietatē includere videntur, consectentur, propriæq; studeant consolationi. Verum ad quæ ex obligatione & voto tenemur, primo adimplēda sunt: Mose enim cum Deo agente, & ineffabili consolatione in monte Sinai perfruente, contingit populū per campos diffusum idololatriam exercere vituloq; diuinos honores impertiri: quo viso, ait Dominus, *Descē de cito, quia peccauit populus tuus*: quasi dixisset, Meditationē hanc cœlestē desere, contēplationis solamina derelinque, operi potius incūbe, & populo vt à peccato desistat, suggere. Docemur hinc ea quæ voti & officii sunt, operibus voluntariis præferēda esse. Ipse quoq; Dominus ac Redemptor noster pridie quam pateretur, in maxima licet angustia constitutus, & angelico colloquio perfruens, sępius orationem interrupit, vt videret quid rerum Apostoli agerent, eorumque inertiam & somnolentiam reprehenderet, & ad orandum ac vigilandū eos excitaret. Docere nos ex proposito voluit, ea quæ ex obligatione faciēda incumbūt, ante orationem sensualem & contemplationis dulcedinē esse præmittenda. Quod egregio è veteri Testamēto conceptu cōfirmabo.

*Leuit. 12.* Scriptum in Leuitico legitur, nō prius pacifica, id est hostiam voluntariam, vel ad beneficium aliquod à Deo obtinendum destinatam offerri potuisse, quam legalia quæ in lege præcepta erāt, oblata essent: adeo vt pacifica sacrificiis legis quodammodo inhærerent. Quo disceremus, prius ea ad quæ nos lex, vota & officiū obligant, faciēda, ac deinde opera supererogationis, ad quæ propria voluntate impellimur. Ionathas cū feruore pugnandi teneretur, & viribus & animo fidēs inimicos adortus esset, ac paulum mellis è summitate virgæ præter Saulis voluntatem gustasset: quod in maiorem potius gloriam, & merito quidem, cedere debuisset, quod oculi eius illuminati essent, quod inimicos Domini profligasset, victoriamque amplissimam retulisset, a patre tamen Saule ad mortem condemnatus est, eo quod voluntate regia contempta voluntati propriæ & affectui priuato obsecutus esset, quamuis multo maior inde vtilitas secuta esset. Profecto quāuis intentio nostra interdum, vt & Ionathæ, optima sit, & maiorem Dei gloriā animarumq; salutē respiciat, zelo proprio ducta: regulæq; nostræ ac tutorum obliti mirabilia sæpe operemur, austeritates & pœnitentias exerceamus, & victorias maximas de inimicis referamus: Deo tamen displicent hęc omnia, qui sæpenumero nos victoriis onustos ad inferos detrudit: Sed ad carcerem nostrū redeamus, videamusq; quid ibidem captiuus Ioānes agat. Euangelista illum ait duos ex discipulis suis ad Christum misisse, vt ex ore illius scirent, num ipse verus Messias esset. *1. Reg. 14.*

V. Varię opiniones de hac discipulorum ad Christum missione.

Torquent hic se mirum in modum S. Patres, vt Ioannis mittentis honorem tueātur. Hinc enim manifeste se quidē colligere putant, Ioanni certo nondum constitisse; vtrū Christus verus Messias esset, nec ne: alij vero, dubitasse eū tradunt, nō an Messias esset, sed, an pro mundi salute mortem subiturus. Sed optime omniū mihi dixisse visus est Gregorius, dum ait, legationem hanc non alio respexisse, quam vt Ioannes certior fieret, num Christus ad limbū, Patres inde educturus, in propria psona descenderet: vel vt quidem sentit Chrysost. hanc legationem adornauit non quod sciret quod scire se velle demōstrabat, sed vt alij id scirent, discipulosq; suos idipsum edoceret. Equidem sanctorum patrum expositioni, quo ad sensum quidem literalē, inhærendo quoad mysticum, multas ob rationes, easque egregias discipulos eum suos ad Christum destinasse dico, quarum hæc prima est. *Hom. 6. in Euangel.*

I. S. Ioannes de mortuis solicitus erat.

Declarare sc. voluit, defunctorum sese rationem habere, & tam de mortuorum quam viuentium salute sollicitū & anxium esse: dū ad Messiam legationem mittit, qua scire laborabat, num ad limbū descensurus esset, vt inde patres educeret, & studium etiam suum erga

erga mortuos demõstrat. Simul nos edocere, non solum viuorum, sed & mortuorũ curam & rationem habendam. Hoc siquidem Christiani hominis officiũ exigit: atq; ideo Noemi corã nuru sua aliquando Booz laudans ait, *Benedictus sit à Domino, quoniam eãdem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis &c.*

Ostendit se discipulorum curam habere quo proficerẽt

Deinde ideo discipulos ad Christum legat, vt ab eo discerent, quod verus Messias esset: simulq; vt hinc disceremus, quantam seruorum & domesticorum curam habere nos oporteat: ipsa quippe naturę ratio, cõscientiaque, æque omnia iura ciuilia & diuina à nobis exigunt, vt de ijs, non secus ac de nobis ipsis solliciti simus. Audiamus igitur, quid in

1. *Tim.* 5. hanc rem Apostolus monuerit, *si quis a suorum & maxime domesticorum curam nõ habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* Atque idcirco Iacob Patriarcha, cum in Bethel secederet Deo victimas oblaturus, illud ante oĩa curauit, vt serui & domestici Dei cultũ, abiectis idolis, ediscerent, ideoq; hac eos oratione compellauit. *Abiicite Deos alienos qui in medio vestri sunt & mundamini, ac mutate vestimenta vestra, &c.* Vt scil. ad locum demonstraret, quantum paterfamilias de domesticis & famulis esse debeat solicitus, monendo illos nimirum, vt peccati idolum comminuant, vestimentaque prauarum consuetudinum exuant.

Gen. 15.

3. Zelus Ioannis erga salutem animarum.

Vt etiam zelum quem habebat erga salutem animarum, & curam eorum quæ gloriã Dei spectarẽt, significaret, simulq; nobis pudorem incuteret: cum ipse, quamuis carcere cõclusus teneretur, vinculis cõstrictus esset, & ærumnas varias perferret, de honore tamẽ diuino, sollicitus sit, deq; animarum salute

Num. 12. laboret: Nos vero ad minimam aduersitatẽ qua premimur, minimum quo affligimur casum, ad primũ conflictum statim credamus, animum despõdeamus, virtuti terga obuertamus, & à benefaciendi studio auocemur. Imitantes videlicet inertes ac meticulosos illos Hebręos, qui dum de gigantibus, ac colossęę staturę viris, quos exploratores in terra Chanaã vidisse se asserebant, inaudissent, animo conciderunt, omnemq; eius acquirẽdæ spem abijcere, & in Ægyptum ad ollas carneas reuerti voluere.

Generosior ac cordatior erat ille qui dicebat: *Anima mea in manibus meis semper, & legẽ tuam non sum oblitus*: quo enim amplius deprimebatur, quo & animum altius ad Deum sustollebat, inq; eius cultu reddebatur constantior. Anima autem in manibus esse alicui apud Hebræos dicitur, quando in extremo discrimine & vitę periculo versatur. Atq; hunc in modum locutus est patri suo Ionathas, cum Dauidis causam ageret: *Posuit animam suam in manu sua*, id est, tui seruandi ergo extremo se discrimini ac mortis periculo exposuit, quo fidelitatẽ & obsequiũ erga te suum testaretur. Atq; ideo sensus Prophetæ verborum hic est: Quamuis quotidie in vitę verser discrimine, inimicis me circumquaq; circumcingentibus, capitiq; minitantibus; legem tamen tuam non obliuiscor, & in mãdatis tuis viuit anima mea. Ita quoq; captiuus noster, quo maiori in periculo versatur, eo se erga Dei obsequium feruentiorem demonstrat, ideoq; legationem discipulorum ad Messiã instituit. Legata interea eloquuntur, audiamus quid sibi velint: *Tu es qui venturus es, an alium expectemus?*

Psal. 118.

Matth. 11.

Quis sublimiorem & profundiorem quæstionem audiuit vnquam? quæstio est de diuinitate filij Dei, de veritate Messiæ, de redemptione orbis, ac prophetiarum omnium consummatione. *Tu es qui venturus, &c.* Perinde ac si dixissent: Tune ille quem Prophetæ præsignificarunt & designarunt, quem Sibyllæ annuntiarunt, quem omnes maiores nostri desideratũ? σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος; ait textus Græcus, *Tune ille qui venturus es* ad iratum Deum placandum, homines redimendos, peccatores saluãdos, debita nostra dissoluẽda, cœli ianuas aperiendas, angelorum ruinas supplendas, dęmones compescendos, inferos constringendos, pacemq; mundo inferendam?

Messiæ aduentus figuris declaratur. *Isai.* 53. *Gen.* 14.

*Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Tune ille Melchisedech, sacerdos Altissimi, sine patre quoad humanam naturam, & sine matre quoad diuinam, & sine omni generatione quo ad generationem qua ab æterno esse cœpisti? *Generationem eius quis enarrabit?* Ille inquam Melchisedech, qui post regum poten-

potentissimorum excidium, post carnis mũdi & diaboli destructionem, magno illi Abrahæ Patri inquam cœlesti, sacrificium panis & vini, in sacramẽti Eucharistici institutione, offeres?

Tune ille Isaac, domus tuæ decus & fulcrum, sed non sine miraculo editus, qui ad mortem, patri tuo obediendo, destinatus,
*Gen.22.* montem Caluariæ ascendere, humerisq; tuis
*Gen.7.8.* ligna, quibus cremeris, gestare debes?
Tune ille Noe, qui arcam humanitatis tuæ ingressus, omnesque nos diluuio damnationis eripiens, tandem aliquando amore & tolerantia ebrius, nuditatem, & paupertatem, simulq; miserias nostras in cruce ostensurus es, & à filijs tuis, id est Iudæis, explorandus?
*Gen.27 32.* Tune ille Iacob, qui vestimentis Esau, id est, peccatoris circũdatus, passionis tuæ nocte, cũ angelo illo mortis luctaturus, victoriamque in humanitatis tuæ tamen femore
*Gen 37 40 41.* sauciatus, relaturus es?

Tune ille Ioseph, cuius à fratribus scilicet Iudæis, vẽditi, & in alienigenarum, Pilati nimirum & Herodis manus traditi, tunicã effuso sanguine cruentabũt maligni, id est, cuius humanitatem cruci affigent & occident?
Tune ille idem Ioseph, qui deinde à perfida
*Exod. 2. 3. &c.* synagoga iniq; accusatus, & in carcerẽ præter fas cõiectus, glorioſus tandem egredi, & regijs indumentis circumdatus coram regũ rege sisti, cœliq; & terræ vicarius generalis constitui, & egregio Saluatoris mũdi nomine insigniri debes?
*Num.35.* Tune ille Moses, qui iam inde ab incunabulis ab Herode, qui Pharaonem crudelitate superabat, ad necem quæsitus, populum Dei conducere, legem ei dare, miracula ac prodigia patrare, Ægyptiaca cum mundi huius captiuitate, per rubrũ passionis tuæ pelagus, ad regnum cœlorum quæ vere terra promissionis est, traducere debebis?
*Num.35.* Tune ille sacerdos summus, de quo in Numeris habetur mentio, post cuius mortem, oẽs extorres & exules patria electi, qui peccatores denotant, præteritorum criminum veniam consecuti, in natale solum reuerti, &
*Iud.14.15. 16.* in patriam, cælestem intelligo, quæ vere patria, postliminio redire poterunt?
Tune ille generosus & strenuus Samson,



Philistæorũ terror, qui naturæ humanæ, pellicis illius fascinãtis amore captus, & cum ea in sepulcro cõgressus, vndiq; obsessus & circumuallatus custodias eludes, saxa & moles effringes, sigillaq; illis perrumpes? tune ille, qui deinde hostium ludibrio & improperio expositus, moriens, eosq; simul morti inuoluens tuæ magnæ mundi huius aulæ bases & cardines concuties, & ad inuicem collides?

Tune ille pastor Dauid, qui sola humanitatis nostræ funda, & ærumnarum nostrarum lapidib. instructus, furentem illum Goliadam, Satanam dico qui à tot annorũ millibus omni nobilitati & generositati mundi huius exprobrauit, prosternes, crucis baculo ad terram deijcies, superbiam illius & fastum retundes, deniq; vitã illi eripies? *Tu es qui vẽturus es, an aliũm expectamus?* Ambrosius hæc accuratius disquirens ait, interrogationem hanc non dubitantis, sed admirantis fuisse. Perinde ac si dixisset, fieri ne potest, summe Deus, te, qui summa cum maiestate in cœlis habitas, in terram descẽdere voluisse, vt humanam naturam assumeres, miserijsq; & ærumnis, quib. eadem obnoxia est te subiicere? Huic quã proxime accedens Rupertus, ait, Ioann. non potuisse dubitare quin Christus verus Messias esset. varijs enim miraculis editis iam id confirmatũ erat: sciebat quippe in Cana Galilææ aquam in vinũ conuersam, audierat Patris cœlitus loquẽtis testimoniũ, & Spiritum S. in columbæ specie descendentem viderat, dum eum in Iordane ablueret. Verum id ipsum manifestare non audebat, ne forte Iudæi inuidiæ stimulis concitati in eum impetum facerent ac neci traderent. Verum cum hodie veniſſe tũpus sciret, quo omnia abscondita reuelanda essent, discipulos idipsum diligentius inquisituros ad Christum mittit: inquisituros inquam, num ipse esset salutare Dei, de quo Gen.49. num magnus ille Propheta de quo Deut.18 num ille qui Israelem esset redempturus, vt Psal.117. promittitur? *Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus?*

*Matth.* 11. Ambrosij opinio quantum ad interrogationẽ Ioannis.

Item Rupert.

*Matt.* 11.

Quid? Ioannes legationem adornat, nostrum quoq; est aliam adornare, de fide scilicet, bonis operibus, de religione, ne fortasse decipiamur, & erroribus inuoluamur: legemus

Missio hæc discipulorum moraliter exponitur

mus ad Deum sensus, voluntates, & intentationes nostras, inquiramusq; nũ viæ nostræ illi gratæ sint. Discipulos adhæc nostros, ô didascali: seruos, ô heri: subditos nostros, ô patresfamilias, mittamus ad templa, conciones, sacrasq; lectiones, vt cœlestem aliquam doctrinam percipiant, & ad virtutum studiũ excitentur. Dirigamus ad Christum omnes, vt inquirant, num ipse sit qui in Ven. Eucharistiæ Sacramento latet vel alius exspectandus sit, impanatus, figuratus, & signatus? Num alium cum Iudæis Messiam exspectare oporteat, alium Christũ, alium in ærumnis consolatorẽ, alium Saluatorem, aliud Euangelium, aliam deniq; Ecclesiam. O inanias ac nugas mercacissimas! sed his relictis cœpta prosequamur.

VI. *Matt.* 11. Christus opere, nõ verbo, respondet. *Ioan.* 58.

Legationem igitur suam discipuli cum Christo aperuissent, hoc eis modo respõdit, *Ite renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis, cæci vident, surdi audiũt, claudi ambulant, pauperes euangelizantur.* Rebus ipsis, non verbis, Dominus ecce respondet: & sane prudenter admodũ: si enim verbo dixisset, Messiam se exspectatum esse: Iudæi eũ sine dubio reprehendissent, vti alias illos feciſſe manifestum est cum hæc illi obijcerent, *Tu de te ipso testimonium perhibes.* Ideoque alio in loco ijsdem dixit, *Opera quæ ego facio, testimonium perhibẽt de me.* Perinde ac si dixisset: Quisnã sim, verbis indicare nolo, & tametsi dicerem, mẽtiri me ac fucũ obtrudere velle putaretis: satius idcirco est, opera mea loqui deque me testimonium perhibere. Missionem siquidem meam medijs quibusdam prẽter ordinem, & miraculis ac prodigijs probo: quæ cum quotidie oculis vestris videatis, certissime credere debetis, verum me Messiam esse in Lege & Prophetis promissum. Ideoque *ite, renuntiate &c.*

*Matt.* 11. Miracula Christi de eo testabantur.

Et profecto, miracula hæc operaque prodigiosa, q̃ Redemptor indies edebat, abunde testabantur, Iudæosq; conuincebant, illum esse, qui Patrib. eorum promissus erat Messiam. Nam tametsi prophetæ veteres miracula patrarint, summa tamen difficultate, & magno cum sudore eadem facta sunt: Christus autem plurima, idq; facillime, sine vllo labore ac difficultate, edidit. Vnde manifesto apparet, omnibus eum prioribus dignitate & meritis eminentiorem fuisse: quod Iudæi ipsi in Euangelio testantur dicentes, *Nunquã apparuit sic in Israel* Ipse quoque Dominus de seipso testimonium ferens, ait, *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* *Matth.* 9. *Ioan.* 15.

2. Secundo, Elias quidem mortuum ad vitam reuocauit, Elisæus Naamam à lepra mũdauit, sed vterq; Domini prius auxilium implorauit. Christus vero hæc aliaq; longe maiora, sua auctoritate, absolute, ex sola voluntate propria nullisq; precibus vsus, præstitit.

*Psal.* 145. 3. Tertio, prædicta eadem miracula in Sacris litteris erãt: nam nonne in Psalmis legimus: *Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit elisos:* quæ cũ reipsa ederet, reipsa etiã se Deũ esse declarauit.

4. Quarto, ipsa prophetarum oracula Messiam hæc & similia editurum prædixerant vt in primis Isaias: *Deus ipse veniet & salutabit nos, tunc aperientur oculi cæcorũ* Dominus igitur innuere volens se ipsum esse quem Prophetæ præsignarant, opera sua & miracula in scenã producit, legatisque ad se missis respondet, *Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt.* *Isa* 35. *Matt.* 11.

Cæcorum autem illuminationem Dominus ante cætera miracula quasi trophæorum illius primum ac summum, & è qua infinita illius potẽtia in primis elucet, produxit: primo, vt veteris testamenti verbis quib Messiæ miracula præsignantur, vsquequaque respõdeat: nam in Isaiæ Prophetijs cæcorũ illuminatio prima omnium recensetur. Secundo, quod discipuli hi suis eum hæc edentem miracula oculis conspexissent: nõ vero alia quę sequuntur, & dequib fortasse ne fando quidem inaudierant. Tertio quod plures cæcos Christus illuminasset, quã alios persanasset, vt è verbis Lucæ manifeste colligi potest, dicentis: *In ipsa autem hora multos curauit à languoribus & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multis donauit visum, &c. Ite igitur,* inquit, *& renunciate, cæci vident.* Cur Dominus ceteris illuminationẽ cæteris miraculis anteponatio prima omnium recensetur. *Isa.* 35. *Luc.* 7.

Varia hic recenset miracula, operaq; bona plura in vnũ coaceruat, vt hinc euidens fiat, Deo hanc pluralitatem gratissimam existere: Sunt enim nonnulli, qui dum vnum virtutis actum exercuerint, sufficere ad salutem ta- Operum piorum multitudo Deo grata putant.

putant, vlteriusque progredi detrectant. sed errãt: Deus enim varios actus requirit, multiplicationeque imprimis delectatur. Nam
Gen. 1. statim vt terram creauerat, ait, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen & lignũ pomiferum faciẽs fructũ iuxta genus suum*, quibus verbis allegorice innuere eum voluisse puto, scilicet dum terrã quodammodo intumescere & vterũ ferre vult, quę deinde omne herbarum, arborum, fructuum, bestiarumq; genus effunderet ac velut pareret? multo magis desiderare, vt anima varios virtutum bonorumq; operum fructus ac manipulos proferat. In horto sponsæ omnigenos fructus, tã
Gen. 7. nouos quã veteres reperire erat, *In horto nostro omnia poma noua & vetera*. Poma autem tantundem hic valet ac fructus, ita namque Hebraice, p omni fructus genere accipitur. Porro animæ nostræ horti sunt & pomaria imo paradisi, in quibus Christus earum spõsus obambulare cupit: quo autem maiorem voluptatem inde percipiat, fructus in iis bonorum operum, noui & veteres sint oportet, si enim olim, heri, & nudius tertius, imo & hodie aliquod opus bonum fecimus, hoc iã vetus est & exoleuit quodammodo: sed cras, & perendie, & in posterum semper noua alia producenda sunt. Audite longam illam Messiæ operum seriem, ac varia illius miracula:
Luc. 7. *Cæci vidẽt, surdi audiunt, claudi ambulant, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.*

Humilitas & modestia Saluatoris.

Hic, obsecro, anima mea, Saluatoris tui humilitatem ac modestiam considera: non ait quasi de se operibusque præsumens, Ego cæcis visum, surdis auditum reddo, claudis pedum vsum restituo, leprosos mũdo, mortuos ad vitam reuoco: sed magna cum animi demissione & humilitate, & seipsum non
Luc. 7. nominando, *Cæci vidẽt, surdi audiunt, mortui resurgunt*. Docemur hic, eum qui vere humilis est, omnibus in rebus humilem esse debere, tam interius quam exterius, tã animo quã verbis. Ægypti rex Pharao cum Iacob Patriarcham grandæuum iam & senio vidisset, ab
Gen. 47. eo mox petiit, *Quot sunt dies annorũ vitæ tuæ?* cui sanctus ille senecio placide respõdit, *Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt, parui & mali*. Notate quæso Patriarchæ humilitatem, vt tempus omne, quod iam inde ab adolescẽtia Deo impenderat, nõ enumeret, imo vt hoc ipsum nihil propemodum aut exigui esse meriti censeat. Tu tamẽ interea mundane, si bis terue ieiunes, in tantũ te effers: si triennio aut quadriennio Deo in pœnitentiæ Monasteriis seruias, credis eũ infinitis tibi nominibus deuinctum debita exsoluere non posse.

Mundus similis est Pharisæo Euangelico.

Porro mũdum similem esse censeo superbo illi Pharisæo, cuius in Euangelio fit mentio, qui cum bis in sabbatho ieiunaret, tantũ sese extulit, vt in medio templi constitutus, tumore & fastu plenus, deque hoc ipso super
Luc. 18. biẽs dixerit, *Ieiuno bis in sabbatho*. Vel filij, p- digi fratri, qui ægerrime ferens tantum fratri suo asoto honorem exhiberi, obsequiaque parenti exhibita recensens, magna cum superbia ait, *Ecce tot annis seruio tibi*: quasi an-
Luc. 15. norum numerum non posset subducere. Vel Iacob Patriarchæ, qui cum viginti ipsis annis socero suo Laban seruisset, tandem officia exhibita ipsi exprobrauit, dicens, *Per viginti*
Gen. 31. *annos seruiui tibi*. Nõ est, mihi credite, Christiani, dies, menses, aut annos, quos diuino obsequio impẽdit, enumerare, aut accuratius subducere: nam quãuis omnia vitæ momenta in solius Dei cultũ expendisset, aliud profecto dicere nõ posset, quam q; in Euãgelio dicitur: *Dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*. Præsumptio siquidẽ &
Matt. 11. superbia magnũ animę periculũ creare solẽt; è contra vero humilitas nõ mediocre emolumentũ: humilitas inquã quã è verbis his redẽptoris eruim⁹, *Cæci vidẽt, surdi audiũt, &c.*

Quidquid hic boni operamur, Deo, & nõ nobis ipsis adscribẽdum.

Hic etiã notes velim, ô anima, quemadmodũ Ioannes in vinculis pusillanimitate nõ deiicitur, aut aduersus Deum commouetur
Matt. 11. indignando: ita nec Christum ob miracula edita insolescere. Nõ enim ait, edo opera admirabilia, naturę vires eludo, cęcis visum restituo, paralyticis membrorum vsum reddo, mortuos ad vitã reuoco, sed insolita loquẽdi ratione vsus, *Cæci vident, claudi ambulãt, mor-*
Luc. 7. *tui ad vitã resurgunt*. Vt discamus bona quidẽ quæ edim⁹ opera, nõ nobis ipsis, sed soli Deo mala aũt non Deo, at nobis esse ascribenda. Hanc lectionẽ cum didicisset Ioseph Patriarcha, & fratrib. felicitatem suam referret, non sibi sed Deo eamdem velut auctori attribuit:

Gen. 45. *Non vestro consilio sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & Dominum vniuersæ domus eius, ac principē in omni terra Ægypti.* Tantum vero abest, vt mundanus Deo omnia asscripsisset, vt è contra potius fortunam omnium datricem agniturus dixisset: Ad hos honores læto fortuna blandiens vultu me subuexit: industria & opera mea ad tantā dignitatem ascēdi: sors adfuit, & clientē suum respicere dignata est. At Ioseph, qui diuino in ludo eruditus erat, datori omnium Deo singula & vniuersa adscribit, ac solum eum negotiorū suorum directorem promotoremq; agnoscit. Quem imitantur, doctrinam Christi quam proxime insistēdo, qui quidquid in anima virtutum possident, Æterno attribuunt, & de seipsis ne hilū præsumunt. Considerate igitur hæc verba, eorumq; sensum dispicite, *Cæci vident, surdi audiunt.*

VII. Matt. 11. Veri concionatoris indicia

Veræ enim ac legitimæ Messiæ notæ & signa sunt, cœcis oculorum, surdis aurium vsum reddere mortuosq; ad vitam reuocare. vti & veri concionatoris, qui nimirum Christi loco docet & prædicat, indicia characteresq; dici queunt, si qui antea cæcutiebant, visum recuperāt, si surdis ad Dei verbum auditus redditur, si gratiæ mortui, & in peccatis sepulti, ad vitam gratiæ redeunt: deniq; si paupertas & Christi crux euangelizatur. Ad concionatorem namque Euangelicum spectat, huiusmodi edere miracula, omnigenos peccatores persanare, mortuos resuscitare, leprosos mundare, surdis auditum reddere, maculas & næuos auferre, Messiæque opera quam proxime imitari: quæ allegorice iam exponam.

Cæci designāt sceleratos. Soph. 1. *Cæci vident.* Per hos nonnisi peccatores intelligendi sunt; quando n. quis cespitando, modo ad terram prolabitur, modo in parietem impingit, modo in præceps ruit, an non eum cæcutire dicemus; ita quicumq; modo in auaritiam, modo in libidinem, modo in ambitionem impingit, an non talpa cæcior est, de quo Sophonias loquitur dicens, *Ambulabunt & cæci, quia Domino peccauerūt.* Soluc ante Christus eisdē oculos restituere pōt, & omnem cæcitatem auferre, idq; in Pœnitētiæ Sacramēto atq; hæc prima Christi opera sunt, qui solus huiusmodi morbos persanare potest.

Peccatorum surditas.

*Surdi audiunt.* Atque hoc secundum, quo peccatores dignosci queunt, indiciū est: fingere mihi aliquem qui nec maximarum cāparum sonitum, nec bellicorum tormentorum boatum, nec tubarum clangorē audire queat, an nō ille littore surdior dicendus est: Hoc ipsum de peccatore quoq; sentiendum, cuius tanta surditas & aurium stupor est, vt nec terribiles extremi iudicij tubas, nec maximarum cœli campanarum strepitum, misericordiæ inquam & iustitiæ, omnib. horis auribus nostris insonantium, imo ne diuinarum quidem comminationum tonitrua audire queat: adeo vt peccator ad Dominum iam conuersus illud Propheræ merito vsurpare queat, *Ego tanquam surdus non audiebam.* Psal. 37. Ad solum autem Christum, Dei, filium spectat, huiusmodi opera edere, leprosos quin etiam mundare.

Peccati nota, lepra est.

*Leprosi mundantur.* Omnes in genere peccatores sub lepræ nomine intelligamus. Nā vel lepra corpus inflat, ita peccatorē superbia: vt sitim & ariditatem extremam causatur, ita & auaritia: vt cōtagio suo inficit, ita & luxuria: vt humorem radicalem vitiat, ita quoq; animum inuidia: & halitum pestilentem ac tetrum reddidit, ita & gula & ingluuies raucedinē causatur, ita & ira quæ sæpe etiam loquelam eripit: denique vt illa membra omnia debilitat & inuadit, ita corpus animumque acedia & inertia. Bene igitur Naamano Syro leproso ait Helisæus Prophetes, *Vade & lauare septies in Iordane*, vt hinc peccatores septemplicem peccatorum mortalium lepram confiteri discant. 4. Reg. 5. Si quis in mundo tantæ virtutis efficaciæq; fons haberetur, qui omnes omnino infirmitates persanaret: quantus ad eum quotidie ex omnibus mundi partib. concursus fieret! quot ad eum ægri sanitatis recuperandæ ergo confluerēt? At huiusmodi virtute præditū est confessionis Sacramentum. Quid igitur eam negligitis peccatores, quin ad eam acceditis? cur illius latice maculas & leprā animæ non eluitis, aut saltem abluitis sed ad allegorias meas iam reuertor.

*Mortui resurgent.* Ipsi peccatores an non vera

Peccatores vera mortis imago sũt.

vera mortis imago sunt, cadauera exanimata, motu, sensu vitaq; carentia? Qui virus aut cicutam hausit, an nõ mortem ipsis præcordijs continet? idipsum de odio laborantib. inuidia & liuore tabentibus; ira æstuantibus, quæ omnia quædam animæ venena & contagia sunt, esto iudicium. Cui conceptui adstipulatus Ioannes Apostolus dicens: *Qui nõ diligit proximum, manet in morte.* At, heu! cicuta sola necat corpora, peccatum vero ipsas interimit animas. Quam præsens venenum sit oportet, quod ijs quæ mori nesciunt, mori infert: *contrariorum* enim, iuxta Philosophos, *contraria sunt consequentia*: nam quemadmodum gratia perpetuam vitam tribuit ijs, quæ ex seipsis mortalia sunt & caduca, ita peccatum mortem adfert ijs quæ essentia & natura sua immortalia sunt, sed in miraculis nostris progrediamur vlterius.

1. *Ioan.* 1.

Error eorum qui pauperib. prædicare detrectãt.

*Pauperes euangelizantur.* Inter cætera aduentus sui signa hoc imprimis ponendũ cẽsuit Redemptor, quod pauperes euangelizẽtur. Et profecto nõ mediocre miraculum est ac prodigij loco habendum, si concionator aliquis pauperib. verbum salutis annũtiet, si incarceratis concionetur, si inclusis Religiosis & Monialibus, & rusticis prædicet sed omnes iam, proh dolor! vrbes consectantur primarias, omnes primas metropolitanas cathedras affectãt, omnes in mercedem oculos coniiciunt, & solis diuitibus concionari gestiunt; sed considerent obsecro, arborem illã vmbrosam quam Nabuchodonosor vidit, cuius è fructibus omnia animalium genera gustabant: cõsiderent inquam, & huic se assimilare conentur; cum enim spiritualibus scientiæ, virtutũ, diuinorumq; charismatum fructib. grauati sint: eos idiotis, pauperibus, & simplicibus, qui mundi huius quodãmodo animalia sunt, proponat oportet.

*Dan.* 4.

Concionatores peruersi comparantur diuiti epuloni.

*Luc.* 16.

Diues ille epulo graue supplicium apud inferos subit, quod cum opulentus esset, & quotidie varios parasitos & assecłas aleret, pauperes tamen à mensa excluderet sua: q. ditiores & magnates quotidie ad mẽsam adhiberet; Lazarum autem nec aspectu nec alloquio dignaretur, *Et nemo illi dabat.* Huic similes dixero cõcionatores nonnullos, qui, cum omni scientiæ doctrinæq; genere abũdent, & cõcionatores dici velint, solis principibus & aulæ clientibus sese offerunt & vendunt, populo & plebeis a mensa illorum excluſis, dum oẽs eorum epulæ, id est conciones, nõnisi Rhetoricam, veneres Tullianas, & flosculos scholasticos, vt adulationẽ & ineptias affectatas præteream, spirant, & idiotis, pauperioribus, & rudioribus, ne minimus bolus offertur, & nihil quod gloriam Dei & salutẽ animarum spectat, in ijs elucescit. Videant igitur & caueant, ne cum diuite hoc apud inferos puniantur. Verum vt hanc aliquorum deprauatam consuetudinẽ damnaret, ipse Dei filius pauperum doctorem se confiteri non erubuit. At hodie plurimos regũ & principum concionatores reperire est, sed pauperum nullos, aut certe paucos admodum: adeo vt non amplius mihi mirum videatur, si hoc inter miracula sua recenseat Redemptor.

Pauci pauperũ doctores.

Equidem non tam inter miracula numerãdum puto, pauperes euangelizari, quam eosdem euangelizare. Est n. mirabile, omniaque miracula excedens, Christum, aduentũ, diuinitatẽ, omniaq; Euangelij mysteria à simplicib. & indoctis piscatorib. prædicari voluisse: non selegisse sibi duodecim Platones aut Arist. non duodecim Demosthenes aut Ciceropes, aut selectissimos quoq; ex omnib. orbis academijs viros, at duodecim piscatores, retibus & scaphæ assuetos, indoctos & rudiores. Hinc, vt illorum scientiam eloquẽtiamq; auderent in Actis Põtifices, Sacerdotes & Scribæ, & scirent eos ante imperitos, & ne à limine quidem literas attigisse; nõ parũ obstupuere: quorum admirationi inhærens Augustinus atq; hoc miraculum exaggerãs, ait, Dominum nõ per Oratores & Philosophos cõuertisse peccatores, sed per piscatores Philosophos & Oratores. Quod historia quædã è libris Regũ deprompta manifestũ reddet, Dauid cũ Amalecitas bello fusos profugosq; persequeretur, reperit in via miserũ quendã militem iacẽtem semianimem; fame & laborib. exhaustum, morbo afflictũ, & ab omnibus derelictum: à quo cum petiisset, *Cuius es tu? vel quis tu, & vnde?* mox subintulit, *puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalecitæ, Dereliquit autẽ me dominus meus, quia egrotare cœpi:*

Miraculũ pauperes euangelizare.

*Act.* 4.

*Lib. de verbis Domini.*

1. *Reg.* 30.

&c. dixitq; ei Dauid, vt se ad castra inimicorum deduceret, quo cũ peruenisset, reperit eos genio indulgentes & festum diẽ agentes, quos incautos ac nihil minus quam de hoste cogitantes inuasit, & ad internecionẽ deleuit, paucis, dũ camelos cõscendunt, fuga sibi cõsulentibus. Allegorice hæc omnia exponẽs in Euangelio cõtineri hoc mysteriũ existimo. Christus n. cũ mũdanos persecuturus in mundũ venisset, incidit in aliquos qui velut defatigati & exhausti, diuitias & põpas mũdi huius, idq; propter inopiam & egestatem assequi nequibant, in illos nimirũ, quos mundus derelinquit & deserit. At Christus hos ab omnib. derelictos, velut duces expeditionũ, & consiliorum suorum conductores euangelijque præcones assumpsit, eorumq; opera in mundi conuersione vsus est: quem cũ vitiis indulgentẽ & voluptatibus immersum quodã modo cerneret, ita eundẽ aggressus est, vt victoria penes se steterit. Dicite igitur, nũ miraculũ sit, pauperes euangelizari & euangelizare, mũdoq; Euãgelii præcones existere? Audiuistis iam miracula Redẽptoris; quomodo discipulis à Ioanne missis respõderit: videamus iam, quib. Ioannẽ encomiis ornarit, & quæ in eum acroamata & elogia effuderit. Ait enim Euangelista, Dominũ, dimissis legatis, in præcursoris sui laudes & encomia hisce verbis prorupisse: *Quid existis in desertum videre; arundinem vento agitatã, hominem mollibus vestitum?* Quam fidus in amicitia fouenda est Deus! quã tenere, quos semel complexus est, diligit! non enim in aduersitatibus deserit suos, vt facere consueuit mundus, qui ad minimum qui ingruit casum eos nudos destituit. Quam multos Aman Persarum ille purpuratus, amicos habuit, quamdiu læto fortuna arridebat vultu, & inter Assueri intimos numerabatur? Sed mox vt eius indignationem incurrit, eumq; offendit, omnes aduersus eum insurrexere; dicebantq; publice, *En lignũ quod parauerat Mardochæo stat in domo Aman.* Perinde ac si dixissent, in crucem agatur, quam domi alteri parauit. Videte quæso mundi ingratitudinem & perfidiam, qui dum felices sumus, & secundis ventis vtimur, amicitiam simulat; at, dum fortuna auersa nos deserit, nos etiam mutato affectu deserit. At non ita cœlum, nõ ita Deus, sed quo maioribus homo premitur afflictionibus, quo & maiora elargiatur solatia, maioremque affectum demonstret. Quod aperte in Ioanne nostro Redemptor Christus ostendit, quem cum in carcerem coniectum, ad mortem quæsitum, omniumq; odia incurrisse cerneret, singulari amore prosecutus est, amplissimis laudibus exornauit, ac coram omnibus luculentum de illius sanctitate testimonium dedit.

Infignis allegoria.

VIII. Laudes quas Ioanni Christus dedit.

Deus fidus amicus est.

Mundus suos in aduersitatibus deserit.

*Esth. 7.*

Rationes cur Christus Ioannem laudet.

Atque hoc imprimis, quod vitam duceret angelicam, virtutemq; coleret quã qui maxime. Vt discamus nonnisi probos & honestos præconiis afficiendos, ac virtutem solã, nõ vero vitia, amplissimas laudes promereri. Sanctos enim & iustos dũ laudamus, laudamus simul & Deum; ideoque Regius Propheta, dum omnes ad laudandum Creatorem creaturas excitasset, vt in sanctis potissimum laudetur elaborat; *Laudate* inquiens, *Dominum in sanctis eius.* Secundo, ne magna illa sanctitatis opinio, quæ in plurimorum animis de illo insederat, periret, aut saltem periclitaretur, cum viderent eum, quem ad Messiam habebant, instar malefici & impii in carcerem coniectum. Docemur hic, vt quando proximi famam discrimen subire, nomenq; eius infamiæ maculis aspergi videmus, tunc eius virtutes publice manifestemus, eiusque merita tantum, quantum maledici & detractores vitia, extollamus.

*Psal. 150.*

Ita Dominus Mosem laudauit, dum Maria & Aron frater ei detraherent, & apud populum nomen illius traducerent. Hoc scilicet filiorum Dei proprium est, innocentium tutelam suscipere, & maledicæ linguæ virulentiam compescere. Detrahentibus autem aures præbentes similes esse dixerim opilionibus & rusticis, qui dum transeuntes à canibus suis allatrari, morderi, ac tantum non interfici vident; tantũ abest, vt eos vel clamore aut ictu lapidum compescant, vt eosdem etiam magis extimulent, & manuũ complosione & poppysmis ad mordendum incitent. Egregios autem è laudibus his conceptus elicio, quorum hic primus est.

*Num. 12.*

Redemptor laudauit Ioannẽ in discipulorũ absentia. *Illu autẽ abeuntibus*, vt ita euidenter

Laudes ab amore, nõ aũt assentatione o-riginem trahunt.

denter demonstraret, encomia hæc non ab assentatione aut palpo, sed sincero minimeque fucato affectu, proficisci, ac simul fas esse, veras amico laudes tribuere, non aũt eidem impudenter adulari: vera namq; laus à Deo, assentatio autẽ à diabolo proficiscitur. Hoc nempe consilio vsi sunt Philisthæi, vt Samsonem perderent; suggesserunt siquidem Dalilæ, vt marito adularetur, quo ab eo ænigmatis solutionẽ, à quo omnis eius ruina perniciesq; dependebat; disceret. Vnde mihi Diogenes ille Canis non aberrasse à scopo visus est, dũ adulatores coruis esse dixit deteriores pestilẽtioresq;, cũ hi nõ nisi mortuos lædãt, illi vero in viuos ẽt grassentur. Ecce à terũ.

Proximus absens laudãdus est. *Psal.* 10. *Exod.* 2.

Ioannem absentem Dominus celebrat, vt doceat nos semper de proximo bene loqui, ac præsertim dũ abest. Obseruabat hoc præceptum Psalmographus, cum diceret, detractores secretos se cane peius & angue odisse, *detrahentem secreto*, id est in absentia, *proximo suo prosequebar*. Inter alias Ægyptiorum plagas fuere & ranæ: quæ cum non nisi in cæno & luto viuãt, de die taceant, noctu vero coaxent, detractorum symbolum sunt: qui vere immundi & sordidi, & non nisi in alienorum cæno victitant, proximo interea dum abest, semper detrahunt, eiusque vitam viuendiq; rationem reprehendunt: malũ profecto quo nullum hodie deterius aut calamitosius in mundo haberi potest. Eu tertium.

Fides amicis vbique præstãda.

Mandat Ioannem, interea dum carcere conclusus gemit: quo doceret nos, fidem & amicitiã semel initam, semper conseruandã, ac nunquam, quacunque etiam calamitate ingruente, deponendam. Sũt enim plurimi, qui prosperis amico assentantur, in aduersis & tristibus terga obuertunt, hirundinib. persimiles, quæ dum æstatis vernat gratia, & tempus ridet, nunquam nos deserunt, circũque laquearia assiduo cantillãt, instante vero hyeme abeunt, & mitius cœlum sequuntur. *Matt.* 26 Similes his fuere Apostoli, Dominũ non deseruere, quamdiu ab omnib. eum coli, miracula facientẽ, & pro Messia habitũ, viderunt: at mox vtà Iudæis & militibus comprehensum, ad mortem condemnatum, à Pontificibus in crucem actum conspexerunt; omnes relicto eo fugerũt, adeo vt & ipsum negarint, imo se ne nosse quidem confessi sunt. O perfidos, & periuros, & in amicitia colẽda nimiũ instabiles! At non ita Christus, ille in amore fidelis est, diligit vsq; ad extremum, imo nec in aduersis suos deserit. Videte igitur amorẽ, quo miserum hunc captiuum prosequitur, dum omni eum laudum genere cumulat.

Laudatur Ioannes à cõstantia.

In primis deprædicat illius constantiam, dum a Iudæis petit, *Quid existis in desertũ videre, arundinem ventis agitatam?* Arũdo quippe inconstantiæ ac leuitatis symbolum est. Innuere scil. volebat nullum Ioanne in cultu diuino esse vel constantiorem vel infractiorem. Adeo vt de ipso illud Ieremiæ vsurpare liceat, *Ego dedi te hodie in columnam ferream.* *Ierem.* 1. nam sicut columna constantiæ symbolum est, ita Ioannes columnæ instar vsq; ad mortem fortis & infractus perstitit, columnæ inquam ferreæ, quę lapideas duritie superat. Si enim ceteri sanctorũ lapideæ columnæ fuere, Ioannes profecto ferrea, ærea, & adamantina fuit, in omnibus mundi tribulationibus immobilis & infractus.

Constantię emblema.

Virtutem quidam olim ita expressit, facem quandam vniuersam depinxerat, quæ maiores sese consumẽdo flammas eijciebat, maioremque lucem inuersa circumquaque eiaculabatur, hac addita epigraphe, *Vires inclinata resumo*. Quod de omni illa virtute, nõ singillatim de vna constantia, ac præsertim de Ioã. Baptistæ vsurpare quid vetat? de quo nempe in Euangelio legitur: *Erat lucerna ardens & lucens.* *Ioan.* 5. Hanc cum impius Herodes totis viribus extinguere niteretur, & terram versus flecteret, in tetrum illum coniiciendo carcerem; lucere cœpit magis, luculentioresq; flammas eiaculari, maiores animos manifestare, viresq; duplices exerere, è quibus omnibus de illius constantia conijcere licet; coniicere inquam, eum arundinis leuitatem non imitari.

Ioannis constãtia.

Quid? anne arundinis est, iam à quinto ætatis anno mundo derelicto in desertis & solitudine commoratum esse, speluncas incoluisse? viginti quinq; annorum spatio pœnitentia durissima corpus emacerasse, virtutis stadium tam constanter decurrisse, inedia & austeritate membra afflixisse, vota tã sancte religioseq; obseruasse, solis herbarum radicibus

cibus & melle siluestri, tanto tempore victitasse? anne arundinei est, in desertis semper rupibus exclamasse, in solitudine populum docuisse, in antris, mũdi delicta acerbissimis lacrimis eluisse, omnesq; ad pœnitentiã vocasse, reges coarguisse, Herodis incestũ reprehendisse, pelices taxasse? denique anne arundinẽ imitari est, carcerẽ sustinere; compedes, vincula perferre, iudicib. sese sistere, coram carnifice non expallescere, demum supplicia non formidare. Hæc aliaq; agentem patientemque arundinem vento agitatam appellandum censebitis?

Ioannes non erat arundo. Arundo impiorũ nota.

Non erat, mihi credite, Ioannes arundo sterilis & infœcunda; sed arbor fructum copiosissimum proferens. Arũdo multas ob rationes, impiorum symbolũ est: primo quod inconstantiam denoret: secundo quod nõ in terra solida, sed vliginosa, palustri, cœnosaq; semper excrescat; quã peccator animum rebus terrenis & caducis affigendo imitatur. Tertio quod exterius quidem aliquam pulchritudinis habere speciẽ videatur, eo quod teres oblonga, glabra sit & viridis; sed emedullata sit. Peccator ad hunc modum extrinsecus aliquam quidem elegantiam morum, corporisque cultum præfert; sed anima virtutum medulla caret, meritaque nulla continet. At huiusmodi non erat Ioannes: anima enim illius redundabat virtutibus, gratiisq; locupletes erat, & corpus vitæ austeritate, gratum Deo sacrificium offerre satagebat. Hinc Christus, in laudibus eius pergens, ait: *Hominem mollibus vestitum.* Vidistisne, inquit, Ioannem in deserto videndo, purpuratum aliquem auro & gemmis coopertum, byssо & cocco rutilantem? nequaquam. nam in palatiis & laquearibus aureis hæ merces reperiuntur, desertũ huiusmodi ineptias inaniasq; non educat; & schemata hæc non eremicolas, sed aulæ mancipia decent.

Laudatur Ioannes ob vestiũ duritiem.

*Non est conueniens luctibus ille color.*

Dum vero Ioannem à vestium asperitate & habitus vilitate prædicat, aliorum, eadem opera, luxum superbiamque castigat. Dedit olim vestes Adamo Deus, non ad ornatum, splendorem, aut luxum sed necessitatem, vt nuditatem suam velaret. Stultũ igitur est in eo superbire, quod pudorem potius verecũdiamque ob protoplastæ præuaricationem incutere deberet. An nõ enim ille stolidus ac fatuus dicendus foret, qui ad mortẽ iam cõdemnatus, in aureo suspẽdi vellet patibulo, & byssino gemmatoq; laqueo constringi, & non nisi laute & pretiose mori? Maior etiam mundanorum dementia est, qui ob peccata sua morti ineuitabili adiudicati, omnes hasce inanias consectantur, vestem sc. auream & coccineam, quæ patibuli fortasse vices supplebit, & in qua emorientur, collare quoque aureum, torques & monilia, quæ laquei forsitan futura sunt, quibus strangulabuntur.

Mundanorum vesania.

Sapiens mortalium luxum coarguens, eosdem officij sui commonefacit dicens: *In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris.* Namvt stultum est, domũ putridam & fatiscentem, iam iamq; ruiturã auro depingere; ita non minus stolidus ille dicendus qui corpus hoc, quod post triduum aut quatriduum in terram descendet, atq; in cineres redigetur, superbis & preciosis vestib. exornat. Hinc apud Dominũ in corde gloriatur formosa illa Esther. *Tu scis Domine, quod abominer signũ superbiæ & gloriæ meæ quod est super caput meum in diebus ostẽtationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ.* Nos vero inde gloriam quærimus, vnde potius confundi deberemus; vestis enim peccatum inuenit: quamobrem qui ob easdem vult insolescere, maleficos imitari videtur, è stigmate & cauterio, quod maleficijs sibi suis acquisierunt, laudem & adoream quærentes. fanatici sunt igitur, & à mente alieni, qui è vestibus gloriam venantur. eque schemate confusis [illegible]rdum sibi manipulos colligunt.

*Eccl.11.*

*Esth.14.*

Nouerat hoc Ioannes Baptista, nouerat, inquam, quantum vestium luxus damnum animæ accerseret; idcirco è cameli pilis cõtextam zonam induit, vestes pœnitẽtiæ notas & symbola, assumpsit, atq; ideo à Christo laudari meruit. Propheta etiam, imo plusquam propheta, ab eodem nominatus fuit, quia & verbis & rebus prophetauit, quia ab Angelo prænuntiatus est, quia ab vtero matris prophetare cœpit, qui à prophetis originẽ ducebat, quia Prophetarũ regem ac Dominũ in Iordane baptizauerat; tum denique, quod

Ioannes plusquam Propheta.

quod suis ipse oculis vidisset, quæ alij nō nisi in spiritu præuiderant. Atque in hoc laudum præconiorumque eius finem faciemus, & simul hanc æquo prolixiorem concionem terminabimus.

Peroratio. Soluimus igitur iam difficilem hanc ac sublimem quæstionem, Auditores; ostendimus, Christum verum Messiam esse, Dei filium, ac mundi redemptorem; curnam igitur hæreticarum opinionum turbine quatimur, cur instar arundinis agitamur, denique cur in fide vacillamus? Cur SS. Trinitati, Iesu Christo Ioanni Baptistæ ac cæteris Prophetis non credimus? aut si credimus, cur quæ facienda præceperunt non facimus? quid ita torpescimus, desides & inertes sumus? quid tepescimus? quid ita in horas mutamur? Verum si Deum vestrum hoc Natali proximo recipere cupiatis, constantes estote, nolite instar arundinis ad omnem ventum moueri; pretiosis vestibus nolite insolescere; delicias & voluptates spernite. Vobis ipsis prophetæ estote, animæque vestræ aduentum Domini ad iudicium denuntiate.

Mittite, inquam, si peccati vinculis grauati estis, ad Christum duos discipulos, intellectum & volūtatem, & orate, vt surditatem, cæcitatem, alioſq; defectus, quos peccatum inuexit, auferat, & omnes mortales euangelizētur. Sensus, inquam, vestros, cogitationes, voluntates, & opera, è mundo hoc ex inuia hac solitudine, ad Regem gloriæ, regem inuisibilem & immortalem destinate; & è mundi huius cauernis, & vitæ carceribus ad cœlum, vbi Christus est in gloria Dei Patris, in quo omnis spes nostra terminatur, desideria legate.

Quamobrem miserere nostri mundi Redemptor Christe, Messia ab omnibus expectate, misericordiæ fons & origo, afflictorum solamen, reorum asylum, miserorum refugium, nosque in gremium benignitatis tuæ excipe. Mundus hic, eheu! tyrannorum more in nos sæuit, & Herodes est nobis; caro autem, noua quædam Herodias: ambo nos persequuntur, captiuos detinent, instar mancipiorum nos habent, salutis nos nostræ amittendæ periculum adire cogunt. Tu autem defende nos Domine, rerum nostrarum patrocinium suscipe; tu inquam qui tot edis miracula, cæcis visum, surdis auditum, paralyticis membrorum vsum, mortuis vitam restituis. Dona, inquam, vitam tot miseris peccatoribus, lumen mentis tot rudibus & in ignorantię tenebris versantibus, auditum tot peruicacibus & surdis, qui nullum consultorem admonitoremque cupiunt admittere, tot etiam per errorū deuia vagantes in rectam semitam reducito, eque siluescente hæreseon via, ad veritatis tramitem compelle. Hæc scilicet Messiæ venturi signa sunt & characteres, ac certissima vitæ æternæ obtinendæ media, ad quam perducere nos dignetur mirabilium horum opifex Deus, Amen.



## DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

Partes.

1. *Cognitionem sui esse quam maxime necessariam.*
2. *De legatorum & mittentium ignorantia affectata.*
3. *De ignorantia Magistratus noxia Reipubl ac de vitiis mundi.*
4. *De voce clamantu.*
5. *De modestia Baptistæ.*
6. *De amore solitudinis, & carnis mortificatione.*

*Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum: Tu quis es? &c.* Ioan. 1.

### FIGVRA.

DEVS, cum, immorigero Saule reiecto, nouum Israëli regem dare constituisset, Dauidemque pastorem ad id selegisset, Samuelem in Bethleem ad Isai legauit, vt ex filiis eius vnum in regem vngeret. Propheta igitur cum in Bethleem venisset, & Eliab filiorum natu maximum, proceræ staturæ virum, generosum, cordatum, regnoque digna præditum forma vidisset, hunc à Domi- 1. *Reg.* 16.

no sceptro destinatum putabat, ac parum abfuit, quin eum in regem Israël vngeret. Sed diuinitus mox inspiratus, longe alium à Domino prædestinatum cognouit, Dauidem scilicet, qui patris sui gregem in agris custodiebat. Simile quid in hodierno Euangelio aduertere videor: idem enim Deus, regno Israël iam extincto, cum nouum in Iudæam regem mittere, in Messiæ habitu, decreuisset, quod ab omni æternitate in Iesum Christum filium destinarat, synagogæ, prophetarum matri illius denominationem commisit; quæ hodie Zachariæ domum vel Iudaici populi, si vultis ingressa, è qua Messiam hunc & regem nasciturum sciebat, in Ioannem Baptistam oculos coniecit, omnium sanctorum natu primum, prophetarum maximum, virum etiam angelicæ puritatis, cœlitus eruditum, zelo verbi Dei accensum, virtutibus decoratũ, vitaq; admirabili: quin & legatos eius cognoscendi ergo destinauit. Putat enim hunc, & non alium, Messiam in lege promissum esse, & hoc eum nomine suspicit & veneratur: sed Deus errare eam demonstrauit, cum nõ Ioanni, sed Christo, Dei filio, qualitates has attribui debere, atque hunc, & non Ioannem, vt regem colendum & Messiam adorandum esse ostendit. Præsenti hoc latius concione deducendum est, dum Spiritum nobis paraclitũ auxilio, Deiparam sua apud filium intercessione adfuturam confido: quam idcirco omnes angelica salutatione affabimur: *Aue Maria.*

I. Lacedæmoniorum rex Pausanias, cum Simonidem philosophum rogasset, vt sibi dignum aliquod dogma, q̃ semper præ oculis haberet, traderet ait vir sapiens: Hominem te esse memento, Domine rex. Innuere volebat nullum esse dogma subtilius, nullumq; sublimius, aut homini ad salutem magis necessarium, q̃ exactam sui ipsius cognitionẽ.

*Plut. in apophtheg.*

Hoc cum probe perspectum haberet Philippus Macedo, sciretq; quãtum assidua huius rei recordatio vtilitatis, ac præsertim Principibus & regibus afferret; quotidie sibi ab aliquo mortis memoriã refricari volebat, & miseræ conditionis suæ admoneri. Mane siquidem thalamum puer ingressus dicebat: Mortem ob oculos habe, rex amplissime, fragilitatis & originalis vtilitatis tuæ nostr obliuisci, & imprimis memento hominem & mortalem te esse. Eliphaz quoque Themanites, vnus ex amicis Iob, cum aliquod aduersus grauissimum hominum morbum, id est, peccatum, antidotum quæreret, tandem ait: *Visitans speciem tuam non peccabis.* Significare volens, suiipsius cognitionem, & diligentem naturæ propriæ discussionem, præsentissimũ aduersus omnia peccatorum genera antipharmacum esse, nihilq; homini vtilius, quam si interdum esse suum examinet, naturam & originem ad trutinam vocet, dari posse. Quod ethnici ipsi etiam non ignorarunt, cum tanti semper Chilonis hanc gnomam fecerint, quam & oraculi loco duxêre: *Nosce teipsum.* & Poëta quidam paraphrastice exposuit dicens:

*Iob. 5.*

Suiipsius cognitio peccata tollit.

*Noscere se Chilon Spartanus quemq; iubebat.*

Apud ipsos etiam barbaros, imo & Turcas, suiipsius cognitio magni fieri consueuit. Solenne quippe est Torlacis, qui instar Religiosorum apud eos habentur, quotiescunq; per plateas incedunt, ingentia specula manibus gestare, & obuios quosq; hortari, se vt in ijs intueantur, vt visa in speculo, fragili corporis imagine, fragilis & vilis conditionis suæ recordentur. Plurimi quoq; eam fecit Religiosus Bern. vt diceret: *Præstat scire teipsum, quam si te neglecto, siderum cursus, vim herbarum, & omnium cœlestium & terrenorum naturas tenueris.* Estque profecto non exiguum stultitiæ humanæ argumentum, cœlestes influxus, & terræ naturam intelligere, seipsum vero ignorare.

Turcæ seipsos studeant noscere.

*In meditationib.*

Ante Bernardum Clemens Alexand. suiipsius cognitionẽ scientiarum omnium magistram, omniumq; disciplinarum esse pulcherrimã ac præcipuam dicere non erubuit. Et bene quidem: nam si iuxta Aristotelem, scientiæ dignitas petatur ab obiecto; adeo vt si ipsum nobile vel ignobile sit, ipsa quoq; sublimis vel mechanica sit: homo profecto cum omnium subiectorum primum ac præcipuum sit, imo totus regius, ipsa q̃ sui habet cognitionem, omnium cognitionum prima est, & principẽ inter omnes locum obtinet.

*Lib. 3. pædag.*

Hinc non erasse mihi visi sunt veteres, eũ exprimere volentes quantũ suiipsius cogni-

Suiipsius ignoran-

tio

tia noxia est.

tio emolumenti, & ignorantia è contra detrimenti afferret, sphyngis eam specie depinxére; qua nullum tetrius ac monstrosius monstrum natura produxit; quippe quod iuxta Ausonium

*Volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.*

quam picturam Alciatus egregio emblemate complexus est:

*Embl.187.*

*Quod monstrum id? sphynx est, cur candida Virginis ora,*
*Et volucrum pennas, crura leonis habet?*
*Sunt quos ingenium leue, sunt quos blanda voluptas,*
*Sunt & quos faciunt corda superba rudes.*

quod ipsum hoc tandem concludit epiphonemate:

*Primáq; prudentis laurea, nosse virum:*

Cordati scilicet atque generosi viri esse seipsum cognoscere.

*Cant.1.*

Suggessit hoc ipsum sponsæ suæ dilectus ille in Canticis, vtque se agnoscereret auctor fuit: *si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres; egredere, & abi*, quod duplici modo intelligi potest: primo in bonam partem, perinde ac si dixisset: Pulchra es amica mea, atque omnium mulierum decus & ornamentum verum ad perfectionem & decoris tui complementum, voluptatisque meæ absolutionem, velim te, visis auditisq; dotibus tuis, non efferri, aut fastum aliquem induere, sed humili tui ipsius cognitione profundam humilitatem præ te ferre; quam si nõdum consecuta es, mundo paulisper egredere, hominum consortia euita, ac procul à te, imo iuxta te, sublimem hanc Philosophiam inquire. Secundo, in partem deteriorem, quasi contemnentis reijcientisq; sit oratio; perinde ac si dixisset: Etiamsi Helenam ac nymphas pulchritudine antecederes, te ipsam tamen nequeas agnoscere amare te, aut singulari affectu prosequi haud possum; quamobrem propipe te procul hinc & abi, indigna quæ à me ameris. Atque hinc vobiscum dispicite quam animæ noxia sit suæ ipsius ignorantia.

*Isai.3.*

Inter cætera quæ in Ierosolymorum excidio ablaturum se comminatur apud Prophetam Dominus, erant & specula: *In die illa*, inquit, *auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & specula, & sindones, &c.* speculum porro cognitionis sui insigne est; quod dum se Dominus ablaturum comminatur, quid intendit aliud, quam grauissima se in peccatores castigatione animaduersurũ, ablaturum scil. media quibus seipsos agnoscant, atque ita ferarum ritu eosdem victuros?

*Exod.3.*

Econtra inter cætera Tabernaculi ornamenta, voluit Deus labrum & anteriorẽ altaris partẽ è speculis mulierum concinnari. Quod profecto mysterio non vacat, vt scilicet sacerdotes cum ad immolandum accederent, in speculis seipsos intuẽtes, intrinsecum quoque animæ statum considerarent, itaque sui ipsorum notitiæ assuescerent.

Et quoniam speculorum mẽtionem fecimus, cur putatis Sapiẽtiam æternam, speculo potissimum comparari voluisse: *Candor est enim lucis aeternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Vt nos nimirum edoceret, vnam & veram sapientiam esse suiipsius cognitionem, & ex Euangelio hodierno asseri potest, in quo legim⁹ à synagoga ad Ioannem legatos missos, qui interrogarent eum, *Tu quis es?* Quod hodie expositurus, primo legationem describam, ac deinde quid Ioannes responderit, aperiam.

*Ioan.1.*

II. Legatio hæc excutitur.

Principio igitur cum oculos in hanc legationem coniicio, firmiter mecũ statuo, nullam me vnquam vidisse vel audiuisse, q̃ cum hac, quacumq; ex parte eam intueamur, vel dignitate vel auctoritate comparari queat. Primo enim, qui legati sunt, sacerdotes sunt & Leuitæ, cultui diuino mancipati quos omnis Iudæa reuerebatur & colebat. Locus è quo legantur, ipsa Ierosolyma est, totius Iudææ caput & princeps, in qua & summi Pontifices sedem, & reges solium fixerant, in qua templum & locus sacrificij, in qua denique Conciliũ septuaginta Iudicum, q̃ Sanedrin appellabant, stabilitum erat: Legantes ipsi Iudæi sunt, à tribu Iuda originem & nomen ducentes: quin & Iudæorum principes, ad quos præcipue huiusce rei disquisitio spectabat, eo quod ex stirpe Iuda Messias nasciturus esset. Legationis causa & caput hoc est, scire volebant, num Ioannes Messias esset, filius Dei, deniq; mundi redemptor.

Cur sacerdotes missi sint, & non scribæ, & legis Doctores?

Miserunt itaq; sacerdotes & Leuitas, non autem Scribas & Rabinos, eo quod Ioannes è stirpe sacerdotali, & progenie Aaron descenderet, filius scilicet summi sacerdotis Zachariæ. Ideo sacerdotes mittunt, veluti sanguine & cognatione coniunctos: Religiosos & sacrificos, quia legatio hæc religionem & sacrificia respiciebat, vt quæ de promissorū diuinorum adimpletione, de oraculorū veritate, ac de summi illius sacerdotis in mundum aduentu ageret. Ierosolymis quoq; venerunt, quod in illa ciuitate & lex & religionis cultus potissimum vigeret, Messias quoque exspectaretur, & tempus aduentus eius iam instare certum esset: defecerat siquidem iam sceptrum de Iuda, vt Genesi prædicitur, & dux de femore eius: hebdomades quoque Danielis iam completæ erant, omnia deniq; oracula, mysterium hoc innuentia, iam finem acceperant. Audiamus quid dicant: *Tu quis es? Elias es? Propheta es tu?*

*Gen.49.*
*Dan.9.*
*Ioan.1.*

Cur Iudæi crederent Ioannem Christum esse & Messiam.

1.

2.

3.

4.

Non deerant autem rationes, eæque prægnantes, quibus Iudæi impulsi, crederent Ioannem Messiam esse. Ipsius imprimis natiuitas, quæ variis insignita fuerat miraculis: vtpote, qui è matre sterili & decrepita, & patre sene nullosq; liberos exspectāte natus esset; cuius in cōceptione pater mutus effectus, in circumcisione loquelam recuperauit: quæ omnia præter communem nascendi consuetudinem acciderunt. Deinde nomen, quod gerebat, nouum penitus, & quale nemo in cognatione eius hactenus gesserat. Denique omnia in eo ita eminebant & singularia erāt, vt omnes, visis tot prodigiis admirantes, ac velut horoscopum illius intuiti dicerent: *Quis putas puer iste erit?* *Luc.1.*

Tertio, vitæ illius ratio: nam ab ipsis cunabulis, & iam inde à quinto ætatis anno vitam plane duxerat admirabilem, tanta in deserto austeritate viuens, quanta ante eum nemo, ac nouo habitus genere vestitus. Esca eius erāt locustæ & mel siluestre: vestis exuuiæ ac pellis cameli: lectus, antra & cauernę: eiusque deliciæ, singultus & lachrymæ: vt de ipso scriptum sit: *neque manducans, neque bibens* Quarto, ipsius baptizādi ratio: ad ripas enim Iordanis obuios baptizabat, quod nullus ante eum Prophetarum, ac ne Moses quidem facere ausus fuerat. Quin & è sacra Scriptura, Prophetarumque oraculis discere poterant, Messiæ tempore Baptismum aquæ in vsu futurum: dixerat siquidem Ezechiel: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* *Matth.11.*

*Ezech.36.*

Cur Iudęi Christum negarint Messiam esse?

1.

2.

3.

Quin & à patre Christi multa reperire erat, quibus Iudæi induci possent, quo minus eum vt Messiam susciperent, & Ioanni potius tantam dignitatem attribuerēt. Primo, putabant eum Galilæum, & in Nazareth natum: nam nesciebant eum in Bethleem Iudę natum esse, quin & dum ad mortem condemnarent, Nazarenum putauerunt: in titulo namque cruci superpōsito scriptum erat: *Iesus Nazarenus.* Ipse quoq; doctor legis Nathanael, cum eum Messiam esse cognouisset, statim subintulit admirabundus: *A Nazareth aliquid boni esse potest?* quin & Ioannis septimo dixisse scribuntur Iudæi: *Scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.* Secundo, omnes eum vt indoctum, rudem, mechanicum, abiectumq; habebant, ideoque ad inuicem dixere: *Nonne hic est faber filius?* Ioannem vero Baptistam honesto loco natum, sacerdotali stirpe progenitum sciebant. Tertio, Christi agendi ratio à ceterorum hominum ratione non differebat, qui nimirum cum peccatoribus & biberet & manducaret, & familiarē sese omnibus exhiberet, quippe qui nullum adhuc apud homines nomen acquisierat, néve vlla miracula ediderat. Quarto, ipsius conceptio & natiuitas à ceterorum natiuitate & ortu nihil omnino differre videbantur, nullaq; continere singularia, nec Messiæ dignitati respondere. Videte igitur, quantum in iudicando mūdus fallatur, quantum in iudicijs cæcutiat, aut potius quanta illius peruersitas sit: sed adi lineam: *Tu quis es?* *Matth.13.*

*Ioan.7.*

*Ioan.1.*

Ingens Iudæorum stupiditas.

*Isai.7.*

*Ibid.*

*Micha.5.*

O stupor & crassa ignorantia! quis legit vsquam aut vnquam, Messiam Ioannis nomine appellandum, an non in Isaia legimus: *Nomen eius Emanuel.* Vbi nam didicistis, matrem eius fore vetulam ac decrepitam? nonne apud eundem Prophetam legere est: *Ecce virgo concipiet & pariet filium* Vndenam colligunt, Ierosolymis eum nasci debere? an non in Michæa proditum est: *Et tu Bethlehem*

*Isai.35.*

*Sap.6.*

*Plato lib. de rep.*

*Psal.82.*

*Psal.81.*

*Isai 29.*

*Nem non et minima in principibus Iuda.* Quis docuit eos, è sacerdotali eum stemmate descendere debere? nusquam hoc credo reperient: at potius pluribus è locis: & præsertim quadragesimo nono Geneseos capite, manifestum fieri potest, è tribu Iuda eũ nasciturum, Ioannes deniq; nulla edidit miracula, Messiam verò plurima patraturũ Scripturæ loquuntur: *Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.* Magnus igitur horũ stupor fuit & hebetudo.

III. Ignorãtia noxia reipubl. in administratorib.

Hic colligere vos velim, qui ad Reipublicæ gubernacula sedetis, & penes quos est regimen prouinciarum, quam noxia sit & damnosa ignorantia, dũ in vobis reperitur, qui aliorum debetis saluti inuigilare, qualis in doctoribus & legisperitis ciuitatis Ierosolymitanæ apparuit, dum populo persuadere conantur, Ioannem Messiam esse. quod tamen impium est, & multos secum trahens errores; hinc in Sacris literis Spiritus sanctus loquitur: *Diligite lumen sapientiæ omnes qui præestis populis.* Innuere volens, eum, qui aliis præest, & Reipub. curam habet, scientia & doctrina excellere præ cæteris oportere.

Idcirco Princeps ingenij ac doctrinæ Plato tum demum beatas fore resp. aiebat, dum qui eas regerent Philosophiæ incumberent, aut qui eidem incumbunt, earum gubernaculo admouerentur. Et profecto vt summa rerumpublicarum felicitas ac beatitudo est, dum à viris sapientibus & rerum cognitione pollentibus reguntur: ita summa earum pernicies & exitium, dum imperiti, stupidi & bardi ad earum sedent gubernacula: Rectorum quippe ignorantia vniuersi regni statum euertere, & penitus perturbare potest: quod Psalmographus innuit, dicens: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.* Hyperbolica hæc, fateor, locutio est, sed quæ aperte significet ignorantiam & stuporẽ rerumpublicarum gubernacula tenentium; omnia commouere, ipsa quin etiam terræ fundamenta concutere.

Venit mihi hic in mentem præclari respõsi Diogenis Cynici: hunc cum, Laërtio teste, in mortis articulo versaretur, & ad vitæ extrema peruenisset, amicus quidã solaturus, obsequiaq; sua oblaturus, inuisit. Perspecta animi beneuolentia Diogenes, rogauit, vt eo quo viuum dilexerat, & mortuum affectu prosequeretur, cadauer scil. terræ mandaret, suiq; vita functi curam gereret, & imprimis, vt contra communem sepeliẽdi ritum, pronum sepeliret. Quod cum amicus ille admiraretur, Diogenemque insanire putaret, rationem cur secus ac cæteri mortales sepeliri vellet petiit: cum alij supini facie ad cœlos conuersa sepeliantur, oculis nimirũ eo post mortem directis, quo viuentes spem animumq; direxerant. Diogenes constare sibi sensus & ingenium demonstrans, ait insanire putas solennia me? erras: nam maturo adhuc iudicio & sensibus sibi constantib. tecũ ago. Hoc autem modo sepeliri cupio, quod sciã miseriã Athenienſium remp. atq; adeo vniuersam Græciam, à bardis & stupidis, suoq; indignis officio, administrari: vnde futurum auguror omnia propediem pessum itura, rerumque publ. statum sursum, deorsum euertendum. Atq; vt nauis dum naufragium patitur, inuertitur, fundusq; & carina sursum cœlum respiciunt, malo & velis mari immersis: ita quoq;, dum misera hæc patriæ nostrę euersio cõtinget, miserum Hocce corpusculum tumulo inclusum, sursum deorsum vertetur, ac tunc oculi, quos pnos modo sepeliri volo, supini erunt, & facie supero versus conuersa, euidenter apparebit, cæterorum me hominũ more sepultum fuisse. Dignum Diogene factum, ac Scripturæ sacræ vsquequaq; respondens: *Mouebuntur fundamenta terræ:* quin & egregiũ documentum, quo manifestum fiat, quantum ignorantia mali soleat afferre.

Populum suũ castigare volens Deus, cæcos se Prophetas & Principes missurum ait: *Quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis, claudet oculos vestros, prophetas, principes vestros, qui vident visiones, operiet.* Cæcutire autem, oculisq; destitutũ esse, an non euidens ignorantiæ symbolum est? cum vero Dominus Prophetis se & Principibus oculos clausurum cõminatur, insinuat ciuitatibus & regnis, se rectores, qui eorum oculi & lumina sunt, ignorantes, quique nulla rerum cognitione præditi sunt daturum, quo nihil orbi euenire potest funestius ac calamitosius.

*Exod.10.* Vna ê præcipuis Ægypti plagis fuit caligo, & tenebrarum illa denſitas, qua fiebat, vt vnus alterum cognoſcere non poſſet. Tenebræ autem, ignorantiæ hieroglyphicum ſunt; nulla autem maior aut deterior regno calamitas poteſt accidere, quam cæcutientes, inq; tenebris, quoad rerum cognitionẽ palpantes reges & præfectos nancifci: præſertim cum tantus illorum ſtupor eſt, vt nec ſeipſos nec alios ad reip. ſtatum regendum, regnumq; adminiſtrandum queant cognoſcere. In hac ignorantia verſati ſunt Iudæorum principes & magiſtratus, dum populo ſuadere conantur, creaturam, creatoris: præcurſorem, Meſſiæ functionem & nomen accepiſſe: atque ideo Sacerdotes ad eum hodie delegant qui petant: *Tu quis es?*

*Ioan.1.* Omnes cupiunt alios non vero ſeipſos cognoſcere.

Graphice hic impiorum ac ſceleſtorum ingenium deſcriptum video, qui ſeipſos conditionemque ſuam obliti, nunquam dicunt: *Quis ſum ego?* ſed aliorum vitam curioſius indagantes, interrogant, quotidie, *Tu quis es?* Deplorandum profecto, tantam hominum animis cæcitatem inſidere, vt, dum aliorum vitia tam acute peruideant, in propriis defectibus perſpiciendis talpa cæciores ſint: vt in vicini vitam curioſius inquirant, propriam vero penitus negligant. Et vt oculus, naturę ille explorator, omnem in partem circumſpiciens, omniaq; explorans, ſeipſum intueri & explorare non poteſt: ita impij omnia ſpeculantes rimanteſque omnia quidem proximorum acta inquirunt & diſcutiunt, quid vero in domo propria agatur, cernere nequeunt aut nolunt.

Inſignis comparatio.

Et vt qui amplam ac bene inſtructã, optimoq; ſitam loco domum habet, raro in publicum aut foras prodit, quod quidquid alibi videret, domi habeat ſuæ: qui vero deformes aut anguſtas ædes incolit, ſæpius in forum & compita egreditur, alienasq; ædes adit, quod domi ſuæ nihil ad guſtum ſit, omniaq; tædium ac nauſeam pariant. Ad eundem modum quicunque conſcientiam, domus inſtar bene ornatam & varia virtutum ſuppellectile inſtructam habet, in eadem requiem inueniet, raro egreditur, aliorum vitam diſcuſſurus: at impius & peccator, cui conſcientia loco carceris & eculei eſt; anguſtias has pertæſus, foras prorumpit, proximorumque per habitacula officiaque obambulare geſtit.

Lamiæ mirabiles.

Eſſe tradit Plutarch. Lamias, quæ domi ſuæ nihil omnino videre queant, & ſua habitacula ingredientes oculos ſeponant, reſumentes dum in publicum prodeunt. Hoc quidem fabuloſum eſt: hinc tamẽ moralem hũc elicere ſenſum poſſumus: reperiri nimirum homines, qui ſeipſos inſpecturi, oculos quodammodo exuant, inque anima propria nihil omnino cernant: ſed foras prodeuntes, eoſdem reſumant, inque aliorum vitiis conſpicandis acutius videant, quam aut aquila aut ſerpens Epidaurius. Exemplo ſint Iudæi, qui in propriis rebus cæcutientes, mores, agendi rationem, vitamq; alterius inquirere geſtiunt, dicentes: *Tu quis es?*

*Ioan.1.* Mundus, in titulos potius quam merita inquirit.

Superba profecto & peregrina interrogandi ratio: ſed mundo tamen familiaris: qui nimirum in nomina potius, titulos & qualitates, quam virtutes meritaque inquirat: potius, maiorum imagines & ſtemmata, auorumque facinora heroica, quam virtutum bonorumque operum teſtimonia examinet. Peruerſam hanc conſuetudinem perſpectam habebat Moſes, cum à Deo ad populi liberationem miſſus, ſtatim ait: *Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis?* *Exod.3.* Nomen ſolum interrogat Moſes, virtutes potentiæque opera ne nominat quidem: ſciebat enim Iſraëlitas nominum, quam virtutum ſtudioſiores eſſe.

Hinc etiam optimates Saul, vanitati huic aſſueti, cum Dauidis adoleſcentis animoſitatem ac robur vidiſſent, dixere: *De qua ſtirpe eſt hic adoleſcens?* *1.Reg.17.* anne nobili natus familia? An non niſi inuidiæ ſtimulis concitati hoc petebant: omnibus quippe iam notus erat Dauid, vtpote qui in Saulis palatio multo iam tempore egerat: at magis eum virtus ac fortitudo: præſertim Goliatæ cædes, leonis & vrſi proſtratio, quam domeſtica nobilitas, imaginesque maiorum commendabat. Pluris tamen hæc quam illa aulici faciebant.

Hinc etiam factum eſt, vt Pharao nõ mediocriter, viſo patre & fratribus Ioſephi, gauiſus fuerit. Ægyptij enim, teſte Lirano, non

æquo

æquo animo Ioſephum ferebant, quippe quem è ſeruitute & carceribus ad regiam propemodum dignitatem euectum cernerent: ideoq; imperio illius parere, iuſſiſq; obſequi detrectabant, hominis nimirum noui, peregrini & obſcuro loco nati. At mox vt patrem illius ac fratres in Ægypto videre, vnde eum è magnis Patriarchis, Principibus terræ Chanaan originem ducere coniiciebant, libentiſſime ei obſecuti ſunt. ipſe quoque Pharao ingentem animo lætitiam concepit. Eadem hodie inuidia flagrant Iudæi: Chriſti enim paupertatem humilitatemque perſpicientes, Meſſiæ eum nomine indignũ putant, Ioanni prodromo id ipſum potius attribuentes, quem illuſtri familia prognatum, nobilibuſq; ortum parentibus notant: ideoq; petunt: *Tu quis es?*

*Ioan.1.* Iudæi Ioannis ſanctitatem admirantur.

Perinde ac ſi dicere voluiſſent: Quis es tu, qui à tanto iam tempore pœnitentiam in deſerto agis? qui ſuper nuda, feſſa & exhauſta membra reclinas? qui nonniſi ſuſpirando loqueris? qui nonniſi cum beſtiis agis, & herbis ſilueſtribus victitas? ſupra communem rerum ordinem oportet, nec vox ſolum hominem ſonat: quamobrem neceſſe eſt, te vel Chriſtum, vel Eliam, aut vnum è veteribus Prophetis eſſe. Iſraëlitæ cum manna cœlos emiſiſſe cernerent, admirantes dixere: *Man hu? quid hoc eſt?* quis ſimile vidit vmquam? Idem omnino Iudæi, viſo Ioanne in deſerto Palæſtinæ, dicere ſatagunt: *Tu quis es?* Monſtrum ac portentum es ſanctitatis, Iudææ noſtræ gloria, hominum ſtupor, ac totius mundi miraculum, adeo vt Meſſiæ nomine dignus cenſearis: *Tu quis es?*

*Exod.16.*

*Ioan.1.* Adulatio & detractio malæ belluæ.

Interrogatus olim Diogenes, quænam inter omnes belluas viderentur eſſe crudeliſſimæ: reſpondit, adulatores & detractores: hos ipſos autem hodie ad Prophetam noſtrum video accedere, eumque inuadere, adulatio quippe Meſſiæ dignitatem illi offert, cum omnibus qui eandem ſequebantur titulis: quam cum ille totis à ſe viribus repuliſſet, alia longe ferocior & crudelior eundem aggreditur, Phariſæorum ſcilicet murmuratio & maledicentia, dicentium: *Quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neq; Propheta?* Nouus profecto Daniel Ioãnes eſt in mediũ ferarũ & animaliũ cõiectus, audite vt rugiãt, & fremãt: *Tu quis es?*

*Ioan.1.* *Dan.14.* *Ioan.1.*

Notate hic impoſturam & fucum Rabinorum ac ſynagogæ principum, qui Dei filij ac Meſſiæ honorem fingunt, in Zachariæ filium congerunt. Ad imitationem ſcil. mundi huius, qui multa quidẽ promittit (quamuis à parte rei nihil ſubſit,) nihil autem largiri poteſt, quod non aliis prius eripiat, ac vi quodammodo per nefas extorqueat: in quo Samſonem imitatur, qui triginta ſociis veſtes pollicitus, easque exſoluere non valens, hoc artificio & technis vſus eſt, triginta nimirum Philiſthæos obtruncans, eos veſtibus ſpoliauit, quas deinde ſociis ænigma ſoluentibus, tradidit: ita & mundus: hos enim denudat, vt illos veſtiat, diuites exſpolians, pauperes ſublimat & locupletat, honoremque aliis eripiens, aliis plena manu offert. In hunc modum Phariſæi honorem Chriſto debitum Ioanni deferunt, & aiunt: *Tu quis es?*

Mundus fallax eſt.

*Iud.14.*

*Ioan.1.*

Ampla myſteriorum his in verbis ſeges deliteſcit. Apparet namq; in primis pontificum & ſacerdotum inuidia, dum ægre ferunt Ioanni Chriſtum prælatum, maioreq́ue honore affici. Secundo ipſa ambitio & honorum ſitis, qua Iudæi grauiter laborantes, indignum exiſtimant, Chriſtum, exterius vilem & abiectum, Meſſiæ honore & dignitate ab omnibus coli, & vt Deum ſuſpici. Tertio, populi huius inſania, qui non niſi nouitates confectetur, omnemque varietatem ac mutationem diligat: nolunt Chriſtum vt Meſſiam agnoſcere, quod in verbis blandus & benignus eſſet, inq; vitæ ratione temperatus: at Ioannem vt talem agnoſcũt, qui in deſertis clamabat, vitamque rigidam ducebat. Vulgus igitur inconſtans ac mobile eſt, omniq; vento circumagitatur.

Infinita hic myſteria latent. 1. 2. 3.

*Tu quis es?* Hic curſum ſiſtite q rebus ſpiritualibus incumbitis: hæc quæſo, contemplando accuratius diſquirite: diſpicite, inquam, quanti Ioannem Chriſtus fecerit, cũ tam validis eũ tentationũ ictibus exponat, dum vt Meſſias à Iudæis habetur, quẽ etiam Deum eſſe oportebat. Notate quin etiam verſutiam Satanę & aſtum, vt nimirum perſonas digniores ſemper aggrediatur & oppugnet.

*Ioan.1.*

pugnet. An non Adamum quoad diuinitatem tentauit, dicens: *Eritis ſicut dij?* Chriſto omnia mundi regna in deſerto monſtrauit? & hodie Ioannes Meſſiæ dignitate, vt ſuperbiat, efficere conatur: *Tu quis es?*

*Gen.3.* *Matth.4.* *Ioan.1.*

Cum Iſraëlitæ à Propheta Samuele regem poſtulaſſent, qui eos in pace regeret, ac belli tumultibus tueretur, & qui pugnantes duceret ac præcederet: tandem voluntati eorum morem gerens, Saulem capite & ceruicibus altis inter omnes prominẽtem, eis in regem vnxit. qui licet forma digna imperio eſſet & cõſpicuus, fuere tamen filij Belial, detractores & maledici qui conſpiratione inita inter ſe dixere: *Nũ ſaluare nos poterit iſte?* & deſpexere eum velut vnum de triuio, ac regia dignitate indignum, atq; alium, ſi quidem potuiſſent, in regem adoptaſſent. Idipſum hodie in Euangelio noſtro contingere video. Is ipſe namq; populus ſæpius à Deo, (cuius Samuel figura erat) regẽ poſtulauit, & per Prophetas enixiſſimè regem illum deſideratum cunctis gẽtibus, Chriſtum, inquam, ac Meſſiam exoptauit: quem temporaliter regnum adire, ac populo præeſſe, eumq; ab omnibus gentibus defendere debere ſperabant, quod tamen ſpiritualiter abunde præſtitit. Plures ſiquidem Prophetæ hunc à Deo regem contenderunt, vt in primis Moſes, *Domine, mitte, quem miſſurus es*: & poſt illum Iſaias: *Mitte agnum Domine Dominatorem terræ*: & Dauid quoque non minus, *Domine inclina cœlos & deſcende*: aliique innumeri auctoritate & ſanctitate conſpicui. Quorum omnium precibus ac votis Deus annuens, regem quem tantopere deſiderabant, illis deſtinauit Ieſum Chriſtum: qui in mundi huius medio conſtitutus, non ſecus ac Saul, eminebat, caput ſuper omnes omnino homines efferens, atq; vniuerſos dignitate tranſcendens. Nam etſi in quantum homo, à cæteris mortalium non differret (licet à peccato penitus liber foret & immunis) tamen in quantum Deus, omnes ſuperabat, & cæteris eminebat ſublimior. Quo alludens in epiſtola Apoſt. ait: *caput autem Chriſti Deus*. Quod autem Sauli in regem electo accidit, idipſum & Chriſto contingere hodie videmus: filij enim Belial, impij ac maleuoli eum deſpiciunt ac vilipendunt, fabri filium nunc cupientes, qui in principe dæmoniorum eijciat dæmonia, quique eos regere ac defendere à periculis nequeat. Ideo cum vt caput & principem agnoſcere nolentes, Ioannem Baptiſtam adeunt, eumq; vtrum regnum capeſſere velit interrogant, illiuſque ſententiam emungere conati aiunt, *Tu quis es?* Hæc ſilicet ſumma ac medulla legationis huius eſt: iam vero videndum reſtat, quid legatis Ioannis reſponderit.

*1.Reg.10.* *Exod.18.* *Iſai.1.* *Pſal.143.* *1. Cor.11.*

IV.

Cum ſacerdotes hi ac Leuitæ, à ſynagogę principibus deſtinati, legationem ac cætera quæ in mandatis habebant expoſuiſſent: his Ioannes verbis reſpondit: Quiſnam ipſe ſim neminem veſtrum latere exiſtimo: qua domo natus, qua ſtirpe progenitus omnes nouiſtis: Zacharias mihi pater eſt, mater autem Eliſabeth, qui in medio veſtrum in mõtanis Iudææ commorantur, & inter cognationis meæ primos numerantur. Scitis adhæc, quo tempore vrbe egreſſus ſim, mundo valedicens, quo in deſertum hoc quietis & contemplationis ergo ſecederem, corpusq; hoc affligerem. atque ſi hanc me vitæ rationem hactenus ſeruaſſe vidiſtis, in rupibus concionando, viam cœlum verſus demonſtrando, ac populi delicta corripiendo, Neminem etiam fugit, de tribu Leui me eſſe, & de progenie Aaron, ad quam ſummum Pontificium diuino iure ſpectat; Cur autem hodie me adieritis petitum, quiſnam ſim, penitus ignoro: tamen vt libere reſpõdeam, voſque ſuſpenſos ab omni dubitatione liberem, dico me nec Meſſiam, nec Moſem, nec Eliam, nec aliquem è Prophetis eſſe; at *ego vox clamantis in deſerto*. Perinde ac ſi dicere voluiſſet: Scire à me vultis, vtrum ille Elias ſim, de quo in antiquis Regum annalibus: aut magnus ille Prophetes, cuius meminit liber Deuteron. ſæpius quippe in ſacris literis, vtrumq; hunc ante finem ſęculorum in mundum venturum legiſtis. at non cogitatis, alium adhuc in iiſdem literis promitti, idque circa tempora aduentus Meſſiæ: de hoc locutus eſt Iſaias, cùm ait: *Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini*: de me autem ibi Propheta, & non de alio, locutus eſt.

Ioannis reſpõſum. *Ioan.1.* *Ioan.1.* *3.Reg.17. 18.19.* *Deut.18.* *Iſai.40.*

Eſt forſitan vox illa, cuius Pſaltes meminit,

*Psal. 28.* nit, *Vox Domini super aquas multas*: eo quod Ioannes nõ procul à Iordanis ripa concionaretur, magnaque flumina eius prædicationibus assueſcerent. Vox illa *in virtute & magnificentia*, quæ per deſertum roborat, milites ſono ſuo percellit, & Herodi metum incutit: *Vox præparantis seruos*, peccatores ad vitæ melioris ſemitam reuocat: *& reuelabit condenſa*, qui nimirum filium Dei, ſub humanitatis noſtræ tegmine latitantem, digito mõſtrauit ſuo dicens: *Ecce agnus Dei.*

*Ioan 1.*

*Ariſtot. lib. de interpret.* Ad hanc vocem ſiſtite curſum Philoſophi, veſtraq; huc proferte axiomata, & videte, num iuxta ſcitũ veſtrum, *Voces ſunt ſigna conceptuum*. Chriſtus cum verbum ſit, ac Patris æterni imago & conceptus, Ioannes vere ſe vocem appellare queat, cum ſignum ſit miſſus, vt Chriſtum mundo annuntiaret ac deſignaret. At ſignum eſt, quod nonniſi vox eſt, & vox quæ nonniſi ſignum: ſignificans namq; loquitur, & loquens ſignificat, vtque ſignificet & loquatur, exclamat: atq; vt vox conceptuum interpres eſt, voluntatis index, intentioni que noſtræ deſignatrix, ita Ioannes omnium diuinorum conceptuum voluntatumq; interpres erat, atque hoc vt demonſtret aperte teſtatur: *Ego vox clamantis in deſerto.*

Vox mentis interpres.

*Ioan. 1.*

*Matth. 16.*

*Matth. 26.* Ioannis vox nunq̃ paſſa raucedinem. Vox penitus admirabilis, & cui ſimilis nulla vnquam exſtitit: nam ſi illa Petri vox diuina & inſtar oraculi habita fuit, dum ait: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: præ raucedine tamen defecit, quando Dominum ſuum in amara paſſionis nocte ter negauit: *Non noui hominem.* At Ioannes ſemper vox eſt, nec vmquam clamare deſiit, aut raucedinem paſſus eſt: quam & Herodes, licet gladio reſectam, audire ſibi tamen viſus eſt, dum ait:

*Marc 6.* *Quem ego decollaui Ioannem, ipſe ſurrexit à mortuis & virtutes operantur in eo* Vox, inquam, quæ vitæ per omnia reſpondebat, ſi enim vox in deſerto clamitabat, vita quoq; in deſerto erat, inque deſerto pœnitentiam agebat: & vtrumque verbis illis continetur: *Vox clamantis in deſerto.*

*Iſai. 40.*

Vox quæ præ metu non conticeſcit, quæ minas non metuit, ſuppliciis non tenetur: inquam, de qua nunquam dici poterit, quod

*Iſai 56.* de peruerſis rectoribus ait Iſaias: *Canes muti, non valentes latrare.* Væ autem vobis canes perfidi, imo canum nomine indigni, qui ob fruſtum panis, furi aditum datis, omniaque diripi ſinitis. Væ tibi infelix Concionator, qui ſub ſpecie boni, & ſpe lucelli alicuius temporalis, obmuteſcis, peccantibus q; conniues, quos caſtigare è contra deberes & corripere. At horum de numero non eſt Ioannes, ſemper vox eſt, & nunquam clamare deſinit, Meſſiæ dignitas cum ei offertur, vox eſt, & clamat: *Non ſum ego Chriſtus.* Quando *Ioan. 1.* in ſolitudine commoratur, audiamus vt exclamet: *facite fructus dignos pœnitentiæ.* *Matth 3.* Cum in carcerem coniicitur, coram regibus clamat: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* *Marc. 6.* O vocem admirabilem & conſtantem!

Sapientis hieroglyphicum.

Ægyptii, vt ſapientem aliquem & cordatum virum exprimerent, hominem manus ori admouentem pingebant: veræ ſapientiæ ſignum eſſe docentes, ore proloqui, & manibus operari. verum hoc ſi quis noſtro vnquã Ioanne ſapiẽtior exſtitit, cuius manus nunquam ceſſarunt, ſemper aliquid ad Dei laudem & gloriam operatæ ſunt, vox quoque nunquam clamare deſiit: *Parate viam Domini, pœnitentiam agite, rectas facite ſemitas Dei noſtri* hodie quoque in ſolitudine vociferantem audio: *Ego vox clamantis in deſerto.* *Matth. 3.* *Ioan. 1.*

Ioannes turri eburneæ collatus.

In Canticis legi: *Collum tuum ſicut turris eburnea*, quod Ioãni noſtro optime quadrat. *Cant. 7.* V. Colli autem proprium eſt, verba tranſmittere, vt vox eadem efferat, capitiq; membra inferiora coniungere. Ioannes autem vere fuit, qui Verbum æternum & collum mundo reuelauit, quique homines, qui membra ſunt Eccleſiæ, Chriſto qui caput eſt coniungere ſtuduit. Et quoniam tentationes dæmoniacæ collum hoc impetere hodie debebant, permiſit Deus, vt ipſum inſtar turris aduerſus omnes inferorum machinas inexpugnabile & inuincibile foret: & quoniam cum Meſſiæ honorem ſitire in primis oportebat, ſponſiq; Eccleſiæ gloriam promouere, turri eburneæ comparatur, idq; non ſine myſterio. Ebur enim elephantis dens eſt, qui inter omnia animalia maximus honoris vindex habetur, adeo vt nulla patiatur adulteria, an non hoc eſt figuras adaptare? ecce vero & alias.

Ose. 4. Tria olim per Prophetam mundo deesse conqueſtus eſt Deus, veritatem ſcil. miſericordiam, ac cognitionem Dei; verba autem

Ioan. 1. hæc ſunt: *Non eſt veritas, non eſt miſericordia, non eſt ſcientia Dei in terra.* Tria autem hæc vox illa ſancta in deſertis exclamans edocet, idque ratione quadam admirabili, & propemodum diuina. Veritatem quidem, dum dicitur: *confeſſus eſt, & non negauit, quia non ſum ego Chriſtus.* Cognitionem vero Dei, dum Meſſiam demonſtrat, & Verbum Dei apud

Ioan. 1. nos habitans, dicendo: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Denique miſericordiam, quando benignitatem ſpirans & cõpaſſione motus, de animarum perdendarum ſalute ſollicitus, pœnitentiam prædicat, atque in hanc rem aperte profitetur: *Ego vox clamantis in deſerto.* Id eſt, Chriſti Ieſu, qui etiã concionando docendoq; exclamauit, vt ait Lu-

Luc. 3. cas: *Hæc dicens clamabat*, ſignificare autẽ voluiſſe Ioannes videtur, Chriſtus & ego idem docemus, vox eius & mea vnum ſunt. Vnde boni doctoris prædicatorisq; officium eſſe apparet eundem quem Chriſtus finem reſpicere, eadem loqui voce, & eandem vitam

Cyrill. in Græca. ducere. Ideo Cyrillus, vt è Græcorum Patrum catena manifeſtum redditur, quæſtionem inſtituit, cur Deus, cum ſeptuaginta ſeniores Moſis ſucceſſores inſtitueret, dixerit:

Ezech. 1. *Auferam de ſpiritu tuo, & tradam illis?* & reſpondet, nonniſi ſumma id prudentia factũ, & Deum conſulto ſpiritum Moſi ſeptuaginta illis ſenioribus diſtribuiſſe, vt hinc populo euidens fieret, idem omnino cum Moſe eoſdem proloqui, & ab eodem omnes ſpiritu impelli ac dirigi: ſimulque vnumquemq; noſtrum admoneret, à ſpiritu ſingulari ne ſe duci ſineret, quo nihil Eccleſiæ noſtræ accidere poteſt calamitoſius.

Omnia illa animalia, de quib. initio Ezechielis legitur, leo, vitulus, aquila, & homo, variæque rotæ inter ſe connexæ ab eodem

Ezech. 1. ſpiritu mouebantur: *Quocunque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rota pariter eleuabantur ſequentes eum, &c.* Vt hinc ſcilicet manifeſtum fieret, in Eccleſiæ corpore, ſub quo tot tamq; varia nominum genera continentur, quorum alij inſtar auium ſubtiles, alij inſtar vitulorum & iumentorum ſtupidi ac bardi, alij inſtar leonum feroces & truculenti, alijdeniq; inſtar hominum benigni & affabiles ſunt: adhæc vbi tot rotæ & orbitæ, tot repugnantes voluntates, tam variæ intentiones, tam diſcrepantes humores; omnia tamen hæc ad ſpiritus vnius motum, iuxta vnius fidei directionem vniuſq; religionis præſcriptum impelli & dirigi. Ad hoc Philippenſ. hortabatur Paulus ad vnionem ſcil. ſpiritus, ad voluntatum conſpirationem: *ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, vt idem ſapiatis, eandem fidem habentes, vnanimes idipſum ſapientes, &c.* Hoc autem ſpiritu impellebatur Ioannes noſter, cum nullam in animo imaginationem, cogitationem, voluntatemque, nullum in ore verbum haberet, quam quod Deus & cogitaret, & vellet, & loqueretur. Vnde de ſe locutus ait: *Ego vox clamantis.*

Philipp. 2. Charitatis Vnio ſi delibus neceſſaria.

Ioan. 1.

Hebraicam hic phraſim notate, ac modũ loquendi Rabinis vſitatũ: *Ego vox clamantis*, id eſt, *ego vox clamans*, qualis eſt, *terra promiſſionis* pro, *promiſſa*. Locutionis autẽ ſenſus hic eſt: Quid agitis Iudæi? quid hac me oratione cõpellatis; cur hæc mihi encomia defertis? Videtis me in deſerto, in ſolitudine, in loco horrido & inamœno prædicantem, & ecce ad delitias me reuocare, atq; ad vitã molliorem traducere me ſatagitis: purpura, coccinũ, trabea, ipſos honores comitari ſolent, & iis velut indiuiduus comes adhæreſcere; me tamẽ dura cameli pelle, velut ſilueſtrem & eremicolã amictum aut potius coopertũ cernitis. Solent principes & reges longo ſeruorũ & domeſticorum agmine ſtipari; equidem inſtar anachoretæ ſolitudinis amans, nullos præter cautes, petras, & feras ſocio habeo. Palatia regum muſica & ſymphonia perſtrepunt, pretioſis ferculis menſæ eorum inſtructæ ſunt; ipſe vero antra & ſpeluncas ferarum incolens, noctes & dies in oratione tranſigens, & aſſidue lugen ac gemens, locuſtis & radicib. herbarum victito, ac frigida mihi potus eſt. Quid igitur hanc mihi dignitatẽ offertis, cur regẽ me declaratis, qui omnes honores odi & deteſtor; quiq; iã inde ab adoleſcentia inedia corpus macerare, eãq; deliciarũ loco habere didici. Quãobrem hinc vos ripite, domũ reuertimini, nihil

Hebræorum loquendi modus.

*Ioan.1.* nihil.n.ſum aliud q̃ *vox clamantis in deſerto.*

Veri concionatoris munꝰ.

Duobus verbis duos quoq; includit ſenſus; primo ait ſeſe vocẽ eſſe, ſed vocem clamantem: deinde non in ſuggeſtu aliquo aut cathedra, ſed in deſerto, vt veri concionatoris in magna aliqua ciuitate concionantis munus & partes deſignaret. Hoc porrò ei conſilium ſuggerit Iſaias: *Super montem, inquit, excelſum aſcende, tu qui Euangelizas Sion, & exalta in fortitudine vocem tuam qui Euangelizas Ieruſalem.* Dicere Propheta voluit: Tu qui Ieroſolymis euangelizas, noli cogitare in Bethania, vel Emaus aut aliis opidulis te verſari, ſed in vaſta te quadam ciuitate, vitiis & abominationibus refertiſſima agere. Ideoque locum capacem & ſpatioſum tibi deligendum, & loco cathedræ petram aliquam aut montem conſcendendum, & inde magna voce clamandum, vt omnes te peccatores ſ. elerum lethargo oppreſſi exaudire queant. Ait, *clama*, id eſt, vociferare, inſurge, peccata audacter coargue, delinquentes libere caſtiga; noli blandiri: noli auribus eorum benedicendo, & eloquentia pompoſa fucataque inſeruire.

*Iſai.40.*

*Fab. Paulus in Heb. lib.1.c.3.*

Iſocrati viro diſertiſſimo monumentum veteres poſuere, cui ſirenem arieti inſidentem, & lyram manu tenẽtem impoſuere. Innuere volebant, aut potius tacite eam ſugillare, eloquentiam illius, quæ per arietem deſignatur, eneruatam ac fœmineam fuiſſe nihilq; vtile aut maſculum cõtinuiſſe. Et quoniam arietis ipſum ſignum Oratorum & Poëtarum voci ſalutare dicebatur & propitiũ, hinc Mercurio eloquentiæ præſidi ſacer erat: ſirenes autem, monſtra illa marina, quæ forma & venuſtate conſpicuæ erant, & lyras manu geſtabãt, homines in animalia tranſmutabant, & pellaci ſuo cantu eoſdem in breuia & vada, in quibus naufragium patiebantur, impellebãt. Cum autem hoc ei poſt obitum monimentum ponerent, deſignabant, dicendi illũ arte & numeroſa eloquentia, in bruta homines cõuertiſſe; cum boni è contra oratoris ſit, ferinos hominum mores in humanos & ciuiles traducere: & miſeros in ſyrtes & voragines abripuiſſe, quum alias ſcopulis illiſos, & mari vitiorũ immerſos educere oportuiſſet. Caueat igitur ſibi Chriſtianus Eccleſiaſtes, ne fœmineũ hunc oratorem imitetur, ſed ſtentorea voce exclamet, animalia, peccatores inquam, in veros homines conuertat, vt ad rationis præſcriptum vitam inſtituant, ne muſicos moduletur numeros, auditores comptula, venuſtaq; oratione, verbis fucatis & pigmentatis, coloribusq; aſcititiis delectando, ſed in ſacratiſſimo Aduentus tempore non niſi de lachrymis, ieiuniis, eleemoſynis, precibus loquatur, pœnitentiamq; ſingulis periodis commendet, ad imitationem ſcilicet Ioannis in deſerto clamantis.

Cõcionator Chriſtianus pœnitentiam ſuadeat.

Clamate vos etiã Eccleſiaſtæ, & ab omni aſſentatione abſtinere: quam in Demoſthene, oratorum ſui temporis principe, reprehendit olim momus ille Cynicus, hic cum in caupona cœnaret, Demoſthenem forte prætereuntem vidit, quem cum ad cœnulam inuitaſſet, & ille excuſare cœpiſſet, ait Diogenes! Putasne hoc tibi dedecori fore, ſi cauponam mecum ſubeas, cum nulla prætereat dies, quin dominus tuus eandem non ingrediatur? per dominum autem Athenienſes denotabat, quorum auribus inſeruire, quorum voluntati morem gerere Demoſthenes, cum ad eos verba faceret, adulando, aſſentando, & nõ ſecus ac ſeruus domino, ad illius nutum directionemq; verba factaque componendo ſoleret. Hoc perpendant oratores Euangelici, & cogitent ſe dũ veritatem non ſincere denuntiant, aduerſus peccatores non inclamant, auditoribus placere geſtiunt, omnibusq; ſatisfacere conniuendo adulandoq; conantur, populi ſe ſeruos & mancipia efficere, ac veros poplicolas poſſe nominari. At non erat horum de numero Ioannes noſter, qui aduerſus peccatores clamare non ceſſabat: *Ego vox clamantis.*

Adulari nõ debet.

*Ælian. lib. 9. Var. cap. 19.*

*Ioan.1.*

Bene, *clamantis*: clamandũ ſiquidem eſt, dũ pœnitentia annuntiatur, atq; inſtar buccinæ & tubæ vox exaltanda; hinc in Iſaia legimus: *Quaſi tuba exalta vocem tuam.* Nam vt tuba militũ animos in ꝓlium accendere, & ſanguinis fundendi orexin excitare conſueuit; ita & cõcionator aduerſus delinquẽtes & impios debet inſurgere, eoſdẽ adhortari, vt aduerſus mundũ arma induant: ſanguinis etiã ſitim in eorũ animis excitare, vt

Ad annũtiandam pœnitentiam clamandum eſt.

*Iſai.58.*

carnem expugnent, iugulent; diabolos denique superent & eneruent. ita autem faciebant Apostoli, qui in prædicationibus in tãtum vocem sustollebant, vt omnes eos, vt ebrios & musto madentes intuerentur, ita quippe in Actis eorum scriptum legitur: Quin & Christum omnium concionatorum principem Euangelista in tantum clamasse ait, vt sui eum insanum & mente captum putarent: *Et cum audissent sui, exierunt tenere eum, dicebant enim: Quoniam in furorem versus est.* Et profecto mundus eos concionatores fatuos & amentes putat, qui aduersus peccata insurgunt: conniuentes autem & palpones suspicit & demiratur.

*Actor.2.*

*Marc.3.*

Cum Angelus ille à Deo missus in monte Sinai cum Mose ageret, fulminaq; & fragores circumsecus streperent, populus palpitans & tremens audire vocem eius noluit, sed ait: *Loquere tu nobis Moyses, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Hodierna die idipsum perfamiliare est, nemo enim concionatores honoris diuini zelo accensos, angelos illos Dei altissimi, si fulminent & tonent in delinquentes, & peccantes coarguant, audire sustinet; adulatores verò, blandientes, in vitia conniuentes, seipsos venditantes iactantesque, suspiciunt omnes & admirãtur. atq; hæc sunt tempora, de quibus Apostolus agit ad Timotheum, scribẽs: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* O mundum insensatum ac stolidum: ô nugiuendulos & agyrtas, suique venditores! quin Ioannem imitamini, vocem illam clamantem in deserto?

*Exod 20.*

*2.Tim.4.*

Ioannes nonnisi negando respõdet.

Noui iterum hic conceptus exserunt. nõnisi vocem se esse Ioannes dicit, quæ nihil præter merum est accidens, incorporea, vt quæ prolata statim euanescat, ac nonnisi negando respondet; vt hinc discamus, & gloriam mundi huius contemnere; & omnes dignitates etiam oblatas repudiare, ne hilum facere. Atque hoc viri perfecti est, & hominis vere Christiani; quod qui fecerit, mirabilis ac propemodum diuinus dicendus est. Quamuis hoc nec angeli facere, nec Adam intelligere potuerit. In quem sensum scribit Augustinus, multos quidem Philosophos veteres, virtutis amore incensos fuisse, eamque sectatos, sed auram popularem sectando hoc vnum spectasse, vt ab alijs velut diuini & absoluti suspicerentur. Atq; ideo pictor quidam optime mores eorum visus est expressisse, quando honorem virgineo schemate depinxit, ad cuius pedes virtutes omnes velut captiuæ iacebant honori velut Dominæ obsequentes, vanæq; gloriæ mancipia. Innuere scilicet voluit, stolidos illos philosophos virtutem quidem dilexisse, sed honoris & gloriæ studio inductos. Hinc etiam Alciatus, virtutem lachrymabundam ac passis capillis deformem Aiacis sepulchro inhærentem depinxit, quod Vlysses clypeum & arma Achillis, Aiaci ob virtutem debita, dolo sepulchro abstulisset, & ita lugubrem næniam orditur:

*Tom.5. ad Marcellinum.*

Virtutis emblema.

*Aiacu tumulum lacrymis ego proluo virtus.*

Alciatus in emblem.

Vt lacrymas hasce & expostulationẽ virtutis proposito adaptem meo, ait virtutes clypeos & arma Dei esse, quibus nos tuetur, iustos efficit, & conseruat; qui non parum commouetur, si tu, ô superbe, velut alter Vlysses debitũ illi honorem & gloriã eripias, tibiq; velut propria ascribas, & ita armis te Aiacis velut tuis ostentes; atq hoc est, quod virtus deplorat, hoc est quod defiet, ob hoc Deus irascitur quod cum Ioannes exploratum haberet, se demittit & humiliat, & honorem exosus mundiq; vanitatẽ pertæsus, de seipso testatur: *Ego vox clamãtis in deserto.*

*Ioan.1.*

Ioannis humilitas.

O humilitas admirabilis & maxime suspicienda! Quem cœli & terra stupẽt, quem orbis vniuersi machina demiratur, nihili se facit, suaq; merita despicit, aut tãti quanti fortasse deberet, non facit. Quem Augustinus omnium hominum sanctissimum, Angelorum socium, tubam cœlestem, Iesu Christi prodromum, saluatoris signiferum, filij Dei nuntium, peccatorum remissionem, Iudæorum flagellum, parentum gaudium, stirpis suæ decus, mundi speculum, mortis aculeum, vitæ ianuam, amicum sponsi, omnipotentis affinem nuncupat; sese demittit ac deijcit, nudamque se vocem esse denuntiat: *Ego vox clamantis in deserto.*

*Ioan.1.*

O para-

O paradoxa! ô miracula! quem Andreas Ierosolymitanus deserti ciuem, vniuersi generis humani actorem, sponsi paranymphum, matrimonij cœlestis pararium, magni regis præconem, veritatis præcursorem, primum cœli administratorem, legis silentium, gratiæ interpretem, prophetiarum colophonem, oraculorum finem, pœnitentiæ ianuam, virginitatis auctorē dicit; seipsum humiliat; honoresque suos imminuens aliud se esse negat quam vocem clamantis in deserto.

Quem Petrus Chrysologus magnis laudibus effert, quem scholam virtutis, magistrum vitæ, sanctitatis normam, iustitiæ regulam, virginitatis speculum, disciplinam fidei, castitatis exemplum, viam pœnitētiæ, atque hominum Phœnicem appellat, imo quem Eusebius Emissenus, Iobo, Eliæ, Moysi parem facit, ille humilitatis iter consectās, omnes honores subterfugit, ac non nisi vocem se esse profitetur.

Duo in Veteri Testamento de Ioanne Baptista oracula data erant; Malachias siquidem Angelum illum appellauerat, *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, &c.* Isaias autem vocem, *Ego vox clamantis*. Vox igitur & Angelus cum esset, & vtrumq; iure titulum assumere posset; tanta illius humilitas atque animi demissio fuit, vt interrogatus quisnam esset, præstantiori titulo relicto, viliorem assumpserit, quique merito dicere de se potuisset, ego sum angelus Domini, legatus cœlestis, filij Dei nuntius, Verbi æterni interpres, Messiæ præcursor, ait: *Ego vox clamantis in deserto.*

*Matth* 3.
*Isai.* 40.
*Ioan.* 1.

Ioseph quoque Patriarcha, totius Ægypti Dominus & Seruator, fratres Ægyptum ingressos præmonuit, quomodo regi interroganti responderent; sublimes scilicet titulos & antiquum stemma voluit eos reticere, & humilitatem potius prodere conditionis, vt nimirum se ouium pastores dicerent. O rem miram! Ecce qui libere dicere poterant, sumus de progenie Abraham, Patriarcharum posteri, de domo Israël, hæredes Iacob fratres vindicis & vicarij totius Ægypti, ac magni Loth nepotes, qui solus ab excidio Sodomitico immunis exstitit; à fratre

*Gen.* 46.

præmonentur, vt præteritis honorum titulis, ouium se pastores dicerent. Discamus hinc honores contemnere, titulis non insolescere, & humilitatem omnibus in rebus ostendere, ad summam licet dignitatē euecti, ac nunquam sortis nostræ limites excedere.

Iacob cum in Esau fratrem, quadringentis equitibus stipatum incidisset, & ille diceret: *Gradiamur simul*; respondit Iacob: *Nosti domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum, præcedat dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius*: pastor scilicet militis vestigia sequi non volebat. Denotat autem mysterium, eum qui mediocris sortis & tenuis cōditionis est, magnis se nequaquam conferre, at intra sortis se limites continere debere. Apertum in Ioanne Baptista exemplum habemus, qui Messiæ collatus, & eidem, cui ille, bilanci impositus, intra humilitatis sese stadium continet, stemmatum auitorum ambages non ingreditur, sed forte contentus sua nonnisi vocem se esse in deserto clamantem profitetur.

*Gen* 33. Fortunæ suæ & sortis limites egredi nō oportet.

Hic erubesce superbe & glorioſe, hic humilitatem disce, qui te ipsum iactas & ostentas, quiq; ab omnibus adorari vis & coli Angelus ille, qui Ioanni in Apocal. apparebat, humilitatem docuit, quando Ioanne ad pedes eius procidente ait: *vide ne feceris, conseruus tuus sum*. Deo non secus ac tu subditus & obediens. Angeli ecce, spiritus illi ætherei, substantiæ illę corporis expertes, intelligentiæ cœlestes, creaturæ à peccato immunes, honores subterfugiunt, seruos se profitētur, hominibus sese conferunt, humilitatem cōsectantur, & homo qui merū nihil est, mortis præda, miseriarum theatrum, putredinis saccus, fortunæ ludibrium, calamitatum scopus, vitiorum congeries, vermium exspectatio, ac totius vniuersi propudium & reiectio insolescit, typho superbiæ inflatur, & turget, &, quia opulentus & potens est, adorari vult, & ab omnibus coli.

Angeli humilitatem consectantur, & homines superbiam. *Apoc.* 19.

Apostolorum princeps Petrus, ac totius Ecclesiæ caput, cum Cornelium centurionem in genua coram se prouolutū cerneret, cultum sibi diuinum exhibere volētem, ait: *Surge, & ego ipse homo sum*, soli autem Deo is

S. Petrus non vult adorari. *Actor.* 10.

honor & adoratio debetur. Insigne profecto humilitatis exemplum, ac principe Apostolorum dignissimum; quo dicemur, debere nos cum honoribus afficimur, & mundus vanitates suas offert, cum Apostolo dicere: Apage munde, soli Deo honor & gloria, equidem nonnisi homo sum, similis alijs.

Cùm Paulus & Barnabas Lystris in Lycaonia, Timothei Episcopi patria, plurima edidissent miracula, quæ magnam illis apud omnes gloriam pepererant, ciues Lystrenses gentiles & barbari, diuinis eos honoribus afficere voluerũt, ac velut semideos adorare: Quo viso, Apostoli mox se in confertam multitudinem dedere, tam piam impietatem impedire conati, clamantes: *Viri, quid hæc facitis, & nos mortales sumus, similes vobis homines.* Imitentur hoc Christiani, seseque à mundo præripiant, quando honores sibi offert, & clamet: Quid agis munde, adorare nos gestis vt deos, qui nonnisi homines sumus, fragiles, fugaces, vmbraque & fumo inaniores? At non ita Ioannes noster, qui se nõnisi vocem clamantis esse ait, dum Messiæ dignitate eum Iudæi honorare conantur. Hæc igitur præ oculis habetote inani typho tumentes, ac nunquam animo deponite.

Act. 14.

Psalmographus, cum fluxum & refluxum maris olim attentius consideraret, admirans exclamat: *Mirabiles elationes maris!* perinde ac si dixisset: Mirandum profecto est, aquam elementum adeo graue tantillo turbine in altum librari, & centrum deserere suum: at multo mirabilius est, hominem, qui nonnisi è terra compositus, quæ infinitis partibus est grauior, exiguo honoris & gloriæ ventulo ad nubes vsque sustolli.

Psal. 92.

Saul, interea dum Deo gratus adhuc existeret, & inter omnes Israëlitas esset optimus & seruãtissimus æqui, dum à Samuele ad regnum assumeretur, humillime de se sentiens respondit: *Nunquid non filius Iemini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea nouissima inter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* Videte obsecro animi demissionem, videte vt se indignum existimet; quoque Deus eum eleuare conatur altius, quo seipsum deprimere gestit profundius. Regium siquidem est honores oblatos respuere, & gloriam vltro aduenientem repudiare: ambitio autem & honorum sitis, qua laborant hodie plerique, omnia perturbat, pessundat, Ecclesiæq; damnum & scandalum infert.

1. Reg. 9.

Rebecca dum vterum ferret, magnis exagitabatur molestijs, ac tormenta grauissima perferebat, quando nimirum gemini vtero conclusi inter se decertarẽt, vter eorum primus egrederetur, & in lucem prodiret; præualuit tandem Esau, & Iacobum in nascendo præuertit. Allegoriam hanc proposito adaptans dico, Christianorum contentionibus & ambitione, Ecclesiam magnopere perturbari, exagitarique, ac sæpenumero scelleratos, aut saltem minus dignos, viris optimis & innocentissimis præferri, & meritos immerentibus postponi. Quodque modo in vsu est, tempore quoque Solomonis inualuit, qui scribit alibi: *Est malum quod vidi sub sole, vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram quasi seruos.* Quorum verborum moralis sensus hic est: Peccatores, scelerum, inquam, illa mancipia, ad honores sublimari, iustos autem, suiipsorum dominos, instar prodissequorum humiles & obscuros viuere, fortunæq; iniuriam expertos inglorios mori. Sed ad propositum redeamus, & Ioannis nostri demissionem dispiciamus, qui se vocem in deserto clamantem vocat.

Gen. 25.

Eccles. 10.

Ægyptij, teste Pierio Valeriano, humilitatem designare cum vellent, hominem pingebant in genua prolutum, brachia extendentem, oculosq; cœlum versus attollentẽ, singuli porro gestus mysterium in se continent; genuflexio inprimis denotat, eum qui vere humilis audire & dici vult, seipsum deiicere, superbum vero & iactabundum cornua & cristas erigere, suaque opera efferre: brachiorum extensio omne suum è cœlo bonum & felicitatem expectare: oculi vero in cœlum elati, testes sunt, infinitam in cœlo virtutem potentiamq; contineri, ad quam brachia extendat, oculos sustollat, cuiusque auxilium & opem genibus in terram prostratis efflagitet. Hieroglyphicum hoc reuera expressum videre qui voluerit, desertum mecum adeat, & in eo Ioannem veram

fol. 208.

humili-

humilitatis imaginem contempletur: videbit namq; eum inter rupes in genua prouolutum brachiis extensis, oculis in cœlũ sublatis, magnaque omnes voce ad lachrymas, suspiria, ieiunia, pœnitentiamq; adhortantem: *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto.* Ioan. 1.

VI. Vbinam porro vox hæc detonat? in deserto & inuio. Eliam igitur nouum hic videbimus, qui vrbes deserendo, hominumq; consortia deuitando in deserto Carmeli, solis animalibus sociatus, commorabatur. Videbimus ducem eorum, qui, teste Apostolo, *in solitudinibus errabant, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Videbimus virum, qualem videre desiderabat Apostolus, dum scribit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* An non strenuus ille miles sit oportet, qui reges potentissimos expugnare, pellices pellacissimas, aulæque pestes exagitare debebat? ideo aulam deserit, vrbes & negotia relinquit, inq; deserto ab hominum strepitu segregatus pœnitentiam agit. 3. Reg. 17. 18. 19. Hec. 11. 2. Tim. 2.

Nemo inter impios viuere pie potest.

Noua sese hic iterum miracula ostẽdunt. Primum, Zachariæ summi apud Iudæos sacerdotis filium principem iuuentutis Hierosolymitanæ, sanctissimum vitæq; purissimæ, temporibus exulceratissimis & contaminatissimis, inter tot sceleratos & improbos, Herodem nempe tyrannum, Annam & Caipham auro ad pontificiam dignitatem euectos, Sacerdotes & Leuitas officium deserentes suum, in summa sanctitate vitam in deserto ducere. Docemur hic improborum consortio, si modo velint, nihilo probos deteriores reddi posse, aut callem impiorum nulla nobis ratione officere, quo minus in diuinæ iustitiæ semita alacriter pergamus: vnde bene Petrus Apostolus scribit: *Quis est qui vobis noceat, si bon æmulatores fueritis?* Adeo vt quamuis omnium vita corrupta foret, &. nõ esset qui bonum faceret vsq; ad vnum, quem imitari posses, cum Propheta tamen dicere queas: *introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.* Potentiæ autẽ Domini vocantur hic Angeli, eo q; potentiæ eius administri sunt; dicere vero Propheta voluit, si nullũ in mundo reperire queam, à quo virtutẽ discã; cuiusq; vitã sequar, ad angelos me conuertã, in quibus sanctitatẽ & iustitiam tuam velut in speculo intuebor. 1. Pet. 3. Psal. 70.

Secundum, Hominem sanctissimum, ingratia stabilitum, qui mortifero nequaquã poterat animam delicto commaculare, tanta pœnitentia membra atterere, in deserto cõmorari, & corpus extremo rigore affligere. Docere vos voluit, mundani, corpus vestrũ castigare, eius audaciam, tyrannidẽ & furorẽ coercere, & cupiditatibus resistere. Quonam enim modo peccata is deuitet, qui voluptates consectatur? ipsæ namque omnium malorum fontes & origines sunt, & ab iis omnis in mundũ calamitas inuehitur. Hinc, vt Bernard. refert, tria persecutionum genera Antichristi aduentum sunt præcessura, vnum tyranni, alterum hæretici, tertium voluptates inferent; quarum vltimam omnium putat grauissimam & deterrimam esse, omniumque maximè ab Ecclesia deplorari, & cui etiã hanc Prophetæ querelam applicant: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* grauissima namq; quam Ecclesia sustinet persecutio à voluptatibus originem sumit: nam vt bene ait Chrysost. *Tormenta Martyres, blandimenta vero faciunt Epicureos.* Cui malo, vt Ioannes occurreret, in desertum secedit. Isai. 38.

Deliciarũ damna.

Incutiat pudorem nobis, Auditores, viuẽdi illius ratio; erubescamus dũ virum nobili loco natum, & ab vtero materno sanctificatum, in tanta austeritate viuentem, corpus tam rigide castigantem, pœnitentiaq; sese macerantẽ cernimus: nobis plebeiis & gregariis eandem remis velisq; fugiẽntibus corporisq; delicias omnibus in rebus cõsectantibus. In Numeris lego Hebræos, cũ ad torrentes Arnon in confiniis Moabitarum, speluncis & cauernis infames, in quibus armati insidiatores delitescebant, peruenissent, perterritos, ducum suorum verbis animatos vltetius perrexisse; clamabant quippe: *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon;* quod & reuera accidit. diuino namq; permissu omnibus, quotquot in speluncis habitabant, subita ruina oppressis, Hebræi facile sine vllo negotio cœptum iter perfecére. Eia agite effœminati & inertes, agite segnes & meticulosi, qui austeritatẽ in tantũ perhorrescitis, sumite animos, ac cogitate eã vobis non secus atq; aliis dulcẽ tandem & iucundam Num. 21.

dam fore. Nam *sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon.* Vt Ioannes Baptista, Apostoli, omnes sancti Anachoretæ, pœnitentiam dilexere, & deliciarum instar amplexi sunt; ita vobis eadem iucunda & suauis tandem videbitur. Eia igitur timorem exuite, leporinam deponite & leoninam induite.

*Deut.30.* Huc optime quadrare videtur lex illa quã in Deuteronomio de præliis ineundis Dominus tulit: *Duces per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt: Quis est homo qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius dedicet eam. Quis est homo, qui plantauit vineã, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo eius fungatur officio. Quis est homo qui despondit vxorem, & non accepit eam, vadat, & reuertatur in domum suam, ne forte moriatur in bello, & alius homo accipiat eam. Quis est homo formidolosus & corde pauido? vadat, & reuertatur in domum suam, &c.* Quatuor hæc hominum genera ad bellum inepta, ad pœnitentiam quoq; inepta sunt, per ædificantes hos, superbos & gloriabundos denotari puto, qui amplam domum & instructam familiam quærunt: per viticolas, auaros, qui terram semper effodiunt, & in terra omnem spem collocant: per tertios, carnis voluptatibus iudulgentes meticulosos, segnes & inertes. Sed ingens horum omnium stoliditas & fatuitas est. Cui enim rei vitam potius velitis impendere, cui potius consecrare, quam vultui & obsequio eius qui eam elargitus est? Febribus illam, morbis, ægritudinibusque potius quam pœnitentia atteri patiemini? Quamobrem timorem & metum hunc abijcite, difficultates superate, austeritatem diligite, in desertum secedite, Ioannem Baptistam imitamini, qui hodie solus gemens & suspirans in deserto clamat.

Quatuor hominum genera ad pœnitentiam inepta.

Deserti & solitudinis encomium. 1. *Reg.5.* O beata solitudo, sanctorum virorum palatium, dulce spiritualium refugium & quies, deliciæ & paradisus piorum! Noluit olim Dominus Arcam testamenti in templo Dagon commorari: nec virum pium ac sapientem in mundo, qui idolorum omnium fanum est, commorari patitur, sed in solitudine eum & in eremo vult viuere: hic nempe cœlestes ei reuelationes, locutiones internas, secretaque diuina communicat. Vnde per Prophetam suum locutus est: *Ducam eũ in solitudinem, & loquar ad cor eius.* In ea Ioannem orantem videmus, gementem, clamantemque audimus, & hac ipsa equidem iam egrediar, vt dicendi finem faciam, vosq; ad sancti huius viri vitã imitãdam adhorter.

Peroratio & conclusio. Quamobrem, Auditores, legationis huius à Iudæis adornatæ recordamini, simul etiam interrogationis, qua Ioannem aggressi sunt: *Tu quis es?* vos ipsos cognoscite, nihilum vestrum è quo cõpositi estis dispicite, paupertatem primam & naturalem, ac fragilitatem humanam considerate, cogitate vos mortales, fragiles, & caducos esse, & iam inde à cunabulis ad cineres & putredinem cõdemnatos. Nolite etiam obliuisci responsi, quod Ioannes legatis dedit: eius in omnibus humilitatem sequimini: videre etiam vt à natiuitate inter natos mulierum sanctimonia eminebat, summus æterni Patris sacerdos erat, Messiam lympha tingere meruit, quem tota Iudæa stupebat, quem omnes adorare volebant: adeo se demittat, vt non nisi vocem in deserto clamantem sese nuncupet. Videte, inquam, vt mundum fugiat, vt honores declinet, vt malit in deserto pauper, quam in mundo opulentus viuere: has virtutes imitemini, vitæ eius vestigijs insistite, atque ad eius imitationem omnes terrenas voluptates & mundi ineptias fugite. *Ioan.1.*

Tu autem Ioannes glorioſissime, totius vniuersi miraculum, Eremicolarum primas, deserti decus & columen, Religiosorum coriphæe, pœnitentiæ speculum, cum nonnisi vox sis, pro nobis corã tribunali diuino clamare & intercedere ne cessas, ora pro iis qui tuo se nomini deuouerunt, tuoque se cultui manciparunt, humilitatem, vanitatum mũdanarum contemptum, omniumque rerum temporalium odium & fugam impetra, vt nos ipsos cognoscentes, humiliter tibi etiam subiiciamus, & quam profũdissime submittamus, deniq; non nisi gloriã Altissimi, à quo summam nostram felicitatem expectamus, spire-

spiremus: cuius nos participes efficiat, qui eandem dare potest, Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Amen.

## DOMINICA QVARTA ADVENTVS.

Partes.

1. *Quod prædicanda pœnitentia.*
2. *De regnorum diuisione.*
3. *De mundi inconstantia.*
4. *Diuisionem regni esse præsagium excidij.*
5. *De Ioannis solitudine.*
6. *De eius ad homines egressu.*
7. *De voce eius ad parandam viam Deo.*

*Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris.* Luc. 3.

### FIGVRA.

*Num.* 10. IVSSIT olim Dominus tubas duas argenteas cõflari quarum vna quidem populus ad epulum, altera vero ad prælium inuitaretur. Denotare voluit, se in lege Euangelica, post cæremonias Mosaicas sepultas, duas alias tubas præparaturum, Iesum Christum scilicet, qui vniuersum orbem ad præliãdum accenderet, quippe qui postea in mundum se, non vt pacem, sed arma & gladiũ afferret, venisse testatus sit: aliam vero quæ omnes ad cœleste æternæ beatitudinis epulum inuitaret, Ioannem videlicet Baptistã, tubam illam regiam, quæ hodie in deserto clangit, omnesq; ad vias Messiæ præparandas & digna pœnitentiæ opera facienda adhortatur. hanc in hodierno Euangelio strepentem audire videor, & auribus meis insonantem: cuius clangorem vt & vos intelligatis, Spiritus sancti opem, glorioßissimæ Virginis Mariæ, pauperum patronæ suffragio concitatam imploremus: ideoq; omnes in genua prouoluti *Aue Maria* recitemus.

*Zech. 2.* Summus ille Deus cum vnum è Prophetis suis, vt præconem, ad Israelitas mitteret, qui vias suas & præcepta denuntiaret; manum illi monstrauit quæ librum teneret, interius & etiam exterius exaratum, lamentationibus, & carminibus, ac tribulationibus plenum. Attentius ænigma hoc consideranti in mentem venit, volumen hoc sacræ Scripturæ imaginem & symbolum esse, quæ & lamenta & pæanas, id est, maledictiones & benedictiones, minas & munera, flagella & præmia contineat: & hanc omnem præconem Euangelicum euoluere, auditoribusq; explanare debere, Mysterium porro denotat, ei qui à Deo se missum existimat, in primis curæ esse debere, lamentationes, lacrymas, & pœnitentiam prædicare. Scriptura liber est lamentis & carminib. lætis refertus.

Id iam olim prædixerat Psalmista cum diceret, *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua.* Id est, prædicatores Ecclesiæ semen tem suam, Euangelium, inquam, Dei, nonnisi flendo tradebant: hoc est, nihil nisi pœnitentiam & lacrymas docebant. Cui adiungatur egregia illa Hieronymi in hunc locum scribentis sententia: *Ille doctor Ecclesiasticus est, qui lacrymas non risum mouet.* & illa ad Nepotianum, *Docente te in Ecclesia non clamor populi sed gemitus suscitentur. Lacryma auditorum, laudes tua sint.* *Psal* 125. Lacrymas doctor Ecclesiasticus prædicat.

Egregium huius rei in Apocal. emblema legitur. Vidit Ioannes septem olim Angelos, niueis vestibus, & lineis stolis subtilissimis indutos, auroque cinctos, qui phialas aureas ira Dei plenas manibus gestabant, quas in terram effunderẽt. Rupertus, Beda, Haymo aliiq; doctrina & sanctitate illustres, mysticam hanc visionem exponentes, per Angelos hos, prędicatores & doctores Ecclesiasticos intelligunt, quos Angelorũ nuntiorumque cœlestium instar, iræ diuinæ phialas in manus sumere oportet, minasq; intentando, & suppliciis peccantibus destinatis terrendo, delinquentes in viam iustitiæ reducere, & ad lachrymas salutares pœnitentiamq; à semine vitiorum traducere. Phialas autem aureas hic adhibeant necesse est, quia nõ nisi caritate, amore, & honoris diuini zelo accensos ad docendum par est accedere. *Apoc.* 15. Concionatores Angelis comparantur.

Mare quoddam æneum in sacra Scriptura detego, ꝙ duodecim bobus innitebatur. Maris huius abyssum fundumq; rimatus & perscrutatur: reperio per boues hos, Patres omnes & Interpretes, Concionatores Ecclesiæ intellexisse, qui suis vniuersam Ecclesiæ sustinentimolem, & malorum, amaritudinumq;, iu- *Exod.* 30. *3. Reg* 7. Cõparati bobus mare æneum sustinentibus.

dicij inquam extremi, suppliciorum, minarum, pœnitentiæque Oceanum, humeris debent sustinere. Conceptum hunc hoc modo intellexit Apostolus ad Corinthios scribens, *Non alligabis os boui trituranti*, id est, prædicatori: quod & calculo suo confirmat Gregorius Pontifex.

1. Cor. 9.

Lib 2. cur. past. c. 3.

Hinc quoque est quod Ecclesiastæ & Doctores in sacris literis, tubis clãgentib. comparentur, vt Isaiæ c. 58 *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorũ*. Vt autem tuba belli signum est, magnumq; audientibus terrorem & horrorem incutit, milites quoque ad præliandum accendit; ita concionatorem, velut buccinam agminum Dei, nihil quam terrorẽ, iudicia diuina, pœnas tartareas, mortis horrorem, dæmonum furorem & tyrannidem docere oportet, omnes denique mortales ad bellum dæmonibus inferendum animare.

Hom. 7. in Iosue.

Iussit olim Dominus, teste Origene, duas tubas argenteas fieri, sed malleo adaptatas & cõcinnatas, ductiles sc. non fusiles, eo quod concionatores è sacris Scripturis diuersos sensus & argumenta depromere debent, quibus bellum peccatoribus denuntient: ita scilicet id exponit in Moralibus Gregorius. Sed tubæ hæ argenteæ sint oportet, malleo concinnatæ, & in incude contusæ, quod nihil in Ecclesia producere & denuntiare eos oporteat, quod non pœnitentiam & veritatem spiret. Horum de numero Ecclesiastarum erat Dauid vates cum diceret, *Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti*: perinde ac si diceret, nosti Domine, numquam veritatem me reticuisse, imo vero nullæ me minæ, nullusque pœnarum metus à pœnitẽtia peccatoribus denuntianda deterrebunt.

Lib 30. c. 7.

Psal 39.

Prima cõcio S Ioan. Chrysost. cum ad Episc promotus esset.

Inter hos quoque censeri debet Ioannes Chrysostomus, qui, eo ipso quo in cathedrã Constantinopolitanam sublimatus est die, coram Imp. Arcadio atque vniuersa nobilitate, magnaq; Episcoporum multitudine ita concionem exorsus est: *Nos qui ineffabilibus Dei rationibus ideo ad vos venimus, vt voluntate eius iustificaremur, hoc primum verbum à Christo & diuino eius præcursore accipientes vobis annuntiamus, Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Hæc autem vobis assidue in memoriã reuocare non grauabor, nulla difficultate impediar, quin eandem vobis perpetuo inculcem.* Hi scilicet erant Ecclesiastæ, quales scriptura sacra exigit, non vero palpones & adulatores.

Prohibuit olim Deus, ne quis mel aut fermentum in sacrificium offerret, sed saltem quantum vellet. Verba legis hæc sunt, *Nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini*. Quoddam sacrificii genus est prædicatio, sed nihil in eam fermenti passionum aut prauorum affectuum, nihil mellis adulationis aut assentationis inferẽdum sed tantum minarum, pœnitentiæ terrorisque quãtum quisq; voluerit. Hæc fortasse est ratio, cur tam exiguus aut vix vllus conciones nostras sequatur fructus, eo quod ad pœnitentiam auditores nõ adhortemur: peccatores nõ eorripiamus, vt veteres illi à Deo missi Prophetæ, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Osee, Amos, Ioel, Ionas, atq; alii innumeri fecere, quorum singulæ periodi pœnitentiam suadent & peccatoribus minas intentant.

Quinto regni Roboam anno, Sesac Ægypti rex in Iudæam ascendens, Ierusalem ingressus, templum augustissimũ despoliauit, omniaq; vasa domus Domini, thesaurum & suppellectilem sacram, diuitias etiam regis, & scuta aurea, quæ Salomon rex parauerat, diripuit. Horum deinde loco Roboam rex ærea constituit, tradiditq; eadem in manus scutariorum. Allegoriam hãc propositio adaptando, dico primitiuæ & nascentis Ecclesiæ prædicatores scutorum aureorum instar exstitisse, inimicis se obiicere & opponere nõ verentes, zelo & caritate accensos: at modo lucidũ illud & rutilans aurũ in æs cõmutatũ, esse cõcionatores sc. iam æneos factos. Auditorum gratiam captantes, eorumq; auribus inseruientes ac nudum iis sonum, amisso valore tinnientib. supereſſe, cũ vitia coarguere nõ audeant, veritatem dicere subterfugiãt, imo, q̃ deterius & deplorandũ maxime cum ipsam pœnitentiã vitæq; emendationem suadere præ pudore detrectent. Ipsa vero Canticorum spõsa vocẽ concionatoris querulæ & gemebundæ turturis voci visa est cõparasse, *Vox turturis audita est in terra nostra.*

3. Reg. 14. Concionatores comparati clypeis & scutis regis Roboam.

Cant. 2.

*ſtra.* Theodoretus verba hæc exponens ſenſum noſtrum quam proxime ſecutus ait: *Turturem nominat aduentus ſui Prophetam & præcurſorem, cuius vox eſt pœnitentia prædicatio, &c.* Bene quidem Theodorete; nam videte, vt hodie in deſerto inſtar turturis gemat, ac nonniſi pœnitentia ſuos edoceat, *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* & tempore quidem peropportuno: cum videlicet per vniuerſam terræ ſuperficiem peccata dominarentur, impiique per omnia inualeſcerent, Tiberius Romanum imperium regeret, Iudæam Pilatus, Synagogam Annas & Caiphas moderarentur. Ita quippe in Euangelio legimus, *Anno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris procurante Pontio Pilato Iudæam.* Hæc expoſiturus, Primo Principes & rectores hos, ac tempus quo Ioannes docere cœpit exponam, deinde concionem admonitionemq; ipſius latius deducam.

*Matth. 3.*

*Luc. 3.*

II. Regnum Iudææ in quatuor tetrarchias diuiſum.

Principio refert Euangeliſta, Ioanne redemptionem humani generis annuntiante, Meſſiæque aduentum prædicante, Iudææ regnum in quatuor præfecturas ſeu tetrarchias fuiſſe diſtinctum, quib. pagani & idololatræ præerant, à Romanis Imperatoribus ſtabiliti. Horum autem Principum præfectorumque mentionem Spiritus S. facere voluit, vt hinc manifeſtum fieret, prophetarum oracula, quæ hæc omnia, cum Dei filius cœlo deſcendens humanam carnem indueret, euentura prædixerant, eſſe adimpleta. ac præſertim illud Iacobi morituri: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Hebraice autem loco verborum, *qui mittendus eſt*, legitur *Schilo*: quod nuſquam alibi in vniuerſo Scripturæ campo inuenitur, ac diuerſimode exponi poteſt: nam interpres Chaldæus pro *Meſſias* accepit. Genuinè autem denotat eum, qui omnibus in rebus dies & felix eſt, cuiq; omnia ad votum fluunt: omnia igitur quæ verbo huic quadrant, nulli niſi Chriſto Ieſu, qui verus Meſſias eſt, & à Patre æterno vnctus, conuenire queunt. Ita namque in Pſalmis prædictum erat: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

*Gen. 49.*

*Pſal. 44.*

Cæterum hoc Iacobi vaticinium difficultate non caret: promittit ſiquidem Meſſiæ aduentum, quamprimum vt ſceptrum & imperium à Iudæis defeciſſent, *Donec auferatur ſceptrum de Iuda.* At Chriſto nato Herodes Idumæus, qui primus externorum regnum adiit, è regum tamen Iuda ſanguine non oriundus, XXXII. Iudææ iam annis principatum obtinuerat: is inquam Herodes, qui ad Magorum aduentum turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo. Cur igitur in triceſimum ſecundum eius regni annum aduentum ſuum diſtulit Chriſtus?

*Gen. 49.* *Matth. 2.*

Difficultatē hanc diſſoluit Hieronymus, obiectioniq; reſpondens ait, vltimū de ſtirpe & tribu Iuda regem fuiſſe Hyrcanum, cuius filiam Mariam nomine duxerat Herodes. Hyrcano autem à Parthis quibuſcum bellū gerebat, in captiuitatē ducto Herodem generum quamprimum Romam regni adeundi cauſa ſe contuliſſe, & ab Auguſto & ſenatu, regni Iudaici adminiſtrationem adeptū eſſe: quā triginta & vno annis obtinuit, quāuis propter ſæuitiam crudelitatemque apud ſuos exoſus: quippe qui eius imperium graue ducerent, ægre ferentes alienigenam, nec de domo Iſrael ad regnum euectum. Sed primum & trigeſimum demū poſt annum vt regem eum agnouerunt, receperunt ac debitum fidelitatis, obedientiæq; ſacramentū ei præſtiterunt. ac tū Chriſtus cœlo deſcendit, & humana carne induta in hunc mundum natus eſt, tunc namq; primum ſceptrum de domo Iuda penitus defecit: eo quod Herodes pacifice nec dum regnum obtinuerat, & idcirco nondum corona Iudaica concidiſſet. Sed Herode mortuo, regnum mox in tetrarchiam aut quatuor dominia diſtinctum fuit, atque huc tendunt verba Euangelii, *Anno quintodecimo imperii Tiberii Cæſaris, &c.*

*Luc. 3.*

At quoniam Euangeliſta regnorum hodie & præſertim Imperii Romanorum meminit, Hiſtoricum hic agere volui, Imperiorumq; quæ in mundo vnquā exſtiterunt catalogum texere. Sciendum eſt igitur quatuor monarchias in mundo extitiſſe, & quatuor eius angulos occupaſſe, eaſque in ſacris voluminibus exſtare deſcriptas. Prima fuit Chaldæorū & Babyloniorum, cuius Geneſis meminit. huius auctor & fundator crudelis

Quatuor Monarch.

*Gen. 10.*

ille Nemrod exſtitit, pater Aſſur, qui vaſtam illam Niniuem conſtruxit. Secunda Perſa-
*Dan. 5.* rum & Medorum, quam Daniel propheta deſcripſit: quæ ſub Cyro & Dario, poſt mortem Baltazaris regis Babyloniorum, cuius regnum & potentia in Perſas & Medos trāſlata fuit cœpit. Tertia Græcorum, cuius princeps & caput Alexander Magnus, Philippi Macedonis filius poſt Darij ad Arbellas cladem, exſtitit: hāc auctor libri Machabæorum obiter deſcripſit. Quarta & poſtrema, Romanorum, quam Romulus, Numa, Regulus, aliique fundarunt, & Imperatores poſt ſubſecuti mirum in modum auxere: de qua Euangelium hodiernum loquitur,
*Luc. 3.* *Anno decimo quinto, &c.* Porro quatuor harum Monarchiarum variæ in ſacra Scriptura reperiuntur figuræ.

*Zach. 6.* Vidit olim Zacharias in obſcura noctis caligine quadrigas quatuor egredientes è medio duorum montium æreorum, ſed quadrigas inter ſe diſtinctas primarum equi erant rufi, ſecundarum ferruginei & nigri: tertiarum albicantes, quartarum diuerſicolores; Dixere nonnulli per hoc equorum diſcrimen quatuor Euangeliſtarum triumphū denotari: Rupertus autem per ipſum quatuor ſanctorum in Eccleſia honoratorum ordines demonſtrari, putat, per equos nempe rubros, Apoſtolos & Martyres: nam rubedo ſanguinis effuſionem denotat: per nigros, Confeſſores: qui ſe vitæ auſteritate & pœnitentia emacerarunt: per candorem illum, Virgines: per colores illos miſtos, Doctores & paſtores, idque propter virtutum doctrinæque varietatem. Sed Lyranus litteræ quam proxime inſiſtens, veritatisq; ſcopum feriens, quatuor Monarchias mundi ad oculum hic oſtendi cenſet: quarum prima ſit Chaldæorum, per equos rubros deſignata, eo quod ſæuiit, & hominum ſanguinē profundendo crudeliter graſſata eſt. alter Perſarum & Medorum, & quidem furua & nigricans, quod in terra ignorantiæ caligine & tenebris obſcuriſſimis viuerent. tertia Græcorum, candida & niuea, quod ſub Alexandro primo monarcha elucere cœperit clementia: poſtrema Romanorum, cuius figuracolorum illa varietas: Romani enim aliarum gentium mores didicerant, ac proinde inter Impp. eorum interdum ſæuities, interdum clementia viuebat vigebatque. Ecce & aliam figuram.

Quam Danielis prophetia nobis ſuggerit. Vidiſſe ſe propheta ſcribit quatuor monſtra & beſtias teterrimas, quæ mari egreſſæ inter ſe digladiabantur. prima ſimilis erat leænæ, & alas habebat aquilinas: altera vrſum referebat, tres dentium ordines exſerentem: tertia pardo par erat, volanti tamen, & quatuor capita geſtanti: poſtrema, beſtia vere admirabilis & incognita, ferreos dentes habens, & magnos quidem. Liranus myſterium hoc enucleans per quatuor has belluas, de principatu ac dominio maris inter ſe concertantes, denotari vult quatuor Monarchias, quæ Chriſti aduentum præceſſerunt. Tertiam hanc habetote. *Dan. 7.*

Statua illa, quam idem Daniel vidit è varia conflatam materia, Monarchiarum noſtrarum typus etiam ſtatui poteſt. Aureum quippe caput, Babyloniorum denotat Imperium: pectus & brachia argentea, Perſarū ac Medorum: venter æneus, Græcorum: femur ferreum & pedes lutei, Romanorum: idque propter varios motus, inquit Rupertus, & continuas ſeditiones commotionesq; quas eadem reſp paſſa eſt, modo enim bellum Ciuile inter Cæſarem & Pompeium, modo occultæ coniurationes Marii ac Sullæ; deinde triumuirales Octauii, Lepidi & Antonii cōtentiones, & aliæ innumeræ eam lancinarūt ac peſſum dederunt. His itaq; temporib. cum ſtatuæ pedes dominarentur, Ioan. Baptiſta prædicare cœpit pœnitentiam, *Anno 15. &c.* *Dan. 2.* *Lib. 6. de victoria, cap. 10.* *Luc. 3.*

Hic obſecro notate, mundani, idoli veſtri mundi inquam, incōſtantiam, nā vt alia gentium regna prætereamus, conſiderate regnum Iudæorum, quod in Saul Beniamin ita ſumpſit exordium, & tot præclaros totq; generoſos reges habuit, conſiderate inquam, vt ipſum iam cōciderit, in quatuor membra diuiſum alienigenisque & idololatris in prędam datum ſit: Herodes hic, illic dominetur Lyſanias, Iudææ præſit Pontius Pilatus, à Romanis Præſes conſtitutus. Quam bene & appoſite igitur ſcripſit Apoſtolus, *Præterit figura huius mūdi.* Omnia namq; regna, imperia, III. Mundi inconſtātia. *1. Cor. 7.*

peria, sceptra, coronæ, honoresque aliud profecto non sunt, quam spectacula quædam & personæ scenicæ in mundi huius theatro exhibitæ, figuræ mathematicæ, imaginariæ, vmbraticæ & futiles, quæ in momento transeunt, & in eodem non permanent statu. Psaltes quoq; in hanc rem ait, *Psal. 38.* *Vniuersa vanitas, omnis homo viuens, veruntamen in imagine pertransit homo.* Duo imaginum genera sunt, aliæ perpetuæ, quales eæ quæ in tabula depictæ sunt, aliæ autem apparentes, quales eæ quas speculum repræsentat: per imagines autem apparentes breuiq; transeuntes denotari vult honores, dignitates, mundiq; huius regna quæ in specie quidem aliquid videntur esse, re autem vera nihil, adeo vt magnates, reges, omnes quoque homines in momento pertranseant. in mundo quippe nihil solidum, constans, aut firmum haberi potest.

*Pierius in Hierogl. fol. 21.* Ægyptii porro eum qui rebus vitæ huius confideret, spemque in re fragili collocaret, anguillam manu tenere fingebant. Denotabant scilicet, inferiora hæc & mundana, instar anguillarum manibus elabi. nam vt anguillam nemo stringere & arcte comprehendere potest, ita nemo res has mundanas fragiles & fugaces: omnia nempe inconstantiæ arenæ inædificata sunt. Quã inconstantiam rerumq; vicissitudinem cognitam & perspectam habens Cicero exclamat, *O fallacem hominum spem, fragilemq; fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spacio sæpe franguntur, & ante in ipso portu obruuntur, quam portum conspicere potuerint.*

*lib. 3. de Oratore.*

Qui creaturis confidit, Deo diffidit.

Post Oratorem hunc prodeat in scenam magnus ille Doctor Augustinus, qui desperationis quoddam genus esse ait, spem ponere in creaturis, & Deo eum diffidere qui in hominem confidit. Hinc sapienter meo quidem iudicio Dauid propheta suasit hominibus mundi vanitatib. immersis, *Psal. 17.* *Nolite cõfidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* alibi quoq; satius esse ait, *sperare in Domino, quam sperare in principibus.*

Spei simulacrum.

Et quoniam spei mentio incidit historiæ monumentis proditum est, Romanos ei vt Diuæ cuidam diuinos honores tribuisse, tẽplum & statuam posuisse, atq; hunc in modum illam expressisse: Virginem pingebant viridi indutam toga, vna manu flagellũ, altera corniculam gestantem: itaq; illius mutationem, inconstantiam, varietatemq; demonstrabant: modo namq; cantu, quem cornix signabat, suo nobis blanditur: modo flagris nos cædit, diuissimeq; corripit. Stolidus igitur ac demens, qui in rebus his inferioribus spem figit: constantiamq; in iisdem sperat.

Moses ductor & doctor Hebræorum, vt hanc rerum inconstantiam varietatemq; significaret, populumq; ad pœnitentiam, idololatria cõmissa, traduceret, vitulum aureũ, quem conflauerant, cõminuit, in cineres redegit, quos aqua mistos populo bibendos dedit, quo facto stoliditatem ac vesaniam illorũ coarguere voluit, qui rei tam vili, quãuis ex auro cõflatæ diuinos honores tribuerent: simul etiam mundi vanitatem edocere, dum eum, quem paulo ante vt Deum adorauerant, in cineres iam redactum imo ab hominibus deuoratum & cõsumptũ cernerent. *Exod. 32.*

Eandem etiam instituit viam Deus, vt Nabuchodonosoris insolentiam cõpesceret, eiusq; fastuosos conceptus retunderet. Vidit namq; statuam admirabilem, à variis metallis conflatam ad scelerati laterculi cõtactum deiici & in puluerem resolui. An non hic demonstrauit, honores omnes, dignitatesque, quas homines tanto opere ambiunt, ipsa quin etiam Imperia & Monarchias, quas colossus hic denotabat, nonnisi puluerem, cinerem, ac fumum esse? Hanc ob causam Euangelista nobis regnũ Iudaicum collapsum repræsentat, ac sceptrum Iuda, externis regnum inuadentibus, diuidentibus, ac dissipantibus collisum & fractum: *Anno quinto decimo, &c.* *Dan. 2.* *Luc. 3.*

O tempora deploranda! regna misera & infelicia, dum à tyrannis & sacerdotibus simoniâ intrusis diriguntur & administrantur! sexcenta nobis hic impiorum principatus mysteria depromit. Euidens namque in primis diuinæ indignationis argumentum est, quãdo impii multis annis ad rerum publicarum sedent gubernacula, & felicitate temporali gaudent, quali Tiberius, qui in summa nequitia crudelitateque quindecim iam annos regnauerat. Secundo flagellum Euangelium hoc plura continet mysteria. 1. 2.

Dei est & iræ cœlestis indicium, dum morati & pii viri à reipubl. clauo repelluntur, impiiq; & scelesti eidem admouentur, omnemq; potestatem, reiectis bene merentibus occupant. Hinc Plato tum demum beatas fore resp. dicebat cum à sapientibus & philosophis eædem regerentur & ipse, vice versa, tum demum infelices eas, regnaq; euertenda existimo, cum ab impiis, sceleſtis, vitæq; cõtaminatissimæ viris administrantur.

Regnorũ calamitas si impios reges nanciscantur. *Iud. 9.*

Arbores cum olim in comitiis generalibus regem sibi quærerent, à quo defenderẽtur, & rhamnum delegissent exitii sibi causa fuere, suoq; se gladio iugularunt. Nam cum omnes vmbram illius sectarentur, ac sub eadem velut sub tutela delitescerent, igne spineto egrediẽte, rex & omnes quotquot ei adhæserant deflagrarunt: Hæc quidem quãuis parabola sit, aut potius apologus, significare tamen voluit, impiis, quorum figura rhãnus in præfectos rerum publicarum & reges selectis, subditos magno discrimini exponi, regnaque breui pessum itura, atque ita Sichimitis, eo quod crudelem Abimelech in regem elegissent, euenisse certum est.

Dei punitio est, externos ad regnum conuolare.

Tertio externorum & alienigenarũ hæc principum successio denotat, principũ & regum peccata in causa vt plurimum esse, cur nobiles prosapiæ deficiant & pessum eant, regnorũ priuilegia stacutaq; conculcẽtur & euertantur, alienigenæq; in regnũ & solium, reiectis legitimis, admittantur è quo singularem Dei indignationem, colligere licet: Quam perspectam habens Dauid, & calamitatem ex ipsa promanantem aduertens, cum

*Psal. 48.*

lacrymis dicebat, *Relinquent alienis diuitias suas*, id est: Diuites & reges excæcati, & à prauis affectibus, velut tyrãno quodam, oppressi, magno sudore laboreq; opes cõgerũt, ac nonnisi summa cum difficultate, fortunæ stabilem statum effingere satagũt, sed iustus scelerum vindex Deus tandem in peccatorum pœnam, legitimo hærede qui in regnũ & opes succedat, excluso, in alienos & extraneos coaceruatas opes egeret & transferet.

*Gen. 15.*

Atque hoc est quod tantopere Abraham Patriarcha, à Deo in peregrinum se solum coactus conferre, metuebat dicebatque gemens; *Domine Deus ego vadã absq; liberis & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Mihi autem non dedisti semen, & ecce vernaculus meus hæres meus erit?* Patriarchæ huius gemitus lamentaq; satis innuunt, quã graue ac molestum parentibus sit, nullas, postquam diu sudauere, post se proles relinquere, quibus partas opes relinquant, sed alios & extraneos in hæreditatem admittere.

Ezechias rex, audito sibi propediem moriendum, atque ea de causa res familiæ & regni negotia in tuto collocanda, adeo perculsus est, & tantopere consternatus, vt ad templi parietem conuersus amare fleuerit. Quicumque locum hunc interpretati sunt, aiunt, non aliam lacrymarum regiarum causam fuisse, quam quod illiberis moreretur, regnumq; ampliſſimum ad extraneos deuoluendum & quod suis destinauerat, in aliorum manus deuenturum esset. Ecquænam igitur calamitas, imo quam grauis Dei indignatio censenda est, regnum hoc pulcherrimum, manibus Iudæorum iam eripi, & alienigenis in prædam dari?

*4. Reg. 2.*

*4. Reg. 20.*

Quicunq; iniquis artib. ad regnum deueniunt breui eodem excidunt.

Considerare hic vos velim, Principes, vt omnes qui malis artibus regnum inuadunt, & per fas & nefas solium conscẽdunt, instabiles in dignitate sint breuiq; dominio excidant, aut propediem moriendo, aut regnum amittendo, & ad statum priſtinũ redeundo. Herodes Ascalonita per tyrannidem ad regnum Iudæorum deuenerat, violenterq; solium conscenderat: & ecce, antequam diem extremum clauderet monarchiam suam in tetrarchiam subdistinctam vidit, ipsam quin etiam Iudæam à Præside Romano, externo & gentili, teneri. Abimelech Gedeonis filius ad regnum aspirans, septuaginta fratres, quo pacifice regnaret, interemit: sed heu, fallaci ridens fortuna vultu eum delusit, adeo vt breui, etiam manu mulieris fuerit interfectus. Idipsum & Ieroboamo euenisse constat, hic enim regnandi desiderio flagrans, & aduersus Roboamum dominum suum conspirans, vitulos etiam aureos populo adorandos proposuit, quo regnum firmaret, omniumq; animos sibi deuinciret: sed breui felicitate delusus fuit: nam nihil minus cogitans, impietatis reus, & regno & vita spoliatur. Achab quoque regis eadem

*Iud. 9.*

*3. Reg. 16. & 20.*

dem fuit sors. Hæc igitur animo vestro insculpta circumferte ô Principes.

IV. Regni Iudaici diuisio eius excidium denotat. *Luc.* 11.

Vos vero qui ad reipubl. clauum sedetis, resque publicas administratis, hic obiter cõsiderate, quã bene è diuisione hac regni Hebraici, eius excidium colligi queat; & quam verum sit axioma illud Euangelicum: *Omne regnum in se diuisum desolabitur.* Si enim linguarum cõfusio turrim Babel, de qua in Genesi, destruxit, & ad nihilum redegit, ipsa voluntatum dissensio & varietas, affectuumque discrepantia, an non multo magis regnis interitum & exitium perpetuum afferent: *Luc.* 3. Videte hoc in Euangelio nostro ad oculum: *Anno quinto decimo Imperij,* &c.

*Sup. Euang.* Notat autem Gregor. Papa, non sine singulari S. Spiritus instinctu, duorum hic populorum, Iudæorum & Gentilium, mentionem fieri, præsertim eum de aduentu Messiæ in mundum omnes iam passim Ierosolymis agerent; vt appareret, hunc vtriusque populi redemptorem adueniisse, & è duobus vnã colligere Ecclesiam voluisse. Cuius rei plures figuræ fuerant & præambula: vt in primis duo illa animalia, in quorum medio nasci voluit; duo illi asini, quib. in die ouationis insedit; duo latrones, in quorum medio mortuus; aliaque plura, quæ ante & post acciderunt: è quibus omnibus colligi poterat, Messiam vtrumque populum saluatum veniisse, & è duplici materia nonnisi vnum parietem facturum.

Iudæorum scelera inualuerant Christo in mundum veniente.

At nondum hic quiescimus. Euangelista meminit adhæc sceleratorum Pontificum, Annæ & Caiphæ, vt, quam corrupti tunc mores essent, non modo sæcularium, sed etiam sacerdotum, euidenter ostenderet. Eadem quoq; opera Dei hic bonitatẽ & agendi consuetudinem notari velim, tunc nimirum mundo singulare hoc beneficium conferre cupientis, cum omnium minime promereretur, vitijs scateret, & scelera ad summum iam deuenissent. Huc respexit Apostolus Galatis scribens; *Gal.* 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factũ ex muliere.* Quam hic plenitudinem intelligit? plenitudinem inopiæ, plenitudinẽ miseriarum, plenitudinem scelerum omnium. O bonitas inaudita & incomprehensibilis! Hoc autem nobis semper insculptum voluit Deus, vt hac ratione amor illius in pectore nostro iugiter dominetur & ardeat. Vnde per Prophetam significauit: *Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me. Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris; pater tuus primus peccauit, & interpretes tui prauaricati sunt in me.* Perinde ac si dixisset, Non tui amore, non maiorum tuorum meritis inductus, (omnes quippe peccatis, meque variis sceleribus ad iracundiam prouocatis) sed ex mera gratia, hocce in te beneficium contuli populo meus. *Isa.* 3.

Discite hoc exemplo, Auditores, benefacere his qui vos oderc: hoc quippe re factisq; Dominus edocturus in hunc mundum venit. Vnde filio æterno apud Prophetam ait Pater: *Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas.* quia non modo Patri nos suo reconciliaturus venit, sed nos nobis adunaturus. Quin etiam, diu ante quam descenderet, lectionem hanc edocturus, Hebræis præceperat, ne Idumæos detestarentur, eo quod fratres eorum essent, nam quamuis Idumæi è prophana progenie Esau descenderent, & Hebræos summopere detestarentur, nihilominus tamen Israelitis præcepit, ne eosdem exosos haberent, sed vt fratres complecterentur. Vbi docemur, qua potissimum de causa inimicos nostros diligere debeamus; quia nimirum fratres nostri sunt, caro nostra & sanguis, & ad eiusdem Dei similitudinem efformari, quin & ad eandem gloriam aliquando possidendam destinati. Verum ad Principes nostros iam reuertamur. *Isa.* 49. *Deut.* 23.

Oracula Danielis prophetæ colossum nobis ingentem & vastum describunt, cuius caput aureũ, pectus argenteum, pedes vero lutei: & ecce tantã hanc molẽ lapillus monte deuolutus, & pedibus illius aduolutus deiecit, & in frusta comminuit. Designare hoc volebat, postquã genus humanum, à capite illo aureo, id est, ab ætate aurea Patriarcharum, & à pectore argenteo, id est, à sancta & laudabili Prophetarum conuersatione delapsum, ad luteos pedes temporis illius, quo & Hebræorũ & Gentium vita, quæ erat corruptissima deuenisset, tũc lapidẽ qui Christus *Dan.* 2.

est, è

est,è monte,id est,deipara Virgine, descensurum,pedesque & totum statuæ huius corpus,quæ è Gentilibus;& Iudeis composita erat,confracturum, & nouam Ecclesiam exstructurum. Sed audite,proferam & alia.

Concionator Euangelicus de rebus prophanis aliquando concionē instituere potest.

Cum in Euangelio hodierno nomen Romanorum Imperat. Tiberium, titulos Cæsareos, Pontium Pilatum,Herodem,Philippum, Lysaniam, Annam & Caipham, illos ethnicos & infideles,hos sceleratos & Simonica labe infectos audio; quamprimum animo occurrit, quandoquidem Euangelium à recensendis ethnicis & scelestis hominibus haud quaquam abhorret, Euangelico concionatori magnopere etiam prodesse, non sacras modo scripturas accurate callere, sed historias etiam profanas monumentaq; gētilium lectitasse: è quibus dum tēpus & argumētum postulabit in rem suam arma poterit depromere,aut saltem è sacro armamētario educta his ipsis exacuere, quibus inimicos,& religionis vitæque melioris aduersarios & oppugnabit,& expugnabit. Quam in rem egregiam figuram proferam.

Philisthæi cum Israelitis prænalerent,quo eos in potestate retinerent, eorumq; rebellantium impetum compescerent, vniuersos Israelis fabros, cusores, cōflatores in terram Philistiim abduxerunt, vt è primo Regum manifestum redditur; adeo vt si Hebræi vomere aut sarculo ad colendam terram, vel gladio ad pugnandum indigerent, ad Philisthæos se conferre opus haberent. Hinc discamus Catholici intellectum cum omni sua armatura & supellectile nonnunquam posse in terram infidelium descēdere, vt ipsi arma exacuant, & ex historiis eorum argumēta elicere fas esse quibus eos deinde oppugnet &destruat. Vtile igitur fuerit plurimam rerum historicarum, veterumq; monumentorum cognitionem habere,quæ tempore & loco vsu veniant.

1. Reg. 13.

Mundi fraus. Matt. 10.

Ea namq; mundi fraus & versutia est, vt qui in eo quiete & secure viuere desiderat serpentis prudentiam, vt Christus olim suasit,habeat necesse sit, modo virus & malitiæ venenum absit. Quis enim credidisset, sub Adoniæ verbis,Bethsabeam Salomonis matrem alloquētis,astum latere? Petebat ille in matrimonium Abisag Sunamitidem Dauidis cōcubinam,quam deperire se aiebat; sed aliud in verbis illis venenum delitescebat. Nam simul ac Bethsabee illius postulata ad Salomonem filium retulisset,ille qua erat sapientia,tametsi iuuenis, fraudem intelligēs matri ait: *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ,postula ei & regnum*,&c. perinde ac si dixisset: An ignoras mater,Abisag,quam fratri postulas, patris mei Dauid cōiugem fuisse,ac reginæ nomen adeptam, multis ab eodem locupletatam fuisse diuitiis? adeo vt si Adoniam hanc ducere contingat,in me,qua est ambitione & regnandi siti,conspiraturus sit,meque regno priuaturus. Salomon igitur fraude & astu cognito fratrem interfici iubet,vt res suas in tuto collocaret. Docemini hic prudentiam & cautelam, imo astum & versutiam, si occasiones id exigant: & præsertim superiores,patresque familias,ne fortasse filii, aut serui eos circumueniant. Habenda igitur prudentia est, quæ è profanis auctoribus sæpe erui potest, ideoque interdum in manus sumendi, quoque ex Euangelio hodierno manifeste ostenditur, in quo Gentilium nomina in rem sacram proferūtur. *Anno quinto decimo*, &c. Sed æquo hic mihi diutius hæsisse videor: Ioānis iam prædicatio inchoanda, atque hoc alterum concionis membrum futurum est.

3. Reg. 2.

Serpentis prudentia in mundo volenti viuere necessaria.

Luc. 3.

Regno igitur Israel in tetrarchiam diuiso, & Gentibus quodammodo in prædam dato, inque alienigenas frustillatim dilacerato, *factum est verbum Domini super Ioannem in deserto*. Hebraicam hic notate phrasim, qua innuitur, Deum Ioanni præcepisse, vt verbum suum populo annuntiaret: atque hæc loquendi ratio in sacris literis latis frequens & obuia est; vt & apud Isaiam: *Et factum est verbum Domini ad Isaiam*. Adeo vt Ioannes triginta annorum esset priusquam concionari inciperet:hic discimus,prædicandi munus & officium ætatem maturam,magnamque prudentiā exigere. Deinde prædicator hic expectabat, donec à cœlo ad docendum vocaretur; & deserto egredi, cauernis prius exire,ad populum docendum noluit, quam Deus vocasset,& iussisset.

Hebraica Phrasis.

Isai. 32.

Spiritus illi cœlestes quos olim Isaias ante

Isai. 6.

Dei

Conciona-tor.

Dei thronum volantes vidit, quamuis duab. alis volarent, quatuor alias tamen vinctas & colligatas habebant. Mysterium denotat, in iis ad quæ ex voto necessitateq; obligamur, qualis est integra legis obseruatio, & maxime obedientia semper nobis volandum esse, nunquamq; quiescendum; at in iis quæ præter ordinem suscipienda sunt cœlestem vocem à qua vocemur, vt Ioannes hic expectãdam. Obedientia siquidẽ præstat sacrificiis.

2. *Reg.* 6.

Oza, cum currum, quo arca Domini vehebatur regeret, dum sacerdotale munus, arcam vacillantem & lapsum minitantem profanis manibus attingere præsumẽdo, temere sibi arrogat, vindicẽ Dei manum sentiens, extemplo exanimis in terram concidit, & ad aliorum cautelam temeritatis pœnas dedit. Docemur hic, eos qui vltro se, à Deo nec missi nec vocati, in aliquod munus ingerunt, & intrudunt, & maxime in prædicationis quod sacerdotum proprium est, temeritatis pœnam promereri, & importunæ ingestionis reos esse. Intellexit hoc Apostolus, dum Hebræis scribendo ait: *Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquã Aaron.* Innuere voluit magnæ temeritatis indicium esse, prædicationis munus velle assumere, & à Deo non esse prius ad ipsum destinatum. Vnde Ioannes triginta annis in deserto vocem Domini præstolatur; & ecce tricesimo anno completo, factum est verbum Domini ad eum.

*Hebr.* 5. Nemo cõcionatoris munus nisi mittatur, assumat.

V. Nihil damnosius hominum consortio.

Quanta mysteriorum seges in horum verborum agro sese manifestat? Primo, Ioannes quantumuis iam ab vtero matris sanctificatus fuerit, adeo vt mortali se peccato coinquinare non posset; hominum tamen familiaritatem consortiaq; deuitans, in deserto & inuia solitudine apud feras habitare voluit. Nam homo homini pestis & interitus, nullumq; quam ab hominibus grauius damnum patimur. Hinc cum Deus Hebræos in terram Chananæorum induceret, omnes habitatores & incolas interfici, aut sedibus pelli voluit: innuere volens nihil sceleste rum deprauatorumque consortio deterius aut pernicioſius esse. Atq; hoc voluit Dauid rex, cum Sauli gemens diceret: *Maledicti; serui in conspectu Domini, tui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes, vade, serui diis alienis.*

*Num.* 33.

1. *Reg.* 26.

Secundo, mundi negotia deserit, hominumq; commercium fugit, vt eo melius cõtemplationi cœlesti vacet. Hoc namq; hominib. piis & contemplatiuis imprimis necessarium est; vnde per Prophetam ait Deus: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus:* Quicũq; Deum videre & intueri desiderat, ab omnib. mundi negotiis liber sit oportet. Hinc in Genesi; Deum in rerum omnium creatione soli diei Sabbati, quo ab opere cessarat, fi. nemq; creationi imposuerat, legimus benedixisse. Vnde manifeste colligitur, illo nos tempore cœlestem benedictionẽ promereri, quo ab humanis occupationibus vacamus, & ab omni negotio sæculari feriamur.

Ioan. mundum desertorit, vt rebus diuinis vacet.

*Psal.* 54.

Hinc quietem cum sponsa in Canticis caperet, exultans sponsus filias Ierosolymitanas coniurat, hanc ne interrumpere præsumant, sed dormiẽti adstent congratulantes; *Adiuro vos filiæ Ierusalẽ, per capreas ceruosq; cãporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit.* Hic discite, Auditores, nunquã excitare, id est, impedire animas, sponsas illas cœlestes, quiete perfruẽtes, & tranquille in monasteriis degentes. In illis enim molliter dormitãt, procul ab omni strepitu & à turbis mundanis sequestratæ. Felices autem ter & amplius, quib. hac quiete perfrui concessum; at miseri & infelices qui eadem carent, mundi negotiis nimium implicati, eorũ quæ Dei sunt, & ad amorem spiritualium rerum spectant, obliuiscuntur. Cuius rei figura hæc est.

*Gen.* 2. Non sunt impedien-di qui quiete in monasteriis viuunt.

Erat apud Hebræos ignis in altari semper accensus; præceperat namque Deus: *Ignis in altari semper ardebit.* Hinc porro ignem sacerdotes tempore captiuitatis Babylonicæ in cauerna quadam occultarunt; quem cum postliminio libertati pristinæ restituti, & in patriam reuersi quæsiissent, aquam quãdam crassam & spissam, vt in Machabæorum libris refertur, inuenere, qua ligna & victima deinde cõsperſa, sole in axe nitente, & radios euibrante, ignem mox concepere. Hebræi igitur quamdiu Hierosolymis agerent, accẽsum semper in altari holocaustorum ignem habuere; sed ipsis in Babylonem abductis,

*Leuit.* 6.

2. *Mach* 1.

idem in aquam lutosam & spissam conuersus est. significare hic etiam Deus voluisse visus est, eos qui in spiritus quiete & tranquillitate procul à rerum mũdanarum strepitu viuunt, diuini amoris ignem in cordis ara conseruatum fouere, ignem inquam, opera illorum desideriaq; Deo incendentem & adolentem: qui dum negotiis variis implicati, in mundi Babylonem secedunt, eundem in cœnum & lutũ, id est, in tetra & impura desideria conuerti. Hinc Ioannes à primis annis negotia sæcularia deserit, in desertum secedit, vocem Domini, qua ad prædicandum inuitetur, interea præstolans.

Ioannis perseuerantia.

Notate hic etiam Ioannis perseuerãtiam, & infractam constantiam, idq; in tanta austeritate vitæq; continentia: ac nostram heu inertiam & imbecillitatem, qui cum vix annum integrum Dei seruitio impendimus, virtutumque exercitio ad tempus incubuimus, defatigati & dormiscẽtes à sancto proposito resilimus, & arma deponimus. Dauidem regem sapiens & cordata quædam matrona his elogiis decorauit: *Sic est Dominus meus rex, sicut angelus Domini, qui neq; benedictione, neq; maledictione mutatur.* Quo constantiam illius & immobile robur exaggeret, angelo eum comparat, qui quod semel animo concepit, nunquam deserit, decreta eius immobilia sunt, & voluntatem nunquã mutat. Fœlix igitur ille & vere beatus, qui quam virtutum viam semel insistere cœpit, non deserit, nullaq; prosperitate aut aduersitate à cœpto reuocatur. Fœlix ille qui semper idem est, ac velut rupes, omnes pelagi minas & rabiem exsibilans, immobilis & infractus persistet.

2. Reg. 14.

Perseuerãtibus vita æterna promissa est. Luc. 22.

Tam nobilis porro perseuerantiæ virtus est, vt, postquam Dominus in Euangelio discipulorum constantiam deprædicans dixisset: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis:* mox subiunxerit, *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater regnum.* Eo quod tentationes superassent, & in certamine infracti destitissent, cœleste iis regnum pollicetur; vnde colligere est, eos coronam & diadema promereri, qui in virtutis studio perseuerant. Hinc virum iustum soli nunquam lumen amittenti, stolidum vero lunæ, in menstruas mutationes distinctæ, comparat Sapiens: *Iustus sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur.* Atque vt chamæleon loci in quo versatur colorem attrahit; ita inconstantes & mobiles, in horas & quauis opportunitate oblata mutantur. Eccles. 27.

Viginti quinque iam annis Ioannes eremum, instar anachoretæ, incoluerat, inque vasta solitudine habitationem fixerat: è quo de sanctitate illius ominari licet. nam vt nobilissimæ ac generosissimæ aues semper in lustris & desertis locis volitant, rupesque inaccessas inhabitant, hominum familiaritatẽ exosæ, ne fortasse eorũ insidias experiantur: ita sanctissimi quique & diuina contemplatione nobiles, mũdanorum familiaritatem, & commercia deuitant, ne forsitan inescati ad prauorum imitationem transuersum abripiantur, ideoq; in solitudinem & eremum secedunt, atq; hunc in modum seipsum alloquebatur Bernard. dicens: *O anima mea sola es, vt illi soli te solã serues quẽ ex omnib. elegisti.* Simile.

Iulius Cæsar dicere solebat, nunquam se minus solũ esse, quã dum solus esset, qui hoc fieri posset, interrogatus, prudentissime respondit; huiusmodi debere nos seligere socios, qui meliores nos efficere consuetudine sua possent; prauorum vero & sceleratorum consortia fugiẽda, quorum vita damnum & detrimẽtum afferre soleat. Si enim viuentiũ, inquit, consuetudinem consector, omnes in vitia pronos cõperio. At dũ solus sum, mortuorum cõmercio societateq; gaudeo, eorũ heroica facinora virtutesq; litteris cõsignatas lectito, ac totidem tunc stimulos & calcaria sentire videor quib. ad imitationẽ inciter, iisq; similis esse quodammodo cõpellar. Huc accedat præclara illa D. Antonij sententia, qui initio conuersionis dicere solebat, *Si saluari velis, honores & homines fuge.* Hoc profecto magnus Zachariæ filius fecerat, qui iã inde à quinto ætatis anno mundo valedicẽs in desertũ secesserat, & trigesimũ hodie annũ agens, eodẽ egreditur, vt mundũ ad pœnitentiã vocet, Deiq; Euangeliũ deprædicet? *Et venit in omnem regionem Iordanis.* Hinc discere possumus, perutile sæpenumero esse, ne dicam necessarium, cõtemplationẽ relinquere, & misericordiæ operibus vacare: præsertim. Iulij Cæsaris apophtheg. Luc. 3. Contemplatio VI. Interdum deferenda operaque.

misericordiæ exercenda.

sertim cum ille Anachoretarum Primas Ioannes, qui tanto tempore contemplationi studuerat, deserto egrediatur, inque mundi turbas se coniiciat. Actio porro & contemplatio sorores sunt, quarum figura & exemplar Martha & Maria fuêre, ambæ Christo caræ. Quod egregio è Cant. carmine conceptu notius reddam. Ita namq; sponsam suam alloquitur sponsus: *Quæ habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.* Quasi dicere voluisset; ô anima, quæ vt plurimum per florigera & amœna diuinæ contemplationis prata obambulas, egredere pauliſper, & veni in nosocomia & xenodochia, veni in prochotrophia, in domos pauperum ac viduarum: illic audire vocem, operaque misericordiæ qui exerces, videre velim: illic pauperes, amicos s. tuos, operire, qui te videre vocemque tuam audire gestiunt.

*Ezech.* 1. Contemplatio actioni iungenda.

Animalia illa prodigiosa, quæ Propheta olim vidit, volabant, & manus etiã hominis sub pennis habebant. Mystico hoc emblemate designare voluit Deus, desiderare se in nobis & alas contemplationis, & manus quibus operemur, proximoq; in necessitate constituto succurramus. Notandum quoq; hîc, singula hæc animalia manus hominum habuisse. Sunt enim plurima aquilæ quidem alas habentes, sed vnguibus leoninis deformes, & ferinas manus præferentes, qui quãuis in meditationibus suis mirifice illuminentur, & interdum in sublime efferantur; operibus tamen barbariem quandam & inhumanitatem præferant. Horum de numero Ioannes non erat, sed ad horum animaliũ imitationem, habebat & actionem & contemplationem. cum enim tanto tempore in deserto meditationi rerum diuinarum studuisset, hodie vitam actiuã inchoat, mundũ docet, peccatores coarguit; ad pœnitentiam deuios reuocat. An non auditis, vt per arboreta & opacam solitudinem vox illa strepat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius?* *Marc.* 1.

Ecquis ille, Deus bone, Doctor? Ecquis Ecclesiastes? in deserto sc. à pueritia educatus erat, triginta annis in solitudine, velut in vmbra, sese exercuerat, ab omni sæculari strepitu & rerum mundanarum impedimentis immunis, & ab hominum commercio familiaritateque penitus remotus. Diues ille Euangelicus, inferni supplicijs excruciatus, patrem Abraham rogauit, vt angelum, vel aliquem è mortuis, ad fratres destinaret, qui eos ad pœnitentiam hortaretur. credebat siquidem huiusmodi prædicatorem plus apud illos, quam alium quempiam, eo quod ab altero venisset orbe, auctoritatis & ponderis habiturum, sibiq; persuadebat, prædicatorem vitam huiusmodi instituere debere, vt non de hoc mundo, sed de altero, venisse iudicaretur: qui vero mundum & mundana redoleret, huic muneri penitus ineptum esse. *Luc.* 16.

Hinc Ezech. Deus ad annuntiandum verbum suum emittẽs, hoc eimodo locutus est: *In conspectu eorum portaberis, in caligine offeres, faciem tuam velabis, & non videbis terrã.* Innuere voluit, concionatoris esse, raro prodire in publicum, & nonnisi clam & occulte, raroq; se in populi conspectum dare: oculos quoque ei velandos, ne terram aspiciat, i. e. turbis & negotiis sæcularibus se immisceat. *Ezech.* 12.

VII.

Ioannes in Pathmos insulam relegatus, angelum vidit, qui Babylonem præteruolaret, manuq; æternum Euangelium gestaret; qui cum alta voce inclamasset: *Timete Dominum, & date illi honorem*, vrbs cõcussa ad terram concidit. rem miram, tamen veriſſimã! innuit autem, veri prædicatoris nomine eum dignum esse, qui Angelicam viuendi rationem exprimat, Euangelium manu præferat, id est, cuius opera verbis quam proxime respondeant, qui in vrbibus non commoretur aut tergiuersetur, sed quodammodo volando pertranseat. Felix autem ille & vere felix qui egregiam hanc symphoniam edere potest, qui cor ad linguã, mores ad verba tẽperare nouit. Vnde bene, mea quidem sententia Salomon: *Legem meam quasi pupillam oculi tui liga, in digitis tuis scribe illam.* legem autem digitis tunc cõcionator inscribit, quando quæ dicit opere complet, vitamq; verbis adaptat. Vtrumque Ioannes quam perfectissime expleuit: vita siquidem eius prædicationi, & prædicatio vitæ, respondebat. In desertis enim viuebat locis, ac nonnisi pœnitentiam docebat. Hoc autem concionum illius thema: *Parate viam Domini.* *Apoc.* 14. *Prou.* 7.

Cum Ioseph Patriarcha Ægypti Domi- *Marc.* 1.

*Gen. 41.* nus constitueretur, & triumphum quodammodo ageret, præco eum præcedens clamabat, vt omnes genu coram eo flecterent, & vniuersi regni præpositum eum agnoscerent. Ad eundem etiam modum Ioannes hodie, Messiæ aduentum veluti præco ante eum præcedit, clamans & omnes excitãs, vt vias illi parent, impedimenta remoueant, honorem debitum exhibeant, atque vt mundi redemptorem eum agnoscant. Ita namq; de eo vaticinatus erat Zacharias pater. *Et tupuer Propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.* Viæ igitur Domini præparandæ sunt.

*Luc. 1.*
*Leuit. 5.*

Quicunq; in lege veteri par turturum pro peccato offerret, aut duos pullos columbarum, vnum in holocaustum, alterũ pro peccato immolabat, at qui pro expiatione peccati offerendus erat, iugulari prius, omnemque sanguinem profundere debebat. nolebat enim DEVS sacrificium hoc sanguine fœdari. *Et asperget de sanguine eius parietem altaris, quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentũ eius, quia pro peccato est.* Sanguis hic primo effundendus, ac deinde victima immolanda & cõburenda denotant, prius desideria carnis nostræ mortificanda, quã Deo cor in holocaustum & sacrificium offeratur. Atque hoc est, iuxta Euangelii sensum, vias Domino præparare.

Allegoria.

Cur Hebræi in deserto non fuerint circuncisi.

Præceperat olim Deus, Hebræorum masculos octauo die circumcidi; quadraginta tamen annorum spatio; quo in deserto Sinai hæsere, nemo legitur circumcisus, donec terrã promissionis ingressi essent; sed quotquot Ægypto exierant, in deserto mortui sunt. Mystica autem rei huius ratio hæc est: quod Deus veram fore eorum circumcisionem non crederet, qui quotidie ad ollas Ægyptias adspirarent, ac præter Ægyptum nihil somniarent. Et profecto illi circumcisione, quæ in corde peragitur penitus indigni censendi sunt, qui Ægyptum semper in animo & cogitatione gerunt, vitulos aureos in deserto adorant, mundique captiuitatem æquo animo ferunt, adeo vt liberi iam eandem denuo experiri velint. Quamobrem omnia hæc velut impedientes salebræ, detruncanda sunt, vt ita Domino via paretur, & Ioanni fides habeatur, dicenti: *Parate viam Domini.* Id est, Animas vestras adornate, cõscientias præparate, virtutibus si quibus potestis, easdem insignite, domicilium animæ vestræ, quam poteritis optime instruite, & pretiosissima suppellectili replete; si quid autẽ ad ornatum deerit, Deus, quæ illius benignitas, & liberalitas est, de suo conferet, & abunde supplebit. Admirationem scilicet regum mundi huius, qui quocunq; diuertant, etiam in palatio lectissimo ornatissimoq;, supellectilem tamẽ omnigenam & pretiosam secum trahũt, ac præsertim ea quæ ad regium splendorem facere videtur. Formosa quidem fuit Iudith à Deo condita, pretiosæ & splendidæ fuêre vestes quas induerat, quo gratiam in oculis Holofernis inueniret, attamen, quoniam natiua illa pulchritudo, & decor ascititius non sufficiebat, DEVS singulari quadam ratione pulchritudinem eius auxit, adeo vt quæ prius cum nymphis, postea cum duabus forma contendere potuisset. Hinc discimus, Deum, quando animam illustrare & adornare, conscientiasque virtutibus insignire contendimus; perfectiones alias, & copiosam gratiam de suo vltro profundere nostrique ornatus & pulchritudinis esse studiosissimum.

*Marc. 1.*

*Iud. 10.*

Philosop. axioma.

Nam vt formæ substantiales, dum materiæ formam tribuunt, eandem quoque perficiunt: quæ quamprimum vt locum habere cœperint, mox subiecto esse, mouere, sentire, vitam, & actionem conferunt: Ita benignissimus Deus gratia sua animam nostram polit & informat: qui quamprimum vt eam subierit, quidquid ad ornatum eius deesse videtur, largissime suppeditat. Atque huc respexisse visus est Salomon, cum de Sapientia diceret: *Veniant omnia bona pariter cum illa.*

*Sap. 7.*

Virgines illæ, quæ coram rege Assuero comparere statis diebus debebant, præter ornamenta, monilia, cimelia, quæ secum deferebant; quidquid sibi ad ornatum deesse putabant, à rege ornatus & pulchritudinis studiosissimo accipiebant, quo elegãtiores & formosiores viderentur: ita quidquid nobis ad animarum perfectionem & ornamentum

*Esth. 2.*

mentum putabimus deesse, è spiritualibus Dei regis nostri thesauris petere poterimus. qui nihil huc spectans denegabit. Cum vero coram maiestate eius nos sistere voluerimus, persuadeamus nobis quæso, Deum, præter pulchritudinem, virtutumque decus quod acquisiuimus, plura alia gratiarum ornamenta è thesauris suis, vt Estheri reginæ eunuchi, suppeditaturum, charismatibusque variis nos adornaturum. *2. Par. 5.*

Crediderat quidem rex Iudæ Salomon, splendidissimam se Deo domum constrvxisse: at quoniam nihil esse, imo tantæ maiestatis intuitu sordere eadem videbatur; nebula illam & gloria Dominus repleuit, atque ita tandem dignum se palatium & habitaculum effecit. An non hic discimus, omni etiam ornamento adhibito, quo animas ad Deum recipiendum præparamus, nihil nos effecisse, imo omnia ipso indigna esse; ipsum vero, cum in easdem descendere voluerit, noua quadam ratione illas adornare, gloriaque & maiestate complere? Tamen quantum possumus, easdem ornemus, ac pro viribus venustati ac splendori earum studeamus, & merito. Deus animam gloria aduentu suo replet.

Si enim, dum Angelus, Dei personam repræsentans, cœlo descenderet; omnem populum, ipsos etiam sacerdotes, sanctificari & mundari voluerit Deus, quanta obsecro sanctitate & munditie opus est, vbi ipse Deus in animas nostras descendere voluerit? Hinc bene, Iudæos alloquens exclamat Isai. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum*, id est, paucis vt dicam, *Parate viam Domini*. *Exod. 19.* *Isa. 1.* *Marc. 1.* *Num. 11.*

Pridie quam Dominus, Hebræorum œconomus, coturnices & volucres in castra Israel, velut commeatum, plueret; clangere buccinas voluit, & per omnes castrorum angulos edici, *Sanctificamini cras, & comedetis carnes*. Cogitate obsecro vobiscum, si Deus ita Israelitas ad coturnices & cibum corporalem sumendum paratos voluit: an non præparationem ad epulum illud regium, diuinum, ac vere cœleste, quod in Incarnatione filii Dei, eiusque aduentu adornatur, in quo animæ nostræ incredibili gaudio deliciis incomprehensibilibus, gloriaque inæstimabili reficiantur, merito à nobis omnibus exigat.

Nemo pannosus aut sacco indutus atrium interius Assueri regis ingrediebatur, nisi certissimum capitis periculum adire vellet: nullus enim nisi splendens & rutilans admittebatur. Si terreni regis maiestas & amplitudo hunc fastum & ornatum requisiuit, an non maiorem rex ille cœlestis promeretur? profecto indecorum & ineptum esse censeo, pannosum & lacerum coram maiestate illius apparere, laciniis inquam peccati deformem, & sordibus scelerum putrescentem: quamobrem omni ratione cauendum, ne, cum aduenerit, res nostræ pessimo sint loco, vitiisq; sordeamus, aut laceri simus: ideo date operam, vt Domini vias præparetis. *Esth. 4.*

Ipsa porro via Domini nihil aliud est quã voluntas nostra, per hanc enim ad gratiam & iustificationem peruenitur, & sine hac ad nos Deus accedere non potest, aut suam erga nos misericordiam ostendere: ideo siquidem exigit, vt viam paremus per quam ad nos descendat. Omnia autem peccata viæ nostræ sunt, sola virtus via Domini: quæ à se mutuo nimium quantum distant, *Non sunt*, inquit Propheta, *viæ meæ sicut viæ vestræ, & cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ*. Peccatorum quippe via ampla est & lata: semita autem Domini angustissima. Ipsa quoque vita nostra via ad gloriam æternam est, ideoque viatores & peregrini, interea dum hic viuimus, nuncupamur: hæc porro, dum nascimur, incipit: dum morimur & hinc abimus, desinit & exspirat. Voluntas nostra via Domini est. *Isa. 58.*

Ita scilicet philosophatur Apostolus Paulus, *Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino*. *2. Cor. 5.*

Ipse etiam Dominus vias habet & semitas. Vnde Psalmographus easdem sibi demonstrari postulãs ait, *Vias tuas domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*. Vias solum sibi demonstrari postulat, de se confidens facile se easdẽ sequi posse: ad semitas edoceri vult, & in iis à Domino dirigi: viarum autem nomine præcepta decalogi hic intelliguntur: per semitas autem consilia Euangelica: ad decalogi mandata omnes omnino mortales obligantur, ad cõsilia vero nulli nisi qui vltro iis se subdunt. Præceptũ siquidem est & Domini *Psal. 24.* Deus habet vias & semitas.

mini via, eleemosynam extrema necessitate oppressis elargiri: at consilium & nonnisi trames & semita, diuenditis suis & pretio in pauperes distributo, monasticam profiteri. Hinc est, quod qui consilia sequi contẽdunt, maiora certamina patiantur, maiorique discrimini exposíti sint quam qui vias ingrediuntur communes & tritas. Solent enim à prædonib. mercatores dispoliari, non in via regia aut planitie: sed in angust is viarum, & inuiis saltibus: Ita quotquot in mundi huius salu, angustas consiliorum diuinorum semitas ingrediuntur, maius discrimen adeunt, quam qui regiam viam insistunt, & publica præceptorum decalogi itinera calcant.

*Gen. 49.* Emblematice & allegorice insinuauit hoc patriarcha Iacob, cum filiis benedicens diceret: *Coluber in via, & cerastes in semita, vt mordeat vngulas equi, & cadat ascensor eius retrorsum.* Emblema hoc denotare voluit, diuinorum mandatorum vias non tantæ molis esse insistere: sed vt consiliorum semitas quis secure & illæse pertranseat, hoc opus hic labor est: Hoc saltem in primis tenendum, Domini viam omnibus parandam esse

Quatuor solent in via difficultates occurrere.

Quatuor solent, vt plurimum, in via aliqua difficultates occurrere: prima si aspera, salebrosa, & confragosa sit: quam difficultatem vt euitemus Ioannes ait, *Erunt aspera in vias planas.* Secunda, si anfractus & implicitos labyrinthos habeat: hanc vt tollamus, dicitur: *Erunt prauia in directa.* Tertia, si valles habeat profundas, ob quas descendere oporteat: hæc vt auferantur, additur, *Omnis vallis implebitur.* Quarta & postrema, si scopulosus & difficilis in medio viarum mons occurrat, quem transcendere sit necesse: cuius impedimenti tollendi ratio est quam Euangelista subnectit: *Omnis mons & collis humiliabitur.* Porro per mõtes hos viarum facilitatẽ impedientes, superbia, ambitio, honores, dignitatesque mundi huius intelligi queunt: atq; in horum iugis & culminib. Deus non reperitur, quippe qui in iisdem sedem non figat, nec commoretur. Notauit hoc in Canticis sponsa, dum ait: *Ecce ipse venit saliens in montibus, transiliens colles.* Sed inculte superbiæ mons, quo ampliores & maiores nactus es à Deo gratias & charismata, eo teipsum deiicere deberes profundius. Admonuit hoc ipsum Salomon. *Quanto maior es, inquit, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.* Per has autem loquendi rationes, omnes nos in moribus auferre vult sordes, vitæque maculas & imperfectiones penitus eluere.

*Luc. 3.*

Montes honorum symbolum sunt.

*Cant. 2.*

*Eccles. 3.*

Conclusio.

Atq; hoc est, cuius hodie vos Auditores, admonitos velim. Præparate igitur vias Domini, itinera mundate, conscientias vestras purgate & complanate, animasq; vestras ad magnum illum dominum recipiendum disponite. Annuntio vobis eum in foribus esse, aduentum illius iam instare, imo adesse iam iam in limine: vias igitur peristromatis cõuestite, palatium ei dignum instruite, cõfessiones accurate scopis, sordes omnes & congeriem scelerum euerrite, pœnitentiæ vndâ omnia abluite, nullumque vel minimum peccatum, aut labeculam in eo relinquite, superbiæ & magna promittentis sibi cenodoxiæ montes complanate: auaritiæ & libidinis valles, ne dicam abyssos, complete: negotiorum secularium labyrinthos & anfractus rescindite: dumeta denique & vepreta, & prauorum desideriorum senticeta succidite. Atque hæc optima, eaque præstantissima, viæ Domino parandæ ratio.

In hoc obsecro, sanctissime animarum nostrarum Zelator, æterne & omnipotens Deus gratia nobis tua succurre; & quandoquidem nos adire, & corda nostra in habitaculum tibi seligere voluisti, benedictionum tuarum aulæis eadem adornare digneris. Hic enim, si nos ipsos intuemur, vires nostræ deficiunt, hic fatiscimus, hic nostra paupertas in tanto scilicet Principe recipiendo & iuxta merita illius palatium instruendo, apparet. nam quidquid huc conferri vndiq; conquisitum potest, tibiq; offerri nihil est, angustum est, exiguum, finitum & circumscriptum, præsertim tu infinitus cum sis & immensus, quique mundi ambitu comprehendi nequeas: Tuum igitur est, clementissime Deus, miserias & nudas animas nostras, vt digne Creatorem suum recipiant, præparare, gratiam elargiri, peccatis earum ignoscere, ad viam virtutis illas deducere, &ad-

& aduersus vitiorum insultus & impetus armare: simulque certissimam æternæ beatitudinis obtinendæ spem impertiri: quam concedere nobis omnibus dignetur, venturus propediem in mundum vnigenitus DEI filius. Amen.

## DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI.

Partes.

1. *Quæ vtilitas meditationis.*
2. *De admiratione Mariæ & Ioseph.*
3. *De ruina & signo.*
4. *De Anna in templo assiduitate.*

*Erant Ioseph, & Maria mater Iesu, mirantes super his quæ dicebantur de illo.* Luc. 2.

### FIGVRA.

*Exod. 15.* SACROS Moysis libros volutanti, sacramq; templi supellectilem intuenti, occurrunt in tabernacula fœderis duo Cherubim, qui extensas alas habentes auersis Propitiatorium vultib contemplantur, quod singularis admirationis signum est. Ipsum quoque in Euangelio hodierno legere videor: in quo duo noui Cherubim, Maria scil. Deipara, & Ioseph, sanctarum meditationum alas extẽdentes, nouum illud Propitiatorium, Iesum Christum in templo intuentur & obstupescunt. Nihil hic præter admirationes, prophetias & vaticinia occurrit; quæ vt digne exprimamus paracliti Spiritus auxilium implorandũ, & in ipsum glorioſissimæ Deiparæ præces & intercessio adhibenda. Hinc salutabimus eam verbis quibus olim paranymphus Gabriel eam allocutus est, *Aue Maria.*

I.

*Lib. 4.* Oratorum princeps Tullius cum in quæstionibus Academicis de actione & operatione intellectus ageret, prudenter & docte admodum scripsit: *Est animorum ingeniorumque nostrorum naturale quasi quoddam pabulum, consideratio contemplatioq; naturæ, docto quehomini & erudito cogitatio est viuere.* Quod ille de rerum naturalium intuitu cõtemplationeque, equidẽ hodie de spiritualium & diuinarum meditatione dicere audebo: solam nimirum rerum cœlestium, omniumque operum quæ Deus operatus est & indies operatur contemplationem, animorum nostrorum pabulum & delitias esse, hominique Christiano solam hanc considerationem, vitæ & spiritus loco existere. Atque hoc modo viuere solebat Psalmographus cũ diceret: Et *Meditabor in omnibus operib. tuis:* *Psal. 76.* id est, quidquid agam aut cogitabo, opera semper tua meditabor, & omne exercitium meum erit, admirabilia tua contemplari.

Via hominis Christiani meditatio est.

Ieremias cum hominis iusti perfectiones describeret, ait: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se.* *Thren. 3.* Omne studium scilicet hominis pii & collecti erit, solitudinem & quietem sectari, tacere, linguæ frena cõpescere, quo animam sanctis exercitiis distineat & pascat: idque quia sancta quadam meditatione se super se eleuabit. Tria hic essentialia contemplationis membra notanda sunt: solitudo in primis, silentium, & spiritus quædam elatio, id est, vitæ perfectio & virtutum studium.

Tres partes meditationis essentiales.

Prodigiosa illa animalia, quæ tot mysteriorum matres sunt, *ibant & reuertebantur instar fulguris coruscantis:* *Ezech. 1.* id est, magna celeritate. Docemur hoc emblemate, magna diligentia & festinatione, ab externo operum sanctorum exercitio, ad contemplationis studium, ab actione ad meditationem, à turbis ad requiem, à strepitu ad solitudinẽ, à præliis ad vmbram & gymnasium redeundum esse: atq; in hoc animarum sanctarum perfectionem consistere.

Hic sponsa illa in Canticis, sponsi & dilecti perfectiones enumerans, pulchritudinẽ, *Cant. 7.* labiorum & dentium decorem potissimum celebrat, *Guttur tuum sicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiaque ac dentibus illius ad ruminandum.* Per dentes hos & labia ad rumiuandum apta, sanctæ exercitiũ meditationis intelligere vult sponsa, simulque innuere, eos qui os ad ruminandum habent, id est res diuinas contemplandas, omni laude dignissimos esse, diuinæque maiestati gratissimos.

Sponsa dilectum à meditatione rerum diuinarum laudat.

Et quoniã ruminationis mentio incidit, reperio in Leuitico, omnia animalia, q̃ bifi- *Leuit. 11.*

dam

dam vngulam non habent, nec cibum sumptum ruminant, immunda, Deoque inuisa quodammodo censeri, Bifida hæc vngula, caritatis signum est: ruminatio autem, denotat eos qui caritate carent, & superfluorum vngues, in pauperes sua effundendo, nõ diuidunt, item eos qui non ruminant, id est, diuina opera nunquam ob oculos habent, ab omnipotente reiici, ac velut immundos & abortiuos reprobari.

Mundus inferior cũ superiore connectitur.

Docet in meteorologicis Aristoteles, inferiorem hunc mundum necessario cum superiori connecti & copulari debere, vt nimirum siderum potentiæ, & influxus cœlestes, occultæque qualitates astrorum rebus inferioribus communicentur. Idipsum de animarum nostrarum statu iudico: nimirum animam & mentem nostram diuinæ semper coniunctam & annexam esse debere, idque per assiduum amorem & contemplationem perpetuam: vt nempe influxus cœlestes, & luminis illius supernaturalis radii in eam descendant, quibus illustrata vitæ æternæ fructus producat: & ad hoc nos adhortatur Propheta, *Accedite ad eum & illuminamini.* *Psal.33.*

Conseruãtur omnia, iuncta suis principiis.

Omnia quoque in esse suo conseruantur, cum causis & principiis suis, è quibus ortum habent, annexa manent, in iisque continentur. Hinc pisces in aqua, plantæ & germina in terra, bestiæ in siluis & agris viuunt & degunt. Mens igitur hominum, quæ è cœlo & Deo immediate ortum sumpsit, vt ipsi quam proxime vniatur, & in ipso habitet necesse est, vt nimirum in esse suo permaneat per eum, à quo originem duxit & descendit. Hoc autem per solam rerum diuinarum meditationem fieri potest.

Ad hanc, quam dixi, meditationem nos adhortatur Sapiens dum ait: *Cogitatum tuum habe in præceptis Altissimi, & in mandatis eius assiduus esto, & ipse dabit cor.* Dare autem cor, nihil est aliud quam rerum diuinarum intelligentiam tribuere, & affectum erga cœlestia animo imprimere, qui in sceleratis & impiis hominib. inueniri nequaquã potest. de quib. & Psalmista: *Nescierunt* (impii) *neq; intellexerunt, in tenebris ambulant*, adeo vt sancta meditatio cœlestiumque ac supernarum rerum contemplatio hominem prudentem & cautum reddat intellectumque eius illuminet. *Eccles. 6.* *Psal 81.*

Testatur hoc Augustin. in Meditationum lib. meditationis effecta enumerãs, *Ipsa*, inquit, *pariet scientiam, scientia compunctionem, compunctio deuotionẽ, deuotio incendit orationem*: respexit scilicet ad verba illa Psalmographi: *In meditatione mea exardescet ignis.*

Nam quemadmodum calor qui in aqua est, ab igne subiecto, aut sole superimminente, non autem ab aqua, procedit adeo vt ipsa, igne aut sole remoto ad suam redeat naturã & frigescat: ita deuotionis feruor (teste D. Thoma) à rerum cœlestium meditatione proficiscitur, qua ablata, ignis succẽsus paulatim deficit, ac pietatis ille ardor sensim extinguitur, itaque anima ad pristinum statũ, ad nugas sc. solitas & voluptates quibus olim assueuit, reuertitur. Quamobrem qui ignem hunc in pectore suo perpetuum esse cupit, & hoc calore semper æstuare desiderat: nunquã à Deo debet recedere (ille enim ignis consumens est) verum maiestati eius indies quam proxime accedere. Huius autem accessus & familiarioris commercii causa ipsa est meditatio: quæ præterquam quod animam succendat, recreat etiam, & veras eidem delicias adfert. Quod testimonio è sacra pharetra deprompto notum faciam. *Psal. 38.* Meditatio animas incendit.

Pius ille rex Dauid, cum delicias quas ex Dei operum contemplatione interdum in animo sentiebat, attentius secum perpenderet, præ gaudio & exultatione exclamat. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! super mel & fauum ori meo*, merito quidem, inquit Hieronym. nam postquam mel aut alius cibus in stomachum demissus est, mensæque delicias. ablatæ, nullus in ore ferculorum sapor remanet: at verbum Dei incredibili suauitate reficit eos qui idipsum assidue ruminant & meditãtur. In cuius rei testimonium, loco verborũ *In iustificationib. tuis meditabor*, ex Hebræo quidam ibidem legerunt, *In mandatis tuis delectabor*: quasi meditari, & deliciari eadẽ significatione diceretur; & doctus ille Felix ad hũc sensum admodũ idonee, Vulgata illa verba, *Nã & testimonia tua meditatio mea est, & consiliũ meũ iustificationes tuæ*, hoc modo trãstulit: *Etenim mandata tua solatia mea, & iustificationes tuæ veri consilij mei*: perinde ac si Meditatio animo ve- ras adfert delicias. *Ibid.*

ac si dixisset: nullæ animo occurrere maiores deliciæ queũt, nulla lætiora solamina obuenire, quam decreta tua, & misericordias tuas infinitas incõprehensibilesq; meditari.

Cæterum ipsa meditatio animo robur & vires suppeditat. Hinc cum Deus Sampsonẽ omnium mortalium fortissimũ efficere vellet, in crinibus robur situm esse voluit: ecquæ tamen crinibus cum robore similitudo aut sympathia? diuinam hic notate prouidentiã, auditores per crines: namque vt ait Hieron. in verba illa Isaiæ, 3. *Erit pro crispãti crine caluitiũ*, cogitationes designantur. Deus igitur, vt demõstraret animæ vires in meditatione cogitationeq; consistere, Samsonis robur in cæsarie cõstituit. Quamobrem, Christiani, si dæmonibus ipsis velitis esse superiores, si eorum impetus infringere: opera Dei assidua meditatione recolligite: cogitationesq; vestras ad cœlestia sustollite. at si anima calueat, si crinibus his destituta fuerit, diabolus eo quo Sampsoni Philisthæi modo, vobis prævalebit, & Dominiũ in vos obtinebit. Quos quia Israelitæ nõ habebant, deplorat sortem eorum Hieremias. *Desolatione desolata est omnis terra, quia non est qui recogitet corde.*

Animæ robur in meditationib. situm.

*Hier.* 12.

*Exod.* 30. Ita Dominus Mosem olim allocutus est, *Sume tibi aromata æqualia ponderis, & cum in tenuissimum puluerem contuderis, pone ex eo in tabernaculo fœderis.* Per aromata hæc & suffimenta Origenes opera supernaturalia quæ Christus nostri redimendi ergo edidit, qualia sunt lachrymæ quas effudit, suspiria quæ corde imo deduxit, sanguis quẽ in nostri Redemptionẽ obtulit, itẽ amor aliaq;, designari putat. Omnia hæc minutim in sanctæ & piæ meditationis mortario si terãtur & tundantur suauissimum odorem edent. Nam vt aromata, nullum, nisi terantur, odorẽ emittũt, ita etiam diuina mysteria resq; cœlestes & ad Deum spectantes, nisi assidua contemplatione minutim subtiliterq; cõtundantur, nullum odorem dabunt.

*Deut.* 7. Sublimem hanc Philosophiam Hebræos edocturus Moses, populo dicebat, *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus, quadraginta annis.* Ad eundẽ modum & te, ô homo, beneficiorum tibi à Deo in vitæ tuæ peregrinatione collatorum semper recordari decet: quod per assiduæ meditationis auxilium obtinere poteris.

*Esther.* 4. Difficilia aliquot in libris Esdræ reperio ænigmata, quæ nemo facile soluat aut intelligat: quid est enim *Reuoca diem præteritũ, metire ventum, & ignem pondera*: solutionẽ horum habere vultis? Ipsa meditatio omnia hęc facili negotio dissoluet: illa namque reuocat nobis in memoriam beneficia quæ à longo iam tempore in genus humanũ, & priuatim in nos ipsos collata sunt: vitæ quoq; breuitatem dimetitur, quæ nõ nisi vapor est ad modicum parens & aura inanior: ignem quoq; illum horribilem, tartareum inquam, secreta & tacita cogitatione ponderat, & intellectus stateræ imponit.

*Ezech.* 1. De animalibus illis ab Ezechiele Prophe ta visis scriptum est, *Facies eorum & penna eorum extẽtæ desuper.* Facies intentionẽ, alæ vero eleuationẽ mentis denotant, quod omnis iustorũ cogitatio & solicitudo nonnisi circa cœlestia versetur, & in omnib. suis actionib. non alium finem nisi Deum sibi proponant, in eumq; velut in scopum colliment. Atque hæc vni meditationi accepta referri debent, II. in cuius gratiam prolixum hoc exordiũ deduxi, quod in Euãgelio hodierno gloriosam Virginẽ Mariam & Ioseph in templo cõtemplantes intuear, & extra se quodãmodo raptos, cum Simeonis senis & Annæ viduæ vaticinia, & prœconia de puero Iesu audiunt. Textus Euangelij hic est, *Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his quæ dicebãtur de illo.* De hoc themate dicturus, & vtriusque admirationẽ vt admiremini, effecturus, duas in partes ipsum distinguam. Prima Ioseph & Virginis stuporem proponam: secunda oracula & vaticinia Simeonis & Annæ Phanuelitidis recensebo: atque ita mihi Euangelii medullam exsuxisse videbor.

Admiratio ignorantię filia.

Auspicando igitur, non possum quin hanc admirationẽ demirer, quam & plurimi me cum Patres olim demirati sunt, vt Origenes, Fulgentius, Ambros. Bernard. S. Thomas, aliiq;. Si enim admiratio, vt quidem Philosophi docent, ignorantiæ filia: dicemusne Deiparam & Ioseph ignaros fuisse eorum quæ euẽtura erant? nequaquam. absit, vt eorum famam hac obscuremus fuligine, & in

ipsos iniurii simus. At satius fuerit dicere, hanc Virginis admirationem similem fuisse ei, qua Christus centurionis postea fidem admiratus est: *Audiens autem Iesus miratus est.* Quæ verba D. Thom. exponens, duo admirationis genera esse ait, vnam ab ignorantia proficiscentem atq; hanc nec in Christo, nec in Deipara locum habuisse: alteram quę ex obiecti magnitudine & maiestate ortum habet, atq; ita mundi capacitatem, terræ amplitudinem, cœlestium orbium altitudinem maris profunditatem, astrorumque pulchritudinē demiramur, quamuis omnia certissime nobis constent. atque hoc admirationis genere credendum est, Virginem in mysterii huius magnitudine obstupuisse.

*Matt.11.* Duo admirationis genera.

Virginis admiratio ab ignorātia non descendebat.

Certum est igitur, stuporē hunc ex ignorantia non venisse: neque enim ambæ illæ mentes, sanctitate nobiles, ignorare poterāt, puerum hunc, Dei filium & mundi redemptorem esse. Hoc nempe, ex reuelatione Spiritus sancti, ex Angelica salutatione, ex Magorum aduentu, pastorum adoratione, stellæ nouæ exortu, Prophetarum oraculis, demum ex vniuersa natiuitatis Iesu Christi serie quæ omnia huius rei certissima & manifestissima fuere indicia, cognouerāt. Sed mirabantur non sine stupore, cum attente considerarent ea, quæ Simeon & Anna de puero referebant: beneficia enim Dei quo magis agnoscuntur, quo maiorem in animis stuporem excitēt: atq; ideo melius eadem cognoscimus. cum attente contemplamur. Habet hoc nempe omnis meditatio vt maiorem rerum notitiā pariat; notitia vero admirationem & stuporē. Testatur hoc Psalmographus dum ait, *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est anima mea.* Perinde ac si dixisset, eo q̄ anima mea testimonia tua perscrutata est, ideo mihi magis mirabilia visa sunt: vel, eo quod mysteria tua mirabilia, idcirco anima mea diligētius & enucleati⁹ eadē indagauit.

*Psal.118.* Christianorū ignorantia ex eo ortum habet, q̄ opera Dei non meditentur.

His ita præsuppositis, dicēdum est, ignorantiam, ingratitudinem, & tepiditatē Christianorum inde hodie potissimum ortum habere, quod Deiparæ & Ioseph exemplo, opera Dei, ac præsertim mysterium incarnationis Dominicæ pro dignitate meditando non admirentur. Certissimum siquidem est, nihil esse, quod animas mortalium edoceat magis, magisque in iis amorem diuinum excitet, simulq; ad gratitudinem inuitet, quam assidua mysteriorum sacrorum recordatio meditatioq; Expertus id erat Dauid rex cum diceret, *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* *Psal.38.*

Meditatio fornaci comparatur.

Hinc ipsa diuinorum beneficiorum contemplatio non incommode fornax accensa nominari poterit: ipsa namq;, vt ignis ollam, animam nostram succendit & calefacit: & vt in olla flammarum vi & vehementia omnes in fundo latentes sordes sursum ascendunt, adeo vt & videri & despumari queant: ita cum quis meditationi rerū diuinarū intendit, tā aperte se diuina maiestas, sapiētia, bonitas q; illius ob feruorē inclusum exserūt, oculisq; se nostris offerūt, vt imperfectionū nostrarū sordes quam primū appareant, quo visæ despumentur, & vita in melius cōmutetur. Vtilitatem hanc è meditatione promanantem perspectum habēs Psaltes ait, *In matutinis meditabor in te quia fuisti adiutor meus.* *Psal.62.* Ipsa denique cordis nostri scopæ dici potest: quib. vsi etiam sunt Magnates & Principes ad animæ sordes euerrendas: testis sit Israel rex Dauid dicens, *Meditatus sum nocte, cū corde meo & exercitabar & scopebam spiritū meū.*

Christianæ mysteria aromatis & tapetib. comparātur.

Aromata, pigmenta, suffitus, & odoramenta exotica, quamdiu concluſa sunt, nullum odorem spirant: sed mox, vt in apertum proferuntur, & aera intuētur, omnia nidore cōplent, adeo vt etiam à longe dissitis percipiā tur. Tapetes auro & byſſo intertexti, pulcherrimaſq; imagines exhibentes, quamdiu cōplicati sunt, ne videri quidē merentur, neque etiā ab aliis rebus viliorib. differunt: sed ad parietē extensi & expositi inclusam pulchritudinē ostendunt. Ad eundem prorsus modum in Christianę fidei mysteriis agitur: quæ nullum includere decorē imo ne cōcipi quidē digna videntur, donec sancta meditatione latius explicata, & in apertum quodāmodo prolata, sese q; ostentantia, amplitudinem, maiestatē, excellentiamq; suā manifestant. Proxime huc accessit Aggeus Propheta cū metaphorice diceret, *Qui merces cōgregabit, misit eas in sacculū pertusum* *Agg.1.* Denotare voluit, eū qui beneficiorum, quæ velut merces

quæ-

quædam cœlestes sunt, à Deo acceptorũ memoriam non conseruat, sed quam primũ obliuiscitur, in saccũ ea pertusum cõicere, & in terra obliuionis cõmorari videri, de qua locut⁹ Psaltes ait, *Nãquid cognoscẽtur in tenebris mirabilia tua, aut tuſtitia tua in terra obliuionis*

*Psal. 87.*

Incarnationis mysterii diguitas,

At non fecit gloriosa Deipara, aut Ioseph coniux eius: sed vterq; incarnationẽ, natiuitatemq; Iesu Christi, & quidquid in ea mirabile accidit, admirat⁹ est. Vt hinc discamus, cogitationes in eadem coniicere, i. e. diuina mysteria, ac præsertim ipsum incarnationis meditari: quod adeo sublime & nobile est, vt homines simul & angelos in admirationem rapiat, Proph sanctissimos percellat, oracula vaticiniaq; omnia perturbet, naturã horrescere & vniuersos mortales admirari cogat: Abac. Proph. dum mentionem eius fieri audiret, tremit & pauẽscit, dicens, *Domine audiui auditionẽ tuam, & timui*: quo loco lxx. legunt, *expaui*. De eo quid dicturus sit, Isaias ignorat, remq; credit esse incredibilẽ, *Domine quis credidit auditui nostro aut brachium Domini cui reuelatũ est*. Ipsa quoq; Deipara, quæ sola plus quã omnes ad vnũ Prophetę de eodẽ nouerat, & Ioseph, cũ Simeonem & viduã eiusdẽ mentionẽ facientes audiunt, stupore defixi admirantur, *Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirãtes super his quæ dicebantur de illo*. Horũ igitur exemplo, anima mea, mysterii huius amplitudinẽ excelliẽtiamq; demirare: quod tã nobile & excellens est, nihil vt Deus nobis conferre dignius, aut maius, aut modo aliquo nobiliori perfectioriq; nobis cõmunicare potuerit, quã dum per vnionẽ hypostaticã seipsum vidẽdũ, tangendũ, & affabilẽ hominibus dedit, quæ vnio illam quę in cœlesti domicilio per beatitudinẽ habetur, longe antecellit. Atq; hæc opinio est Ioan. Damasc. cuius hoc axioma est, *Nil maius, quam quod Deus homo factus sit*. Fuit hoc s. opus solius omnipotentis, & actus ab Altissimi desendẽs dextera: quo nihil nec sublimius nec altius fieri aut ne mente quidẽ comprehendi potest. Ipse siquidẽ Deus humanam naturam induens, eandẽ adeo nobilem reddidit, itaq; sublimauit, vt altius abscondere non posset. Idẽ nimirum illi subiectũ, hypostasim, sedem & domicilium dedit, quod sibi soli diuina natura selegerat, & in quo hactenus sederat & habitauerat. Adeo vt is ipse homo, quem in rerum creatione Deus Angelis subiecerat, iisque inferiorem fecerat, in incarnationis mysterio super Angelorum naturam euectus sit & quasi nobiliore electus sit.

*Abac. 3.*

*Isa. 53.*

*Luc. 2.*

Nihil Deus maius facere potuit quam humanam naturam assumere.

*Lib. 3. orth. fid. cap. 3.*

Atque hinc forsitan, mea quidẽ sententia, angeli in Sacris litteris nonnisi serui & ministri Dei appellantur: vt in loco illo Psalmorum. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrẽtem*. & melius adhuc Paulus, *Omnes sunt administratorii spiritus* Homines vero digniori nobiliorique nomine fratres nucupantur. ô nomen vel auro redimendum! Hoc Paulus aperte testatus est, dum ait, *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens, Narrabo nomẽ tuum fratribus meis*, atq; hac affinitate gloriatus Bernar. ita in Cantica scribit. *Puto spernere me Christus non potest, quia os ex ossibus meis & caro de carne mea est*, quemque vt fratrẽ habeo.

*Psal. 103.*

*Hebr. 1.*

*Hebr. 2.*

*Serm. 2. in Cantic.*

Atq; ob hanc causam Ioannes, cum Angelũ vidisset, eumq; adorare pronus voluisset, ab eodem mox audiuit *Vide ne feceris; ego conseruus tuus sum & fratrum tuorum*. Notare hic Angeli huius prudentiam sapientiamq; qui postquam filius Dei carnem induit, ac similis nobis effectus est, cũ videret homines fratres Dei factos, & huius affinitatis præstãtiam cõsideraret, ab hominibus prius adorari solitus, homines ipsos iam adorare vult, eorumque se seruum nuncupat & ministrum.

Angeli hominum se seruos declarant.

Sanctissimus Leo Pontifex cum diu nam hanc affinitatem & copulã efferret, attenteq; cõsideraret, hanc ad homines apostroph. dirigit, *Agnosce ô homo dignitatem tuam, & diuina consors factus natura noli in veterẽ vtilitatẽ degeneri conuersatione redire*. At pauciſſimos hodie reperire est sanctissime pontifex qui illius nobilitatem pro dignitate considerent, & honorẽ cuius participes facti sunt, & felicitatem quam adierunt perpendant. adeo vt de vnoquoq; singulatim dici queat, quod de omnibus in genere olim dixit Psalmographus, *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus*. Atq; hęc est ratio cur Deipara & Ioseph hodie mirentur.

*Serm. 1. de natiuitat. Christi.*

Dauid rex cum animo quandoq, repeteret, quomodo Deus olim Angelum miserit,

*2. Reg. 7.*

qui Israelitas è captiuitate Ægypti educeret, & Dei vices suppleret; tanti beneficium hoc fecit, populumq; Israel adeo beatum existimauit, vt nullã in orbe nationem esse crederet, quæ cum illo de felicitate auderet cõtendere. *Qua est autem*, inquit, *vt populus tuus Israel gens in terra, propter quam iuit Deus, vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen?* Quid quæso de Christianis ille dixisset, si vidisset, non iam Angelum, sed Angelorum regem & dominum, imo totius vniuersi Deum, è cœlo in terram descendere, & eorum redimendorum causa non dico hominem, sed seruum fieri, vt eos in libertatem vindicaret? Hoc vero qui attente perpendit, & accurate considerat, facile respiciet, nullum in orbe populum Christianis fœliciorem beatioremq; viuere.

Christianorum dignitas.

*Deut. 4.*

Attentius secum perpendens Moses, Deũ in montem Sinai dignatum fuisse descendere, & cum populo suo coram agere, ad omnẽ posteritatem beneficii huius memoriam voluit propagari, quo post venturi immortales ob hoc Deo gratias agerẽt: *Interroga*, inquit, *de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die qua creauit Dominus hominem super terram, si facta est aliquando huiusmodi res, vt audiret populus vocem Dei loquẽtis, de medio ignis, sicut tu audiuisti & vidisti*: verba tua ipse assumam Moses, potioriq; iure quam in tuos, Christianorum cœtum compellabo: Interroga de diebus antiquis, & præteriti temporis memoriã repete vltimam, inquire annos & dies iam inde à mundi primordio, ac dispice, si simile quid vnquam acciderit, Deum scilicet cœlo descendisse, humanam carnẽ induisse, in stabulo natum, in præsepio inter animalia reclinatum, circumcisioni subactum, morte turpissima ignominiosissimaq; affectũ: quis audiuit vnquam eum loquẽtem, vt nos eum loquentem audiuimus? quis eum vidit, vt in hac natiuitatis die eum nos in incarnationis & præsentationis mysterio adhuc videmus, in quo Ioseph & Maria, auditis de filio Simeonis vaticiniis, obstupescunt?

*Ierem. 31.*

Mysteriũ incarnationis nouum quid dici potest.

Mysterii scilicet huius excellentiam maiestatemq; admirantur; de quo Ieremias agens, quasi de re quadam noua & insolita locutus est: *Creauit Dominus nouum super terrã, fœmina circundabit virum*, quam nouitatem hoc modo explicat Augustinus: *Portans omnia verbo virtutis suæ ab infirmitate portatur; qui terra, mari, cœlo, non capitur, intra vnius corpusculi membra suscipitur, de creatura sua creator omnium procreatus.*

Magna mihi mysterii hęc Prophetę loquẽdi ratio refricat memoriam. Iacob eum tota nocte cum Angelo luctatus esset, eundem dimittere, nisi percepta benedictione, noluit. resistebat porro Angelus, & omni ratione elabi conabatur, donec sub aurorã victum se confessus, eidem benedictionem impertiuit, dicens: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Omnes, eheu! prophetæ tota legis Mosaicæ nocte cum Angelo illo testamenti luctati erant, eiusq; benedictionem efflagitarant, *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* at ipse, quo erat robore & constãtia semper restiterat, donec gratiæ aurora illucescente, vel potius Maria, quæ vere aurora consurgens dicitur, exoriente, in sacro eius vtero ita coarctatus est, vt se velut victum tradere, hominique benedictionem suam elargiri coactus fuerit. Atq; huc alluserit propheta cum diceret, *fœmina circundabit virum.*

*Gen. 32.*

Allegoria insignis.

*Psal. 66.*

*Ier. 31.*

Iacob paternam benedictionem extorquere satagens, habitum mutauit, & sub ementita veste coram patre comparuit: quam fraudem cum senex Isaac cæcutiens intellexisset, *expauit stupore vehementi, & vltra quam credi par est, admiratus est*: eumq; hanc benedictionem reuocare, & irritam declarare voluisset. Glossa quædam dicit, cœlitus ei hanc fraudẽ reuelatam fuisse, indeque simul didicisse, vestium hanc commutationem figuram esse eius, quam Dei filius aliquando facturus esset, cum lacinias humani generis indueret, seque ipsum incarnationis mysterio quodammodo exuens, alium habitum, & vilem quidem, assumeret, atque hinc senecionis huius admiratio cœpit exordium.

*Gen. 27.*

Rupertus autem hæc exponens, ipsam hic Verbi diuini incarnationem intelligit; quod vt paternam nobis benedictionem obtineret, in Incarnatione, humanitatis nostræ vestes assumpsit: quod cum cœlũ terraq; inaudissent, actumq; intellexissent, adeo expauerunt, vt nec verbis exprimi, nec cogitatione com-

Ruperti opinio.

comprehendi eorum admiratio queat. Hoc ipsum Ioseph & Maria hodie quoque admirantur & stupent.

Quid autem admirantur? mysterii scilicet nouitatem; ita namque de eodem locutus est Ieremias, *Nouum fecit Dominus super terram.* Vere, inquam, nouum. Nam si quis vnquam præter communem naturæ ordinem natus est, ipse Dei filius profecto omnem ordinem inuertit. Adam quidem è terra cõpositus, & è limo natus est, Eua è costa viri formata: Christus autem è virgine matre habet exordium: quod omnium maxime mirandum, ac proinde vere nouum appellandum est. Hæc quidem Augustini sunt, qui magnam hic & dignam quam omnes demirentur, nouitatem factam existimat.

*Ieremi. 31.* Tres natiuitates admirabiles.

*Serm. 11. de temp.*

*Mirantes*, Potentiam scilicet huius operis, ad cuius perfectionem tanto robore ac virtute opus fuit, vt cœlos etiã, æneos illos axes, diffringi oportuerit, quo desideratus gẽtibus per eosdem ad nos descenderet. Ita siquidem loquitur Isa. *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes!* vniuersi quoque ordinem inuerti, ac fœdera rerum quodammodo turbari; terram nimirum in sublime sustolli, cœlos vero subsidere. *Inclina cœlos tuos & descende.* Mirabilia hæc & portenta considerans Dauid, toto vitæ tempore eadem se demiraturum profitetur, dicens: *Deus docuisti me à iuuentute mea, & vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua, & vsq; in senectam & senium. Deus ne derelinquas me, donec annũtiem brachiũ tuum generationi omni, quæ vẽtura est, potẽtiam tuam & iustitiam Deus, vsque in altissima quæ fecisti magnalia. Deus quis similis tibi?* Per brachium illud Domini, Verbum humana carne indutum intelligit; per potentiam & iustitiã, magnalia inquam illa, denotat Deum humanam naturam assumpturum, in stabulo nasciturum, laciniis inuolendum, virgineis vberibus lactandum, & aliorum instar frigus & calores, aliasque quibus homines obnoxii nascuntur, miserias toleraturum. Atque hæ sunt admirationes, quas in Euangelio præsenti legimus.

*Isa. 64.*

*Psal. 143.*

*Psal. 70.* Dauid incarnationis mysterium demiratur.

*Erant Ioseph & Maria mater Iesu mirantes.* Humilitatem scil. filii Dei, qui adeo se demisit, tamq; profunde se deiecit, vt ab vno extremo ad aliud delapsus sit, è Creatore creatura, è Domino seruus factus, immortalis mortalitatẽ induerit, & Deus hominem assumpserit. *Exinaniuit semetipsum, formã serui accipiens.* Magna & singularia in Deo notare, eundemq; eadem patrare, admirandũ non est: hoc n. potentiæ eius est cõmune, magnitudiniq; per omnia respõdens: at videre eum in humilitate positum, sese demittentem, omnibusq; subiicientem, singularem admirationem meretur. Et vt mirum non est, flammam sursum exsurgentem, graue incendium causari, omniaq; longe lateq; depopulari; eo quod hoc naturale sit, sed eandem præter naturam descendere, nemineq; impellente terram adurere, vere mirandum est, & non sine miraculo fieri potest. Ita docet Grego. Nyss. Episcopus: *Magnum & excelsum quid operari in Deo non miraculum, sed natura eius consentaneum est, at in humilem & abiectum statum descẽdere, qui omnium supremus est, hoc omnem admirationem superat.* Augustinus porro in sermonibus de tempore, Deum, hoc faciendo seipsum vicisse testatur. atq; hoc est quod Ioseph & Maria tantopere demirantur.

*Luc. 2.* Humilitas admirabilis est in mysterio Incarnationis filii Dei.

*Philip. 2.*

*In dialog. cathe. 24.*

*Serm. 22.*

Sed nec hoc solum mirantur, quinetiam merita, qualitates & perfectiones puelli. Qui quantumuis paruus & tener, perfectissimus est; quamuis ploret sapientissimus: quippe qui propter nobilitatem, vnionem cum Verbo & habitudinem, quam habet in quãtum mediator hominum, gratiam quandam habitualem in anima habeat: virtutes autem & dona, quæ velut quædam perfectiones potentiarum animæ sunt, in quantũ ipse à directione Spiritus S. dependent. Certum est autem, animam Iesu Christi ab hoc gubernatore in omnibus perfectissime directam fuisse. Testatur idipsum Euangelista Lucas: *Iesus autem plenus Spiritu S. regressus est à Iordane, & agebatur à spiritu in desertum.* Ipsa quoque Prophetarum oracula idem prædixerant; nam quod apud Isaiam legitur: *Apprehendent septem mulieres virum vnum.* Glossa ita exponit, *septem Spiritus sancti dona Christum.*

*S. Thom. 1. p. q. 7. art. 1.*

*Luc. 4.*

*Isa. 4.*

Mirantur, quod omnes gratiæ gratis datç in puerulo hoc reperiantur, nam *vt in capite, ita & in Christo fuerunt omnes gratiæ.* Ipsum vti bene scripsit Augustin⁹: *omnes sunt sensus,*

*Epist. ad L. Dardani.*

quoq; domum Prophetę; prophetam enim
*Deut.18.* fuisse è lib. Deut. probare poterimus: *Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris.* Ipsa quidem gratia, quæ in eo reperiebatur, infinita non fuit, quod anima Christi creatura esset, ac proinde capacitatis finitæ; &
*1.p.q.7. art.12.* quoniam gratia subiectum excedere nō potest, ideo infinita esse nō posset, vt docet D. Thomas: vel, si eam improprie infinitam appellare velimus, id fieri dicendum est; quod nullis sit limitibus circumscripta, fine careat & terminis, nullumq; obstaculum patiatur.

*D.Tho.3.p. q.9. art.2.* Mirantur quod puer hic infinitæ sit sapientiæ, quod præter diuinam, scientia omnigena dotatus sit, scientia quæ ipsam Angelorum longe transcendat, scientia qualem beati in cœlo nanciscuntur, qua Deum etiam in quantum homo, perfectissime nouit. Vnde
*Ioan.8.* de eo scripsit Ioannes, *scio eum, & sermonem eius seruo.* scientia adhæc cœlitus data & infusa cum ipse sapientiæ æternæ sit receptacu-
*Colos.2.* lum, *in quo omnes thesauri sapientiæ absconditi*, vt Apostolus ait, scientia etiam acquisita, & in rerum experientia fundata, adeo vt omnia in Verbo, teste D. Thoma, etiam infinita, cognoscat. Anima namq; eius potentiam suam cognitam habet, & quidquid potest: atqui hæc in expiationem infinitorum scelerum,
*1.Ioan.2.* vt Ioannes ait, extenditur: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Ergo ipsum etiam quod infinitum est, cognitum & perspectum habet.

Denique admirantur quidquid de puero hoc credi, cogitari, & dici potest: quomodo scilicet Ioachim & Anna natura steriles genuerint illam, quę filium hunc, sine minimo virginitatis detrimento, pareret: quomodo Zacharias incredulus mutus factus sit, ac deinde in filii circumcisione loquelā receperit: quomodo Ioan Baptista materno in vtero exultauerit, & Domini sui præsentiam senserit: quomodo Verbum æternum Patris in Bethlehem nasci voluerit, idque in stabulo, & non in splendido palatio: quomodo mater eum sine vllo dolore peperierit: quomodo illo nato Angeli cœlo descenderint, & iucundissime cecinerint: deniq; quomodo totus orbis miratus fuerit & obstupuerit. Quam bene igitur de puero hoc prędixit Propheta? *Vocabitur nomen eius admirabilis.* quidquid n' *Isa.9.* in ipso futurum est, admirationem merebitur, Incarnatio scil. eius; natiuitas, vita acta, miracula, mors, resurrectio, ascensio, cetera-que mysteria. Dic igitur num Ioseph & Maria merito mirari potuerint?

Nam vt Regina Saba, Salomonis regis sa- *1.Reg.10.* pientiam, magnificentiamque, è longinquis profecta regionibus, mirabatur; ita gloriosa cœli terræq; regina mirabitur; quidquid de filii sui sapientia Angeli, Pastores, Magi, Simeon, Anna vidua testabantur, & quidquid Prophetæ hactenus prædixerant.

At mirum, nullos opera, miracula & quid- Soli iusti quidquid de Iesu dicitur, mirari præter Ioseph & opera Dei Mariam parentes eius: vt hinc manifestū fiat, admiran- solos iustos opera Dei, eaq; quæ de maiesta- tur. te illius referuntur, mirari & suspicere, mundanos a. nonnisi mundana, honores, dignitates, diuitias & inanias, iisq; similia demirari. In quo prędidiarios Holofernis imitari videntur, qui visa Iudith viduę pulchritudine *stupentes mirati sunt.* Quos in Epist. Catho- *Iudith.10.* lica Apostolus Iudas suis colorib. depinxit, *secundum desideria sua, ambulantes, & os eorū* *Iud.1.* *loquitur superbiam, mirantes personas quæstus gratia.* Iusti & timentes Deum auditis operibus Iesu, mirantur & stupent, mundani vero turbantur & pauent. hinc Herodes & omnes ciues Ierosolymitani, audientes dicētes magos: *Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in oriente,* turbati sunt, & *Matt.2.* metu non paruo perculsi; sed audite & alios conceptus super hac admiratione Iosephi Mariæ: *Erant Ioseph & Maria mater Iesu.* *Luc.2.*

Euangelista prius Iosephi quam Mariæ, Vxorum prius fabri quā matris Christi & reginæ An- est mari- gelorum, meminit; vt hinc nimirū iuniores tos colere. coniuges, matrimonio aliquādo copulandæ discant, quo cultu & honore maritos prosequi debeāt. Demōstrauit hunc exemplo suo glorioſa Deipara, cum inuento Iesu inter do- ctores in templo ait: *Ecce pater tuus & ego do-* *Luc.2.* *lētes quærebamus te.* O admirabile humilitatis exemplū! Hic discat matrona quantumuis nobilis & lauta sit, coniugem suum, tametsi plebeium aut humilioris conditionis, non despicere. Ad hoc ipsum adhortatur eas

Pau-

*Ephes. 5.* Paulus Ephesiis scribens : *Mulieres viris suis subdita sint, sicut Domino*, cuius rei rationem reddens subnectit, *quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Hoc in ludo edocta prudens illa matrona Sara, tanto maritum Abraham honore prosecuta est, vt nunquam nisi Domini eum nomine appellandum duxerit quod sexcentis relictis, vno testimonio confirmabo, *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo.* Hoc imitamini matres; interea ipse templum petam, despiciamque quid Simeon. & Anna vidua puero dicant: & est hæc secunda concionis pars.

*Gen. 18.*

III. Prophetat de Christo Simeon. *Luc. 2.*

Pius ille senex, cum puerum longo desideratum tempore brachiis stringeret, & vlnis amplecteretur, incredibili gaudio perfusus, & lacrymas præ exultatione effundens, Matrem his tãdem verbis compellauit. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Notat hoc loco Theophylactus, Simeonem, relicto Ioseph ad Mariam virginem, velut veram pueri matrem, orationem conuertisse, eique quidquid puero euenturum erat, prædixisse. Alii vero existimant, eũ spiritu prophetico repletũ, primo matri locutum, quod quæ de Messiæ passione prædiceret, ad Iosephum nulla ratione pertinerent; quippe qui ante exspiratur⁹ esset; sed ad matrem, quæ passionẽ filij & coram intuitura, & in monte Caluariæ morienti adfutura esset.

Equidem alterius sum opinionis, scilicet senem hunc lacrymas gaudio, afflictionem prosperitati, & tristia lætis permiscere voluisse: cum enim Christum salutare Dei, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis Israel dixisset, matrẽ etiam benedixisset, fœlicemq; ob huiusmodi partum prædicasset, vtriusq; mortem & passionẽ prędixit, quamuis multũ inter se discrepantem. Deinde vt hinc fœlicitatis terrenæ incõstantiam, ac prosperitatis temporalis variationem disceremus, nihil siquidem stabile aut firmum hic habetur, ipsaq; gaudia & prosperitates, à tristitia molestiaque quã proxime occupantur: quod maxime in patribus locum habet. Sæpe enim hodie ob filios beati prædicentur & gaudeant; cras conuersa rerum sorte mille dolores in animo ob eosdem & angores experiẽtur. Exemplo sit Deipara, quæ hodie ob natum Iesum beata prædicatur; & ecce eodem etiam momẽto ob filium cruciatus & doloris gladium sensura denuntiatur: *Ecce hic positus est in ruinam, &c.*

Mundi gaudia in momento transeunt.

Hocce porro Simeonis vaticinium mille difficultates includit, & nodos implicatissimos, quos vt dissoluam, ad interpretes loci huius appellabo, & ipsorum sententias petã. Beda & Theophil. primo occurrentes, aiunt Simeonem hic prædicere voluisse eos qui in Christum non essent credituri, casuros & animæ ruinam incursuros, qui vero in ipsum credituri essent, eumque secuturi resuscitandos, saluandos, & vitæ æternæ consortes futuros: ac proinde illis in ruinam, his contra resurrectionem Christum fore. *Bedæ expositio.*

Aliter autem Origenes, putat enim Christum in ruinam & resurrectionem multorũ positum ita intelligẽdum, ipsum quidem ad mortem, alios vero plurimos ad resurrectionẽ destinatos esse perinde ac si Simeõ dicere voluisset, Christum suiipsius interitu ruinaq; mundo salutẽ & diuitias allaturum: morteq; quæ omnium rerum ruina est, cõsumptum, alios ad vitam reducturum: itaque ruinam, passionem, & mortem eius aliis resurrectionem & vniuerso salutem orbi allaturam. *Origenis.*

Gregorius Nazianzen, aliam viam ingreditur, aitq; quamuis Christus omnes homines saluos cupiat, nonnullis tamen opera & miracula eius in ruinã, nonnullis vero in salutem & resurrectionẽ futura; illos excæcatura, alios vero illustratura non aliter ac lumen diuersos, secundum oculorum diuersitatem, effectus videmus producere; quod nimirum hos illuminet, illorũ vero oculis officiat; aquilã perspicacem reddat, vespertiliones vero excæcet. Huc allusisse visus est Dominus cũ de se diceret: *Ego occidã & viuificabo; percutiã, & ego sanabo*: an nõ idẽ est dicere *Hic positus est in ruinã & resurrectionẽ multorũ?* *Greg. Naz.* *Deut. 32.*

Glossa Ordinaria alium verbis his sensum adaptat, dicitq; Christum Dominum in ruinam vitiorum multorum, & resurrectionem multarum virtutum missum esse; siquidem ante aduentum illius omnia peccata domina- *Glossa ordinaria.*

minabantur, & ipse non ob aliam causam in mundum venit, quam vt peccati Imperium viresque euerteret. Hinc bene additur, *Multorum*, eo quod peccata, non secus ac virtutes, nunquam sola sint, sed vnum aliud sequatur. Ruinam quoque ante resurrectionē posuit, quod prius euerti iniquitatem vitiaque eradicari oporteat, quam virtutum germen inseratur, & bonum semen fructificet.

*Eccles.3.* Atque hoc loquendi modo vsus est, & Sapiens, *Tempus destruendi, & tempus ædificandi.* Ieremiæ quoque hunc in modum præceperat Deus: *Euellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes.*

*Ierem.1.*

Equidem vt meam hic quoque symbolam proferam semper in ea opinione fui, Simonē aliud nihil insinuare voluisse, quam Deū multis ruinam fore occasionaliter & per accidens, & resurrectionē, causaliter, effectiue & directe: ruinam superbis, & resurrectionē mitibus & humilibus. Atque hunc in modum intelligenda sunt verba illa Oseæ Prophetæ: *Perditio tua ex te Israel, tantummodo auxilium tuum ex me.* Ad hęc Simeon per vocem illam *resurrectionē*, non corporum, sed animarum è statu peccati resurrectionē & salutem earum intellexit; cuius oppositū ipsa ruina & damnatio est. Certum est autem, per gratiam Christi Iesu illiusq; Ecclesiæ Sacramenta vere nos resurgere. vnde Paulus, *si consurrexistis cum Christo*, & ipse de se Dominus: *Ego sum resurrectio & vita:* peccantium scilicet resurrectio, & animarum mortuarum vita; nulla autem ibi esse potest resurrectio, vbi ruina prius non fuit. Hinc Christus positus dicitur in ruinam & resurrectionem.

*Oſe.13.*

*Coloſſ.3.*
*Ioan.11.*

Deus non est peccati auctor.

Non ait, Christum omnia destructurum, plurimorum ruinam & exitium fore, sed eū tantum in ruinā positum esse plurimorum. Discamus hinc, quemadmodum Christus nullius mali aut peccati auctor est, ita necvllum admittere peccatum posse; est enim natura ἀναμάρτητος, & peccati incapax: plurimis autē in ruinam & peccatū est, qui quoniam peruersi & improbi sunt, ex operibus & verbis Christi scandalizantur; cuius scandali non ipse, sed hominum peruersorum malitia causa est.

Quid obstat autem, quo minus verba hæc Simeonis in superiores & Prælatos Ecclesiæ detorqueantur, qui vitæ turpitudine, & alio quouis prauo exemplo Ecclesiæ Christi in ruinam sunt & interitum? Refert Aluarus, mulierē Æthiopem enixam, concubitusq; idcirco cum Æthiope vel Mauro accusatā, non aliter innocentiam suam testari potuisse, quam quod cōceptus tempore oculos in Æthiopis imaginem parieti affixam morose coniecisset, & proinde prolis nigredinem in imaginationis vehementiam potius, quam in vetitum concubitum referendam. Ad eūdem modum monstrosi hodie partus, id est peccata, inter fideles reperiuntur, qui excusare se facile poterunt, quod horum exempla in Prælatis, scelerum fuligine nigricantibus, plurima conspiciant. Arque huc trahi possunt verba illa Oseæ: *audite hoc sacerdotes, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus factus estis speculationi, rete expansum super Thabor.*

*Aluarus Minor de planctu Eccles. lib.1. art.69.*

*Oſea.5.*

Oues Laban illius coloris fœtum edebāt, cuius erant virgæ, quas Iacob fontibus & canalib imposuerat; adeo vt quæ candidas in concipiendo virgas viderant, cādidas etiam ouiculas parerent, quæ nigras, etiam nigrum fœtum ederent. Ita cum fidelibus hodierna die agi certum est: ipsi quippe Ecclesiæ oues dici queūt; canales porro & fontes, ipsa sunt Sacramenta; pastores, curiones & Episcopi; virgæ exempla quæ edunt, & vitæ illorum ratio, quem porro colorem Prælatorum & superiorum vita prætulerit, eum etiā mores & opera subditorum præferent; Pastorum namque ad exemplum vitam suam componit grex: qui si vitam ducant pudendā & fuliginosam, fuliginosa etiam erit vita ouium, contra vero si candidam & honestam, honesta quoq; subditorū futura est. Adeo vt Ecclesiæ vertices & capita, aliis in ruinam sint, in resurrectionem aliis; vt merito de ipsis Simeonis verba vsurpari queant. *Hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum.*

*Gen.30.*

*Luc.2.*

Ruina nomen semper in sacra Scriptura magnā vastationē denotat.

Et quoniam ruinæ hic mentio habetur, obseruaui nunquam eius Scripturam meminisse, quin semper ingens aliquod excidium, vastationem, calamitatemq; denotet. Vt in illo loco Exodi, cum Deus ingens aliquod malum innuere vellet, populo ait, *Caue ne vnquā cum habitatorib. terra illius iūgas amicitias,*

*Exod.39.*

Psal.109. *citias, quæ sunt tibi in ruinam.* Psalmographus Angelorum casum & damnationem referẽs, ipsum etiam vsurpauit, *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Lucas vero excidium aliquod & generalem vastitatẽ repræsentans: *Et facta est ruina domus illius magna* Damnationem horribilem & intollerabilẽ per hanc intellexit Moses: *Deuorabis*, inquit, *omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus est tibi, non parcet eis oculus tuus, nec seruies diis eorum, ne sint in ruinam tuam.* Omnia autem hęc exprimere conatus est Simeon, cum ait Dominum Iesum positum esse in ruinam multorum, & in signum cui contradicetur.

Num. 6.

Diuersæ notiones verbi signum.

In Græco autem textu legitur, καὶ εἰς συμεῖον ἀντιλεγόμενον, & quoniam verbum *signũ* pluribus modis accipi in sacra scriptura consueuit, hinc verba illa Simeonis plurimas easque discrepantes significationes admittunt. Interdum capitur pro eo quod aliquid significat; atq; ita Christum signum dici, cui plurimi contradicant, nihil aliud est, quam Iudæos & Gẽtiles cruci eius, quæ salutis nostræ signum est, contradicturos & aduersaturos. vnde Apostolus: *Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* esse ait crucifixum Christum, atque ita exponunt Beda & Theophylactus.

1.Cor.1.

*Signum* interdum miraculum denotat, vt in illo Actorum: *Fiebant signa & prodigia multa in populo*: & illo Psalmi, *Signa nostra nõ vidimus, iam non est Propheta.* atque hoc intellectu Christus vere signum exstitit, imo prodigium & miraculum: quod eius conceptio, natiuitas, vita & mors miraculis scatuerint, iisque adeo eximiis & singularibus, vt plurimi iisdem contradixerint, fidemque iis adhibere noluerint. Dum enim diabolos ab energumenis pelleret, alii quidem admirabantur, & ob eadem in ipsum credebant, alii vero blasphemo ore ipsis detrahebãt, dicẽtes in Principe dęmoniorum Beelzebub dæmones fugari, ac virtute diaboli diabolum pelli. Atq; hæc est plurium neotericorum, magni tamen nominis auctoritatisque opinio.

Act. 5. Psal. 73. Luc. 11.

Capitur etiam *signum*, pro fœdere interdũ & pacto, vt in verbis illis Geneseos: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Verum hoc modo signum fuit Christus, signum inquam fœderis inter Deum & mortales, qui terram cœlo, creaturas creatori, ima summis, inferiora superioribus reconciliatum venit: atque in hanc sententiam manibus pedibusque concedit Lyranus.

Gen.9.

Equidem cum doctissimo Maldonato *signum* hic pro scopo capi existimo, in quem omnia tela dirigantur: atque ita capi dicendum est in loco illo Threnorum: *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Iob etiam, vt omnia in se elementa cõiurasse ostenderet, ait: *Posuit me quasi in signũ.* Adeo vt loci huius Euãgelici sensus sit, Christum velut scopum fore, in quẽ omnia persecutionum, iniuriarum, opprobriorumque tela Iudæi dirigerent, qui non contenti conuitiorum in eum plaustra congessisse, cruci eum denique affixere, mortemque ignominiosissimam subire coegerunt.

Thren.3. Iob.16.

*Et in signum cui contradicetur.* ô signum admirabile! cuius signum exstitit signũ illud, quod sanguine agni Paschalis notatis domuum superliminaribus Hebræos ab Angelo exterminatore tutatum est: *Erit autẽ sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis,* signum, cuius figura exstitit serpens ille æneus, qui à viperis percussos sanitati pristinæ restituebat: *fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viuet.* signum, quod regi Ezechiæ in certitudinem recuperandæ sanitatis à Propheta datũ fuit: *Hoc erit in signum à Domino, quod facturus sit Dominus sermonem quem locutus est, vis vt ascendat vmbra decem lineis, aut vt reuertatur totidem lineis.* Denique signum quod omnes mundi gentes velut vexillum sequentur, & in quod obtutum defigent: de quo signo locutus est Isaias: *Leuabit signum in nationibus.* Atque hoc innuere volebat sanctus ille senex Simeon de futuro Iesu Christi statu agens: quo etiam trahi possunt oracula Annæ viduæ: *Et erat Anna Prophetissa.*

Luc. 2. Exod 12. Num.21. 4.Reg.20.

IV. Luc. 2.

Anna laudatur ab assiduitate orandi.

Laudatur sancta hæc vidua, centesimum propemodum annum agens, ab assiduo precandi studio indefessoque orandi & ieiunãdi exercitio, vt quæ de tẽplo nec nocte quidem decederet, *Quæ nõ decedebat de tẽplo, ieiuniis & obsecrationib. seruiẽs Deo nocte ac die.*

Hinc apparet quam gratum Deo sit in orando assiduum esse, & nũquam in precibus defatigari: cuius rei præclarum nobis exemplum dedit Saluator noster, cum integras noctes in oratione traduceret. Vnde de eo Euangelista scribit, *Pernoctans in oratione Dei.* quodque exemplo demonstrauit, verbis etiã docere voluit; apud eundem enim Euangelistam legimus: *Oportet semper orare, & non deficere* Paulus quoque sui temporis Ecclesias idipsum hisce verbis edocuit, *sine intermissione orate.* eius autem emolumenta referens Iacobus Apostolus ait: *Multum*, inquit, *valet deprecatio iusti assiduæ.*

*Luc. 6.*

*Luc. 18.*

*1. Theff. 5.*

*Iac. 5.*

*lib. 2. de orando Deũ.* Quicunq; orationem non diligit, animæ suæ paupertatem manifestat

Aureum eloquentiæ flumen Chrysostomus dicere solebat, ex orationis neglectu animæ alicuius imbecillitatem inopiamque colligi posse: verba illius, quod credam maius illa pondus habitura, depromam: *Cum videro quempiam non amãtem orandi studium, nec huius rei feruida vehementque cura teneri continuo mihi palam est, eum nihil egregia dotis in animo habere.*

Scriptor quidam nostri æui, doctus iuxta ac pius, & hanc similitudinem proferre solebat: quemadmodum auis nunquam oua excludere poterit, quæ foueri cœpta deserit, & rarissime iis incubat: ita quicunq; statim ab oratione surgit, preces interrumpit, nec in iis assiduus est: nullum ex iis fructum percipiet, ipsa namq; obesse interruptio, prodesse autem assiduitas & perseuerantia solet.

*Granat. tõ. 1. serm. de temp. Snr. tom. 7.* Oratio cẽsori comparatur.

Hinc S. Ægid. è primis D. Francisci sociis dicebat eum qui propter distractiones ab orationis perseuerantia desistit, similem esse fugienti è prælio non adepta victoria In ipsa enim cum inimicis, mundo, carne & diabolo præliamur, qui orationi vacantes vt plurimum turbare & impedire consueuere.

Scite autem oratio cursori aut tabellario comparari poterit, vt quæ Deo desideriorum & affectuum nostrorum tabellas deferat. cursorem enim, præterquam quod sedulus & solers, omni alieno negotio vacans; & ad commissa negotia quantocius exequenda esse celer debeat, importunum quoq; esse oportet, adeo vt quamuis interdum repulsam patiatur, omni tamẽ ratione conetur suscepta negotia feliciter ad exitũ deducere. Ita orationem, vt omittam quod celer, diligens, & ab omni sæculari strepitu libera esse debeat: nõ prius finiri par est quam petita obtinuerit.

Sacerdotes & seniores Bethulienses increpabat Iudith, quod ab oratione desistentes, & de impetratione diffidentes, inimicis vrbem, nisi intra quinq; dies suppetiæ adessent, tradere decreuissent: *Qui*, inquit, *estis vos, qui tentatis Dominum? posuistis vos tempus misericordiæ Domini. & in arbitrium vestrum diem cõstituistis ei?* Ita porro faciunt qui dum à Domino non exaudiũtur, & auxilium quod sperabant differtur, ab oratione defatigati, imo quasi tædio affecti surgunt, magnopere vituperandi sunt.

*Iudith. 8.*

Iacob Patriarcha tota nocte cum Angelo luctatus prius eum dimittere noluit, quam benedictionem impetrasset: qua importunitate victus Angelus antagonista, *bene dixit ei eodem in loco.* Porro lucta hæc aliud non erat quam feruida quædam & importuna oratio, qua Angelum enixe orabat, vt se à perfidi Esau persecutione liberaret. Mysterium autẽ denotat, hoc nobis modo cum Angelorum rege luctandum esse, & non prius illum deserendum, quam gratias eius & benedictiones perseuerantia & importunitate precum impetrauerimus. Idque exemplo sanctæ huius viduæ Annæ, quæ octogesimum iam in templo annum, orando consumpserat, & nunquam ab eodem discedebat.

*Gen. 32.*

Sponsus in Canticis dilectæ dicebat, *Murenulas aureas faciemus tibi.* vbi alia lectio legit *Turtures aureas faciemus tibi*: Id est, Carissima mea, amorem tibi meum vt testatũ faciam, murenulas tibi dabo: tanto te namque amore prosequor, vt à capite ad pedes vsque monilib. onustam te velim: non alia porro tibi concinnabo, quã turtures aureas vermiculatas argento. Cur putatis eum turtures, non vero aquilas aut cornices, sponsæ dedisse? Turtur cum multas ob causas, tum præsertim ob lugubrem illum & tristem cantũ, quo amisso cõpare gemit, & perpetuo gemit, perseuerantiæ symbolum sit. Ita Deus animam gemebũdam & suspirantem diligit, quæ noctes dies q; in oratione traducat, eiusque misericordiam incessanter & assidue efflagitet.

*Cant. 1.*

Turtur perseuerãtię symbolum.

Hæc autem perseuerantia & constantia

plu-

Perseuerantia hæc plurimis grauis est. 1. Reg. 17.

plurimis, eidem minime assuetis, grauis est & permolesta. Hinc Dauid rex cum Philisthæo in singulare certamen descensurus, Saulis armis indutus incedere non potuit, sed iisdem grauatus potius quã munitus, ait, *Non possum sic incedere, non enim vsum habeo.* Itaq; depositis armis inermis ad duellũ properat. Notate rem miram: arma quibus Saul indutus strenue & animose pugnabat, Dauidẽ granabant, adeo vt se mouere nõ posset, nedum incedere: cuius rei hæc ratio est: quod Saul iisdem, non vero Dauid, assueuerat. Vt allegoricum hinc sensum proliciam, dico arma quibus dæmon, metuendus ille Goliadas expugnetur, esse orationem, pœnitẽtiam, ieiunium, eleemosynam & integram Christianæ legis obseruationem, quibus qui assueuere, nullo negotio prælia conserunt: at quibus insolita ea sunt & inuisa, sub pondere fatiscentes deficiunt, & de victoria desperant.

*Heb.* 12. Vnde Paulus Hebræis scribens ait, *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur nõ esse gaudii, sed mœroris: postea autẽ fructum pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitia*, quo loco, *in præsenti*, capiendum est quasi diceretur, *In principio*: quod in orationis perseuerantia cõstantiaq; locum potissimum habet.

*Psal.* 96. Conclusio.

Quamobrem, Christiani, sanctis exercitiis incumbamus, virtutem colamus, precandi studio assuescamus, in oratione instar Annæ viduæ assidui simus & frequẽtes, & ad exemplum iusti Simeonis in lege Dei noctes & dies meditemur, eiusq; mysteria suspiciamus, admiremur, & enarremus: de puero Iesu agamus, eius incarnationem, natiuitatem, & cetera quæ in vita patrauit miracula recolamus: at in primis incarnationis eius admirabilis dignitatẽ ac maiestatem, adeo sublimẽ & eminentem, vt omnia potentiam splendoremque illius demirentur. Ita quippe cantat Psalmista, *Montes* admirãtes Deum humanã naturam induisse, & in terram descẽdere voluisse,

*Psal.* 96. *sicut cera fluxerunt à facie Domini omnis terra.* Et vere ita seres habet, æterne & omnipotens Deus: omnia namq; adeo sublimia, & à mentibus nostris remota sunt, vt nonnisi per raptus, admirationesq; eodem, & præsertim ad diuinum glorioſæ natiuitatis tuæ mysterium, pertingere valeamus. Quænam enim nouitas & quod paradoxum, te qui in cœlesti habitaculo ab Angelis adorari, à Cherubin coli, à stellis illustrari solebas, adeo humiliatum cernere, & demissum, vt in stabulo nasci, cœli iniuriis exponi, in præsepio reclinari, inter animalia collocari volueris? Quis enim repentinam hanc metamorphosim, subitam hanc mutationem non obstupescat, regem nimirum serui conditionem assumpsisse, & æternum in temporalem, impassibilem commutatum esse, hunc denique ad cuius nutum omnia elementa, & mundi etiam cardines tremunt, in præsepio inter animalia præ frigore palpitare. Gratiam igitur nobis concede, vt mirabilia omnia demirãtes, maioti tui hic sincere amãdi colendiq; assidue studio teneamur: donec in alteram nos vitam vocare digneris: quam nobis concedere dignetur, qui viuit & regnat in sæculorum sæcula Deus, Amen.

## DOMINICA PRIMA POST EPIPHANIAM.

Partes.

1 *De aduersis humanæ vitæ.*
2 *De matris filiiq; exemplo.*
3 *De cura vxorum ac prolium.*
4 *De festo nefasto seu infelici, ac amisso Christo.*
5 *De ingressu religionis insciis parentibus.*
6 *De inuentione pueri in templo.*

*Cum factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam.* Luc. 2.

### FIGVRA.

MAgnus quidem dolor magnaque animi anguſtia erat, quam Tobias senior, eiusq; coniux Anna in absentia iunioris Tobiæ, quem in Mediam miserant, sentiebant. Ipsa namque mater doloris & moræ impatiens, quotidie montium iuga conscendebat, vt, si eum eminus forte venientem cerneret, marito nuntiaret: quem cum eluſa fruſtrataq; non videret, lacrymans & queribunda dicebat, *Heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorũ, baculum senectutis nostræ, solatiũ vitæ nostræ spem posteritatis nostræ!* At maior, mihi credite, amaritudo anguſtiaq; animi fuit, q̃ glorioſa Deipa- Tob. 10.

ra, & Ioſephus hodierna die, amiſſo puero Ieſu, ſenſerunt Et vt parẽtes Tobiæ incredibili gaudio perfuſi ſunt, cum filium, Angelo Raphaele ducente, ſoſpitem & incolumem recepere, ita Mariam & Ioſephum immẽſum ſenſiſſe gaudium dicendum eſt, quando dilectiſſimum filium hodie in medio Doctorũ repererunt diſputantem & interrogantem. Tota hiſtoriæ huius ſeries in Euangelio hodierno deſcribitur: cuius vt vobis varietatẽ, lacrymas inquam & gaudia, doloremque & exultationem: hinc gemitus & ſuſpiria, illinc lætitiam & iubilum depromam: cœleſte auxilium neceſſario nobis implorãdum venit, idque interueniente glorioſiſſima Deipara, quę omnes hos affectus hodie experta ſcribitur, cui angelicam proinde ſalutationem impertimur: *Aue Maria.*

I. Vita hominum malis permiſta variis.

Quatuor hactenus vitæ mortaliũ ſtatum deſcribere, inq; eius proprietates voluerunt inquirere, nihil eam eſſe cenſuerunt aliud, quam omnium miſeriarum & malorum cõgeriem, in qua nimirum nihil ſtabile aut firmum reperiatur, aut omnia fragilia & mutationi viciſſitudinique obnoxia. Opinionis huius & ſententiæ auctor & princeps fuit Iob Propheta, qui vitam hanc noſtram militiæ quandam & bellorum ſpeciem habere hiſce verbis ait, *Vita hominis militia eſt ſuper terrã.* Nam ſicuti belli tempore miles nunquam certi ſibi aliquid ſpondere poteſt, nec in eodem verſatur ſtatu: at modo victoriã refert, modo ſtragem ſuorum videt, modo fugat, modo in fugam compellitur: hodie cædit, cras ab hoſte cæditur, adeo vt ſemper arma geſtare eum neceſſe ſit. Ad eundem etiã modum nihil in hac vita habetur ſtabile, ſed omnia fortunæ mutationi inconſtantiæque ſubiecta ſunt: nam ſi victor fueris, veſperi clades timenda vel excidium: adeo vt nunquam certi aliquid tibi promittere valeas.

*Iob 7.*

Vita mari comparata.

Vitam igitur noſtram non inſeite quis mari comparauerit: nam vt ipſum inconſtantiæ theatrum eſt, aquilonum ſtadium & arena, tempeſtatum armamentariũ, cõtinuo fluxu & refluxu, procelliſque variis ſubiectum: Ita quoq; vita hæc ſemper exagitatur, omnibus fortunæ caſibus, ridentis ſimul & indignãtis, expoſita: ipſa omnium malorum ſeopus eſt miſeriarum ſtadiũ & arena, afflictionũ theatrum, tribulationũ ſchola, mutationis & varietatis abyſſus, omniũq; aduerſitatum, calamitatumq; fons & origo. Hinc multi eam Philoſophi Eutipo ſepties in die reciprocãti, compararunt, à qua comparatione non procul receſſit Salomon, dum ait, omnia hæc mundana viciſſitudinem pati, & voluptates doloribus, delicias malis, gaudiaq; lacrymis velut vino amariore miſceri, *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat.* *Prou. 14.*

Porro viuimus hic medii inter cœlum & infernum cõſtituti: &, vt medium extremorum participat, ſic vita noſtra partem à cœlo, in quo nonniſi merum gaudium, nulla triſtitiæ aqua dilutum habetur: & partem ab inferno, in quo nonniſi luctus & amaritudo, nacta eſt: atq; huc alluſit Propheta Iob cum diceret, *Poſt tenebras ſperabo lucem, &c.* quorum verborũ ſenſus hic eſt, poſt dolores ſuperuenturas delicias, & voluptates à malis & calamitatibus quam proxime premi: poſt lacrymas ſc. ſecutura gaudia, & poſt gaudia, inſtare lacrymas & luctum.

Vita noſtra media inter cœlum & infernum ſita. *Iob. 17.*

Vnde bene Ioannes Chryſoſtomus, *Miſericors Deus mœſtis rebus quædam iucunda permiſcet, quod in omnium ſanctorũ vita reperies, qua mirabili varietate contexta eſt.* Id eſt, quẽadmodum omnium rerum creator Deus varietate quadam & iucunda permutatione vniuerſam hanc rerum molem ſuſtentat & fouet, poſt æſtiuos ſcilicet calores frigus hibernum, poſt Zephyri delicias borealem rabiem ſuperinducendo: ad eundem modum vitæ noſtræ dies aſſidua quadam mutatione dirigit, inconſtantiæque rotis inſidentem eandem ſemper ad terminum protrudit. *Hom. 8. in Matth.*

Quam bene & luculẽter hoc expoſuit Sapiens, & verbis quidẽ myſticis! *Præcordia ſtulti quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius.* Id eſt, ſtultus nunquam idem eſt, nunquam eodem in ſtatu permanet: verum ab vno conceptu delabitur in aliũ, & vna cogitatio producit aliam priore longe etiã deteriorem. Nomine autem ſtulti, omniũ motionum & fatuorũ principem mundũ intelligere poterimus, qui adeo inconſtans & varius, vt in eo quo prius fuit ſtatu, permanere nequeat: Huc reſpiciens Pſalmograph. ait, non qui- *Eccleſ. 33.*

Mundus omnium dici poteſt ſtultiſſimus.

quidē imprecando, sed futura vaticiniis præ-
*Psal. 82.* sagiendo, *Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*, quo in loco nō de aliis quā de mundanis locutus est, ac vitæ huius miserias vicissitudinemq; descripsit: vt quæ nunquā in eodē statu permaneat, sed varietati mutationiq; sēper obnoxia sit: hodie quidē deliciis affluens, & gaudiis innatans, cras vero malis calamitatibusq; circūuallata.

*Ezech. 2.* Ostendit olim Deus Ezechieli Prophetæ librum, & eum in manu filii hominis, intus & foris characteres continentem, *& scripta erant in eo lamentationes & carmen, & væ.* O librum vere admirabilem qui scripturā adeo variā in se contineat; & mea quidem sententia hoc libro vitæ nostræ status ad viuū exprimitur: An non enim ipsa liber quidam est, quem Christus filius hominis semper in manu habeat, quinq; viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta, sexaginta, interdum etiam octoginta folia, id est, annos contineat? Varia autem in eodem sunt argumenta: carmina scilicet, lamentationes, tristia lætis permista quod vita nostra hæc miserabilis gaudia & tristitias, dolores & exultationes, prospera & aduersa contineat.

Hortum quidem sponsę varii decorabant flores & fructus suauissimi: sed pestilentes eum venti & impetuosi perflabant, Aquilones, Noti, & Austri: *Surge aquilo, & veni Auster.* Id ipsum de vitæ nostræ horto dicēdum
*Cant. 4.* est, qui varios quidem eosq; iucundissimos
Vita nostra similis est horto sponsæ in Canticis. flores edit, delitias scil. voluptates, diuitias, honores, dignitates & illicia: sed graues eum venti & turbulenti, vt sunt tentationes, afflictiones, aduersitates, mala, angores, molestiæ, ærumnæ, lacrymæ & lamenta infestant.

Item agro Euangelico bonam sementem & zizania complectenti. *Matt. 13.* Contemplor in Euāgelio agrum, in quem bonum semen paterfamilias seminauit, sed cui deinde inimicus homo æmulationis rabie actus zizania superseminauit. Agrū porro hunc aliud nihil esse censeo, q̄ vitam hanc nostram, in qua & bonum semen, & simul zizania, reperire est: modo quidē voluptates, iucunditates, gaudia, commoda, prosperitates, modo autē angustias, tribulationes, infortunia, calamitates, aduersa, fortunæq; ludibria, læta scil. tristibus, & prospera aduersis permista: nihil vt purum & merum dari in ipso queat. Quod in Euangelio hodierno, ne multum euagemur, aperte videre datur: hic namq; cernere erit Deiparam & Ioseph um, qui nato Domino, à Magis adorato, Simeone de puero prophetante, & Anna deinde posthæc de eodem vaticinante, incredibili olim gaudio perfusi erant: dolentes, & lacrymantes, & tristitia ob amissionem eius dum in patriam reuerterentur, confectos. Textus verba hæc: *Cum factus esset Iesus annorum duodecim ascendētibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Iesus in Ierusalem.* Vt omnia hæc methodice deducam, primo inter hoc Deiparæ Ierosolymam versus regulam; deinde Christi amissionem, ac simul eiusdem inuentionem prosequar: in quo & tristia lætis & iucunda amaris permista videbis. *Luc. 2.*

II. Euangelica narratio. Principio igitur refert Euangelista, Ioseph um & Mariā è Nazareth profectos, iuxta consuetudinem ad solemnitatem festi peragendam, Ierosolymam venisse: cumque iam sacrificiis peractis & voto completo domum redirent, Christum annum iam duodecimū agentem, in via se subduxisse & in templo parentibus insciis, permansisse quem illi amissum putantes tantam in animo sensere tristitiam, quāta nullis exprimi verbis queat. Quæ omnia vt melius intelligantur, sciendum, Iudæos omnes, ex legis Mosaicæ præscripto, ter singulis annis Ierosolymam sacrificii offerendi, votiq; soluendi ergo venire debuisse, in festo scilicet Paschæ, Pentecostes, & Tabernaculorum. Verba legis in Exodo legere poteritis, *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Deo tuo.* Et in Deuter. *Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinum tuum in conspectu Domini.* *Exod. 13.*

Huic igitur legi obsecuturi Ioseph & Deipara, quamuis ipsa eximeretur, (lege nimirū ad solos viros se extendente) è Nazareth Galilææ Ierosolymam proficiscuntur, festum Scenopegiæ celebraturi. Docemur hic festos dies obseruare, iis ipsis templa adire, sanctisque exercitiis vacare. Addit autem Euangelista, *Secundum consuetudinem diei festi.* Vt ostendant, non debere nos dum dies festi sunt, chartis lusoriis aut aleæ asuescere, *Luc. 2.*

lasciua & impudica theatra adire, vino nos ingurgitare, genio & ventri indulgere, & recta ad inferos per viam latam properare; sed consuetudinem nostram esse debere, cœlestem Ierusalem cogitatione ascendere, templa frequentare, concionibus & sacris interesse, precibus vacare, peccatorum confessionem instituere, communionem corporis Dominici percipere, & eleemosynas in pauperes erogare.

O tempora, ô mores, ô sæculum cõtaminatissimum, ô triste sanctarum consuetudinum exilium! solebant olim Iudæi, dum festus apud eos dies ageretur, templum petere, Deo victimas immolare, sacrificia & holocausta offerre: & heu! tanta hodierna die inter Christianos est dissolutio, vt iis ipsis diebus ad tabernas conuolent, per prostibula oberrent, per popinas & gurgustia discurrãt, impune Deum variis sceleribus offendant, lasciuiãt, insaniãt. Instituit porro festos dies Ecclesia, vt saltem iis ipsis Christiani pœnitentiam agerent, ac delicta aliis diebus commissa tum deplorarent: at hodie quæ morum corruptela est, nonnisi ad risum, tripudia, lasciuias, ineptiasq; instituti videntur. De expiationis olim diebus agẽs in Leitico Deus, ita locutus est: *Decimo die mensis septimi dies expiationis erit celeberrimus, & vocabitur sanctus affligetisq; animas vestras in illo.* Hodie vero festa non sunt dies afflictionis sed dissolutionis, adeo vt omnibus tunc petulantiis habenæ laxari debere videantur. *Leuit. 23.*

Voluit adhæc Iudæos in magna solennitate Paschali nonnisi panem afflictionis & doloris gustare, *Septem diebus comedes absq; fermento afflictionis panem.* Hac vero tempestate in maximis solemnitatibus maxima & splendidissima instruuntur conuiuia, mensæ sternuntur, coquina fumat, ventri indulgetur, adeo vt bacchanalia agi videantur. Eodem ipso Paschatis festo lactucas agrestes comedere solenne Iudæis erat, quas lxx. herbas amaras interpretantur. Et hodie pro pudor & Christianorum dedecus! in festis solemnioribus nõnisi de voluptatibus, deliciis & gulæ irritamentis est sermo. Porro vetera illa de festis decreta, innuere volebant, in festis maioribus radices nobis amaras in cibum esse debere, id est, mystico sensu, pœnitentiam agendam. *Deut. 16.*

Solebant iisdem in festis offerre Deo etiam boues & oues, ac victimas immolare. Colligimus hinc, brutales affectus, passiones indomitas, iram, odia, inuidiam, auaritiam, luxuriam, aliaq; vitia, festis potissimum diebus iugulanda, eaq; in holocaustũ adolenda esse Origines huc respiciens in homilia quadam scripsit, *In spiritu diem festum agamus, & spiritualia sacrificia iugulemus.* *Marc. 14.*

Iudæi in festorum obseruatione religiosi, ne dicam superstitiosi, Iesum hostem suum iuratissimum in die festo comprehẽdere præ religione ausi non fuerunt: dicebantq; hypocritę, *Nõ in die festo*, Hoc imitemur & nos, & quamuis diebus profestis Deum offendemus, diebus tamen festis & solemnibus à peccatis abstineamus: peccata quippe die festo commissa grauiora proculdubio cæteris; & quod aliis cõmissum diebus simplex peccatum est, die festo duplicem continere offensam censetur. Illis igitur diebus Deum colere oportet, imitatione scilicet Iesu Christi, & Deiparæ Ioseph exemplo. *Cum factus esset Iesus annorum duodecim.* *Luc. 2.*

Videte hic obsecro, auditores, vt Iesus summus ille Deus, & humilimus homo, Ierosolymam Patri, se oblaturus ascẽdat, & duodecimo ætatis anno templũ Deo se deuotus ingrediatur: illo quippe tempore rationis surculi in animo nostro pullulascunt. Vt hinc discamus, à tenera nos ipsos offerre Deo ętate, eiq; quidquid habemus, vltro in obsequiũ dedicare, à quo nimirũ esse, viuere, omniaq; accepimus. Quod ipsum è naturæ nobis officio necessario incumbit: adeo vt D. Tho. puter puerum, eodem quo rationis vsum habere incipit tempore, in conscientia teneri, seipsum Deo offerre, seseq; totum eius cultui dedicare: atq; hoc faciendo nihil quam quod ex debito & officio incumbit facere: negligẽdo autẽ, mortale peccatum admittere, & infernalium se suppliciorum reum, si hoc in statu hinc emigrate contingeret, constituere.

Quamobrem optime visus mihi est consuluisse mortalium sapientissimus Salomon, *Memento Creatoris tui in diebus iuuẽtutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ & appropin-* *Eccles. 12.*

*Exod. 12.* Viuebant olim Iudæi festis paschalibus nonnisi lactucis syluestribus. Victimas quoq; immolabant.

*propinquent anni de quib. dicas, non mihi placēt*, per tempus hoc afflictionis mortē haud dubio intelligit: & per annos illos displicentes, senectam, quæ grauis & fastidiosa est. Beatus igitur ac felix adolescens, qui consulenti sapientissimo regi credit, & iam inde ab ætatis flore & vere Dei recordatur, studia illi sua operaque & quidquid acturus est, libens, merito dat consecratque.

*Thren. 3.* Ieremias Propheta hinc in Threnis expostulans, ait, *Bonum est viro, cum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.* Quid autem est iugum Domini ferre, nisi legi eius obedire, præceptis Dei obsequi? quæ qui à iuuentute & prima ætate seruare inceperit, næ ille sapientem se & cordatum demonstrat: contra vero stolidum & fatuum se ille, qui à iuuentute lasciuire incipit, certoque salutem suam discrimini exponit.

*Eccles. 11.* Qui Deo à iuuentute non seruiunt cygno comparati.

Inter ceteras quas Deus olim vt immundas & spurias aues ab altari suo reiiciebat, erat & cygnus, cuius rei nullā aliam esse rationem puto, quā quod nōnisi moriens cantet, & fata symphonia iucundissima præuertat, reliquo tempore ne hiscat quidem, sed stertere quasi videatur, & in otio viuere. Mystice autem hic designatur, illos à Deo cygnorum instar reprobandos, qui iuuentutem & ætatis florem Deo non consecrant, studiaque sua & seipsos totos, id est, animam & corpus illi non offerūt omnemq; cantum, vitæ inquam emendationem, pietatem, pœnitentiamque otiosi & stertentes in senium, ac mortis tempus differunt. At Iesu Christi exēplo, qui iam inde à duodecimo ætatis anno Patri se offerre, operaque sua dedicare incipit, resipiscant.

Non alia porro tam maturæ sui manifestationis dari potest ratio, quam vt ita desiderium, quo erga gloriam Dei salutemq; animarum incensus erat, manifestaret, adeo vt tempus ab æterno ad id designatum præuerterit, omnesq; moras præscindendo vltro se ipsum manifestare voluerit. Ita etiam tempore passionis, vehemens illud desiderium quo ad mundum redimendum flagrabat, in causa fuit, vt omnis moræ pertæsus, sanguinem, qui nonnisi flagris, clauis, & spinea corona eliciendus erat, in horto orans exsudaret, atq; hoc antea prædixerat, *Baptismo*, sanguinis sc. *habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiatur.* Et ecce hodie ætatis anno duodecimo cum Iosepho patre putatiuo, glorioſa Deipara matre templum ascendit.

*Luc. 12.* *Luc. 2.*

*Ascendentibus illis Ierosolymam.* Maria scil. & Iosepho coniuge illius. Non sine ratione Spiritus sanctus ambos hos simul proficiscētes depinxit, vt doceat nimirū, dedecere coniugatas sine maritis foras prodire, aut solas deambulare, atque huc facere videntur illa Dei verba, Gen. 1. *Faciamus ei adiutorium simile sibi*, quæ alius interpres ita transtulit. *Faciamus ei adiutorium, quod sit cum eo*: perinde ac si iam inde ab illo tempore docuisset, ambos semper simul versari & incedere debere. Obseruatione profecto dignissimum est, iam inde à mundi exordio, hæc Deum verba vsurpare voluisse, vt scilicet ostenderet, honestæ matronæ esse, mariti semper ob oculos versari, ne honori suo & famæ, sine inspectore per vicos & agros incedendo, maculam aspergat.

III. Coniugatæ semper cum maritis versentur & exeant.

*Gen. 1.*

Hoc indicare sponsa in Canticis voluit dicens, *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*: quasi dixisset. Tanto sponsum meum amore prosequor, & ille me viciſſim, vt semper me actioneſq; meas intueatur: ego quoque numquam me ab illius latere seiungam, sed assidua ei comes & indiuisa futura sum. Hoc in speculum matronæ oculos coniiciant, in hoc speculētur, inter quas illa sapiens & cordata dici poterit, quæ à mariti latere nunquā recedit, aliorumque consortio velut pestem honorisq; fuliginem detestatur.

*Cant. 7.*

Psalmographus huiusmodi mulierem describens, inter familię beatitudines recenset, *Vxor tua sicut vitis abundans* in sobolis procreatione & fœcundo partu, *in lateribus domus tuæ*, nunquam sine te egrediendo, sed affectum in te suum testando, familiam non deseret, curam domus geret, ab eaque nunquam recedet. Et profecto talis maritum diligere & sapiens censenda est, inq; mariti benedictiones enumeranda, quæ quietis & solitudinis amans à domo nō recedit, sed familiam gubernans suam, publicum fugit.

*Psal. 127.* Sapientis vxoris descriptio.

Moses in Ægyptum, filiorum Israel causam coram Pharaone acturus, missus, vxorē secum duxit: nam quamuis negotia ad eam non

*Exod. 4.*

Nunquam vxor sola relinquenda.

non spectarent, ipsaq; iis non sufficeret, solã tamen eam relinquere noluit. Hinc discant mariti vxores suas nunquã solas relinquere: sed eas, quocumq; etiam secedendũ sit, semper secum ducere. Exemplo etiam sit beatũ illud par coniugum, Iosephus & Maria, qui simul Ierosolymam hodie proficiscuntur.

Iudæi peregrinaturi, vxorem quidem secum ducebant, sed alia via incedebant.

Animaduertendum tamen, Iudæos, vt bene Venerab. Beda obseruauit, peregrinationem instituentes, aut ad diem festum ascendentes, ab vxoribus se segregari solitos, & maritos quidẽ hac, vxores vero illa via iuisse, vt maiori pietate iter suum conficerent, omnẽq; libidinis exercendæ, prauorumq; occasionem ita præscinderent. Quis enim se à peccato immunem præstet, qui occasiones peccandi non declinat? Hinc bene serpenti incauta tamen Eua respondit, *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur.* Non solum vsum, sed & tactum, vetuisse Deum ait: ex tactu quippe facile ad gustum descendere potuisset.

*Gen. 3.*

In tantum Propheta Iob homo innocentissimus & sanctissimus peccandi occasiones subterfugiebat, vt hac ex parte in fimeto sedens, innocentiam suam testatus, gemens & lacrymans verbis vel saxeum pectus emollituris, diceret: *Si vidi solem cum fulgeret, & lunam incedentem clare, & osculatus sum manum meam ori meo.*

*Iob. 31.*

Id est Exere vindicem in me manum Domine, si ipse, cum operibus & honoribus affluerẽ, oculos ad cœlum tollere præsumpsi, solem mane in ortu rutilantem cõtemplaturus, & si manum deinde ori meo, eandem ex osculaturus, admoui. Horum quidquam si feci, merito hæc omnia mihi euenisse existimabo. Lyranus locum hunc in Glossa exponens, Chaldæos, inter quos Iob Propheta commorabatur, solem & lunam adorare solitos refert, manum sc. cœlum versus sustollendo, eamque ad os reducendo, & osculando. Iob vero ab hoc se idololatriæ genere purgare volens, ait, non modo se hac ratione non adorasse, sed ne oculos quidem ad cœlos, hoc facturum, sustulisse: cum sciret illicia hæc & intuitus occasiones peccandi esse & laqueos.

Magnus ille Ecclesiæ Doctor Ambrosius serm. 4. in Psalm. *Beati immaculati*, verba hęc exponens, *Et viam iniquitatis amoue à me*, ait Dauidem orare Deum vt se liberet non modo ab iniquitate & peccatis, verum etiam à peccati viis: at nulla certior ad peccatum via est quam eius perpetrãdi occasio. Beatus autem ille ter & amplius qui vias eius deserit, omnesq; peccandi occasiones euitat. vt fecere olim Iudęi, & modo Ioseph & Maria, dum diuersum vterq; iter ad diem festum ascendentes ingrediuntur.

*Psal. 118.* Occasiones ad peccatum vię.

Viri igitur aliud iter insistebant, & aliud mulieres quod & post mortem apud eosdem locum habebat: viri quippe & mulieres diuersis in locis sepeliebantur. Hinc Abraham vxorẽ Saram, *sepeliuit in spelunca agri duplici*, agro quẽ ab Ephron Chananęo emerat. Porro duplex hoc sepulcrum diuersimode ab interpretib. intelligitur. Nam Rabbi Abenesra ait, ideo duplex dici, quod aliud sepulcrũ includeret. Lyranus vero, q. vnum sepulcrum esset in summitate cauernæ, aliud vero in fũdo: Glossa autem & alii quod duo diuersa sepulcra essent: in quorum vno viri, in altero mulieres sepeliebantur. Notate hic obsecro, admirabilẽ Abrahæ prudentiã: designare voluit, nõ esse decorũ aut consentaneum, viros cũ mulieribus, ẽt post mortem commorari.

Viri à mulieribus discreti sepeliebantur.

*Gen. 23.*

*Ascendentibus illis.* Aduertite quæso hic, vt Deipara & Iosephus Christum paruulum ad templum deducant, eumq; dum peregrinationẽ instituunt, itineris socium habere velint. Vt hoc exemplo parentes ceteri incitati, paruulos ad templa, & sacras conciones secum trahant, ne quid forte, interea dum absunt, detrimenti illis accidat, aut domi eorũ tenera & cerea ætas exemplo aliquo inhonesto deprauetur. Recordemini, obsecro, patres, vt populus Israel, Moyse in montis Sinai vertice cum Deo agente, & legem decalogi accipiente, idololatriam exercuerit, & vitulos aureos adorauerit, eosq; vt liberatores sospitatoresq; agnouerit.

*Luc. 2.* Parentes liberos suos secum ad templũ ducant.

*Exod. 32.*

Notate hic, quã opportunum ad tam peruersam telam ordiẽdam tempus dæmon expectarit; scilicet cum ductor populi cũ Deo familiarius ageret. Eheu! quoties, obsecro, Satanas expectat, donec templum adeatis aũ Deo acturi, vt interea filios vestros deprauet,

*Iob.1.*

uet, & filiarum honori insidias tendat. An non Iob propheta sacrificium offerente, Deoque supplicante, filii eius epulabantur, & diabolo auctore, ruina repentina obtriti fuere, ac sub habitaculi ruderibus sepulti? Idipsum sæpenumero vobis accidit, patres; nam vobis templum adeuntibus, votaque facientibus, inimicus homo liberos vestros corrumpit, & malignis suggestionibus deprauatos in interitum & exitium deturbat. At, quo huic malo occurratis, nunquam illi à latere vestro decedant, ac præsertim tamen cum templum aditis.

Diabolus filiorum saluti insidiatur absentibus parentib.

Incredibile porro est, quot gratias & dona iis largiri Deus parentibus soleat, qui filiorum saluti sollicite inuigilant. Idcirco Dominus cum in Pentapolim furoris sui tela iam detorquere decreuisset, ait: *Num celare potero Abraham quo gesturus sum?* Et quamobrem Domine? *Scio enim*, inquit, *quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ, post se, vt custodiant viam Domini.* Ostendit nimirum euidenter, quanti eos faceret parentes, qui timorem Domini & mandatorum eius obseruationem liberos edocerent. Salomonid circo parentibus omnibus consuluit, *Filij tibi sunt? erudi eos, & curua eos à pueritia eorum*: quo consilio vsus est Tobias senior in educatione filii, & Helias in Susannæ, quam in lege Mosis edocuit.

*Gen.18.* Deus parentes fouet, qui liberos ad pietatem informãt. *Eccles.7. Tob.4. Dan.13. Plutarch. de li. educ.*

Porro parentes, qui solis diuitiis parandis incumbunt, & de hæreditate opimâ filiis relinquenda tantum laborant, de eorum moribus, educatione, formatione nihilum solicitos, similes esse perhibent iis, qui concinnos quidem & sicyonios calceos quærunt, de pedum concinnitate, ne minimum soliciti. Quo referri potest scitum & prudens Aristippi Philosophi responsum: hic enim à patre quodam rogatus, vt filium erudiret, & qua mercede idipsum præstaret, ait, Mille drachmis. Pretii magnitudine perculsus Pater, intulit, Valentissimum hoc mihi pretio seruum comparem. quo audito, acute admodum Philosophus respondit; Hoc fac, & duos domi seruos habebis, filius quippe indoctus & impolitus, aut perperam edoctus, parum à seruo & mancipio differt. Discamus hinc, primam & maximam parentum curam & studium esse debere, liberorum educationi diligenter incumbere, præceptores & pædagogos bonæ famæ ac nominis illis assignare, quorum & institutione proficiant, & parentibus tandem gloriæ & laudi sint. In quo primam concionis partem finio, alteram, quæ Iesu amissi inuentionem continebit, aggressurus.

Sacratissima igitur Deipara, & Ioseph cum Hierosolymis domum rediret, puer Iesus Ieroſolymis mansit, *& non cognouerunt parentes eius, Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non inuenientes regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.* Reuocate hic in memoriam, quod paulo ante dixisse memini, Iudæos peregrinationem instituentes, à fœminis abstinuisse, & ipsos ideo vna, mulieres vero altera via incedere consueuisse; pueros autem promiscue & indifferenter modo cum matribus modo cum patribus ire solitos. Quod & in hoc itinere vsu venit. Cum enim beatissima Virgo existimaret, dilectum suum Iosum, vnicas suas delicias, cum Iosepho patre in virorum comitatu esse; Ioseph vero, cum matre in ordine mulierum, factum est, vt in neutro ordine reperiretur. Hæc quidem sententia Venerabilis Bedæ: ac doctissimus Maldonatus credit, Iudæos gregatim, & vicatim, imo & opidatim ad solemnitatem paschalem ire & redire solitos: adeo vt Maria & Ioseph inter cines Nazarenos, & quidem inter cognatos & vicinos, eum quærerent. *Et requirebant eum inter cognatos & notos.*

Mos Iudæorum ad diem festum euntium. *Luc.2.* *Luc.2.*

Origenes putat Christum se hic inuisibilem reddidisse, & ita, insciis parentibus, Ieroſolymis in ciuitate sancta remansisse; vt & deinde Ioannis octauo, inuisibilem se reddidit, Iudæis eum lapidare volentibus, quando per medium eorum incedens oculis se adstantium subduxit. At noua hic difficultas oritur, vbinam scilicet toto illo triduo latuerit, vel apud quos diuertit, quid ve egerit. Bernard. ait eum, eleemosynam & stipem, in paupertatis signum, petiisse: in quam sententiam & Basilius Magnus

*Orig. ho. 19. in Matt*

2. Cor. 8. concedit, quod & loco illo Paulino confirmatur, nam vbi Latini legunt: *Propter nos egenus factus* est. Interpretatio Græca habet, *propter nos mendicus factus est*; & ita Basilius legit. Verisimilius tamen est Angelos interea temporis illi seruiisse, illiusque curam habuisse, vt deinde in deserto Palæstinæ fecere.

IV. Luc. 2. Iesus in die festo perditur.

*Remansit puer Iesus in Ierusalem.* Eheu! quid hoc audio? Christus in die festo amittitur; vt hinc manifestum fiat, plurimos tam nequiter templum adire, vt Deum amittant. O rem deplorandam! quo enim in loco charissimum & gratiarum cœlestium manipulos colligere deberent, illo habitam gratiam prodigunt & profundunt, sibique interitum afferunt; quodque illis in benedictionem & salutem cedere deberet templum, in exitium & calamitatem vertitur. 2. Reg. 13. Quod mille testimoniis è sacris litteris confirmare potero. Saul imprimis sacrificia offerens regno exutus est, Deum grauiter offendit; 4. Reg. 15. & Ozias rex thuribulum & acerram in manus sumens, incensum Deo oblaturus, lepra percutitur. Quoties eheu! Christiani, templum mundi & niuei ingredimini, sordidi tamen & picei eodem egredimini? Pharao rex cum natalia sua epulo publico celebraret, œconomo ceruicem præcidi iussit. Gen. 41. In solenni Assueri conuiuio, Vasthi Regina diadema perdidit. Esth. 1. Philisthæi arcam Dei Israel in fanum Dagon inferentes, 1. Reg. 5. Deum amisere. Plura ne desideratis, queis demonstrem; in festis solemnioribus & rebus sanctissimis, capiti nos nostro & animæ periculum arcessere, Deumque ad iracundiam prouocare.

Ingens calamitas Deum in via amittere.

At quænam calamitas & malum, Deum in via, in templo, in opere pio amittere! Quid enim profuerit bona te tua conseruasse, si Deum tuum seruare non potueris? Salomon quidem quam à Domino petiit sapientiam, obtinuit; at satius ex diui Ambrosii sententia fuisset, si ita orasset: 3. Reg. 3. *Da vt sic te possideam, vt nunquam amittam* Et quoniam cor velut arx & domicilium est, in quo Deus commorari dignatur, & quod sibi velut habitaculum deligit, ipsum omni cura est custodiendum. Consulit hoc siquidem Sapiēs, dum ait: *Omni custodia custodi cor tuum*, bene ait: *omni custodia*, eo quod omnes excubiæ, custodiæ, diligentia, stratagemata, artes, technæ, quæ in re aliqua preciosa conseruanda adhibentur, in cordis nostri custodia potissimum adhibenda sunt: quod nimirum facile amittatur & quod eo amisso omnia simul amittantur. Prou. 4.

Iudic. 16. Samson, vir quidem validus, generosus & strenuus fuit totumque eius robur in crinibus situm erat. Vt allegorice hoc exponam, omnem in partem circumspice, ô homo, ne, quamuis fortasse validus & strenuus videare, prauam aliquam cogitationem, cuius crines symbolum sunt & figura, in animum admittas; in hoc enim omne tuum robur consistit. nam mox vt aliquam admiseris, Satan callide te inuadet & eneruabit, & Deum ita tuum amittes. Cor conseruandum diligenter.

3. Reg. 10. Salomon, quo thronum suum regium cō-seruaret, duodecim leones velut excubitores assiduos adhibuit, sed vtinam totidem circa eor adhibuisset, ne ipsum Deum amitteret! quod quia neglexit, imprudentiam suam demonstrauit. Similes porro huic esse putem eos, qui diligentem rerum suarum curam habent, domos excubiis circumcingunt, resque suas in tuto collocant, de corde custodiendo ne minimum solliciti, à cuius tamen custodia & Dei conseruatio, & omnis eorum felicitas dependet.

1. Par. 9. Templum Salomonis duos habebat ianitores & custodes, quorum munus erat, & templi fores claudere ac reserare, circumspicere quando area Domini in agros prodiret. Quid? anne necessarii videbantur ianitores in viis regiis? anne in agris portæ & ianuæ? Nequaquam. sed quia maius illic discrimen & pericula euidentiora habebantur, ideo maior quoque adhibenda erat custodia, & ianitores necessarii. Hinc eliciemus, cordis nostri excubias diligenter obeundas, custodes semper ei adhibendos, & præsertim in locis, in quibus & discrimina apertiora, & bella magis sanguinolenta.

Dauid castra Saulis ingressus, videns duces omnes stertere, abstulit hastam à tento-

1. Reg. 16. tentorio regio, dicens ad Abner: *Filii mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum Christum Domini.* An non ille mortis filius vere dicendus, qui Iesum Christum, regem suum, Principem suum, & Deum in corde non custodit? quem vt bene quis seruet, imitetur sapientissimum regem Salomonem, qui ad templi defensionem plurima scuta aurea, & hastas parari iussit, eaqs in templo, ad subitas aliquas excursiones defensionesque, suspendi. Denotare hoc voluit ad DEVM in cordis nostri templo conseruandum, aureis armis opus esse, sincera scilicet erga Deum dilectione, & irrefragabili erga proximum amore. Si vero hocce nobis aurum defuerit, imitemur regem Roboam, qui eadem scuta & ancilia cum æneis commutauit; vt, si fortasse caritatis ardor ad Deum custodiendum nobis defuerit, timorem saltem & mortificationem ad eius custodiam comparemus; auro namque deficiente æs adhibendum. Sed ad propositum postliminio reuertamur.

Optima Deum in corde seruandi ratio.

1. Reg. 10.

Duodecimo ætatis anno libere adire periculum solent.

2. Reg. 6. Prou. 30.

Duodecimo ætatis anno Christus amittitur. tunc nimirum maximum iuuentus adire discrimen solet, & ruinam capiti suo arcessere. Hæc quippe ætas fuit, qua pueri illi Bethel in Elizæum Prophetam dictis conuitii iniuriis, ab vrsis deuorati misere interiêre. Et profecto Sapiens inter tria quæ comprehendere nequibat, viam viri in adolescentia enumerauit: *Tria sunt mihi difficilia, & quartum penitus ignoro, viam nauis in medio mari, &c. & viam viri in adolescentia.* Credunt plerique paralyticum illum de quo in Euangelio, qui triginta & octo annis paralysi laborarat, à duodecimo ætatis anno laborare cœpisse. Dæmoniacus idem ille, quem Dominus è monte Thabor descendens sanauit, ab infantia & pueritia quæ in hanc ætatem desinit; à dæmonio vexatus traditur. Cum enim Dominus à parentibus petiisset: *Quantum temporis est ex quo ei hoc accidit?* quam primum illi responderunt, *ab infantia*, & ecce, puer Iesus eadem hac ætate in templo perditur.

Iean. 5. Marc. 9.

Quid per datur dum

O damnum irreparabile! ô perditionem inæstimabilem, qua Christus amittitur! Scire vis, peccator, quid quantum amittas, dum Christum amittis? aures arrige: perdis imprimis Dei tui gratiam, reum te coram maiestate illius cõstituis, æternam tibi mortem arcessis, infernalium te suppliciorum participem reddis, diuinorum te charismatum dulcedine spolias, perennem nunquamque intermoriturum conscientiæ vermem nanciscaris, virtutes olim multo labore partas destruis & dissipas, cœlo excidis, omni iuri in hæreditatem cœlestem renuntias, denique Iliadem in te malorum trahis. Quam graue obsecro, tibi videretur, vna eademque vice sensus, & motum, vitam, amicos, diuitias, solem, stellas, terram simul & cœlum amittere, nihil tamen hæc omnia sunt, si cum perditione, qua Deus amittitur, comparentur.

Christus perditur.

Huc respiciens Isaias Propheta dicebat: *Cum cantico non bibant vinum, amara erit potio bibentibus illam.* Sanctus quidem Hieronymus hæc de vniuersali mundi ruina interpretatur, quando nimirum vinum, quod gaudii & lætitiæ signum est, peccatoribus deficiet; nihil quippe tunc bibent aliud quã amarorem & absyntium. Verum Angelicus Doctor Thomas ex his verbis, lamenta, amaritudinem, pœnitentiamque elicit animæ, quæ DEVM suum amiserit, & peccata velut vinum bibet, & æterna supplicia perferet. ad hunc sensum & locum Hieronymus, meam allegoriam confirmans; retulit etiam verba illa Psalmographi: *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Cui enim vsui fuissent instrumenta musica extra vrbem Ierosolymitanam, & quidem in terra aliena, captiuitatis, & in qua ne minima quidem Dei mentio, qualis reuera Babylon erat? Præscindenda nimirum illic omnis gaudii deliciarumque occasio & materia erat: non secus etiam animæ quæ Deo suo caret, & qua Deus caret. Hinc Ioseph & Maria Iesu perdito solliciti sunt, eumque anxie & sedulo vbicunque locorum requirunt. Sed non sine ratione, imo certis de causis, se Christus à parentibus subduxit, & in Ierusalem mansit.

Isa. 24.

Animæ quæ Deo careat miseria.

Psal. 136.

Impleturus siquidem quicquid à Patre

V.

Cum mũdus deserendus parentũ non est voluntas aut cõsilium inquirendũ.

cœlesti in mandatis acceperat, eiusq; voluntati obtemperaturus, noluit parentes dilectissimos, quidnam ageret, aut vbinam moraretur, conscios esse. Discamus hinc, cum mundum deserere, religionem ingredi, in qua maior colendi Dei, quietisque potiundæ sese offert occasio, solique animæ incumbere volumus, parentum nobis consilium non esse inquirendum, neue quid mundus sentiat, curiose indagandum; patris scilicet & matris hîc non est voluntas spectanda, sed quid Spiritus sanctus intrinsecus suggerat, internique eius motus directionesque quam diligentissime obseruandæ. Ita siquidem discipulo suo Heliodor. & deinde Nepotiano scripsit Hieronymus: *si super limina domus pater & mater iaceant, vt ingressum prohibeant, per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, & nudus ad crucis vexillum euola; summum enim pietatis genus est in his fuisse crudelem.*

*Deut. 33.*

*Gen. 31.*

Moses singulas Israelis tribus benedicens, Leui progeniem hoc encomio exornauit: *Qui dixit patri suo, & matri suæ, Nescio vos, & fratribus suis, Ignoro illos, & nescierunt filios suos; hi custodierunt eloquium tuum.* Dicere vult eos, qui quo melius Deo seruirent, animarumque salutem facilius consequerentur, propriorum parentum obliuiscuntur, & eosdem agnoscere se negant, Dei eloquia legemque quam perfectissime obseruare, laudemque non mediocrem, inde promereri.

Insignis allegoria

Iacob cum è domo Laban idololatræ furtim emigraret, ab eodem in via comprehensus, his verbis inprimis correptus fuit, *Cur ignorante me fugere voluisti, neque indicasti mihi vt persequerer te cum gaudio & canticis, & tympanis, & citharis.* Deinde: *Non es passus vt osculerer filios meos & filias?* tertio, *Cur furatus es Deos meos?* Mundus celebris ille idololatra, dum eum fugimus, & longius ab eodem secedimus, simili modo nobiscum expostulat. Vellet enim in primis, ne quis occulte, nec clam sed valedicendo, ab eo se proriperet, postquam eum de fuga & abitu certiorem fecisset, omni ratione iter remoraretur, impedimenta obiiceret, tum difficultates; austeritatesque quæ subeundæ

Tria conqueritur mundus in eis qui religionẽ ingredũtur.

sunt, recensendo, cum proprii corporis imbecillitatem in mentem reuocando. Secundo, singulis in discessu osculum præbere desideraret, quo nimirum voluptatibus eos inescaret, deliciisque delinitos & impeditos vlterius ne progrederentur prohiberet. Tertio conqueritur, Rel gi-em ingredi volentes, idola sua clam & latenter auferre, illius autem idola sunt honores, diuitiæ, dignitates, & vindictæ desideria; quæ ille furari & diripere conatur, qui eadem conculcat, & pedibus proterit.

Secreta nemo suã mundo aperiat.

Is autem sapiens & cordatus censendus, qui quæ mente concepit, quæ decreuit exequi, nec mundo nec carni manifestat; obesse enim potius quam prodesse illa bene sibi consulentibus solent. Egregium quid, & huc optime faciens, suggerit mihi primus Regum commentarius initio. DEVS cum puerum Samuelem in templi adytis dormitantem è somno excitaret, & ille ad Heli sacerdotem excutientem, quid vellet quæsiturus, se contulisset; ait Heli: *Reuertere fili, & dormi.* Quod hîc mystice contigisse auditis, quotidie reuera fieri videmus: excitat quippe plurimos adolescentes Deus, in Ecclesia dormitantes, id est, qui quamuis Christiani sunt, in diuino tamen seruitio & cultu stertunt & dormitant: qui mox vt parentibus voluntatem & inspiraculum cæleste aperuere; ab iis proprio affectu cæcutientibus, & oculos prauo erga liberos amore caligantes lippientesque habentibus audiunt, *Reuertere fili, & dormi*: voluntatem hanc muta, deliciis indulge, ætate fruere, voluptates consectare, diuitiis quas parauí & collegi, vtere. at non ita filius Dei, qui Patri æterno obsecuturus, nihil eorum quæ animo concluſa gerebat, parentibus aperuit; sed clam ipsis, remansit in Ierusalem.

*1. Reg. 4.*

Parentum in rebus liberorum cæcitas.

Tria circa hoc Euangeliũ dubia.

Tres circa Euangelium hoc institui quæstiones possunt, cur nimirum Christus Ierosolymis manere voluerit; cur in ætate illa qua diximus, & non prius aut posterius; denique cur insciis parentibus. Quod ad primam respondeo, Christum iam inde à prima ætate & adolescentia aliquod diuinitatis suæ testimonium dare voluisse, ne forte, cum

iam

iam trigesimo ætatis anno, omnibus ignotus, non edito prius aliquo sapientiæ & doctrinæ signo, prædicaret, omnes eum potius admirarentur, quam in docentem crederent. Nam quamuis adhuc iam inde à iuuentute hoc sapientiæ doctrinæque specimen in templo edidisset, ipsi tamen Iudæi, quæ eorum inuidia & stupor erat, deinde dixere; *Vnde huic sapientia hæc & virtutes?* & alibi; *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* *Matth. 13. Ioan. 7.*

Cur duodecimo anno ætatis miracula edere cœperit.

Quod ad alteram spectat, Christum dico hac ætate hocce facere voluisse; quod in illa vniuscuiusque indoles apparere soleat, ac quid quisque spectet, manifestum fieri. Atque hunc in modum Venerabilis hoc exponit Beda; quamuis aliam rei huiusce rationem reddat Ambrosius, qui sub duodenario hoc numero mysterium latere credit; respexisse scilicet eum ad duodecim Apostolos suos, quos deinde, fidem per orbem disseminaturos, quoquo versum emissurus esset.

Tertiam ita soluit Euthymius, ideo nempe Christum parentes huius rei certiores noluisse reddere, quod vereretur, ne, si eos conscios fecisset, eum à proposito diuertissent, aut impedimentum aliquod obiecissent: simul etiam, ne quis si forte iis hac in re minime obsecutus esset, eum deinde, vt minus obedientem, eorumque consiliis obnitentem putaret. Aliam autem solutionem adfert Beda, quæque mihi plenissime satisfaciat, nempe diuino nutu & Patris æterni consilio id factum esse, vt nimirum alium se in cœlis habere Patrem ostenderet, cuius voluntatem implere, etiam non consultis hominibus, nec parentibus in consilium adhibitis, deberet; quibus si alias obsecutus sit, & morem quam obsequentissime gesserit, sponte id se & vltro, nemine cogente vel impellente, fecisse: sponte igitur, & propria voluntate motus etiam amitti voluit: quare non mediocrem parentibus dolorem attulit.

Christi obedientia.

Dolor deiparæ & Ioseph amisso Christo.

Qui quantus fuerit, quantamque animi angustiam Ioseph & carissima illius genitrix exinde senserint, vobiscum dispicite, Auditores. Ruben cum Ioseph fratrem in cisterna veteri, in quam fratres eum dimiserant, non inuenisset, ait: *Puer non comparet, & ego quo ibo?* quid autem dixisse credendum est mœstos hos parentes; anxie eum per iter emensum quæritantes. Audire quippe Virginem dicentem videor, & lamentabili voce ingemiscentem: *Ostende faciem tuam, & salui erimus.* vel illud sponsæ aliquoties iterantem: *Sonet vox tua in auribus meis.* item illud, *Indica mihi vbi pascas, vbi cubes.* *Gen. 37. Psal. 60. Cant. 2. Cant. 1. Iud. 5.*

Si mater Sisaræ, præfecti militiæ Iabin Regis Asor, filii absentiam ægerrime ferens, eumque quam maxime videre desiderans, per fenestram singulis propemodum momentis gemens & lacrymans respiceret, cuius animum nurus lenire, & afflictum consolari debebat: quid IESVM matrem fecisse existimandum, quæ quonam filius se subduxisset, ignoraret; quomodo ingemiscere, lamentari, queri, ecquæ suspiria imo pectore trahere, quas lacrymas fundere, quas querelas ingeminare eam iam credimus? Si Tobiæ mater montes quotidie conscendens, aeraque gemitibus complens diceret: *Heu fili mi? vt quid misimus te peregrinari?* quid matrem Iesu fecisse credemus? an non per iter iam emensum, Ierosolymam redeundo, assiduo clamasse, Eheu, fili mi, Deus meus, & omnia, cur pater tuus & ipsa, hoc id nobiscum iter suscipere permisimus? *Tob. 10.*

Amans illa dilecta, amore æstuans, cum sponsum amisisset, eiusque tamen absentiam ferre non posset lymphatæ similis, atq; eum quærere vbiuis locorum parata, hunc in modum seipsam ad iter adhortatur: *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, quaram quem diligit anima mea.* Eadem & dixisse Deiparam verisimile est; nam cum dilectum sibi filium amissum iam cerneret, surgit quantocyus, properat, Ierosolymam redit, vicos & plateas obambulat, quærens quem super omnia anima illius diligeret: quem deinde post triduum in medio doctorum considentem reperit. *Cant. 3.*

VI.

Gaudium ob Christum inuentum.

Si tristis filii amissio tristitiam, inuentio profecto & inopinatus eiusdem conspectus incredibilem ei afferre lætitiam debuit. Quantum hic Iosephus sensisse gaudium verisimile est?

le est? an non cum Iacob Patriarcha, viso filium inter Principes Ægypti connumeratum, dicere poterat: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam?* quantum vero ipsam Deiparam? quam filium osculando tenerrimeque amplectendo, his ad eum verbis vsam fingere poterimus: *Conuertisti planctũ meum in gaudium*: aut illis Tobiæ: *Non delectaris in perditionibus nostris, sed post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymas & fletum, exultationem infundis.* aut Dauidicis illis: *secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, fili mi, consolationes tua lætificauerunt animam meam.*

Gen. 46.
Psal. 29.
Tob. 3.
Psal. 93.

At vbinam reperitur? non quidem inter parentes & consanguineos, cum ipse suis consuleret, vt patria & parentibus relictis, in regionem peregrinam se conferrent: dixit enim olim Abrahæ: *Exi de terra tua & de cognatione tua*: quique olim per Psalmistam edixerat: *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* & qui deinde in Euangelio ait: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & vxorem & filios, & fratres & sorores, &c. non potest meus esse discipulus.*

Gen. 12.
Psal. 84.
Luc. 14.

Reperitur autem inter Doctores. Præcepit olim Dominus, vt septem lampades in candelabro aureo in templo collucerent. Hodie porro hoc ipsum completum cernimus. Videmus enim, vt Euangelii illud candelabrum Iesus Christus, septem lucernis, id est, septem donis Spiritus sancti instructum, inter Doctores, in templi medio colluceat, ardeat, lumenq; copiosissimum emittat, quod & omnium oculos præstinguat, & synagogæ scribarumq; visum offuscet.

Exod. 25.

Christus candelabro aureo collatus.

Æquissimum namque erat, doctorem illum cœlestem, scribam illum eruditissimum, semel in doctorum terrenorum medio inueniri: quin etiam longe vtilissimum, vt omnes sapientiæ doctrinæque thesauri, qui in sancta illa & sacra humanitate mirabili quodam modo delitescebant, hodie in apertum prodirent, mundoq; se proderent. Erat quippe Christus, de quo postea Apostolus scripsit: *In quo omnes sapientia & scientia Dei thesauri absconditi sunt* Ideoque sanctus Bonauentura verba hæc Euangelii nostri exponens: *Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, coram Deo & hominibus*; ait: Profectum hunc in sapientia & gratia, non fuisse aliud, quam certum quoddam horum duorum specimen & indicium, & manifestationem quandam amplissimorum thesaurorum sapientiæ & gratiæ, quæ in ipso elucebant. Adeo vt ipse vere potens ille & locuples Ezechias nuncupari possit, qui Doctoribus, id est, synagogæ legatis, thesauros & diuitias aperiat & referet.

Coloss. 2.
Luc. 2.
4. Reg. 20.

*In medio Doctorum.* In templo cum iisdem disputans & disceptans. non tradit autem Euangelista, qua de re disputarit, aut quam iis quæstionem soluendam proposuerit. Sanctus Vincentius tamen dubitando credit eos de Messiæ aduentu locutos esse; disceptasseque, vtrum hebdomades Danielis iam completæ essent, nec ne, num sceptrum de femore Iuda, vt Iacob olim promiserat, iam defecisset, vtrum Messias in lege promissus iam in mundum venisset, vel aduentus eius iam instaret; quas eum conditiones & qualitates habere oporteret; an futurus esset Deus, vel nonnisi homo, quæque miracula patraturus, vt ab hominibus agnosceretur.

Luc. 2. Christus cum Doctorib. de qua re disceptarit.

*In medio Doctorum.* O varias vices & rerum humanarum inconstantiam! Is qui modo in medio Doctorum reperitur, ab hinc aliquot annis inter animalia, ac post aliquot annorum lustra in medio latronum in crucem actus exspirabit. At interea notate mysterium; animalia siquidem in stabulo, doctores in templo, & latrones in cruce reperiuntur. Esset namque prodigii simile CHRISTVM in medio asinorum aut bestiarum in templo reperiri; templa quippe & cathedræ, doctorum sunt; stabula & præsepia, bestiarum; cruces vero & patibula, latronum. Adeo vt quicunque Christum in medio Doctorum conspicatur, sibi persuadeat, videre se solem in medio Planetarum, propitiatorium inter Cherubinos, Arcam fœderis inter tribus popu-

Luc. 2. Christus in stabulo animalia, in templo doctores, in cruce latrones velut socios habuit.

li Is-

li Israel. De puero igitur hoc vsurpare licet verba illa Psalmistæ: *In medio Ecclesiæ laudabo te.*

Christi scientia.

Dum puerum hunc duodenum in medio Doctorum in templo conspicio, ipse mihi persuadeo, vtinam & vobis, omnem in eo cognitionem, sapientiam, scientiam, præscientiam, prouidentiam, prædestinationem & reprobationem hominum, librum quoque vitæ, omnia denique quæ in Patris æterni intellectu reperiuntur, contineri. Nam in quantum DEVS ex primo obiecto nouit se ipsum, ex secundo omnia intelligibilia, & realia ex tertio: vt beatus & comprehensor, intelligit verbum, & quidquid in verbo continetur; vt viator autem, nouit omnia in suo genere per species infusas, & cum ipso creatas.

Christi eloquentia in disputando.

Vtinam tam fœlix aliquis nostrum fuisset, qui eundem cum Doctoribus disserentem audire potuisset; quanta namque eum eloquentia de Scripturis & Prophetarum oraculis disceptasse verisimile est. Aliquoties mecum demiratus sum, cur sponsa illa in Canticis eum *Lilium conuallium* appellet, sed omnem mihi dubitationem Theophrastus & Plinius, dum in eosdem incidi, abstulerunt: est namque aliquod liliorum genus, coloris purpurei, virgatum, & tribus aureis lineis insignitum, quod veteres *Trides* nuncuparunt, & eloquentiæ symbolum esse crediderunt. Ipse quinetiam Poetarum deus Homerus, Troianorum legatorum eloquẽtiam doctrinamque deprædicans, lilia eos ait comedisse. Hinc sponsa, dilecti sui eloquentiam & sapientiam celebrans, liliis eum conuallium comparat.

*Cant. 2.*

Lilia Eloquentiæ symbolum

*Agell l. 13. & Macro. lib. 1. Sat. c. 6.*

Sordent igitur iam, si Christi eloquẽtiam in hac ætate consideremus, sapiens ille puer, Papirius Prætextatus Roman. senatoris filius, qui matrem curiosius inquirentem scito responso repressit: Ioseph quoque Iacobi Patriarchæ filius, qui adhuc inuenis super omnes Ægypti principes euectus, Pharaonis somnia interpretatus est, & Salomon qui duodecimo vt multi quidem existimant, ætatis anno, sapientiam à Deo postulauit; Daniel quoq; qui in ætate iuuenili, magno prudentiæ sapientiæq; iudicio, lasciuos senes condemnauit, & innoxium sanguinem probro & neci eripuit. De solo autem puero Iesu, inter Doctores & Legistas constituto iam sit sermo.

*Gen. 40. 41 3. Reg. 3. 5. Dan. 13.*

Multi in templo sunt, sed non disputantes, at vendentes & ementes

Rupertus. In templo est, cum Doctoribus de scripturæ intellectu disceptans, deque Messiæ aduentu diligentius inquirens. Multi quidem templa adeunt, inque iisdem conspiciuntur, verum non disputant, sed vendunt & emunt, negotiaque forensia pertractant: quos Dominus deinde illic reperiens, facto è funiculis flagello, eiecit: sunt etiam nonnulli, qui in loco illo sacro sacrilegia committunt, diuinamque maiestatem in eius domo ad iracundiam prouocant. Multos namque reperire est, qui templa frequentant, maiori cum libertate Deum offensuri, loca sacra sanctaque vt minus suspecta seligentes, quæ deinde suis abominationibus & sacrilegiis profanant, & falso quodam pietatis prætextu & colore, ne ab aliis conspiciantur constuprant & violant, fraudulento Absalomo persimiles, qui pietatem ementitus, sacrificiaque oblaturum se fingens, aduersus fratrem conspiraturus, eiusque regnum occulte inuasurus, in locum sacrificii venit.

*2. Reg. 15.*

Væ autem vobis sacerdotes, & in sacris ordinibus constituti, qui vitâ vestrâ contaminatissimâ & irreuerentia sacra loca polluitis ac prophanatis. Scriptum est, sacrificulos Dagon idoli, cum ipsum collapsum in locum suum restituissent, limen fani nunquam deinde pedibus calcare voluisse, eo quod Dagon in templi limine truncus iacuisset: indignum arbitrati humanis pedibus eum terere locum, quem Deus aliquando occupasset. Vos vero scelesti & impudentes sacra hæc templa violare non erubescitis, in quibus Deus vere cum omni maiestate cœlesti præsens est, in quibus sanctas illas sanctorum omnium, & præsertim sanctissimæ crucis imagines, quam Dei caput, pedes, manus & vniuersum denique corpus tetigit, videre est.

*1. Reg. 15.*

*Matth. 24.*

Magna illa profecto abominatio fuit, quando Caius Caligula statuam suam in tẽplum Ierosolymitanum intulit, cui & victimas immolari iussit, quas soli DEO cœli offer-

offerre par est. de hac enim locutus est Christus, cum in Euangelio diceret, *cum videritis abominationem, dictam à Daniele Propheta, stantem in loco sancto.* Similis, meo quidem iudicio abominatio, ac par scelus, quando in summi Dei templum, & coram eius maiestate, mundi statuas infertis, statuas inquam ambitionis & auaritiæ, iisque cor vestrum & affectus, qui soli Deo debentur, in sacrificium & holocaustum immolatis.

1. *Reg* 2. De pueris Heli sacerdotis, etiam sacerdotibus scriptum est, *Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines sacrificio Dei.* Vt lapidem hunc in sacerdotum nostrorum agrum coniiciam, dico scelera eorum & peccata, coram Deo enormia esse, quando sacro Ecclesiæ statu abutuntur & auaritiæ, rapacitati, ac mundi honoribus tantummodo incumbunt.

Rerum sæcularium studium pium virũ valde perturbat. *Gen.* 13. Nihil quippe est, quod sacerdotum, Ecclesiasticorumque animum inquietiorem reddat, & perturbet magis quam negotiorum sæcularium pertractatio, & nimia de rebus temporalibus sollicitudo Rachel cum Laban patris idola secum abstulisset, Laban citatis equis eam insecutus est, idolaq; repetiit. Quicunque etiam cum mundi idolis Religionem vel ordinem sacrum ingressus fuerit, qualia sunt haud dubio ambitio, superbia, auaritia, honorum sitis, multas proculdubio curas & inquietudines in caput suum arcesset. Hæc nimirum sunt, quæ animæ libertatem magnopere perturbant, animum possidentis exagitant, cruciant, diuexant, ac tantum nõ exanimant conscientiamque affligunt. Quod *Luc.* 10. aperte in Martha, Euangelica illa Virgine, expressum legimus, quæ quod sollicita, turbata circa plurima describitur.

Cõclusio & peroratio. Eia igitur, Auditores, negotia nihil ad nos spectantia seponamus, aut potius penitus deseramus, & cum puero Iesu, dum tempus oportunum est, Deo nos offeramus, dedicemus illi annorum primitias, primas pueritiæ & iuuẽtutis fruges: ad templa confugiamus, Ecclesias adeamus, in Ierusalem quæ locum pacis denotat, maneamus, Doctorum à latere non decedamus, legem Dei discamus, familiaritatem probatorum consectemur. Cum vero Deum iam sequi eiusque inspirationibus obsequi voluerimus, parentes obliuiscamur, carnem & sanguinem negligamus, nec secretas nostras inspirationes mundo cõmunicemus. Si autem Deum nos amittere contingat (per peccata enim & negligentiam facillime amittitur) quamprimum eum inquiramus, deploremus eius absentiam lamentemur, dolorem inde conceptum demonstremus, ob amissum conteramur, sanctaque pœnitentia eum nobis denuo conciliemus Noli autem, Deus bone, dulcissime animarum sponse, spes nostra & firmamentum, vnum in malis præsidium & solamen, permittere, hæcce vt nobis calamitas obueniat: at præsta ne te vnquam perdamus, Te enim qui perdit, perdit omnia, omnibusque exuitur, & omnia amittit, cui tu surriperis O triste naufragium! ô infortunium incredibile! ô raptum irreparabilem. Hoc saltem præsta Domine, vt quamuis negligentia te nostra aliquando amiserimus, ita nos ipsos in tui amissione affligamus, tot lacrymas effundamus, ita pœnitentia nos emaceremus, vt te in militanti Ecclesia, in hoc mundo iterum reperire valeamus, expectantes interim tempus, donec te in triumphanti, in gloria nimirum cœlesti, inuenire possimus, cuius nos participes reddat Pater
& Filius & Spiritus
sanctus.

DOMI-

# DOMINICA SECVNDA POST EPIPHAN.

Partes.

1. *Triplicem esse statum Christianorum.*
2. *Quis sponsus, & an bonum matrimonium.*
3. *De amore coniugali.*
4. *Quomodo vxor ducenda, Christusq; imitandus.*
5. *De vxorum dotibus, & conuiuiis spiritualibus.*
6. *In mundo deficere vinum bonum, abundare malum.*
7. *De Christi voce, Mulier.*
8. *De Christi vino ex aqua facto.*

*Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ.* Ioan. 2.

## FIGVRA.

2. Reg. 10. ISRAELITIS regem à Samuele postulantibus, qui eos domi regeret, & in bellis ab hoste defenderet, ne à cæteris gentibus opprimerentur & contemnerentur, Saul electus est, & à Deo ad populi regimen constitutus: qui quamuis formam imperio dignã præferret, & capite & ceruicibus altis cæteris viris eminentior esset: à pluribus tamen spretus & neglectui habitus fuit, dicentibus: Quomodo à Philistiim nos liberare poterit ille? qui hostium a ceruicibus nostris iugum depellat & auferat? Adeo vt plurimi ab eo desciscerent, & pauci eius imperio parerent. Contigit autem interea, Ammonitarum regem, qui Hebræos variis præliis exercuerat bellum populo indicere, & vrbem Iabes obsidione premere: quam ob causam à vicinis auxiliares copias petere coacti fuêre. Quo audito, Saul collecta suorum manu mox accurrit, & conserto prælio Ammonitas internecione deleuit, victoriamque amplissimam reportauit; Milites autem & quotquot eum in prælio secuti fuerant, sacramentum ei fidelitatis præstitere, fortitudinemque eius demirati, effecêre, vt omnis eum Israël in regem, velut regno & sceptro dignissimum, receperit. Hoc ipsum in Euangelio hodierno redintegratum video: Saul namque Christi Iesu figura fuit. Cùm enim iidem Israëlitæ tam enixe eum à Deo postulassent, credentes illum Israëli honori & gloriæ fore, adeo vt reliquę eum nationes metuerent (persuadebant siquidem sibi, cum magno Messiam apparatu, & maiestate quadam regia venturum) & quamuis Saulis instar caput cæteris eleuaret sublimius, quod præter humanam naturam haberet & diuinam: non eo tamen quo par fuit honore & cultu eum sunt prosecuti, néve illius parere imperio voluerunt, donec hodie vocatus, non ad bellum quippe qui pacem allaturus venerat: sed ad epulum connubiale & nuptias, luculentum edidit miraculum, aquas in vinum præstantissimum conuertendo. Apostoli autem & aliquot è suis hoc viso, admiratione & stupore perculsi, vt verum eum Messiam agnoscunt, in eum credunt, & omnes, vt idem præstent, inducere conantur. Hodierno illud Euangelio continetur, quod vobis expositurus Spiritum S. inuoco, sua vt mihi gratia adesse dignetur, & gloriosam Deiparam, cuius precibus hodie aqua in vinum transiit, aduocatam & mediatricem adhibeo, dicens cum omnibus vobis, *Aue Maria.*

I. Tres præcipui in Ecclesia status.

Tres præcipuos in Ecclesia status reperire est. Auditores, ad quos vniuersa hæc mũdi inferioris administratio spectat: statum nimirum virginalem, vidualem, & coniugalem, quos omnes Christo Domino gratissimos exstitisse ex Euangelio discere poterimus. Virginalem quidem, dum nonnisi matrem habere voluit Virginem: continentium etiam & viduarum, dum Annæ viduæ in templo se manifestare dignatus est: coniugalem denique quando hodie in Cana Galilææ nuptiis interesse dignatur, quas & miraculo suo primo condecorauit.

Et hi arbori comparantur.

Fuêre nonnulli ex Patribus, qui triplicem hunc statum arbori procerissimæ compararunt: cuius quidem radix sit matrimonium & coniugium, sine quo duo reliqui nequeant consistere: ipsum enim optime cum radice in terra delitescente comparatur, idq; propter solicitudines, anxietates, molestias, & curas erga res terrenas & fragiles: de quo loquens ad Corinth. Apostolus ait: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*, id est, vt quidem D. Thomas exponit: *Occupa-* 1. Cor. 7.

*tiones & afflictiones terrenas.* Rami vero prominentes, & hinc inde luxuriantes sesequę diffundentes, ipsa virginitas & continentia. Et quemadmodum hortulanus in radicem arboris sese benignum & amicum ostendit, eandem irrigando, circumcirca effodiendo, nunc terram aggerendo, interdum etiam stercorando: in ramos vero sæuit & grassatur, eosdem amputando, resecãdo & præcidendo: Ita voluptas & deliciæ mundanæ coniugatis conceduntur & permittuntur, ac virginibus & continentibus mortificatio membrorum & pœnitentia reseruatæ sunt quibus scil. via calcanda angusta, & leges seueriores impositæ, atque omnis voluptas superflua præscindenda.

Dixit olim in Prouerb. Salomon: *Pulchra sunt viæ Domini.* Dicere vult non vnam solum viam dedisse Deum per quam homines ad cœlum perueniant, sed plures, easque pulchras & complanatas. Idem dicitur etiam aliis ex verbis: *Ex vna radice multi prodeunt rami.* Perinde ac si dixisset: Ramus qui ad cœlum se extendat, status virginalis est, item, vidualis & continentium: alius quoque coniugalis & maritalis. Omnes hæ viæ pulchræ & iucundæ sunt, Deoq; quam gratissimæ, & rami luxuriantes eadem è radice pullulantes.

*Gen.6. Lib.15. de ciu. cap.26. In.1. Tim. 4.*

In Noë Arca, quæ mari supernatauit, & mundum deinde nouis generationibus auxit, nonnisi tria cubicula reperire erat: quam structuram mystice exponens Augustin. ait, triplicem Ecclesiæ statum per tristegam hanc fabricam designari, virginum, viduarum, & coniugatorum. Theophylact. autem in Epistolas Paulinas commentatus dicit, matrimonium plumbo, viduitatem argento, virginitatem autem auro præstantissimo simile esse. Primum quidem plumbo, quia onus graue est, & iugum durissimum, matrimonium: continentes autem argento, eo quod, vt argentum plumbo præstat hi prioribus digniores sunt, & liberiores virginitatẽ denique auro, quia quemadmodum aurum cæteris metallis dominatur, ita virginalis status nobilissimus sit & præstantissimus, ac velut omnium Ecclesiæ statuum princeps.

Matrimoniũ plumbo, viduitas argento, virginitas auro collata.

Oeconomus Pharaonis somnia sua Ioseph, eisdem detento carceribus, enarrans refert: *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines.* Ecclesia autem in Euangelio vineæ comparatur, cuius tres propagines esse dixerim tres illos status, virginitatem scilicet, viduitatem, & coniugium, quæ sese per omnia diffundentes, mirum in modum excrescunt, cœlumque & terram multiplici fœtu complent. *Gen.40.* Somnium œconomi regis Pharaonis.

Seminis Euangelici quarta pars cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centesimum, sexagesimum, & tricesimum. Multiplex hic fructus, & in tres gradus distinctus, tres status hominum denotat, coniugatorum, viduorum, & cœlibum, vt quidem exponit Hieronym. & in Epistolis suis Athanasius. porrò inter tres hos vitæ Christianæ status, matrimonium eminet, & honorem promeretur, velut opus Dei, quod ipse mirum in paradiso terrestri inter protoplastos instituit, quodque post quinque annorum millia Ecclesiæ velut Sacramentum, & quidem *magnum*, vt Paulus appellat, tradidit: & quod hodie præsentia sua, dum nuptiis interest miraculorumque suorum primitiis, cohonestare voluit. Euangelium apud Ioannem legitur: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi.* quas nuptias vt ipse digne dicendo velut epithalamio celebrem, primo de earum serie, & dignitate matrimonij: deinde de miraculo agam, quo Dominus aquam in vinum mutauit: & duobus hisce totam Euangelij seriem ac velut nucleum contineri putem. *Luc.8. Matth.13. Lib.1. contra Ioum. & in cap. Matth. & in Apol. ad Pamyn. Ephes.5. Ioan.2.* II.

Principio igitur non modica circa has nuptias difficultas oritur: nam plurimi disputantes curiosius inquirunt, quinam noui hi sint coniuges, & in primis quisnam sponsus: & quamuis certi nihil hic statui posset; putarunt tamen multi, Ioannem Euangelistam fuisse: nam quandoquidem Deipara, speculum castitatis honestatisque quæ omnem turbam exosa erat, & quietis amantissima, his nuptiis interfuit: inducimur vt credamus, contrahentes hos è cognatione illius fuisse. Eius opinionis est S. Hieronym. præfatione in Ioannem, Beda initio Euangelij huius, & Rupertus temporis sui scriptor. Putatur à nonnullis S. Ioannes Euangelista sponsus hic fuisse.

ptor doctissimus, traditq; communem hanc pene omnium scriptorum sententiam esse: hos sequitur Thomas, Caietan. Sotus, Ioannes Maior, Ludolphus, Eckius, Dion. Carthus. S. Bonauentura, Antonius, Lyranus, & alij innumeri.

*Lib. 2. in Ioan. 2. q. 186. art. 4*

Hæc opinio refellitur.

At nullam hæc opinio veri speciem habet, nec vllis potest rationibus stabiliri. Primo, quod, vt bene Maldonatus firmissimis hanc opinionem rationibus conuincens, ait: Ioannes non esset Cananæus: qui cum nuptiæ hæ celebrarentur, à Christo iam ad Apostolatum cum fratre vocatus erat, & his non vt sponsus, sed Christi discipulus intererat. Nam Christus vna cum discipulis ad has vocatus fuit. Atqui Ioannes cum fratre Iacobo inter primos Apostolos; vt ex Euangelio manifestum redditur, vocatus est.

*Matt. 4. & Marc. 1.*

2. Secundo, omnes veteris Ecclesiæ Patres Ioannem semper vt virginem habuerunt, & firmiter semper ac constanter asseruêre, nunquam eum connubium iniisse, quod testatur Augustinus.

3. Tertio, nuptiis his interfuit Christus, vt matrimonium ratum haberet, eiusque statum auctoritate sua confirmaret; at, si matrimonium ratum hic dissoluisset, Ioannem à matrimonio ad sui sequelam vocando, matrimonium potius reprobasse quam approbasse & stabilisse visus esset.

4. Quarto, si Ioannes à connubij contractu & matrimonio iam inito liber & solutus fuisset, dicendum esset, eum, fœminæ & omnibus valedicendo, statim à nuptiis secutum esse Christum: at scriptum est, eum non in domo nuptiali, sed ad mare Tiberiadis cum fratre Iacobo retia reficientem vocatum esse, vt è duobus mox citatis Euangelistis manifestum est. Postremo, si Ioannes hic sponsum egisset, dignum profecto fuisset, ipsum ab Euangelistis litteris mandari, at nemo ne gry quidem vel apicem hac super re scripsit. Certum est igitur, nulla id dici ratione posse, multoque minus ab aliquo magni nominis scriptore asseri aut credi.

Nicephorus autem, longius adhuc à veritate recedens; ait, harum nuptiarum sponsum Simonem genere Cananæum, fuisse: Antoninus vero sponsam, ex aliorum sententia, Mariam Magdalenen, quæ quod sponso & matrimonii vsu priuata esset, illicitis se deinde & vagis amatoribus dedit, vitamque lubricam vixit. Sed omnia hæc apocrypha sunt. Credibile tametsi sit, aliquam è Virginis cognatione, quæ hactenus cum illa virginitatem coluerat, exstitisse, eo quod Deipara ad nuptias vocata fuerit & Nazareth nonnisi quinque milliaribus à Cana, qui Galilææ vicus erat, abesset.

*Lib. 8. c. 30. 3 part. sum. tit. 2. § 5.*

*Nuptiæ factæ sunt in Cana, &c.* Non est autem necesse antiquitatem huc epularum connubialium & nuptiarum ab vltima memoria & prima origine adducere. Legimus namque Laban in Liæ & Rachelis nuptiis epulum instituisse, multosque amicorum, ad id conuocasse. Samsone quoque vxorem ducente, instituit pater eius conuiuium, quod in septimum diem extendit, & in quo varia proposita fuêre ænigmata, Quis ignorat magnificentiam & lautitias, quas Raguel in matrimonio filiæ paravit, quam Tobias iunior ducebat? *Raguel vxori suæ Annæ dixit, vt institueret conuiuium, & præpararet omnia, quæ in cibos erant iter agentibus necessaria.* Quas vero epulas instruxit Assuerus Medorum Rex cum Esther in coniugem adoptaret? *Iussit conuiuium præparari rex magnificum, cunctis principibus & seruis suis pro coniunctione & nuptiis Esther.* Christus quoque inter cæteras parabolas, vnam singillatim de nuptiis, habet, dicens, regnum cœlorum simile esse homini regi nuptias filio suo instruenti. In Apocalypsi quoque illi beati prædicantur, qui ad cœnam nuptiarum Agni sunt vocati. Hodie quoque nouum conuiuium in Euangelio paratum contueor, in Cana Galilææ, ad quod Christus cum suis vocatus venit.

*Ioan 2.*

Epulum nuptiale in Sacris litteris notum.

*Gen. 29. Iud 14. Tob. 9. Esth. 2. Matth. 22. Apoc. 19.*

At quoniam de nuptiis & matrimonio mentio incidit, quinque hæresiarchas matrimonium oppugnasse comperio, & in ipsum iniurios fuisse. Primus fuit Saturninus, vt tradit Irenæus lib. primo, capite vicesimo secundo, quem secutus est Marcion, referente Hieronym. lib. prim. contra Iouinianum; illius vestigia sectatus est Tatianus,

Quinque hæreses circa matrimoniũ. 1. Hæresis.

nus, teste Epiphanio hæresi 46. Priscillianistæ, & Adamitæ, vt refert Augustl.lib.de hæresibus cap. vicesimo quinto. Qui vnanimiter asserebant nuptias esse malas, & matrimonium ob Adæ peccatum inuectum esse: eo quod in statu innocentiæ nullus matrimonij vsus esset, hominumque creatio & propagatio diuino auxilio non vero per corporum coniunctionem fieret. At Christus hanc hodie reipsa hæresim iugulat & refellit, cum nuptiis interesse, easque miraculorum primitiis condecorare voluit.

2. Secunda, fuit Montanistarum, qui secundas nuptias vetitas esse credidere: tolerabant quidem eos qui semel matrimonium contraherent; ad secundum vero conuolantes, penitus à communione sua reiiciebant, quos specioso quodam titulo adulterium velare dicebant, imo ab adulteris ne minimum differre: sed non capiebant illi
1.Cor.7. Scripturæ sensum, cùm dicit: *Si dormierit vir eius, cui vult nubat, tantum in Domino.*
1.Tim.5. Et alibi multo manifestius: *Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse.*

3. Tertia, Armenorum, & Lutheri, qui negant matrimonium Sacramentum esse, ac proinde vllam per ipsius contractionem sponsis gratiam conferri. Quos refellit Apostolus Paulus, qui ipsum Sacramentum, & quidem è magnis & primis esse ait: *Sacramentum hoc magnum est, dico autem, in Christo,*
Ephes.5. *& in Ecclesia.* Et in Epist. ad Hebræos: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.*
Hebr.13.

4. Quarta, fuit eorum, qui credebant matrimonium & coniugium iam initum, volentibus & consentientibus coniugatis, vti spõte & voluntarie coaluerant & conuenerant: ita & dissolui posse: idque præter voluntatem Christi, qui apud Matthæum ait: *Quod*
Matth.19. *Deus coniunxit, homo non separet.* Et Apostoli sententia, dum ad Corinthios scribit: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit.*
1.Cor.7.

5. Quinta hæresis, est Iouiniani, qui matrimonium virginitati anteponit, virginumq; meritis, coniugatorum merita, æquiparat; quem S. Hieronym. doctissime iuxta ac validissime confutans iugulauit, & clarius & paucioribus verbis Apostolus, loco superius citato, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, & qui non iungit, melius facit.* 1.Cor.7.
Quidquid demum sit, nuptiæ ex se honorabiles sunt, quas & Dominus ac Redemptor noster Christus hodie præsentia & miraculis ornare dignatus est.

Deus matrimonij auctor.

Porro contra priores illos hæreticos dicendum, Deum solum sanctissimæ matrimonij copulæ auctorem & institutorem esse, & ipsum primos nostros parentes in paradiso iunxisse, Adamoque occultos quosdam erga comparem igniculos indidisse, dum diceret: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Vnde coniugati facile perspicere poterunt, quantus inter illos vigere debeat amor & concordia; honesta tamen, licet extrema. Nam quamuis liberi parentes suos diligere Dei iussu teneantur, & quidem amore quodam singulari, maiorem tamen dilectionem erga vxorem vir demonstret necesse est, quam ex toto corde diligere, & vt alterum se amare fouereque tenetur. Vnde in Genesi legitur: *Propter hanc* Ibid.
*relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* Eodem illam amore prosequatur oportet, quo Christus dilectam sibi Ecclesiam prosecutus est, in cuius gratiam mortem amarissimam oppetiit. Vnde Apostolus: *Viri diligite vxores vestras,* non qui- Ephes.5.
dem amore quodam ficto & mentito, vt Sichimitarum princeps Dinam; non fucato & assentatorio, vt Sampson Dalilam; non ob cupiditatem, quæstum, dotes opimas, honoresque, quos per easdem obtinere contenditis, vt Adonias Abisai Sunamitidem; non amore illicito, & lasciuo, & carnali, vt septem mariti priores Saram: sed ex toto corde & anima, *sicut Christus dilexit Ecclesiam.*

III. Lib.2. Cur mulier è viri costa formata.

Nota in hoc propositum Magister sententiarum, fœminam à Deo non è capite, ne fortasse superbiens & insolentior facta, aduersus maritum insurgeret, eiq; dominaretur; nec etiam è pedibus, ne maritus eam pedibus protereret, & mancipij loco haberet, sed è costa sinistra, quæ haud procul à corde abest,

abest, formatam esse; quo maritus eam vt comparem, suis eductam membris, ac velut alterum se & sui partem diligeret. Vtque amor hic manifestior foret, Deus cum diuersa Adamum & Euam è materia componere potuisset, & vnum hac aliam illa & quidem mixta, amborumque corpora inter se diuersa ac diuersimode formare; nihil fecit huiusmodi: sed ne qua inter vtrumque diuisionis & dissensionis occasio nasceretur, nonnisi vnum condere voluit, è quo partem traxit, & quidem cordi proximam, è qua fœminam composuit, vt iuxta Scripturam nonnisi vnum corpus & vna caro, & duo in carne vna forent.

Egregia veterum opinio.

Hinc putarunt veteres, vt bene Plato in Sympos. ait: Deos iam inde à mundi primordio, homini duplicia membra attribuisse, non vero singula, vt modo habere eum videmus, sed bicipitem, quadrimanum & quadrupedem. at quoniam superbia elatus insolentius se gerebat, hinc deos hominem diuisisse, & ex vno fecisse duos. Atque hanc esse rationem putant, cur sit aliquod semper in amore discrimen, & hunc plus, illum vero minus diligamus quasi diligendo illam partem, quæ nobis olim ablata fuit quæramus, & inuetam vti nos ipsos amemus. Et quamuis hoc fabulosum sit, quam proxime tamen alludit ad id quod dicere cœperamus, Deum scilicet hominem quodammodo geminum formasse, & corpore ex vno duo constituisse subiecta. Atque ideo quandoquidem, coniugati, duo in carne vna sint, & fœmina nonnisi viri membrum sit & caro; proculdubio se mutuo fouere, & singulari quodam amore prosequi debent.

Dæmon cum Iob Prophetæ substantiam demoliretur & destrueret, nihil omnino inconcussum & intactum, præter coniugem eius, reliquit: honorem & gloriam ei abstulit, infamem penitus reddens; bona possessionesque succendit & euertit, inopiam extremam causatus, in corpus quoq; illius sæuiit, vlcere eum pessimo percutiens: vxori tamen illius pepercit. Dici quidem posset, intactam illam relictam, vt viro deinde exprobraret, & afflicto insultaret: sed longe alia subest ratio, voluisse scilicet Deum, hic amoris coniugalis exemplum dare: ita namque cum Satana Iob cribrare experente Deus conuenerat, *Veruntamen animam illius serua.* Quamobrem cum vxor animæ viri dimidium sit, eam, vt vitam suam, diligere & amare tenetur. Ideo nimirum vxorem immunem reliquit, quod Iob eadem exstincta, superuiuere minime potuisset, sed vno animæ dimidio ablato, facili alterum coneidisset.

Insignis cõceptus ex afflictionibus. *Iob.2.*

Ecclesiasticus tria sibi placere, Deoque & hominibus probari ait, concordiam nimirum fratrum, amorem proximorum, & maxime coniugum consensum: *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum & amor proximorum, & vir & mulier bene sibi consentientes.* Quando enim vir & vxor inter se dissentiunt, rixantur, & litigant; eandem nunquam poterunt viam insistere: sed non secus ac duo inimici sibi inuicem connexi, aut duo malefici eadem catena colligati, diuersum spirabunt.

*Eccles.25.* Deo gratum maritum cum vxore consentire.

Tanta Mezentij tyranni immanitas & sæuities erat, vt, quo miseros affligeret & cruciaret magis, mortuorum corporibus, vt tradit in Emblematis Alciatus, viuos superalligaret, vt ita sensim teterrimo odore & memphyti enecarentur, longoque cruciatu exanimarentur. Audite quid de eodem scripserit Maro:

Mezentij crudelitas.

*Corpora corporibus iungebat mortua viuis.*

At non minus coniugatorum inter se dissentientium, assidueq; rixantium est suppliciũ. Quis enim non existimet amarum & triste, duos eodem astrictos iugo, eodem cubantes lecto, eadem gaudentes mensa, iisdem commorantes ædibus, sese mutuo odio plusquam Vatiniano prosequi, & alterum alterius necem optare? an non hoc est, corpora viuorum attexere mortuis, & crudelissimæ tyrannidis imago?

Econtra, mutuo coniugum amore & concordia nihil iucundius aut suauius, quemadmodum, vti dicere cœperamus, nihil dissensione & discordia eorumdem odiosius, Leo Byzantius Philosophus, & orator celeberrimus, obesus alioquin & aqualiculum prominẽtem gestans, cum ad Athenien-

Leonis Byzantij dictum.

ſes legatus miſſus eſſet, ſeditionem quandam popularem & turbas ciuiles eloquentia ſua cohibiturus, mox vt legationis ſuæ capita enarraret, omnibus riſum ob enorme abdomen mouit; ſed ipſe à ludicris ſeriorum occaſionem captans, dicere cœpit: Quænam vobis riſus cauſa, ô Athenienſes? an quod me pinguem & diſtento rideatis ventre? ſed audite, eſt mihi domi vxor, qua cum quoad pinguedinem ipſe non ſum conferendus, vtpote quæ me triplo ſit pinguior; ambos tamen vnus facillime lectus capit, cum eadem volumus & ſentimus; ſed dum alter ab altero diſſentit, ipſa hanc, & ego illam viam inſiſto, integra nos vix capiat domus. Quo dicto Athenienſibus perſuaſit, vt pacem inirent, turbas & ſeditiones cohiberent, populusque cum magiſtratu in gratiam rediret. Atque hæc omnia occaſione nuptiarum in Cana Galilææ celebratarum.

Matrimonium dũ onus.

Ac, veluti nihil matrimonio iucundius aut ſuauius, ita eodem nihil grauius, aut durius; quippe cum quo nullum onus aut iugum comparandum videatur, ſi ſpiritualia & pietatem quam impedire plerumque ſolet, conſideremus. Recordemini hic obſecro parabolæ Euangelicæ, in qua varij ad nuptias vocati deſcribuntur; at cum multi ſe excuſarent, nullus tamen ait, ſe ire nolle, ſed

Luc. 14. ſolus ille qui vxorem duxerat: *Vxorem duxi, & ideo non poſſum ire.* Deinde iam ab ipſo mundi exordio de vxore dictum quidem

Gen 2. eſt: *Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ.* At hodie prô pudor! multi vt vxoribus placeant & adhæreant, non ſolum parentes, ſed DEVM, optimum maximum parentem relinquunt. Idcirco prudenter admodum feciſſe cenſeo ſponſos hoſce Canenſes, dum CHRISTVM eiuſq; Matrem vna cum Apoſtolis, ad nuptias vocarunt.

Notandum autem, Ioſephi nutritii Chriſti nullam hic mentionem fieri, quem Epi-

Tom. 2. lib. 3 hæreſ. 78 phanius iam dudum obiiſſe cenſet, eo quod

Ioſeph nõ intereſt his nuptiis. nec hoc in loco, nec in aliis vlla eius amplius habeatur mentio; qui ſi vixiſſet, ſine illo Deipara ad nuptias ſola non conceſſiſſet: creditque hic eum auctor ſtatim poſt duodecimum Chriſti annum, aut non multo poſt defunctum, quæ & communis aliorum ſententia eſt. Chriſtus nihilominus & glorioſa eius mater ad nuptias vocati ſunt.

IV. Chriſtus ad nuptias & ſponſalia inuitandus.

Diſcant hic qui matrimonium contrahere volunt, vxoremq; honeſtam, moratam, & prudentem ducere; cœleſtes omnes & IESVM ipſum ad nuptias vocandos. Hanc ob rem notat Rupert. in cap. ſecundum Geneſ. Deum, quo Euam crearet, Adamo ſomnum quendam placidum, omnia membra illius irrigantem, immiſiſſe; id eſt, extra mentis ſtatum & extra ſe rapuiſſe: quo deſignat, illum qui vxorem ſibi ſeligere & ducere conatur, oculos & ſenſus exteriores occludere debere, & ſolum Deum intueri; Deum deinde Adamo eandem dediſſe: bona enim vxor donum Dei eſt; vtque matrimonium auſpicato & bonis, vt aiunt, auibus contrahatur, à Dei manu & directione vxor ſumẽda. Vnde Salomon in Prouerbiis: *Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie vxor prudens.* Prou. 19.

Antequam igitur vxor ducatur, non forma illa exterior & venuſtas ſpectanda, vt filii Seth fecêre, qui filiarum Cain pulchritudine ineſcati & tranſuerſum acti, gigantes procrearunt, ob quorum nequitiam diluuio orbis vniuerſus obrutus periit. Non ſunt etiam ducendæ quæ pigmentis & odoramentis exoticis formam adulterant & purpuriſſant, luxum veſtium conſectantur, Orientis diuitias fronte & capillitio turrito præferunt; vt magno ſuo damno fecit Eſau, qui duxit quas parentes eius ob faſtum & ſuperbiam ferre non poterant. Non denique externæ & alienigenæ, aut alterius religionis, vt infelix Samſon, qui Dalilæ amoribus impeditus expedire ſe non valuit, ſed interitum & ſuum & populi Iſraël duxit. Quæ omnia damna, vt quis euitet, Chriſtum & Deiparam ad nuptias ac ſponſalia inuitet. Gen. 6. Gen. 28.

Chriſtus præ cæteris ad nuptias vocandus.

Quo enim matrimonium bene feliciterque ſuccedat, Chriſtus præ cæteris & ante omnes ad nuptias vocandus: tunc vero inuitatus ad nuptias dicitur, cum ipſe velut præcipuus matrimonii finis & ſcopus præſigitur. Id eſt, quando quis vxorem ducit,

quo

quo melius Deo seruiat, eiusque legem obseruet, eâdem, quo naturæ satisfaciat, & fornicationem ac libidinem omnem excludat, vtendo. At si auaritiam & plutum ante omnes inuitemus, si pulchritudinem, voluptates carnales, & delicias spectemus, easq; ambimus præ reliquis, nihil ab his matrimoniis nuptiisque boni sperandum est. Tes-
*Tob. 6 7.8.* tis sit Sara, quæ septem quidem maritos habuit, sed his à dæmonio interfectis, virgo & illibata tandem Tobiæ coniuncta est, quod velut equus & mulus ad eam accessissent, soliusque pulchritudinis & diuitiarum intuitu illam duxissent.

Felix copula, quã Christus copulat.

Felix profecto fortunatumque illud vere dici matrimonium potest, quod à Deo principium habet; at infelix & detestandum, ad quod dæmon ante alios inuitatur; quale illud censendum, quod barbarorum ritu, ob solam delectationem sensualem, corporeasque voluptates contrahitur. Talia Christianos detestari & abhorrere par est, vtpote Christiano nomine indigna, Deoque inuisa: quod sponsæ suæ Tobias iunior hisce verbis
*Tob. 8.* repræsentabat: *Filij quippe Sanctorum sumus*, patres nostri & maiores sanctitate vitæ fuêre celebres; ideo, *non possumus ita coniungi sicut gentes, quæ ignorant Deum*, nihilque præter
*Ibid.* voluptatem deliciasque corporis brutorum instar spectant. Deum quoque deinde, vt cœpta secundaret precatus, ait: *Et tu Domine scis, quia non luxuria causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in secula seculorum.* Hoc scilicet erat Christum ad nuptias vocare.

Sola virtus in cõnubiis spectãda. *Gen. 24.*

Tunc autem Christus ad nuptias vocari dicitur, & felix illud matrimonium & auspicatum censetur, cum sola virtus tam in viro quam femina, non vero dos, forma, nec diuitiæ spectantur. Eleezer œconomus domus Abraham, cum parentibus Rebeccæ, de cõnubio inter Isaac & illam ineundo tractans, hunc in modum locutus est: *Dominus benedixit domino meo valde, & magnificatus est, dedit ei oues, & boues, argentum & aurum, &c.* Primo ecce eum Deo gratum, & ab eo benedictum ait, antequã de diuitiis, & opibus sermonem instituat. Heu quænam vestra cæcitas est, patres! si vel animalia copulanda sunt ad fœtum procreandum, soletis & pulcherrima & valentissima seligere; filias vero vestras elocaturi, matrimonioque copulaturi, de genero probo, moratoque ne minimum laboratis, nec filiis vestris nurus honestas morigerasque quæritis. Hinc illæ lacrymæ, hinc illa familiæ dedecora & exitia, hinc earum ruina & pestis.

Impiæ vxores maritis ruinę causa.

Non aliam Idololatriæ Ioram regis, filij Iosaphat, qui patri interfectis fratribus in regnum successit, scriptura rationem reddit, quam sceleratæ vxoris consilium suggestionemque: *Filia quippe Achab erat vxor eius, & fecit malum in conspectu Domini.* Adeo vt mirandum non sit, Ioram in idololatriam prolapsum, vxore ad scelus exstimulante, quod à patre hauserat, & in maritum transfundere satagebat. Achab quoque rex, mouente & animante impiâ coniuge Iezabel, idolis immolauit, ea ductrice Prophetas occidit, & veri Dei cultum regno Israël propulsare & exterminare conatus est, *Concitauit enim eum Iezabel vxor sua, & abominabilu factus est, in tantum vt sequeretur idola quæ fecerant Amorrhæi.* *4. Reg. 8.* *3. Reg. 12.*

V.

Quicunque in pestilentem vxorem incidit, perpetuũ infernum habet. *Eccles. 15.*

Christus igitur ad nuptias inuitandus, Deusq; orandus, antequam matrimonij copula ineatur, quo bona eius auspicio ductuque reperiri vxor queat: qui enim improbã & peruersam nactus est, næ ille perpetuo inferni tormenta etiam viuẽs experitur. Vnde Sapiens: *Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Quanta igitur cura, & quanta anxietate bona quærenda est vxor, quot in ea dotes requirũtur, quam multa examina facienda, antequam ducatur. In quam rem notetis velim verba illa Nathanis Prophetæ, quibus Dauidem compellauit, & quibus allegorice vnam vxoris probæ dotem descripsit, cum illum adulterij coargueret: *Pauper nihil habebat omnino præter vnam ouem paruulam, quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius, simul de pane illius comedens, & de calice illius bibens, & in sinu eius dormiens, eratq; illi sicut filia.* Vocat ecce Vriæ vxorem, ouem: ouis enim sit oportet, quæcumq; bona dici vxor velit, id est, dulcis, mansueta, *2. Reg. 12.*

omnem

omnem exosa rixam & clamorem, marito, velut ouis pastori, obsequens: hanc vicissim, maritus velut ouiculam suam habeat, seruet, nutriat, custodiat, & vt filiam diligat, necesse est.

*Eccles 26.* Bene idcirco mihi dixisse visus est Sapiens, dum ait: *Gratia super gratiam mulier, sancta & pudorata* Perinde ac si dixisset: Nulla maior viro obtingere hac in vita felicitas potest, quam si honestam, castam, probamque vxorem nanciscatur: insignis quidem vxoris dos est sanctitas & probitas, at omnium præstantissima, cum castitatem colit, pudorem amat, omnemque perperam quid de se cogitandi occasionem præscindit. Quã dotem veteres exprimere conati, dupliciter, teste Eustathio, castitatem depinxere: quas pudicitiæ imagines si honestæ matronæ diligenter intuerentur, nunquam eandem læderent, sed inuiolatam illibatamque conseruarent.

*Eustath. lib. 2. de Ijm. eniu.*

Mulierũ honestas & castitas depicta duplici-ter.

Pingebant primo mulierem serto omnigenis e floribus præterrosam contexto redimitam, reti velut veste amictam, quod & faciem simul & pectus cum pedibus velaret, quo emblemate honestatem pudicitiamque matronalem exprimere volebant; quam quidem omnes gratiæ charismataque, omnes quæ cogitari possunt perfectiones decent, præter illas quæ Venerem, cui rosa sacra, spirant, & honori maculam adspergunt.

Aliud schema erat huiusmodi. Mulier scilicet gemmis & pretiosis lapidibus ornata, cuius in fronte pyropus quidem instar solis radiabat, sed quæ veste vilissima ad imos vsque pedes dimissa cooperiebatur. Docet hoc, diuitias quas habere matronam conuenit, non in vestium luxu, sed in animo menteque exornanda consistere: adeo vt, quamuis modesta vilique veste vtatur, caput tamen ipsum aliquod ornamentum præferat. Pedes quoque tegat oportet, id est, raro in publicum, præter necessitatem prodeat, domi autem assidua sit & frequens; atque hinc fida viro coniux agnosci potest. Et hæc quidem hactenus occasione nuptiarum, ad quas hic Christus vocatus scribitur.

Cur Christus cum discipulis ad nuptias ierit.

Mirum profecto, Christum, qui omnes delicias contemnendas docebat, lacrymas vnice diligebat, pœnitentiam nullo non tempore prædicabat, cum discipulis ad nuptias concedere. Castigare scil. & reprehendere voluit eos, qui, dum deliciatum & conuiuij loca viros sanctissimos adire vident; quamprimum offenduntur, & scandalizantur; cum tamen conuiuia & nuptiæ velut trutina & lapis Lydius sint, ad quæ eorum vitæ sanctimonia modestiaque examinetur, & in quibus qui vere spirituales sunt & temperantiam vere consectantur, dignosci queunt. In Missæ enim sacrificio, aut Cathedra aliquem in lachrymas resolui, mirandum non est; sed in nuptijs sobrietatem & modestiam ostendere, Christianamq; grauitatem in locis publicis, apud externos & ignotos, præ se ferre, hoc vero magni & diuini cuiusdam hominis esse, communi omnium iudicio censetur.

Quod Sapientia de se apud Salomonem ait: *In plateis sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi*, ad literam de eo quod sapientia in sapiente operari consueuit, capiendum est. Legitimus autem & genuinus horum verborum sensus est, iustos & spirituales, quos sapientia cœlestis in omnibus actionibus dirigit, in locis maxime suspectis, & in quibus maior peccandi occasio, maiorem virtutum, deuotionis, modestiæ, continentiæque suæ odorem diffundere, qui omnium nares feriat, eosque gratos & spectabiles efficiat. *Eccles. 24.* In locis publicis spirituales sese virtutesq; suas patefaciunt.

Honestæ & probæ vitæ viros ad nuptias vocare oportet.

Christus quoque ad nuptias inuitatus venit, vt nos edoceret, eos potissimum ad nuptias epulumque connubiale inuitare, qui modestiam amant, & virtutes consectantur; idque in honorem sacramenti Matrimonii. Quod figurate expressit in Deuteronomio DEVS. *Comedes coram Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua, & Leuita qui intra portas tuas est, caue ne derelinquas eum.* *Deut. 14.* Lex nimirum volebat, vt sæculares aliquem semper Leuitam aut sacerdotem mensæ adhiberent suæ, qui eos erudiret, Dei cultum edoceret vel fortasse vt intemperantibus & dissolutis modestiæ temperantiæque exem-

exemplum foret, ac ne ebrietas locum haberet & crapula, prospiceret. Quod vt nos edoceat filius Dei, hodie cum discipulis ad nuptias vadit.

Multi Christum ad lacrymas, pauci ad nuptias inuitant.

Notandum hic interea, plurimos Christum ad lacrymas, luctum, exequiasque inuitare, id est, ad eum confugere dum morbo affliguntur, vel in mortis periculo versantur; at paucos eum ad nuptias, id est, dum prospere omnia succedũt, omnia ad votum fluunt, vocare. Atque hoc notat in Israëlitis Psalmographus: *Cùm occideret eos quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum*: at cum lætiori fortuna arrideret, cum successu prospero lætarentur: *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.* verum quicunque salutis suæ studiosus, omnibus in occasionibus & vbique Deum inuiter, tam ad nuptias, quam ad funera; tam in prosperitate quam aduersitate, vt faciebat Propheta regius, qui de se testatur: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*: ait *in omni tempore*, insinuans Deum tam in lætis quam tristibus inuocandum & benedicendum. At nimis his nuptiis immorati sumus, iam de miraculo quo eædem insignitæ fuêre loquendum, de conuersione inquam aquarum in vinum, quæ & altera concionis huius pars est: *Deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum, vinum non habent.*

*Psal.* 77.

*Psal.* 33.

*Ioan.* 3.

In mundi huius nuptiis nemo satiari potest.

Cùm igitur Christus vna cum matre sua & discipulis his nuptiis interesset, vinum deficere cœpit; quamobrẽ Maria, mater misericordiæ, coniugatorum sortem miserata, eorumq; honoris studiosissima, cognitâ filij potentia ab eodem petiit, vt præsenti eorum inopiæ & pudori succurreret. Defecit igitur vinum. Allegorice defectum hunc expositurus, dico vinum voluptatum ac deliciarum symbolum esse, & per has nuptias mundi huius conuiuia & epulas designari. Mundus hic, Auditores, multas quidem nuptias instruit, & conuiuia parat sumptuosissima, at semper in iisdem vinum deficit, mera in iisdem esse nequit satietas, nullaque perfecta lætitia aut voluptas; quæ si aliqua sit, nonnisi exigua admodum, quæque breui & in momento intercidat: *Ducunt in bonis dies suos* ait Iob, *& in puncto ad inferna descendunt.* O miseriam! ô vitam inuitam, vitæq; nomine indignam! in gaudio nimirum biduo aut triduo agere; & in momento ad supplicia æterna, è quibus nunquam liberari dabitur, deuolui.

*Iob.* 21.

Splendidũ quidem mundus epulum Baltassari regi Babylonio instruit, sed quam primum cœpit vinum deficere; mortem siquidem & regni ruinam intentat, vitęque amissionem denuntiat. Laute quoque excipit gulonem illum Euangelicum, *qui epulabatur quotidie splendide*: sed vinum tandem etiam defecit, cum *mortuus est, & sepultus in inferno.* Denique omnes filios Iob in domo primogeniti voluptate perfundit, mille iis gaudia creat, epulantur, iucundantur, risus & lætitia locum habent; sed heu! mox vinum defecit mutante nempe aëre, tempestatibusq; validis quatuor domus angulos concutientibus, illa ad terram corruit, omnes repentina ruina opprimens, itaque omnis Iob posteritatis spes, quam in filiis habebat, misere exstincta est. Quin & in nuptiis his Euangelicis deficere vinum cœpit.

*Dan.* 5.

*Luc.* 16.

*Iob.* 1.

VI.

Omnia mundo desunt.

*Deficiente vino.* O inopem, & mendicum mundum! omnia ipsi desunt, & tamẽ omnia habere se iactitat. Deest imprimis panis, quem deesse sibi conquestus Saul, ait puero: *Panis deficit in cistertiis nostris.* Vix interdum ipsi aqua frigida suppetit, vt in libro Iosuæ legitur: *Defecerunt aquæ Iordanis*; & in obsidio Bethuliæ, *defecerunt cisternæ.* dies quoq; sæpenumero deficiũt, quod conqueritur Dauid rex: *Defecerunt in vanitate dies eorum* deficit interdum cor & anima, iuxta querelam Psalmographi, *defecit caro mea & cor meum.* Peccatores aliquando etiam deficere incipient: *Deficient peccatores à terra ita vt non sint.* vita quoque deficit & quæritur, quæ nimirum breuis & angusta, *Defecit*, ait Propheta, *in dolore vita mea*: sola auaritia & dolus nunquam illi deficiunt, sed quotidie augentur & inualescunt: *Non defecit de plateis eius vsura & dolus* cœlo autem nihil omnino deest, sed abundant & largissime ei cuncta suppetunt, quod his verbis in Euangelio testatur Dominus: *Thesauri-*

*Ioan.* 2.

*1 Reg.* 9.

*Ios.* 4.

*Iud.* 7.

*Psal.* 77.

*Psal.* 72.

*Psal.* 103.

*Psal.* 30.

*Psal.* 54.

*Luc.* 11.

*zate vobis thesaurum non deficientem in cœlo.*

Mundi vinum turbidum & insipidum.

Præterquam vero, quod mundus adeo mendicus sit, vt in nuptiis eius vinum semper deficiat, ipsum quoque quod aliquatenus dat, vinum turbidum est, vappa, insipidum, & fæculentum. Vnde Psal. *Verumtamen fax eius non est extincta, bibent omnes peccatores terræ.* Vinum quoque acerbum & acidum, & felli draconũ haud absimile, *fel draconum vinum eorum:* at vinum interea noxiũ & fumosum, ipsum nimirum, quod Noachos inebriat, eorumque pudenda reuelat. Vinum Sodomiticum, quo inebriatus Loth incestum committit. Vinum quod sacerdotibus olim ne gustarent ni mori vellent vetuerat Deus: *Vinum & omne quod inebriare potest, non biberitis, tu & si qui tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini.* Quin & Nazaræis, cum votum Domino facillent, vinum & omne quod inebriat interdixerat, *Vir siue mulier cum fecerint votum, vt sanctificentur, & se voluerint Domino consecrare, à vino & omni quod inebriare potest, abstinebunt.*

Psal. 74. Deut. 32. Gen. 9. Gen. 19. Leuit. 10. Num. 6.

Vinũ est, quod pellax & lenocianus mundus fœminis & filiabus propinat, quo eas inebriatas prostituat, & in interitum trahat; quale scelestus ille pararius & leno Holofernis Vagao, Iudith matronæ castissimæ sapientissimæq; propinauit: *Non veretur bona puella intrare ad Dominum meum, vt bibat vinum eum iucunditate.* Vinum, quod scelesti & impij oppleti & quodammodo immersi iustis detrahunt, eorumque vitam & agendi rationem explodunt: expertus ipsum testabitur Psalmographus: *Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta, & in me psallebant qui bibebant vinum.* Vinum denique, quod in Canticis sponsa reficiens dicebat: *Meliora sunt vbera tua vino,* id est, consolationum tuarum ambrosia & lac, Domine, meliora sunt magisq; reficiunt, quã omnes omnino mundi voluptates vnum in locum coaceruatæ.

Iudith. Psal. 68. Cant. 1.

Virgo Deipara filium rogat, vt vinum defe-ctui prospiciat.

Sed relictis allegorijs his, ad miraculum nostrum descendamus. Deipara viso vinum deficere, sponsorum sortem miserata, filium adit, quem maximæq; virtutis & omnipotentem esse nouerat, vti huic inopiæ honeste consuleret, videretq; nequa coniugatis hinc oriretur infamia; quare placidis & benignis ad eum verbis vsa ait: *Vinum non habent.* Perinde ac si dicere voluisset: Ecce qui nos ex amicitia & in grati animi signum ad nuptias vocarunt, vinum non habent; si modo velis, potes namq; , eorum inopiæ tua omnipotentia succurrere, vtrumque tibi magnopere deuinxeris: si vero auxiliari detrectes, infamiam non modicam adibunt, & confundẽtur coram omnibus conuiuis. Materna postulatione audita Christus subiratus, & quasi indignabundus respondit: *Quid mihi, & tibi mulier,* si iis vinum defecerit? nihil hoc ad nos.

VII. Ioan. 2.

Notandũ hic, Deiparam nonnisi secundo, in vniuerso Euangelij campo, mulieris nomine appellatam: primò Luc. 1. deinde Ioan. 19. nempe in his nuptiis; & sub cruce Christi, sed post partum illum gloriosum, decies & amplius *mater Iesu* audit. Filius autem hìc eam mulierem nominauit, nõ quod matris eam nomine indignam cẽferet, aut materno eam amore non prosequeretur, sed antonomastice, respiciendo nimirum ad verba illa Solomonis: *Mulierem fortem quis inuenies?* & ipse communiter se *filium hominis* dixit. fuêre tamẽ hæretici, qui ex hoc loco astruere conati sunt, Christum non habuisse verum corpus, quale hoc nostrum est; inter quos fuêre Montanistæ, Valentiniani, Manichæi, & alij; sed eum hoc responso Deiparam, vt matrem non agnouisse; quasi dixisset: Nihil mihi rei cum commune est, ô mulier, nec te vt matrem meã agnosco. Testantur hoc Origenes & Augustinus.

Bis Deipara mulieris nomine Scriptura nominatur. Matth. 8. 9 Montanistarum & Manichęorum error.

At communis veterum & nuperorum interpretum sententia est, Christum hac loquendi ratione verũ se Deum esse declarare voluisse; & non humana, sed diuina potentia miracula edere; simulque matrem leuiter reprehendendo ostendisse, se non vt purum hominem, id est in quantum mulieris filius, sed in quantum Deus, opera supernaturalia patrare; atque ita nihil se cum Maria habere commune. Ita siquidem hæc exponunt Origenes, Augustin. Gregor. Beda, Euthymius, aliique sexcenti.

Genuinus horũ verborum sensus.

Aliam

*Serm.1.in hac Euāg. verba.*

Aliam porro viam insistit mellifluus Bernard. putatque hic Christum, etiam vt hominem, locutum esse, & ita respondendo designare voluisse, se hactenus, antequam Patris missionem exequeretur, hominumq; prædicationi & redemptioni incumberet, ob quæ in mundum venerat, matri obtemperasse, & ab illius nutu ac directione pependisse; *Luc.2.* *erat* enim *subditus illis*; vt Euangelista ait: sed hodie aliam se viam ingredi cœpisse, & officium, ad quod à Patre cœlesti hunc in mundum, missus erat, aggredi; ac proinde nihil se amplius parentibus carnalibus obsequij debere, sed aliam vocem sequi, (vti & deinde Apostolos docuit) imo eosdem vix nosse, dicendo: *Ioan. 2.* *Quid tibi & mihi mulier?*

Rationes cur Christus dure matri responderit.

Porro rationes, cur Christus dure & non ita benigne aut placide matri responderit, variæ à SS. Patribus allegantur; sed vna è præcipuis fuit demonstrare eum voluisse, nihil se in operum sanctorum exercitio, miraculorum patratione, & Euangelii ad quam venerat prædicatione, cum matre habere commune. Hanc refert Augustin. dum ait: *Tract.9. in Ioannē.* *Miraculum exigebat mater; at ille, tanquam non agnoscat viscera humana operaturus facta diuina.* Doceat porro rudius hoc Christi responsum etiam in matrem carissimam, vicarios Iesu Christi in terra, Episcopos inquam, præsules, & sacerdotes, ne in conferendis dignitatibus & officiis, functionibusque quæ Ecclesiam concernunt, tam temporalibus quam spiritualibus, sanguinis & carnis intuitu affines & amicos, eosque quos mundus præferret dignioribus, & ob virtutem eruditionemque promeritis præponant. Ita sentit hoc Euangelium exponens Bernardus: *Serm 2.in hanc Domin.* *Docet vt ad Dominum conuersi semel, de carnali propinquitate minus simus solliciti.*

*Lib.4.c.3.* Huc optime facere videtur quod in Clemente Quarto laudibus celebrat Fulgosius. Habuerat hic ante Pontificiam dignitatem & sacerdotium vxorem, cum Bononiæ ius Canonicum profiteretur, ex eaque duas susceperat filias, quas nondum elocauerat. quæ audito patrem ad summam Ecclesiæ apicem euectum, dotem patre dignam petituræ ad eum venere; sed repulsam passæ sunt, dicente patre, Pontifici nullas filias esse, & proinde patrimonio quod nactæ erant, contentas esse oportere: quare mœstæ domum reuersæ. Rarum profecto exemplum; at quo rarius, eo & admirabilius, & laudati dignius.

Referam hic etiam quod in concionibus suis doctis iuxta ac zelosis retulit Philippus Diez: tria nimirum cæcorum genera esse; sunt enim quos scipio sustineat, sunt quos catellus, sunt & alij quos proles aut nepotes manu deducant: vnde moralem sensum eliciens ait totidem cæcorū, quoad oculos internos genera reperiri. Primi sunt, qui ad honores & dignitates mundanas euecti conspiciuntur, qui vt dignitatum pedum gestent, rationis limites perfringunt, & in illicita nefandaque impingunt. Qui à catello deducuntur; sunt causidici & legulei illi forenses, qui prauo & illicito lucello excæcati, de lana caprina & asini vmbra vitiligium instituunt, & in tribunalibus instar canum latrando assidui sunt, nefandum esurienti manu lucrum velut corui captantes. Vltimi & omnium cæcissimi, sunt præsules & sacerdotes, qui quo nepotes, ne dicam liberos suos ditent, cæco quodam amore & affectu transversum acti beneficia Ecclesiastica in eosdem congerunt, eosque magno Ecclesiæ dispendio, rationis limites excedendo, dignitatibus & opimis sacerdotiis onerant: ita porro ducti in præcipitium & voraginem profundam ruent, in qua cæcitatis suæ pœnas dabunt. *Dan.2.* *Post Pentecost.* Tria cæcorum genera.

Themistoclis Apophthegma moraliter expositum.

Infamiam Themistocles Athenienſiū dux non paruam sibi peperit, cum pro concione diceret: *Meam vxorem puer regit, vxor me, Athenas ego; ergo Athenas puer meus dirigit.* At longe maiorem infamiam sibi arcessit Sacerdos & Prœsul, maiusq; sacrilegium committit, dū à nepotibus se duci patitur, affiniumque commodis promotionique cum sui infamia inuigilat, adeo vt non ipsi, sed parentes & agnati, Ecclesiam regere videantur.

*Lib. de vita contemplatiua.* Ioannes Gerson regiæ vniuersitatis Parisiensis Cācellarius dicere solebat; reū quamdiu in loco sacro hæreret, à iudicibus & lictoribus comprehendi non posse, sed mox

Deus abusus rerũ & bonorũ Ecclesiasticorum puniuit.

vt templo aut loco sacro egressus est, sæculari brachio eius in carcerem abducendi potestatem dari. Ad eundem etiam modum dico, beneficia & reditus Ecclesiasticos, bona maleficorum & peccatorum esse, Deo ab iis in remissionem expiationemque scelerum oblata; quæ cum in pios vsus & opera sancta expẽduntur, in Ecclesia velut in asylo manere censentur; at vbi in profanos vsus expenduntur; dum affinibus & consanguineis perperam conferuntur, dominos & satrapas sæculares Deus excitat, qui vel necessitate adacti, vel auaritia æstuantes, vel ministrorũ diuinæ iustitiæ vice fungentes, dum eadem à loco sacro abducta vident, inuadunt, pessundant, inq; proprium dominium conuertunt. Beatus igitur ter & amplius Præsul ille dicendus, qui Saluatorem Christum imitando, dum Ecclesiæ res agitur, matrem non agnoscit, etiam dum miracula patranda sunt; qualia hodie Christus edidit, aquam in vinum præstantissimum conuertendo, & sex hydrias eodem implendo.

Hoc die Christus & vinum in aquam cõuertit, & à Magis adoratus est, & à Ioanne baptizatus. *Ioan.2.*

Cæterum luculentum hoc miraculum eodem contigit die, diuersis licet temporibus, quo & reges, Oriente profecti Bethlehem venere, Christum adoraturi; & Iesus à Ioanne in Iordane baptizatus est. quod etiam omnium eius miraculorum primum fuit, vt hac ratione potentiam & gloriam demonstraret, seseque verum Dei filium ostenderet. Vnde Ioannes: *Hoc fecit initium signorum Iesus, & manifestauit gloriam suam*, non potuit signo aliquo euidẽtiori gloriam declarare suamque diuinitatem testatam facere, quam hoc ipso quod hic edidit. neque enim minori requiritur potentia ad aquam in vinum mutandam, quam ad vnum è nihilo producendum. Si enim sartori præciperes, vt tibi vestem conficeret, nullam vero materiã è qua pararet afferres; an non quamprimum diceret, se è nihilo nihil efficere posse? Deinde si allato saxo diceres, vt è dura illa materia aptam tibi vestem concinnaret, an non eo quo prius modo responderet, se è lapide durissimo, non secus atque è nihilo, nihil omnino formare posse? Ad eundem modum dicendum, non minorem, ad aquam in vinum conuertendam, quam ad vinum è nihilo producendum, potentiam requiri.

Simile.

VIII. Primum Christus miraculũ matris precibus inductus edidit. Vinũ hoc erat exquisitissimum.

Primitias autem miraculorum suorum Virginis matris precibus & postulatione inductus edidit; in quo eam Satan præuertere studuit, dum in deserto efficere conatus est, vt Redemptor saxa durissima in panes potentiâ suâ conuerteret. Mirandum deinde, & simul notandum est, Christi miracula in Transsubstantiatione cœpisse & in eadem, sanctissimam Eucharistiam instituendo, desiuisse; hic aquam in vinum, illic vino in sanguinem illius tranfeũte. Vinum porro, quod hic ex aqua conuerterat, optimum & præstantissimum erat & sapidius eo quod è torculari descenderat. quidquid enim Deus præbet & operatur, perfectissimum est. innuere hoc Architriclinus volebat cum sponso diceret: *Tu vero seruasti bonum vinum vsq; adhuc*: cæci quoque quibus oculorum postea vsum reddidit, multo videbant perspicacius, quam qui nullum in oculis detrimentum experti; claudi denique quos ambulare fecit, celerius & ocyus incedebant, quam quibus nullum in pedibus vitium fuerat. vnde bene Propheta: *Saliet sicut cervus claudus.* *Ioan.2.* *Isai.35.*

Eadem hic etiam opera considerate non prius Christum vinum meracum bibendum præbuisse, quam vinum nuptiarum deficeret; vt ostenderet tum demum Dei prouidẽtiam auxilium adferre, cum mundus ferre nequit: nec enim prius manna Israëlitis cœlitus præstitum, quam farinæ & alia Ægypti defecissent. Deinde, tum Deum gaudia & solamina spiritus immittere solere, quando mundanæ deliciæ voluptatesque sæculi exhaustæ sunt, & deficiunt. Hinc *melior a sunt vbera tua vino*, dicebat Amans illa sponsa, dilecti deliciis ebria; id est, consolationum tuarum dulcedo omnem mundanarum deliciarum saporem superat & excedit: & vt infans, qui solidiori vesci cibo nequit, lacte nutritur; ita quicunque deliciis cœlestibus iam assueuit, & cui eædem sapiunt, omnem mundanam voluptatem repudiat ac spernit. *Exod.16.* *Cant.1.*

Atq; vt Israëlitis tunc manna deficere cœpit, cum terræ promissionis fructus gustarant; ita mox vt consolationes terrenas consectamur, cœleste nobis manna deficit, & alio

alio refectis cibo diuina subtrahuntur solamina. suggessit hocce mihi Bernar. dū quodam in loco ait: *Præoccupatum sæcularibus desiderijs animum delectatio sancta declinat, nec in sceri poterunt vera vanis, æterna caducis, spiritualia corporalibus, summa imis vt patiter sapias, & quæ sursum sunt, & quæ super terram.*

*Serm.6.de ascensione.*

Christus panem & vinū multiplicauit.

Deniq; is ipse, qui diuina sua potentia hodie vinum multiplicat, suo etiam tempore Ioannis sexto, panem eiusque fragmenta multiplicabit, quo se patrem illum familias ostendat, qui vniuersis mundi incolis velut domesticis, vinum & panem subministrat. In cuius rei signum, Sapientia æterna domum & splendidum sibi epulum parasse dicitur, vinumque miscuisse; *Sapientia ædificauit sibi domum, posuit mensam, & miscuit vinum.* Sponsa quoque illa cœlestis, quæ hortos habebat fructibus refertissimos, habebat & vineas, quas vulpes suffodere & demoliri conabantur: *Capite vobis vulpeculas quæ demoliuntur vineas.* Quibus omnibus innuitur, Christum, æterni Patris sapientiam pane simul & vino omnes mundi incolas reficere, & pascere. Quoad vinum, euidens hodie dat testimonium, dum sex hydrias capientes singulas mettetas binas vel ternas aqua impletas, in vinum commutat, quæ nostra metiendi ratione centum nonaginta vini pocula conficerent; tum vt extremæ sponsorū inopiæ succurreret, tum vero vt largitatem potentiamque suam testatum faceret; vti & postea præstitit, cum quinq; hominum millia quinque panibus hordeaceis in deserto pauit, ita vt è reliquis decem sportę complerentur.

*Prou.9.*

*Cant.2.*

*Ioan.6.*

*Comment: in Ioan.*

Augustinus sex hasce hydrias mystice exponens, per easdem sex mundi ætates designari credit, & eas omnes aqua plenas, id est, oraculis de Iesu Christo, verum quæ à nemine comprehenderentur: tum vero aquam illam in vinum transiisse, cum deficientibus iam figuris veritas affulsit, & oracula quæ de Christo agebant; completa sunt & reuelata: vnde Lucas de Christo ipso loquens ait: *Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.* Luculentum hoc igitur miraculum est, & nuptiæ iucundissimæ, quibus & vos recreatos, & abunde refectos existimo; igitus tempus iam est è mensa surgendi, tempus quo vnusquisque domum secedat.

*Luc.vlt.*

Cōclusio.

Quamobrem obsecro vos, conuiuæ, qui huic epulo interfuistis, singula vt eiusdem fercula menti insculpatis: discite, inquam, hoc ex Euangelio, Matrimonij Sacramentum inter præcipua Ecclesiæ Sacramenta recenseri, illius Christum auctorem esse, eumque nuptiis & conuiuio coniugali interesse voluisse. Discite adhæc, quo bene & auspicato matrimonium succedat, Christum imprimis ac deinde Deiparam & Apostolos ad nuptias inuitandos. Nolite autem peruersam illam mundanorū consuetudinem imitari, qui tibicines potius & cornicines quam cœli ciues & amicos Dei inuitant. Recordamini ad hæc diuini illius miraculi, quod in coniugatorum gratiam hodie Christus patrare dignatur, dum aquam in vinum transmutat. Mutauerat quidem olim Deus Pater, in peruicaciæ & obdurationis Pharaonicæ correptionem, aquas Ægypti in sanguinem; at filius eius vt eadem se pollere potestate declaret, aquas Canenses in vinum gratiam & beneficium collaturus, conuertit. Considerate igitur, vt necessitatibus nostris prospiciat; vt inopiæ nostræ succurrat, vt, quamprimum ac mundus nos præinopia deserit, sua nobis prouidētia & auxilio subueniat.

Mundi in Nuptiis celebrandis abusus.

Tu autem mundi Redemptor, mirabiliū opifex, admirabilis Sacramentorum auctor & institutor, vere connubiorum auspex & protector Christe, gratia illis tua hodie benedicere dignere, fauorem matrimonium contrahētibus ostende, nuptias nostras adi, tuo auspicio sponsalia peragantur; te auspice conuenta partes ineant; omnia nutu tuo dirige, coniugatos tuo benignus auxilio prosequere. quid namque sine tuo numine haberi auspicatum & fœlix potest? nisi enim tu cœpta secundes, nulla affulgere potest prosperitas, sed perpetua dissensio & discordia coniuges excruciabit, & ingens calamitas & perpetuum supplicium eos manet. At tu, ô clementissime mitissimeque Deus, in necessitatib. nostris auxiliator & sospitator, reb⁹ in arctis spes & præsidiū, sanctam tuam

prouidentiam erga matrimonia coniugatosque demonstra, non patiaris quidquam iis deesse, at vinum honesti solaminis, lætitiæque Christianæ multiplica, ac delicias coniugi adauge. Præsta, inquam, Domine, vt in iugo illo amoris, in mutua illa copula corporumque coniunctione nonnisi amor, pax, amicitia, dilectio, & sincerus affectus reperiantur, vt benedictionibus tuis hoc in mundo locupletati, & donati coniuges, tandem aliquando in cœlesti regione, in qua nullus de connubiis matrimoniisq; est sermo, vbi neque nubent, neque nubentur, honorem & gloriam tibi sempiternã dare queant, ad quam qui aquam hodie mutare in vinum dignatus est, & cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat in sæculorum sæcula deducere nos dignetur. Amen.

## DOMINICA TERTIA. POST EPIPHAN.

Partes.

1. *Vanam gloriam esse noxiam.*
2. *Lepram inficere.*
3. *Breuem orationem esse efficacem.*
4. *Humilem situm orantis multum prodesse.*
5. *Iesum cito sanare.*
6. *Ad sacerdotes remittere.*
7. *Ingratitudinem Deo odibilem esse.*

*Domine, si vis, potes me mundare.* Matth. 8.

### FIGVRA.

4. *Reg.* 5. ELISÆVS Propheta Dei mundauit olim in veteri lege Naaman Syrum Purpuratum, quem lepra infecerat: hodie vero omnium Prophetarum rex ac Dominus Christus pauperẽ leprosum pristino nitori restituit. Vtrinque mundatio, sed cum aliquo tamen discrimine coniuncta: Elisæus alienigenam illũ virtute Dei sanauit, Christus vero mendicum hunc propria auctoritate & potẽtia; ille ad Iordanem, hic ad sacerdotes mittitur. Atque hic Euangelij hodierni nucleus & princeps pars est, quam vt ad maiorem Dei gloriam, animarumque vestrarum salutem explicem, Sanctissimi Spiritus auxilium precibus gloriosæ Deiparæ, & illius mediante suffragio enixe contendamus, ideoque omnes in genua prouoluti salutatione Angelica eam salutemus. *Aue Maria.*

I. Vanę gloriæ pestis.

Inter cunctos virtutis hostes, bonorumq; operum antagonistas nullus deterior, magi q; formidandus excogitari potest, quam inanis gloria, & vana quædam de habita vel exercita virtute præsumptio. Hãc nimirum Basil. opum spiritualium prædatricem, thesauri animæ direptricem appellat, multisq; aliis eam nominibus describit, quæ & horrorem & admirationem audientibus afferant; vt tamen eadem sciatis, eius huc verba adducam: *Inanis gloria spiritualium opum est latro, blandus animarum hostis, sub mellis illitu fraudulenta venena propinat, & poculum mortiferum porrigit.*

Vana gloria meretrici Apocalypseos comparatur. *Apoc.* 17.

Equidem dum sanctissimi Præsulis hæc verba audio, genuinam mihi meretricis, de qua in Apocalypsi, audire descriptionem videor, quæ ostro & coccino circumdata, & auro circumquaque rutilans, aureum manu poculum, sed abominatione & immunditia plenum, gestans omnibus tartareum & nefandum liquorem propinat. Quid enim inanis gloria aliud quam meretrix, pretiosis induta vestibus, ex honore & laude aliena contextis, aurea manu vasa, id est, merita ac virtutes præferens, quę deinde vnicuique demonstrat; at omnia sordent, & horrendis abominationibus referta sunt.

Ezechias quod thesauros legatis ostenderit, regno excidit. *4. Reg.* 20.

Ezechias rex quod arcas reserasset, & thesauros Assyriorum legatis ostentasset, grauiter à Propheta correptus pœnas dedit, & post eum filius, qui vna cum suis & congesto thesauro in Babylonem captiuus abductus est. Dixit itaque Isaias, mala interminando, Ezechiæ: *Audi sermonem Domini, Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt patres tui vsque in diem hanc, in Babylonem, &c.* Assyrij hi repræsentant proximum nostrum, cui animæ nostræ thesaurum, opera, inquam, pia virtutesque ostentamus, cum laudari ob eadem & magnifieri volumus, quæ vera sanctorum hominum pestis est & exitium.

*Exod.* 16. Manna

Manna, quo olim in deserto reficiebantur Israëlitæ, dũ per diem sabbati custodiretur, inte-

die sabbati non putrescebat, sed aliis diebus.

integrum permanebat & recens; sed dum aliis diebus collectum in sequentem diem reseruaretur, verminabat postridie & putrescebat. Ita opera bona dum reseruantur in diem sabbati cœlestis, vt ibidem laudem, & gloriam sempiternam obtineant, integra perseuerant, nullique corruptioni obnoxia; sed aliis diebus in vitæ huius hebdomade laudata, quamprimum putiscunt, quin peccatorum vermes progignunt.

Manus bonorum operum symbolũ.

Manus Mosis quamdiu sinu cõtinebatur, sana & viuax apparebat; sed in apertũ prolata, & sinu exerta lepram præferebat. Et, quia manus Sacris in literis opera designat, mystice hic innuitur, opera nostra, quamdiu animæ sinu cõtinentur, & intra pectoris latebras delitescunt, sana Deoq; gratissima existere; sed in apertum prolata, mundoq; demõstrata, quo laudem & gloriolam aliquam adipiscamur, leprosa & maculosa esse, quãuis & Moses ipse eadẽ feciſſet. Inanis igitur gloriæ lux opera nostra lepra sordidissima inficit.

Vana gloria basilisco collata.

Basiliscus serpens ille venenatus & iuratissimus hominũ hostis, si quem visu præuerterit, venenoso afflatu necat; at cõtra si ab homine prius visus fuerit, quamprimũ emoritur. Nõ secus & vana gloria, Auditores, ipsa virulentus basiliscus, eiusq; conspectus noxius admodũ & pernicios⁹; q̃ si priores nos videre possumus, fugit & delitescit; si vero nos illa præuerterit, & improuidos aspexerit, enecat, & animæ nostræ pernicie affert.

*Surius.*

Arsenius Anachoreta dicere solebat, eum qui virtutẽ exercebat, vt ab hominibus laudaretur, similem esse aquam quidem semper haurienti, sed in perfusum dolium infundenti. Ille enim qui bonis operibus incumbendo, & virtutem exercendo, vanam inde gloriolam aucupatur, auramque & flabrum populare captat; nugas agit, tempus perdit, reb⁹ sanctis aburitur: ideoq; si ob eadẽ mercedem a Christo expectat, fallitur, & audiet quod in Euangelio habetur: *Amen dico vobis, qui receperunt mercedem suam.* Consultum est igitur, quidquid boni sanctive actum est, quidquid virtutum lucratus fueris, abscondere, & thesauro claneulum potiri.

*Matth. 6.*

*Matth. 13.*

Lego in Euangelio: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem qui inuenit homo abscondit, &c.* Virtus bonaque opera thesaurus etiam sunt, in animæ nostræ agro absconditus; ac proinde ne quis conscius eundem surripiat aut effodiat, omni diligentia occultandus.

Vanã gloriam captantes amygdalo comparãtur.

Amygdali, quod ante debitum tempus floreant; gelu & brumali iniuriæ obnoxiæ sunt, & fructum maturum vix ferunt: ẽ contra mori, quod nonnisi sero gemmascunt & floreant; ventos noxios, gelu & frigus non metuunt. Docere hic nos rerum parens natura voluit, eos qui hoc in mundo florere gestiunt, meritaque sua late ad ostentationem diffundunt, amygdalo præcipiti persimiles esse: quorum nimirum fructus, id est, bona opera nunquam matureſcunt, sed inanis gloriæ pruina & aquilone aduruntur & destruuntur, atqui nonnisi serius & circa alterius vitæ vesperam floreſcunt, næ illi arbores feraces, fructibusq; onustæ, moris similes, quarum fructus nec ventos, flabra, brumam; nec vllas prorsus mundi huius iniurias perhorreſcunt.

Nõ est in mulieris potestate parere, quando quoties & lubuerit.

Eadem natura, sagax & prouida, inque omnibus actionibus cara, noluit mulieres prægnantes parere, quando iis visum foret; potestate ac sibi hoc reseruauit, vt nimirum, dum oportunum foret, dolores præuij pariendi tempus instare innuerent. Quot enim monstroſi passim partus ederentur; quam informes in cunis fœtus vagirent, si in prægnantium potestate esset, dum luberet, partum effundere. Idipsum de virtutibus dicendum est, quæ, si ante tempus debitum parerent, gloriamque hoc in mundo consectarentur, informes & prodigiosos sæpenumero fœtus ederent. Hinc omnia in alteram vitam reseruata sunt.

*Ezech. 1.*

Animalia illa portentosa quę Ezechiel vidit, quatuor alarum remigia habuisse scribuntur, duabus nimirũ volabant, & duabus velabant corpus. Quo mysticum hunc sensum intelligamus, credamus velim, alis quibus volabant, opera nostra ac virtutes designari, quæ semper sursum tendant; alas autem quibus corpora teguntur timorem spiritus & humilitatem significare, quibus virtutes earumq; nucleus & substantia aduersus inanem gloriam, tegenda sunt.

Solent,

Viatorum industria.

Solent, qui longo se itineri accingunt duas crumenas habere, vnam, qua aurei coronati, scutatique nummi conduntur, quam diligenter, ne à furibus auferatur, abscondunt, & aliam, qua minores nummuli, quorum in diuersoriis & hospitiis ad soluendum vsus est, continentur, quam etiam & hanc ostendere non verentur. Imitemur idipsum & nos; quamdiu enim in tristi & periculoso vitæ huius itinere versamur, duo marsupia gestemus; vnum ad virtutum nostrarum aurum recondendum, id est, cor, alterum vero ad minutos nummulos & obolos, & quidquid vilioris pretij est, asseruandos, ipsum inquam os. Illud semper regi debet, ne à latronibus surripiatur; hoc vero sine discrimine interdum aperiri poterit, operaque bona aliis interdum enarrari, & virtutes obiter demonstrari, quo in mundi huius diuersorio, viuere detur.

Hactenus, & pluribus quidem, in vanam gloriam inuectus fui, quod hodie egregiũ contemptus illius exemplum in Euangelio cernam. Christus enim leprosum cum mundasset, vt opus hoc eximium lateret, omnẽque vanæ gloriæ aditum occluderet, ne cui ipsum diceret præcepit. Rei seriem Matthæus describit, audiamus quomodo se habeat: *Domine si vis, potes me mundare.* Equidem miraculi huius hac hora interpretem acturus, eiusque magnitudinem declaraturus, primo de leprosi ad Christum accessu eiusque oratione loquar, ac deinde, quomodo ab eo mundatus fuerit, miraculumq; diuulgatum sit, aperiam.

*Matth. 8.*

Euangelij historia.

Christvs, cum prędicatione finita monte descenderet, & magna eum hominum multitudo sequeretur, verba opere ipso confirmaturus, miraculose leprosum sanauit, qui ei in via occurrebat, & eminus clamabat. Scio *Domine*, auditis tot quæ edidisti miraculis, & fide quam de te concepi inductus, quod, *si vis, potes me mundare*; hinc obsecro, misericordiæ tuæ oculos in me miserum coniice, meamque lepram, quæ hominum me consortio excludit, dextræ tuæ potentia tolle.

II. *Ecce leprosus veniens.* Mille hîc considerationes, mille conceptus occurrunt. Hinc Leprosi namque colligo, leprosos ab aliis hominibus separatos vixisse, ita nempe apud Iudæos moris erat, vt nimirum qui lepra infecti essent, vrbibus exules in agris locisque desertis commorarentur: hinc est quod leprosus hic Christum in agro reperiat. Ita namque præceperat lex, ne eorum contagio & alios inficeret, vrbesque integræ inquinarentur. Vtinam & sancta illa consuetudo hodierna die in Christianorum vrbibus quoad lepram spiritualem, id est, peccata locum habeat, ne eorum ad alios serpat cõtagium, lepra corporali longe deterius ac perniciosius. Sed eheu; vrbes hodie leprosis scatent, nemo ab iisdem se cauet aut propitit, memphytim illam tetram nemo ob sensuum stuporem percipit. Hoc ipsum est, quod Isaias Propheta deplorat: *Facta sunt, inquit, mortuorum eorum, quasi stercus in medio platearum.* Scio ad litteram cædem hic & stragem quam Babylonij Ierusalem vastantes, per vicos & compita, in omnium conspectu edidêre, designari, quid obstat tamen mystice mortuos spiritualiter hic intelligere, qui mortis & stragis exercitæ causa fuêre?

Separatim olim viuebant ab aliis.

*Isai. 5.*

In Leuitico etiam hoc Deum modo Hebræis comminatum legimus: *Si non volueris recipere disciplinam, sed ambulaueritis ex aduerso mihi, ego contra vos incedam, & mittam pestilentias in medio vestri, &c.* Vt à rebus temporalibus ad spirituales assurgamus; credendum est, sæpenumero Deum in scelerum pœnam, pestem & contagionem quandam lue corporum longe deteriorem immittere, quæ per vrbes & regna serpat, & obuios quosque inficiat; publicam nimirum morum corruptelam sceleratamq; viuendi consuetudinem, & ipsam inueteratam, nulla quæ arte medicamentoque pelli queat: qualis est, peruersum peruersorum exemplum, & impiorum inualescẽtiæ & numerus, quibus nihil ad morum corruptionem & rerum publicarum ruinam haberi potest perniciosius.

*Leuit. 26.*

Cùm duæ illæ populi Israël tribus, & alterius pars, iuxta Iordanem considere & habitare vellent; (nolebant enim flumen transeundo

eundo in terram promissionis ingredi eamque incolere) increpauit eas Moses, verbisq; asperioribus castigauit, dicens: *Nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? Cur subuertitis mentes filiorum Israël, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? Nonne ita egerunt patres vestri, quando misi eos ad explorandam terram, &c.* Et paulò pòst: *Vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa, & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Domini contra Israel. Quod si nolueritis eum sequi, in solitudine populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium.* Quam viuacia hinc elici argumenta possunt, ad demonstrandum, quantum malorum exempla detrimenti afferant, quantamque perniciē prauorum consuetudo causari soleat? Quamobrem vitandi sunt impij, & aliorum consortio, non secus ac lepra infecti, excludendi, exemplo sit leprosus hic, qui eminus ad Dominum clamat, & confertæ hominum multitudini se ingerere non audet.

*Num.33.*

*Matth 8.* Interiectio ecce semper admirandum quid in S. Scriptura indicat.

*Ecce lepro sus veniens, &c.* Quotiescunque autem in Sacra Scriptura interiectio *ecce* occurrit singulare aliquid designari innuit. At, quoniam ægrotis & male habentibus solenne est, ad medicum confugere, sanitatemq; postulare; non videtur hic *ecce* tantam admirationem meteri, aut innuere: sed erro Auditores, erro, non enim sine ratione hanc Spiritus Sanctus hic particulam vsurpauit: nam cum inter cæteros, quibus hominum natura obnoxia est, morbos, nullus melius peccatum designat quam lepra, vtpote quæ corpus à capite ad plantam vsque inficiat; non sine miraculo contingere dicendum est, leprosum, & toto quidem corpore leprosum, ad medicum properare, & maius adhuc miraculum esse, sanitatem consequi.

Peccati & lepræ similitudo. Peccatum intellectū excæcat. *Sap.2.*

Vere autem peccatum lepra dici potest; nā vt illa omnes corporis sensus inficit & corrumpit; ita peccatum omnem animæ fortitudinem & vires eneruat & destruit. Intellectui inprimis tenebras offundit, & mentem excæcat; ita namque in Sapi. libro legimus: *Excæcauit illos malitia eorum.* Et si, de rebus spiritualibus loquendo, fides animæ oculus sit, certum est etiam eandem à peccato offuscari. In cuius rei signum, Aramonitarum rex Naas, crudelitate & immanitate nobilis, cum habitatores Galaad obsidione premeret, non prius illos in gratiam se recepturum ait, quam dextrum singulis oculum eruisset. Cuius rei hæc est ratio. Erant Galaaditæ viri ad debellandum strenui, & corporis mole celebres, qui in prælijs & ense ictus infligerent, & inflictos clypeo repellerent; & quoniam hac ratione pugnantibus oculus dexter imprimis necessarius est, ideo, quo eos bello ineptos redderet, dextrum illis oculum eruere moliebatur. Animæ oculi sunt fides & bona opera, & ad victoriam in certamine, quod cum dæmone quotidie inimus, obtinendam apprime necessarij; at dexter, id est fides, imprimis: opera enim fide destituta nihil sunt; hinc diabolus omni ratione eam ipsam nobis eripere conatur. Ipse quin etiam Gentium Doctor Paulus amice nos monet, vt in omnibus quæ cum dæmone suscipim⁹ certaminibus, fidei scutum assumamus: *Sumentes scutum fidei.*

*1.Reg.11.* Fides dexter animæ oculus est. *Ephes.6.*

Peccatum adhæc animam surdam efficit, ita namque aures obtundit, nullum vt monitorem ferat, adeo vt qui eam ad meliorem frugem conuertere studet, oleum & operam perdat, mortuoque verba facere videatur. Passiones enim internæ tantum strepitum intrinsecus excitant, vt verbo Dei nullus accessus pateat. Infantes cum idolo Moloch immolarentur, tympanis & sambucis sacrificuli perstrepebant, ne victimarum clamores & eiulatus parētes ad commiserationem animique teneritudinem impellerent.

Peccatum surdos: nos redit.

*3.Reg.11.*

Manus quoque animæ debilitat & eneruat, opera inquam & actiones, quarum symbola sunt manus: peccatum siquidem easdem pigritat & graues efficit. Huc respicit Salomon, dum pigrum describens inquit: *Abscondit piger manus sub ascella sua, & laborat si ad os suum eas conuerterit*; cum tamen eas ad bene operandum extendere deberet. Per pigrum hunc, an non peccatorem intelligit, semper brachia complicata, & manus sub axilla habentem, dum virtuti incumbere, bonaque opera exercere negligit: Adeo vt lepra ad viuum peccatum repræsentet, quod & ex Euangelio hodierno confirmari potest, in quo legitur: *Ecce leprosus veniens.*

Manus eneruat.

*Prouerb26.*

*Matth.8.* Lepra peccato assimilata.

Nō solum autem lepra peccati imago est, & leprosi peccantium, propter effecta, quæ iamiam enumeraui; verum etiam propter legem circa leprosos eorumque curationem præscriptam. In Leuitico namq; iubetur leprosus vestem circa latera dissutam gerere, non solum quo eandem facile nulloque negotio indueret & exueret; sed etiā, vt morbo perspecto nullum alijs detrimētum afferret: capite quoque nudato & aperto incedebat, leprosum sese esse denuntians, altaque inclamans voce: Declinate & à me recedite, quia lepra infectus sum: Grauiter porro puniebantur, si qui leprosi ab alijs distinctam vestem non gestarent, vocemque sani & bene valentis imitarentur. Ad eundem modum nulli maius reipub. ciuibusque afferre detrimentum solent, quam qui exterius quidem moribus sanctitatem præferunt, ac luporum sub agnina pelle truculentiam fouent; quique in Angelum lucis, dæmone deteriores cum sint, se transfigurant. Hinc hypocritæ publice quidem vitam honesto dignam viro instituere solent, vt clam iniquitatem operentur, & flagitijs se plusquā diabolicis contaminent. Tales fuere tempore Christi Scribæ & Pharisæi, & nostro naui Euangelij deprauatores, qui exteriori pietatis velo ambitionem & auaritiam suam, quam corde fouent, tegere conantur. Atque vt Iudæi, Christum comprehensum, tristissima Passionis nocte, hinc quidē flexo genu adorabant, datoq; in manus sceptro Regem salutabant, dicendo, *Aue Rex Iudæorum*; illinc vero fœtidissima sputa in sacratissimū illius vultum egerebant; conuitia in eum exonerabant, & in faciem colaphos impingebant: ita quoq; hypocritæ agere consueuere; hinc quidem magno humilitatis indicio Deum colentes & adorantes, illinc vero ipsum peccando offendentes, irridentes, & faciem illius conspuentes.

*Leuit.13.*

Hypocritarum actus.

*Matth.26.*

Leprosus os tectum habebat.

Secundo iubebatur os semper tectum habere, ne forsitan grauior anhelitus accedentes inficeret, lepramque in alios diffunderet. Quam scite lex hæc in publice peccantes aptetur, dici vix potest: illi namque graui suo anhelitu, verbisq; contaminatis omnes vicinos & proximos inficiunt, quos describit Psalmista dum cecinit, *sepulcrum patens est guttur eorum*: quicunque enim loquentes audierit peccatores, fœtentesq; eorū fauces & blasphemas senserit; dicet, os illorum à bustuario, sepulchroq; cadaueribus pleno, tetrumq; odorem spirante, nihil differre. *Psal.5.*

Cum Christus dæmonia hominū corporibus eiecisset, & illa virtutem eius quamuis inuita circumquaq; prædicando diffunderent; increpans, silentium ijs indicebat, *nec sinebat ea loqui*. Quid enim adferre commodi emolumentique diaboli verba, præconiaque diuina ore eius decantata poterant? quamobrem bene Psalmographus, ait, *Muta fiant labia doloſa*. Huiusmodi autem sunt labia peccatorum qui animam flagitijs varijs contaminatam habentes, virtutem tamen ore præferunt, proximumque fucata quadam pietatis specie eius animis illabendo, fallunt & inficiunt. Merito igitur peccatorem, iustitias Dei annuntiantem, quamuis seipsum hoc etiam modo coargueret ac damnaret, corripuit per Prophetam Dominus, *Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Eius namq; verba, quamuis iustitiam redoleant ac spirent, Deo tamen magnopere displicent. quamobrem os ei obturandum ac silentij frænum iniiciendum. *Marc.3.* *Psal.30.* *Psal.49.*

Tertio, extra castra, procul ab vrbibus, & ab omni hominum consortio separatus viuere debebat, ne ad vicinos contagio & maculosus ille morbus serperet, *Omni tempore quo leprosus & immundus, solus habitabit extra castra*. Docere lex voluit, sanctiorem nullam legem, decretumq; salutarius nullū reperiri posse, quam castris Ecclesiæ & ciuitatū muris arcere eos, quos spirituali lepra infecit, ne & alios lepra & lue albicante inficiant. Viuebat extra castra. *Leuit.13.*

Ozias rex Israel lepra, occulto Dei decreto, in fronte percussus, templo quidem à sacerdotib. eiectus fuit, nō tamen vrbe: hinc, vt bene notauit Origenes, Hieronymus, & Chrysostom. quinquaginta duorum annorum spatio, quibus regnum ipsa occupauit, nullum in omnibus regni finibus reperire Prophetam fuit. Quantū vero vnius publice peccātis vita flagitiaq; detrimenti afferre queant, dici non potest. An non peccatum *2. Paral.26.* *Homil.6.in Isai.* *Epist.ad Damasum.* *In Comm. in Isaiam.*

*Ios 7.* tum Achan, qui Dei ducisque iniussu clam ex spoliis Ierichuntinis aurum surripuerat,
*1 Reg.17.* in causa fuit, cur populus Israël prælio superatus, in obsidio Hai, hostibus dare terga coactus fuerit? an non ob Achab regis flagitia
*4.Reg.19.* impietatemque, Iudæa cum triennio & amplius nulla cœlo pluuia descenderet, extremam rerum penuriam passa est? quid? ob blas-
*4.Reg.24.* phemias Sennacherib, Angelus vindice manu, nocte vna, centum octoginta quinque hominum millia, in castris Assyriorum interemit. Denique ob vnum Dauidis delictum septuaginta millia virorum, sine parvulis & vxoribus peste contagioq; interiere. Huiusmodi ergo leprosos procul à vobis pellite, Auditores, hos à consortio vestro excludite, vti hic vrbe exclusus fuit, qui viso eminus
*Matth 8.* Seruatore, alte inclamauit: *Domine si vis, potes me mundare.*

III.

Dicere forsan voluit; Scio, & firmissima fide inductus firme teneo, te esse illum ipsum,
*4 Reg.20. Isai.38.* qui Ezechiæ diebus quindecim annos addidisti, dum lecto affixus & facie ad parietem conuersa, tibi supplex fact⁹ est: illum ipsum,
*4.Reg 4.* qui Elisæo, Sunamitidis filium ad vitam reuocandi potẽtiam elargitus es: qui Naaman
*4.Reg.5.* Syriæ regis purpuratum à lepra mũdasti, virtute tua in Iordanis fluenta deriuata; eandẽ, si modo volueris exercere mecum virtutem potes. Ambrosius, Hieronym. & Chrysosto. dum hanc leprosi orationem, verbis quidem breuem, sed affectu magnam considerant fidem eius miris laudibus efferunt & deprædicant, qui nimirum omnipotentiam Christi agnouerit & confessus fuerit. Equidem eadẽ ipsum paucis orasse censeo, quæ olim Mar-
*Esth 3.* dochæus coram Domino prostratus: *Domine mi rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui tuæ possit resistere voluntati; si decreueris saluare nos, continue liberabimur, subest enim tibi cum volueris posse.* Leprosus noster vix aliter, terminis quam proxime
*Matth.8.* inhærendo: *Domine si vis, potes me mundare.*

Modestia in leprosi Oratione elucet.

Singularem in hac leprosi supplicatione modestiam notare est: hinc namque lepram & inualetudinem suam, illinc potentiam & misericordiam Dei deprompsit; & tametsi ingenti sanitatis consequendæ desiderio teneretur, non dicit tamen, Domine, sana me; sed si sanitatem mihi restituere velis, potes. Efficax autem hæc precandi ratio esse consueuit, quando supplicans totum se in Dei voluntatem resignat. Atque hoc orandi modo vsæ sunt nobiles illæ Lazari sorores, cum
*Ioan.11.* solum aiunt: *Ecce, quem amas, infirmatur*; non autem, Veni, propera Domine, afflictis nobis succurre: sed necessitate fratris moribundi ob oculos breuiter posita, reliquum potestati eius commisere.

Assyriorum ductor Sennacherib, copiosa
*2.Paral. 32* Hierosolymam manu obsidens, superbiæ & insolentiæ plenam, & in regem Deumq; iniuriam epistolam in vrbem misit, qua lecta Ezechias rex templum Domini mox adiit, & paucis verbis eius maiestatem deprecatus
*4.Reg.19.* est dicens: *Aperi Domine oculos tuos, & vide & audi omnia verba Sennacherib, qui misit vt exprobraret nobis Deum viuentem, &c.* Diuina profecto & modesta oratio, quæ nos edoceat, Deo solum necessitates aperiendas, ac deinde auxilium ab eo exspectandum.

Mardochæus cum populi liberationis quam proprię salutis & vitę esset studiosior, sciretque Amani se inuidia cum omnibus Iudæis in regno Assueri latissime imperantis constitutis, post menses aliquot neci tradendum, genibus in terram prostratis, supplici voce, oculisque lacrymis madentibus, breuissime Dominum obsecrauit, dicens: *Domi-*
*Esth.13.* *ne in ditione tua cuncta sunt posita.* Pauca auditis verba, sed tamen efficaciæ plenissima, & in sancti Spiritus officina procusa: quæ docent, orationes breuiores & astrictiores, prægnantiores esse & validiores longis & late diffusis. Sola namq; necessitas nostra Deo aperienda, idq; quam fieri potest succinctissime.

Cùm turbulentus & nouarum rerum studiosus Absalon, ambitione transuersum actus aduersus patrem insurgeret, & maximam regni partem ad arma coegisset; Dauid regni amittendi periculum veritus, corde &
*2.Reg.15.* vultu in cœlum conuerso, solum ait: *Faciat Deus quod bonum est coram se.* Samuel cũ Heli sacerdoti multa sibi cœlitus reuelata quæ futuram eius calamitatem prænuntiarent enarrasset, ait senex: *Dominus est, quod bonum*
*1.Reg.3.* *est in oculis suis faciat.* Discamus hinc semper

nos diuinæ voluntati subiicere, & maxime dum oramus; & hanc suos ipse Redemptor olim precãdi formam edocuit; cum diceret: *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra.* Hoc etiam in ludo edoctus erat leprosus noster, quando summa animi modestia diceret: *Domine, si vis, potes me mundare.*

*Matth.6.*

*Matth.8.*

Orationes breuissimæ optimæ.

Breuis & succincta oratio, sed pondere singularis: eæ autem orationes epistolæque petitoriæ optimæ & prudentissimæ censentur quæ paucis quidem verbis, sed iis grauibus postulata proponũt, & quemadmodum optime ille soluere perhibetur, qui auro solutionem; & non ære peragit: adeo, vt quamuis pauciores det nummos, maius tamen & eminentius det pretium; aurum quippe licet strepitum & tinnitum non excitet, pretio tamen & pondere præualet; ad eum modum optimas esse putant orationes, pondere, non numero, valentes.

*Plut. in Apophtheg.*

Agesilaus rex cum declamantem olim disertum oratorem audiret, qui ex musca faceret elephantem, remq; nihili verbis amplificando in longum protraheret, indignabundus concione se subduxit dicens, egregium cerdonem qui tantillo pedi tam amplum adaptat calceum! Et merito quidem; nihil enim turpius aut indecentius, quam rem friuolam & nullius momenti nimirum amplificando deducere. Hinc laudari solent litteræ Laconicæ, quæ breuitate sua multum rei includerent; quarum aliquas posteritati reseruauit scriptorum diligentia: inter quas sunt illæ Lysandri ducis, quibus Ephoros victoriæ de Atheniensibus partę certiores reddidit, in qua & Athenas inuadi contigit & diripi. Litterarum series hæc: *Captæ sunt Athenæ.* cui Lacedæmones respondendo rescripsere: *Sat est capi.* Gratus igitur omnium auribus Laconismus, rhetoricæ vero amplificationes, verbosæque deductiones insipidæ.

Lysandri ducis epistola.

Et alia Lacedæmoniorum ad regem Philipp.

Breuitate item commendantur illæ Lacedæmoniorum, quibus Philippo de multis sciscitanti respondere, his verbis conscriptę: *Ad id quod scripsisti, non.* Fidem etiam Philippo ab eisdem per epistolam petenti, vtro ad illos vt veniret modo, vellent, hostili, an amico; Laconica breuitate rescripsere: *Neutro modo.* Omnia hæc Alexander ab Alexandro; nos vero huc adduximus, ad demonstrandum sermones breuissimos, & præsertim preces orationesque, esse efficacissimos. Ita nimirum docuit Christus, dum Iudæos de multiloquio & verbositate corripuit: *Orantes nolite multũ loqui sicut Ethnici putant enim, quod in multiloquio suo exaudiuntur.* Hoc imitatus leprosus; tribus orationem postulationemq; suam verbis absoluit: *Domine si vis, potes me mundare.*

*Lib.2.c.19.*

*Matth.6.*

*Matth.8.*

Nec hic in vna corporis parte, sed à capite ad plantam vsque leprosus erat; *plenus lepra,* ait Lucas: qui ad Redemptorem magna animi demissione, vultusque reuerentia, quin & *genu flexo,* vt Marcus quidem ait, & *procidens in faciem,* addit Lucas, accedẽs, *adorauit eum,* teste Matthæo. Notate hic qua corporis cõpositione, quantaque vultus reuerentia ad Deum per orationem accedendum sit; ad quæ referri poterit genuflexio, in terram ꝓstratio, & vera animi demissio, humilisq; sui accusatio. Hoc autem modo Paulus se orasse ad Ephes. testatur, *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi* Ipse etiam Saluator noster Iesus, cum Patrem in Olineto supplex pro nostra omnium salute deprecaretur, genibus in terram positis & prostratus supplicauit. Quod diligenter obseruans quidam è Patribus ait: *Prostratus in terra orat medicus, & non inclinatur ægrotus.* Hæc autem corporis animique demissio, diuinæ maiestatis oculis gratissima est. Nam veluti animalium fortissimus leo neminem in terram prostratum lædit, sed deiectis parcit; ita Deus iis adesse & parcere, eorumque preces exaudire solet, qui in animo contrito humili vultu coram eius se maiestate prosternunt; resistere autem pręfastu insolescentibus & magnũ quid de se præsumentibus. In cuius rei testimonium videte, vt erga leprosum hunc, suis pedibus prouolutum, & magna humilitate clamantem: *Domine, si vis, potes me mundare,* se gerat.

*Luc.5.*

*Marc.1.*

*Luc.5.*

*Matth.8.*

IV.

*Ephes.3.*

*Cæsarius Arelatens. hom.29.*

Leo prostratis nõ nocet.

*Matth.8.*

Domine, inquit, sanare me si volueris, potes; quidquid enim vis, & te posse certissimũ est; nullus autem in hoc mũdo rex est, cuius potentia & voluntas æquis procedant passibus, vt illa huic per omnia respondeat. Reges

multa

multa quidem volunt, ad quæ tamen potentia eorum non extendatur, quæq; ad exitum deducere nequeant, multoq; se longius voluntas quam potẽtia exserit: Monarchatum siquidem singuli ambiunt, & ceteros regno excludere cuperent, sed ob limitatam potentiam nequeunt: immortalitatem exoptant, sed eodem pertingere non valent: quidquid hactenus in orbe gestum est, aut modo etiam geritur scire desiderant, sed fieri nequit.

Deus ℣ vult potest.

Solus autem Deus est, qui quod vult, reipsa potest; quiq; nihil vult, quin possit. Ita quippe philosophatur præclarus ille Physicꝰ Iob; *Iob.23.* *Ipse solus est* inquit, *& nemo auertere potest cogitationis eius, & anima eius quodcunq; voluit, hoc fecit.* Et sapientissimus mortalium Salomon: *Sap.12.* *subest tibi, cum volueris posse.*

Rex Syriæ Benadad cum vnum ex optimatibus suis, Naamã nomine, lepra coopertum, cum litteris commendatitiis ad regem Israël mitteret, rogans vt salutem eius, quam posset citissime, procuraret, Rex Israël lectis litteris, subiratus & stomachatus vestes lacerauit, dicens: *4.Reg.5.* *Numquid Deus ego sum?* id est: Ecquænam hæc audacia, quænam præsumptio, ecquæ blasphemia? Egone homo, non secus ac Deus, possim quidquid velim? ad solum Deum hoc scil. spectat, & illi quarto modo proprium est.

Apophtegma regis Persarum.

Cum quidam Sisanni Persarum regi adulantes dicerent; mirari se cur omnia quę tantus Monarcha animo concepisset & vellet non quam primum implerentur; magna prudentia & singulari quadam modestia, quamuis barbarus alioquin esset, ait: *Ego Dominus verborum tantum, & non rerum.* perinde ac si dixisset: Multa quidẽ volo animoq; voluo, at solius Dei est eadem in opus cogere & exequi, adeo vt quamuis Poëta dicat:

*Quis nescit, longas regibus esse manus?*

ipsi tamen linguæ longitudine non sint pares; multa siquidem dicunt, quæ reipsa exequi non valerent: Hoc autem in solo Deo reperitur, non vero in hominibus: quod hoc emblemate à veteribus designatum est.

*Vibrian. lib.35.*

Bicipitem efformabant Deum, sed manibus & pedibus truncum; cuius picturæ hic erat sensus: Biceps erat, quod Deus omnia norit, visibilia simul & inuisibilia, præterita & futura. Pedibus vero carebat, quod nulli mutationi sit obnoxius, & in eodem semper esse perseueret. Vnde de se apud Prophetam ait: *Malach 3.* *Ego Deus, & non mutor.* Manibus denique truncus erat, quod mea quidem opinione, vniuersa vltro, à nemine impulsus, at propria inductus voluntate, condidisset, nullisque eo in opere manibus, nec instrumentis opus habuisset. Ideo etiam leprosus noster voluntatem illius imprimis ferit, & ait: *Matth.8.* *Domine si vis, potes me mundare.*

Oratio leprosi huius vera.

Cæterum pauculis hisce verbis omnia perfecta: oratione requisita cõplexus est, fidem inquam, & obedientiam illam quidem, dum potentiam agnoscit; hæc namque de essentia verę orationis est, vt Iacobus Apostolus testatur: *Postulet in fide nihil hæsitans,* id est, de potentia & voluntate Dei datoris nihil omnino dubitans. Talem se habere fidem confessus est Dauid, cum in Psalmis canit: *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Hanc vero, cum diuinæ se voluntati penitus submittit, dicendo: *Si vis.* Huius humilitatis vim Scriptura celebrat, dum ait: *Oratio humiliantis se penetrat cœlos*; tunc autem orans se humiliare perhibetur, quando quod petit, à misericordi Dei manu dandum sibi sperat.

*Iac.1.* *Psal.26.*

Hanc in orando humilitatem adhibuit Psalmographus, toto corpore leprosus (quinimirum de se ait: *Non est sanitas in carne mea*) *Psal.50.* dum de admisso peccato veniam postulans orauit: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Non ait: Miserere Dauid Deus, vti, dum in statu gratiæ esset, asseuerat: *Memento Domine Dauid*; at ita sui se pudet, proprium vt nomen præ confusione & rubore subticescat: nec dicat, vt aliquoties dixerat: *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.* *Psal.131.* *Psal.26.* Imo ne dicere quidem audeat: Miserere mei Deus, eo quod miser & mortalis sim, variis ęrumnis subditus; sed, *secundum magnam misericordiam tuam* atq; ita etiam orauit leprosus noster: *Domine si vis*, id est, si infinitæ misericordiæ tuæ ita visum fuerit *mundare me potes.* *Matth.8.*

Alexandri Macedonis dictum.

Alexãder Macedo cum inopi cuidam magnam vim auri elargiretur, ait: Ne existimes ob merita in me tua hoc me tibi munus conferre; sed scias, Alexandro dignum quid dare

me voluisse. Idipsum proposito adaptans, dico Deum suam interdum peccatoribus misericordiam demonstrare, nō quod eorum id exigant merita, sed quod ipse infinitæ benignitatis & clementiæ sit, & sua bonitate dignum opus credat, peccatores ad gratiam admittere. Hinc leprosus hic orando, ait: *Domine, si vis.*

Deus multa potest, quæ tamē nolit.

Voluntatem ecce præuenit, eamque prius quam potentiam & factum requirit; multa namq; potest Deus, quæ reuera nolit. Millenos & iterum millenos vno in momēto creare de nouo mundos potest, sed non vult: omnia quoque rursus vno momento destruere, & in nihilum redigere, sed huius faciendi voluntas deest; reserare inferni voraginem potest, quæ peccatores vos deglutiat, sed nihil minus vult; omnia denique morborum genera in ictu oculi persanare; ægrotosque pristinæ valetudini restituere, at semper dicēdum, ipsum nolle. Quod leprosus hic perspectum habens, vnicam voluntatem inflectere satagit, dicens: *Domine si vis*; in quo vere eum Deum esse agnoscit, neque enim ait: Domine, si Patrem tuū rogaueris, confestim mundabor: sed pure & simpliciter, *si vis*, eiusdem illum cum Patre potētiæ esse confitendo, vt bene notauit cū Chrysostomo, Theophylactus, & Euthymius.

*Ibidem.*

*Homil. 26. Hom. 21. operis imper.*

Addo autem cum eodem Chrysostomo, de voluntate illum diuina nequidquam dubitasse, quæ quidquid bonum, congruum & rationi cōsentaneum, semper vult; sed, num sanitatem ei reddere vellet: nam non fuisset f rsitan saluti eius expediens, sanitatem cōf qui. Verba autem illius adducam: *Non de voluntate Christi ad omnia bona parata dubitat, sed de iudicio voluntatis. Christus enim cum sit bonus, nociua non vult præstare, etiamsi rogetur.* Sed nimis hac in parte prolixi fuimus, aliam iam auspicemur, & ipsam lepræ depulsionem examinemus.

Leprosus igitur cum Dominum hunc in modum orasset, mox ab eodem vicissim audiuit: *Volo mundare.* Quid ais, Domine? vide quid dixeris, verba tua examina, an ignoras hocce dicendo vitam te tuam & sanguinem in discrimen adducere, quem in lepræ mundatione effundi opus erat? Lex quippe leprosum hyssopo sanguine tincta lustrari & aspergi iubebat: *Et in purificatione eius sumet duos passeres, lignumq; cedrinum, & vermiculum, & hyssopum*; quæ ceremoniæ denotabant per crucem tuo tinctam sanguine, animarum nostrarum lepras tollendas; atque ideo huc alludens regius Propheta dicebat: *Asperges me Domine.* aliquando *hyssopo* crucis, sanguine tuo cruentata, & ab omnibus animæ sordibus *mundabor.*

*Matth. 8.*

*Leuit. 14.*

*Psal. 50.*

Accedit adhæc, Domine, quod, vt leprosos sanes, leprosus ipse prius fis oporteat. Præuidit hoc Isaias, & dixit: *Et vidimus eum quasi leprosum.* Huius rei figura fuit mirabilis illa Mosis manus, quæ intra sinum illius delitescens, sanitatem præferebat, extensa vero & in apertum prolata, lepra scatebat: qua declaratur, te qui Dei Patris dextra, quamdiu in æternitatis illo sinu manebas, sanum, vegetum, integrum & pulchrum permansisse; sed in publicum prodeuntem, teque ipsum ad mundandos leprosos extendentem instar leprosi habitum iri, sed non obstat hoc, inquit, & mea nihil interest: *Volo mundare.*

Christus leprosus habitus. *Isai 53.*

Propitiatorium illud toties in Sacris litteris decantatum, alas Cherubim extensas habebat, prout Dominus Mosi mandauerat: *Vtrumq; latus propitiatorij legant expandentes alas.* Hic mystice desiderium declaratur, quo Dei filius ad nos volare dignatus est, & facere nobiscum misericordiam suam, quamuis cum summo id vitæ periculo coniunctum foret. Notate æstuantem affectum & vehemens illius adiuuandorum hominum desiderium ait: *Volo, mundare.*

*Exod. 4.*

*Matth. 8. Exod. 25.*

Designatur his verbis Christi diuinitas.

Ex hoc autem loco Patres Christi Domini diuinitatem astruere, & testari consueuere, quod nimirum sanitatem morbidis collaturus, propriæ innixus virtuti, ab alterius nutu & potentia non dependeret. dum enim vellet & iuberet, morbos & infirmitates curabat; quod ipsum puræ & veræ diuinitatis indicium & genuinus character est. Testatur hoc ipsum in expositione fidei Iustinus, Tertullian. lib. 4. contra Marcionem, Athanasius lib. de communi tribus essentia, Patri, Filio, & Spiritui sancto; Ambrosius lib. 5. in Luc. Chrysostomus homilia 26. Alii profundius adhuc verba hæc penetrantes, & accuratis singu-

singula examinantes docent, non diuinitatis veritatem modo, sed & humanitatis hinc colligi posse, vt Tertullian. Cyrill. Ambros. cuius mihi verba vt hic referam selegi, quod ad rem qua de agimus optime facere videātur, *Volo ergo dicit propter Photinum, imperat propter Arium, tangit propter Manichaum*: Arius namque eum negabat Deum, nonnisi hominem esse asserebat; Manes vero eum corpore carere credebat.

*Matth.8.* Historia è Francorū annalibus deprompta.

*Volo mundare.* ô liberalitatem singularem! reipsa scilicet compleuit, quod cōmuni prouerbio dici cōsueuit. *Qui cito dat, bis dat:* quo faciet etiam quod in Annalibus Francorum proditum est. Ludouicus XI. Gallorum rex, cum quidam magistratum aliquem regium in pago suo vacantem ab illo postulasset, nihil moratus, quamprimū denegauit, omnem eius obtinēdi spem vno ictu præcidens. Egit humiles mox regi alter gratias, & abiit. Quē abeuntem rex, sagacem & astutum eum esse ratus, reuocari iussit; credebat namque quid respondisset, eum nō intellexisse. Anne quid responderim, intellexisti bone vir? ait rex. Maxime, inquit. Vt dixi igitur, subinfert rex: Operam & oleum, inquit alter, me perdere & firmiter tecum animo statuisse, alteri munus hocce conferre. Rex viri candorem demiratus ait, cur igitur tantas mihi grates egisti? Quod, aiebat ambiens, tam cito petitionem penitus denegaris. Vocant me namque domum alia grauiora negotia, & quæ relinquere me nō sine detrimento oportuisset, si aulam frequentare, postulationemque meam, inani lactatus spe, prosequi necesse fuisset: Adeo vt non exiguo me a maiestate tua beneficio affectum censeam, dum in petitione mea repulsam passus sum; firmiterq; mihi persuadeo, me, quidquid vana exspectatione inescatus perdere potuissem, in repentina hac & non dissimulata repulsa lucratum esse. Candidari huius iudicio perspecto rex, animi sententia mutata, quamprimum ait: *Habebis quod postulas. quo tu mihi gratias agas*, hominemque dignitate hac auctum ad aulæ & parlamenti ministros ablegauit; præcipiens illis, vt quod ille fieri voluisset, quamprimum exequerentur, ne, si forte diutius in aula morari contingeret, negotia illius & res domesticæ detrimentum aliquod paterentur. Hinc igitur manifestum redditur, gratiam & munus cito collatum gratissimum esse; quod vero in longius tempus protrahitur, non esse vsque adeo, quamuis tandem conferatur, gratum.

Laudauit hanc in Augusto Cæsare virtutem Ouidius, quod nimirum in supplicijs irrogandis lentus, beneficijs conferendis præceps audiret:

*Tardus es ad pœnas, princeps; ad præmia velox:* *In Trist. lib.*
Quod ille in exilium relegatus, ideoque reditum in patriam Cæsari adulando exoptans ait, vere ipse sine vllo adulationis fuco, de Saluatore meo vsurpem; ille siquidem princeps, rex, & Deus est, qui a supplicijs intentandis abhorreat, & in meritis digna mercede compensandis, beneficijsque amplissimis conferendis nimius sit & effusus; quod vt reipsa videatis, intuemini miserum hunc leprosum, qui quamprimum vt mundari petiit, mundari meruit: ait namque vnico eius verbo inductus Christus: *Volo, mundari*, & a verbis ad opus descendens, manum, quo illum mundet, extendit. *Matth.8.*

*Et extendens Iesus manum.* Mirum profecto est & accurata consideratione dignum, Christum Dei filium, benedictā, quo leprosum tangeret, manum, hic extēdere; quippe quem lex ob hunc contactum inter immundos recenseret. Varias apud varios reperire est rationes. Primam apud Cyrillum Alexandrinum, qui ait, Christum ægros quosdam carnis suæ attactu sanitati restituere voluisse; quo nimirum ostēderet, carnem ipsam & corpus, ob indiuiduam illam cum Deitate vnionem, salutari quadam virtute, vitamq; & sanitatem conferente, donata fuisse. Alteram refert in Lucam cōmentatus Ambrosius, dum tradit, Christū hac ratione humanitatis suæ, quā vt verus homo assumpserat, veritatem probasse. Tertiam nōnulli hanc ponunt, ostendere videlicet Christū voluisse, se ad legis Mosaicę obseruationem nulla ratione teneri, neve ei subiectū esse, sed, vt legis latorem, lege omni superiorē existere. Hæc opinio Chrysost. est, & Auctoris operis imperfecti, itē Ambrosii loco supra citato, Euthymij ac Theophyl. Quarta, vt demonstra-

Cur Christus leprosum manu tetigerit.

Prima ratio.

Secunda. *Ambros. li. 5 in Lucā.*

Tertia. *Homil. 26 in Matth. & Homil. 7 ex variis locis Matt. hom. 21.*

Quinta.

ret, a-

ret, à se & non ab alio leprosum hunc mundatum, cum ab illo & non ab alio tactus fuerit: hanc D. Tho. ex Chrysostomo citat.

Quinta. Quinta vero & postrema, vt doceret, legem quæ leprosos tangi prohiberet, ne tangens forsitan lepram contraheret, in se nullum habere locum; quippe qui nullam contrahere cõtagionem posset: deinde quo euidens fieret, leprosum hunc ab illo tactum nõ vt inficeret, sed sanaretur. Hæc Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem. Atque hoc etiam modo lex illa Euangelica capienda est, quæ cum hæreticis agere & conuersari nos

2. *Tim.* 3. vetat, vt Paulum legenti manifestum redditur. non enim vetitum est cum hæreticis agere, quo tandem ad Catholicæ gremium Ecclesiæ redeant, sed ne eorum commercio familiaritateque deprauemur: serpit enim hæresis instar cancri. Quicunq; igitur Christus est, id est, quicunque non peruertit, sed alios poterit conuertere (quales doctores Ecclesiæ sunt, qui Christi personam in terris repræsentant) leprosos tangat, cum hæreticis agat: cæteri vero eosdem velut pestem ac luem maxime contagiosam declinent & fugiãt. Sed ecce quid aliud, postquam Redemptor in leprosum hunc manum extendisset, eumque a lepra mundasset, prohibuit ne cui miraculum hoc in se patratum aperiret aut

*Matth.* 8. narraret: *Nemini dixeris.*

Cur Christus miraculi diuulgationem vetuerit. *Luc.* 8. Consideratione profecto dignum est, cur Christus tam singulare beneficium à diuina bonitate collatum diuulgari prohibuerit, & leprosum ingratum quodammodo esse coëgerit: cum tamen alias, dæmoniacum, è quo legionẽ malignorum spirituũ eiecerat, misericordiam Domini vbique locorum diuulgare iusserit: *Narra, quanta fecerit tibi Deus.* Respondebit pro me magnus Hilarius: *Vt salui hæc* inquit, *non offerretur, sed quæreretur.* Id est, ne Dei iussu miraculum hoc diuulgatum videretur, ne reliqui qui in Iudæa erant ægroti ad medicum sospitatoremq; festinantes, fidei meritum amitterent, si non sponte & interius excitati, sed miraculorum fama per regionem sparsa excitti, venissent. Hæc etiam Ambrosius. Hieronymus autem aliam viam insistens, ait ideo Dominum miraculi huius euulgationem vetuisse, quod verbis diuulgari id opus non esset, reipsa euidens mundationis testimonium perhibente. Verbis enim & oratione opus non est, loquentibus aliunde miraculis. Alij id per humilitatem factum credunt, ne gloriam aliquam, quæ non exigua è tanto miraculo oriri poterat, ambiisse videretur; huius opinionis est Ambrosius, Chrysostomus, Beda, Euthy. & Theop.

Probabilior porro cæteris mihi videtur sententia Auctoris operis imperfecti, in quã manibus pedibusque concedo, & in quam doctissimus Maldonatus propendet. Nimirum, non vetuisse Christum miraculi diuulgationem, sed tantum, ne prius de eo alicui verbum faceret, quam coram sacerdote apparuisset: ne forte fama miraculi ad sacerdotum aures perlata, de mundationis veritate ipsi dubitassent, eamq; imminutum iuissent, præsertim cum suo eum calculo nondum mundatum censuissent. Bene igitur ait: *Ostẽde te sacerdoti.* *Matth* 8.

VI. Cur leprosum Christus ad sacerdotes miserit. *Lib. 4. contra Marc. homil.* 16. Hic iterum variant Patres, inquirentes cur Christus leprosum hunc ad sacerdotes miserit. Nonnulli, inter quos Tertullianus, Chrysost. Hieron. censent Christum se legis obseruatorem declarare voluisse; alii verò aiunt, ideo eum ad sacerdotes destinatũ, ne, si se sacerdotibus non ostendisset, iuxta legis præscriptum, vrbe adhuc, quasi immũdus, exclusus viuere cogeretur, atque ita beneficium nullius momenti aut vanum fuisset. Vetabantur enim, quia lepra mundati erant, vrbem ingredi, nisi prius sacerdos eos à lepra vere mundatos esse iudicasset. Atque hæc Theophylacti sententia est.

Duas alias rationes adfert Hieronymus. Prima est: Humilitatem hic suam Christum declarare voluisse; altera, quam sequitur & Beda, quæque mihi & optima & probabilis maxime videtur, est: Vt sacerdotes, si in illũ deinde nollent credere, cuius prima miracula sententia sua & calculo approbassent, inexcusabiles forent, q̃ è verbis mox sequentibus, *In testimonium illis*, redditur manifestũ; perinde ac si dicere voluisset: Nihil horum cuiquã dixeris, sed sacerdoti te solum modo ostende, & mun⁹ quod in lege præcepit Moses, in gratiarum actionem offerto: vt ij ipsi, *Matth.* 8.

ij ipsi, qui mihi maxime iam aduersantur, inque necem meam conspirant, primi miraculorum meorum præcones sint & testes, eorumque incredulitas suo ipsorum testimonio coarguatur. Ideo, *Ostende te sacerdoti.*

*Matth.8.*

Christus docet quis honor sacerdotibus habēdus.

*Lib.3.de sacerdotio.*

Equidem, relictis egregiis his sanctorum Patrum rationibus, Christum nos omnes hic docere voluisse credo, quis honor, quæve reuerentia sacerdotibus sit exhibenda. Incredibile enim est, quantum in omni æuo & lege, sacerdotib⁹ honorem impendi voluerit Deus: ex honore porro, quem in veteri lege iisdem exhibitum voluit, facile colligi potest, quanta nouæ legis sacerdotes reuerentia & veneratione digni sint. Si enim, vt diuine Chrysostomus, sacerdotes veteris legis adorati sint, quod lepram à lepra discernerent, non dico mundarent & sanarent; quo honore nouæ legis presbyteros afficere par est, qui non corporum modo, sed animarum etiam lepram auferunt?

Sacerdotū potētia & dignitas.

Tanta porro horum dignitas, honor, potestas, eorumque officii splendor & amplitudo tanta est, vt eos solos, Iudices iniquorum, malorum vindices, delictorumque inquisitores & actores Deus constituerit, tantamque iurisdictionem illis tribuerit, vt claue non errante, quidquid de reis visum fuerit, licite facere queant. Cuius auctoritatis diploma, ac decretum in Matthæi commentarium relatum est: *Quodcūq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Atq; vt suos Magistratus & prouinciarum præfecti habent gladios, cruces, patibula, rotas, eculeos, carceres, lictores & carnifices: ita & sacerdotes, viri Ecclesiæ Iudices & Præsides: carcer quippe eorum, infernus est; gladij, cruces, eculei ipsæ pœnæ & pœnitentiæ; satellites & lictores, diaboli. Vnde Paulus, auctoritate sua vsus, blasphemos aliquos *Satanæ tradidit.*

*Matth.16.*

*1.Tim.1.*

Hanc autem dignitatem idem Apostolus exaggerans, & regale sacerdotium mirificis laudibus in cœlos efferens, ait: *Sic nos existimet homo sicut ministros Christi.* & alibi: *Pro Christo legatione fungimur.* Id est, Scire vos velim, nos sacerdotes, Christi legatos, nuntios, Ecclesiæq; illius vicarios generales esse.

*1.Cor.4.*
*2.Cor.5.*

Et sane ipsi sacerdotes Iudices sunt, & iudices summi, à quorum tribunalibus ad vllum superius appellari nequit: quorum potestas adeo ampla & magna est, vt ipsos etiam dæmones sub se complectatur; & iurisdictio adeo late patens, vt ad inferos vsque sacerdotū sese extendat. Testem habeo Apostolum, qui sunt. iudiciariam quam à Deo accepit potestatem extollens, ait: *Nescitis, quoniam angelos iudicabimus?* id est, dæmones, angelos illos iniquitatis. Nam quemadmodum rerum Præfectus capitalium, & Auditor castrensis ducibus & militibus etiam validissimis actionem intentat, & capitis condemnat: ita sacerdos curiæ cœlestis quodammodo præfectus, dæmonibus dicam scribendi, damnatorumque duces & tenebrarum principes condemnandi potestatem accepit.

Diaboli sub iurisdictione

*1.Cor.6.*

Tanti porro idem Apostolus sacerdotale ministerium facit, vt illi sacerdoti illatas iniurias blasphemiarum nomine appellet: quo de ad Corinthios scribens conqueritur: *Blasphemamur, ac obsecramus.* Merito autem hoc eas nomine vocat; nam cum in solum Deum blasphemia egeratur, & sacerdos eum hoc in mundo repræsentet, proculdubio q̄ huic fit iniuria, Deo fieri censetur, & blasphemiarum loco habenda est. Vnde discipulis suis bene olim ait Dominus: *Qui vos spernit, me spernit:* & ipse exemplo suo sacerdotes honorandos hodie asserens, leproso præcipit, vt se sacerdoti ostendat.

Iniuriæ sacerdoti factę, blasphemiæ sunt apud Deum.

*1.Cor.4.*

*Leuit.16.*

Hinc, obsecro, fideles discant, discant inquam, filij Dei exemplo, omnes sacerdotibus cultum & reuerentiam deferre, eorum defectus, quātum commode possunt tegere, imperfectionesque omni ratione velare, quod ipsum allegorice ex Euangelio probabimus: Christus Apostolos reprehensurus, eorumq; incredulitatem pusillanimitatemq; taxaturus, naui conscensa eam in altum deuehi iussit; quo docere voluit, sacerdotum peccata, ne plebi offendiculo sint, omnimodo nobis tegenda & reticenda esse. Eādem materiam ingressus Nicolaus Papa in litteris ad Ludouicum Imp. datis, egregiam & diuinam Constantini Magni sententiam in exemplum adfert; qui, dum ad eum Episcoporum nonnullorū peccata & vitia deferrentur, dicere solebat, se, si peccantem sacerdotem aut monachum cerneret, pallio eum suo, ne ab aliis

Sacerdotum vitia & defect⁹ tegendi.

*Matth.8.*

cerni posset, confestim cooperturum. quod in peccatis occultis & vulgo ignotis, non vero publicis & cuiuis notis locum habet: dum enim iam publica sunt & notoria, grauiter & seuere castigari debent.

Debitum igitur sacerdotibus honorem & reuerentiam deferte, Auditores, & Spiritu Sancto sancte per Salomonem monenti auscultate: *In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica; in omni virtute dilige eum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas.* *Honora Deum ex tota anima tua, & honorifica sacerdotes*, & cetera huc optime facienda. Ad duo autem capita reuocari longior hæc oratio potest; vt nimirum Deus ex toto corde diligatur, sacerdotib. vero præ reliquis mortalium, honor impendatur, & debita reuerentia deferatur.

*Eccles. 7.*

Spiritus Sanctus sacerdotes honorari vult.

Idipsum & Psaltes, sed obscure admodum & implicite, habet: *Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius.* Ad litteram de Ven. Eucharistiæ Sacramento Vates hic locutus est, vt è varia loci huius lectione vnum tamen & eundem sensum efficiente, erui potest. Est enim qui legit: *Et erit in terra panis substantialis*; alius vero: *Erit sacrificium panis*: tertius denique; *Erit in terra vna torta panis*. Porro per celsos illos montes, sacerdotes intelligit, qui vere montes Dei dici possunt, quod nullus iis in Ecclesia sit altior aut sublimior: adeo vt vnus nouæ legis sacerdos omnes veteris Testamenti Leuitas, Sacerdotes, Patriarchas, Ioannem etiam Baptistam, ipsos quinimo Angelos, dignitate & meritis longe antecellat.

*Psal. 71.*

Sacerdotes montibus cõparati.

Sacerdotes sublimiores Angelis & S. Ioanne Baptista.

Atque ideo maiorem etiã, quam Princeps aliquis sæcularis aut mundi huius rex honorem & venerationem merentur, vt propemodum adorandi & colẽdi esse videantur. Censuit hoc etiam Regum omnium sapientissimus & amplissimus Salomon, dum ait: *Sacerdoti humilia animam tuam, & Principi capiti tuum.* Vnde manifeste colligitur, sacerdotes potius quam Reges, venerandos & honorãdos; vtpote quibus anima, cum regi caput tantum deregi velit, aperienda sit.

*Eccles. 4.*

Maiorem honorem merentur regibus.

Magna quidem, fateor sacerdotum dignitas & excellentia, sed vitæ quoque sanctitas morumque honestas eidem per omnia respondeat necesse est. Quod veteres egregio quodam emblemate expressere, dum senem quendam dextra solem, sinistra horologium tenentem finxere. Solare iubar, ita presbyteros vitæ sanctimonia & honestate elucere in terra debere ostẽdebat, vt sol in cœlis omnia radiis illustrat, & lumen effundit copiosissimum; quo in iis locum habeat diuinum illud Pythagoræ symbolum: *Aduersus solem ne loquaris*: id est, noli repugnare aut aduersari, noli reprehendere eum qui inculpate viuit, noli vitam illius carpere quæ instar Solis, vt quidem Paulus Scaliger exponit, collucet. Adeo vt sacerdotum vitam de quibus Christus ait: *Vos estis lux mundi*, instar solis nihil reprehensibile continere oporteat; omnes enim ad eorum vitam vitæ suæ iter dirigant & componant necesse est. Et quemadmodũ Persarum reges solis imaginem vitro inclusam, cum ad bellum proficiscebantur, semper præferebant, eamq; dum prælium conserendum esset, in tentoriis omnium oculis exponebant; ita sacerdotes soles esse debent & ductores, qui Ecclesiæ agmen tam domi quam belli dirigant & præcedant. Horologium porro, quod horas & tempora distinguendo indicat, & directione sua vniuersam vrbem gubernat, denotat; ad proborum sacerdotum exemplum vniuersam rempub. se componere, & ab iis dependere debere. Atque hæc est ratio, cur leprosum hunc seruator ad sacerdotes destinet, eiq; debitum pro adepta mundatione munus & in lege præscriptum offerre præcipiat.

*Li. 4. Epist. Matt.*

*Cal.º Rhodig. lib. 5. cap. 2.*

Sanctimonia eximia sit oportet. *Valder. feria 2. post Dom. 4.*

VII. Peccator admissus in gratiã si ingratus sit, Deo exosus est.

Mandauit leprosis Deus olim, vt quando à lepra mũdati essent, in grati animi signum, actionemq; gratiarum, duos passeres offerrent. quo facto memores nos beneficij esse debere infinuauit, ne ingratitudinis arguamur, & ad maiora amplioraque suo tempore recipienda indigni reddamur: displicet enim Deo mirum in modum ingratitudo eius qui è peccati tenebris ad lumen gratiæ rediit, & à lepra animæ præ qualibet corporis maxime pertimescendã, mundatus est. Detestabatur hos ipsos Dauid omnemq; ingratitudinem oderat, nam in beneficij accepti agnitionem dicebat: *Benedic anima mea Domino, & noli*

*Psal. 102.*

*& noli obliuiſci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas.*

Ezech. 46. Voluit olim Dominus eos, qui templum ingrederentur, per aliam ianuam eodem egredi, ne egredientes Propitiatorio tergum obuerterent, adeo vt qui per auſtralem portam intraſſent per ſeptentrionalem egrederentur. Verba decreti ſunt hæc: *Porro qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egredietur per viam portæ aquilonis: non reuertetur per viam portæ per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egredietur.* Denotare myſtice hæc cæremonia voluit, inſignem ingratitudinis notam eſſe, poſt acceptum aliquod à diuina miſericordia beneficium, tergum eidem obuertere, & datoris amantiſſimi obliuiſci.

Cant. 1. & 9. Sponſus cum dilectæ ſuæ pulchritudinem demiraretur, ſingula illius membra deſcriberet, & catalogum quodammodo congeſtarum in eam dotum texeret, ab oculis initium ſumpſit, quos columbinis ſimiles eſſe ait: *Oculi tui ſicut columbarum.* In quo inſignem illius gratitudinem indicare voluit: ſolet namque columba, ad ſingula quæ deuorat grana, oculos cœlum verſus extollere, quam fideles omnes imitentur oportet, vt ad ſingula quæ cælitus recipiunt à largitore omnium Deo beneficia, cor & oculos in altum ſuſtollant, quo Deo immenſas gratias agant, ſeſeq; gratos exhibeant.

Ingratitudinem deteſtandam, & Chriſtianis fugiendam! quam Dauid Propheta morte & inferno caſtigari exoptat: ait quippe: Prou 9. *Conuertentur in infernum omnes qui obliuiſcuntur Deum*, id eſt, morte omnes amariſſima exſtinguantur, & ad inferos præcipitentur quaſi vita indigniſſimi, qui poſt gratias ac beneficia plurima cœlitus accepta, Dei datoris obliuiſcuntur, & ingratos ſe erga munificentiſſimum largitorem oſtendunt. Hæc porro Bernardus ſuis depingens coloribus, ac magnopere deteſtatus, his nominib⁹ appellauit: *Ingratitudo eſt quaſi ventus exſiccans, & ardens fontem pietatis rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ.*

Ingratitudinem ſolius Dei

Nulla legibus humanis, vt bene notauit Seneca, ingratitudini pœna ſtatuta erat: ſed, quia ingens eius malitia eſt, idcirco ſoli Deo eius caſtigatio eſt relicta, quo iuſte & rigide in eam tandē aliquando animaduertat. Hinc rogatus olim Diogenes, vt refert Ælianus, quid omnium citiſſime ſeneſceret & emoreretur? beneficium, reſpondit: irrogatas ſiquidem iniurias marmori & æri inſcribimus; beneficia vero ab aliis accepta pulueri, eorumq; memoriam quamprimum intermori patimur.

eſt caſtigare. Lib. 4. Var.

Eia igitur Chriſtiani, agnoſcamus quæ nobis Deus contulit beneficia, ingratitudinē deteſtemur, ſacrificia donaque noſtra illi offeramus, ſacerdoti nos ſiſtamus, coram confeſſariis appareamus, leproſos & male habentes, id eſt impios & ſceleratos procul à nobis pellamus, eorum familiaritatem & commercium fugiamus, bonis & honeſtis aſſueſcamus: nam, vt impiorum ſocietas noxia & damnoſa, ita ſanctorum vtilis, & magna ſecum commoda trahens. Mortui cadauer caſu in Eliſæi ſepulcrum deiectum, quamprimum vt oſſa Prophetę attigit, redanimatum ſubito in pedes conſtitit. Docet hæc nos allegoria, ad ſolum bonorum, iuſtorumq; cōtactum, familiaritatem, conſuetudinem, fœtida illa & putreſcentia cadauera, peccatores inquam, in quibus gratia iam mortua eſt, reuiuiſcere & recreari poſſe. Carbones exſtincti iam & mortui, prunis admoti candentibus ignem concipiunt, & igneſcentes ardorem emittunt. cum peccatoribus eodem agi modo certiſſimum eſt: ſola quippe conuerſatione familiaritateq; iuſtorum, ad virtutis ſtudium pietatemque velut igni admoti, accenduntur, ſopitaq; pietas ab eorum ardore vires ſumit & inualeſcit. Hos igitur in ſocios admittamus, horum à latere nō recedamus, leproſos vero & peccatorum maculis deformes declinemus, Deumq; eadem opera rogitemus, vt lepras tam eorum, quam noſtras benignitate ſua emundet.

Cōcluſio.

Proborū ſocietas vtilis eſt. 4. Reg. 13.

Hoc igitur ingenua prouoluti, humili à te prece contendimus, omnipotens rerum Pater. Omnes, fateor, peccatores ſumus, ac proinde leproſi; peccatum ſiquidem vera animæ lepra eſt. At ſi velis, ſanare & mundare nos potes, clementiſſime Deus; non minus enim tua hic voluntas, quam potentia, requiritur. Vtrumque igitur nobis pro tua

benignitate concede, concede inquam, vt quod tua in rem noſtram poteſt potentia, ſimul etiam velit voluntas. Tu quippe, ô cœleſtis Æſculapi, cœlo ad morbos perſanandos, & præſertim ad lepram emundandam, delapſus es: Tu nos igitur, ſumme Eliſæe, velut Naamanes, paſſionis tuæ Iordane ablue, tu nos, ô ſumme Sacerdos, crucis tuæ hyſſopo, pretioſo ſanguine tuo cruẽta aſperge, vt potenti manu tua ſanitati reſtituti, poſtquam coram ſacerdote, ex legis Euangelicæ præſcripto, apparuerimus, tibi vota noſtra & laudum ſacrificia in hoc mundo offeramus, expectantes interim, donec in altero te laudare, in quo omnis beatitudo noſtra ſita eſt, mereamur. Huc porro nos deducere ſummi Patris, & Filij, & Spiritus ſancti Maieſtas dignetur, Amen.

## DOMINICA QVARTA POST EPIPHAN.

Partes.

1. *Quod Dei omnipotentia in mari declarare ſe ſoleat.*
2. *Quod mare ſit mundus.*
3. *Eccleſia nauis.*
4. *Quod in aduerſis nos præeat Chriſtus exemplum diſcipulorum inuitet.*
5. *Motus magnus cur factus.*
6. *De iactatione Apoſtolorum.*
7. *De dormitione Chriſti.*

*Aſcendens Ieſus in nauiculam, ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Matth. 8.

### FIGVRA.

IOnas Propheta cum in altum à facie Domini fugiens, naui deuectus eſſet, tanta ſubito tempeſtas exorta eſt, & naue fluctibus ventorumque turbinibus agitata, omnes qui eadem vehebantur certiſſimum vitæ periculum adierint. Vota hic ſinguli diis facere, penatibus ſupplicare, nauem exonerare, merces in mare deiicere, & hæc, vt mortem inſtantem effugere, & optatum ingredi portum valeant. Et ecce, ad omnem hunc ſtrepitum, ad procellarum ventorumque furias Ionas non expergiſcitur, ſed vtramq; in aurem ſecurus dormiens, in carina deliteſcit: quem vbi ſtertentem nauarchus excitaſſet, his eum verbis aggreſſus eſt: Quid hic rerũ agis amice? an non vides, extremo nos diſcrimine verſari? quin expergiſceris, Deumq; tuum etiam inuocas, vt noſtri miſertus nos naufragij periculo eripiat, & ſoſpites in portum ſiſtat? Cui reſpondens Ionas, ait: Noli turbari aut percelli vir bone, vnica tempeſtatis ſedandæ mariſque pacandi ratio eſt, ſi me in profundum deturbaueris. Quod quãuis nautæ, rei horrore perterriti, facere initio detrectarent, tandem tamen ſui ſaluandi ergo, eum in profundum præcipitem dederunt; quo facto pacatum mare, & omnis tempeſtas reſedit. Ad viuum caſus hic hiſtoriam Euangelio hodierno comprehenſam repræſentat, in qua Chriſto cum diſcipulis nauiculam ingreſſo orta tempeſtas dicitur, & tam ſæua quidem, vt omnes ſubmerſionem vererentur, & magiſtrum in nauis fundo inſtar Ionæ dormitãtem, excitarent dicentes: Heu *Domine, ſalua nos, perimus.* Et quamuis excitatus Dominus tunc in mare ſe deiici non præceperit; venient tamen dies, in quibus, Ionæ exemplo, maioriq; cum ærumna (quod Ionas ſoſpes adhuc in littus eiectus ſit) in paſſionis Oceanum deiicitur, in quo & exſpirauit, & moriens fluctus, quibus homines in hoc mundo concutiebantur, compeſcuit: quamuis & ad imitationem Ionæ, quem tertia die cetus in littus exſpuit, poſt triduum à morte reſurrexit. Quid præterea Dominus in hac tempeſtate feciſſe ſcribitur? imperauit ventis, & eorum rabiem refrænauit, dictoq; citius tumida æquora per Neptunia arua reſederunt: adeo vt omnes admirantes nimis ſtupore perculſi dixerint: *Quis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei.* Hanc Euangelij noſtri ager ſegetem profert, quam & in aurium veſtrarum horreum inferre contendam, ſi æterni Patris Sapientia, maternis precibus inuocata, auxilium mihi & opem ferre non dedignetur, atq; ideo communi ſuffragio eam compellemus dicentes: *Aue Maria.* Matth. 8. Ibid.

Ea omnium ſemper opinio fuit, Auditores, terram & mare & omnia quæ iniis ſunt, præ

Terra & mare mirabilium Dei theatrum.

præ omnibus locis, velut in theatrum & arena delecta esse, in quibus totius vniuersi monarcha & opifex mirabilia sua & prodigia, quæ creaturarum oculis patere cupit, exercere & ostendere consueuit. Nã quamuis plurima in igne & aëris regione miracula producat; tamen quoniam homo omnium operum illius scopus & causa est, vtpote de

*Psal.55.* quo locutus est Psalmista: *In me sunt Deus, vota tua*, qui nec in flammis, nec in aëre, sed in mari & terra victitet; idcirco in duobus hisce elementis mirabilia sua, & miracula maxime admiranda, ac potissimum in mari & aquis, Neptunioque regno, solet producere, adeo vt quotquot hactenus potentiam miraculorumque patrandorum virtutem in summo numine celebrare conati sunt, è mari potissimum eadem elicuerint, indeq; laudum præclarissima argumenta deprompserint. Testis sit Dauid, qui mirabilium Dei o-

*Psal.105.* perum catalogum texens ait: *Magnalia in Ægypto, terribilia in mari rubro.*

Idem iter insistens Propheta Iob, prodigiorumq; diuinorum quodammodo numerum recensens, postquam ea quæ in cœlo & terra operatus est, enumerasset: *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur, qui præcipit soli, & non oritur, & claudit stellas quasi sub signaculo, &c.* mox subiungit velut quid mirabilius: *Qui graditur super fluctus maris, qui facit Arcturum & Orionem* quasi dixisset: Tanta illius potentia est, vt fluctib. velut pauimento inambulet, & vndas non secus ac terram calcet. Quem locum moraliter Greg. Magn. exponens, credit per mare hoc mũdi huius afflictiones intelligi; super illius autem fluctus Deus ambulare dicitur, eo quod, dum persecutionum fluctus & tempestates exsurgunt & furunt, eæ ipsę quam primum ad stuporem mirabilium eius collidãtur & frangantur. Porro per Arcturum illum

*Apoc.1.* septem stellis coruscantem, Ecclesiam intelligit, septem, vt in Apocal. declaratur, candelabris, id est, septem Spiritus S. donis & charismatibus insignitam, quę eam non secus ac sidera quædam & faces illustrant. Et quemadmodum Arcturus, vt idem subnectit semper voluitur, & mari mergitur, & rursum inde emergit, non secus etiam Ecclesia persecutionibus infidelium semper agitatur, hæresumq; tempestatibus voluitur, nullum tamen naufragium patitur, nec mari immersa vnquam exstinguitur. Atque hoc est, in quo se Deus admirabilem reddit & stupendum, id est, in aquis & maris imperio.

Potentia Dei in aquis se declarat.

Et est reuera quidam Altissimi & omnipotentis Dei potentiæ radius, ac specimen non vulgare: solius quippe Dei est, huiusmodi operari, ac talem potẽtiam exercere. Hinc Moses, magnus ille mysteriorum diuinorum interpres & scriba, cum Omnipotentis virtutem & potentiam describeret, ait, velut singulare diuinitatis indicium, spiritum Do-

*Gen 1.* mini super aquas leni volatu volitasse, & post eum Dauid, Deum eiusque potentiam efferre laudibus gestiens: *In mari*, inquit, *via tua, &*

*Psal.76.* *semita tua in aquis multis.* perinde ac si dixisset, fluminibus inambulas Domine, mare non secus ac terram percurris, in quo potentiam & infinitam virtutem tuam declaras.

Rei impossibilis Hierogl.

Veteres quidem vt aliquid impossibile, omneque hominum robur excedens exprimerent, pedes efformabant fluctibus maris superimpositos: è contra vero Sacra Scriptura, vt Deum omnipotentem nihilque ei impossibile esse declaret, sub imagine imperantis terræ marique eum depingit; vtpote qui modo aquis, modo ventis, modo tempestatibus dominetur. Cuius rei egregium in A-

*Apoc.10.* pocal. emblema legimus: vidit Ioannes Angelum iride coronatum, cuius facies solis instar radiaret, femora vero instar columnarũ ignearum solida essent, cuius pes vnus mare, alter terram premeret. Angelus hic Deum repræsentabat, & vtriusque pedis situs super

Deus terræ & mari dominatur.

bina illa elementa, dominium & imperium quod in terram & mare habebat. Multum autem ænigma hoc interpretes torsit, inquirentes, cur dextro pede mare, sinistro autem terram calcaret.

Fuere siquidem nonnulli qui dixere, Deũ consulto & data opera pedem dextrum super mare velut valentius, nobilius, & fortius elementum, quod ipsum natura procellosum, varium, instabile, tempestatibus obnoxium sit, & ventorum turbinibus vt plurimum exagitetur habere; sinistrum vero super terrã,

Gentiles mari, Iudæi terræ comparati.

quod ipsa natura quieta sit, & nunquam loco moueatur. Alij vero allegoricum sensum secuti, existimarunt, in hoc pedis vtriusque situ populum Iudæorum & Gentiles designari, hos quidem mari, illos vero terræ comparando, quod Iudæis ob malitiam reiectis ad Gentes se Dominus conuerterit: & quemadmodum Iacob filios Ioseph benedicendo, dextram iuniori, sinistram vero maiori natu imposuit; ita Christus, in Iudæorum reprobatione, pedem dextrum super Gentes, sinistrum autem super Iudæos posuerit. Ne vero me existimetis nugas agere, & in incertũ collimare, certum est illos terræ, hos vero mari in Sacris litteris comparari: Gentes scil. mari, quod errorum fluctibus exagitarentur, nullumque sanctitatis fructum ferrent: Iudæos autem terræ, sed quam Dei dextra elaborarat, quæque amplissimos fidei, virtutis, zeli denique fructus proferret. de qua locutus est Psalmographus: *Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim, terram fructiferam in salsuginem à malitia habitantiũ in ea, &c.* quem locum Aug. etiam de Iudæorum reprobatione intellexit.

*Psal. 106.*

Ipse quin etiam Propheta Abacuc Gentiles mari confert, dicens: *Viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarũ multarum*, vel, vt LXX. interpretantur: *Superinduxisti in mare equos tuos, conturbantes aquas multas*, quod Hieron. fidissimum hic interpretem agens, de gentilibus exponit. Vere enim Christus equis in mari viam fecit, id est præconibus suis iter commodum reddidit, quando eos gentibus euangelium annuntiaturos emisit. Hinc Dei Verbum in Apocal. equo candido inuectum scribitur, quod varij eiusdem coloris equites sequuntur. Hunc quoque sensum è superioribus Prophetæ verbis elicit Gregor. dum ait: *Viam fecisti in mari equis tuis*, esse *apparuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas huius sæculi, sordida & terrena sapientes.* Quibus in verbis notandum, Prophetam secundũ sensum litteralem, insigne aliquod miraculum exprimere voluisse, dum Deum equos, non in terram nec fluuios, sed in mare profundissimum ait emisisse, quod Diuina potestas in mari potissimum sese exerat.

*Abac. 3.*

*Apoc. 19.*

*Lib. 34. Moral. 48.*

Hinc veteres, vt Amorem scite depingerent, eiusq; qua pollet potẽtiam & virtutem exprimerent, varios ei flores, & frumenti aliquot spicas, quin & pisces in manus dedere. Innuere scilicet volebant, non terræ modo eum, è qua flores & frumentum producitur, sed & mari dominari, quod nimirum in agnitæ potentiæ & dominij signum pisces ei, velut tributum persolueret. Vt autem paganorum hisce nugis & inaniis veritatem mysteriorum nostrorum insigniam, crediderim mystice hinc demonstrari posse, Deum, qui vt Ioannes quidem ait nonnisi amor & charitas est, in terram & mare imperium suum exercere (dicitur quippe in Prophetis: *Et non est alius Deus in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abyssis*) at in mari præsertim potentiam suam declarare, virtutemq; ostendere.

Amorem vt expressérint veteres.

*1. Ioan. 4.*

Notauit hoc ipsum hisce verbis Ecclesiasticus: *In sermone eius siluit ventus, & cogitatione placauit abyssum.* Quod hodie vniuersa etiam Iudæa, videns Christum mare conscendere, vẽtis imperare, tempestates compescere, demirans, ait: *Quis est hic quia mare & venti obediunt ei?* cuius rei rationem reddens Origenes ait: *Cum enim multa magna & miranda ostendisset in terra, transiit ad mare, vt & ibidem adhuc excellentia opera demonstraret, quatenus terra mariq; Dominum se esse omnibus ostenderet.* Atque hoc Euangelio hodierno continetur, in quo legitur: *Ascendens Iesus in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius.* quod ipsum vt methodice & certo quodam ordine deducam, prima concionis parte Christũ eiusq; discipulos mare ascendentes repræsentabo, deinde tempestatem excitatam, & mox compositam ob oculos ponam.

*Eccles. 43.*

*Matth. 8.*

Principio igitur, cum in Euangelij limine Christum nauem ingredientem, tempestatibus imperantem & procellas compescentem video, præclaræ mihi & egregiæ cuiusdam imaginis in mentẽ venit, qua diuinã veteres prouidentiã expressere. Pingebãt scilicet nauim, cuius clauum Deus dirigeret ac moderaretur, & cuius etiam remos impelleret: quo edocere conabantur, vitam hanc nostrã, rerumq; harum mundanarum statum, naui in mediis mundi huius vndis fluctuanti persimilem esse, at Deũ clauo illius assidẽtem, omnia dirigere, mouere, nutuq; suo moderari.

Diuinæ prouidentiæ symbolum.

Hinc

II. Mundus mari persimilis.

Hinc efficere volo, mare hoc, quod fluctibus hic intumescere, tempestatibus agitari, & ventis in altum librari dicitur, veram mũdi imaginem esse, idque varias ob rationes.

1. Mare enim instabile est; & stratum iam & quietum quam primum turget & inflatur: mundus quoque iam prosperis affluens, crastina die tristia ciebit, & aduersitatum procellas superinducit, quin & in momento faciem mutat, risumque lacrymis, & veneno mel permiscet. Fluctus maris & vndę momẽto insurgunt & intumescunt, & momento subsidunt & placantur: in mundo etiam potentes in momento ad honorum culmen & fastigium euehuntur, & momento ad imum paupertatis deturbantur; hodie montibus excelsiores, & cras humiles in terra serpentes, & sortem suam deplorantes. Testatur idipsum experientia edoctus Dauid: *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, transiui, & ecce non erat.* Psal. 36.

3. Mare non includit mortuos.

Mare tertio, nulla patitur cadauera, sed eadem fundo educta ad littus eiicit: mũdus etiam non fert eos qui mundo mortui sunt, & animam sensusque mortificatos habent, nullaque erga res terrenas ratione afficiuntur. Ita porro intelligenda sunt verba illa Sapientis: *Grauis est nobis ad videndum.* Sap. 2. In mari quoque piscículi minores à maioribus deuorantur; in barbaro mundi statu potentes & opulenti tenuiores deglutiunt & depascunt, in eorumque perniciem & excidium totis viribus coniuntur. Conqueritur hoc ipsum in sui sæculi moribus Paulus, Corinthiosque, vt hic tolerantes sint & magnanimi, adhortatur: *Sustinentes si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat.* 1. Cor. 11.

4. Potentes in mundo infirmos deuorant.

5. Ierem. 5.

Quinto, nihil in maris fundo præter arenam videtur, quæ & sterilis & grauis est Vnde Ierem. *Qui posuit arenam terminum mari.* Mundus ad eundem modum, præter puluerem, cinerem & vanitatem nihil continet, est quoque sterilis & infecundus, peccatis adhæc grauis & sub scelerũ pondere fatiscens. Testatur idipsum Romanis scribens Paulus: *Quem fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?* Rom. 6. Mille discriminum etiam mare officina est, & innumerabilium periculorum parens: plura tamen in mundo discrimina & subeunda & pertimescenda sunt; hic namque maiorem animarum perniciem causatur, quam corporum Oceanus. Nam vix è quatuor mare conscendentibus nauibus vna naufragium facit, at è quatuor hoc in mundo viuentibus animabus vix vna salutis portum ingreditur. Scripsit hoc expertus Augustinus, vtque alii sibi cauerent, ait: *Amas saculum, absorbebit te, amatores suos vorare nouit, non portare.*

6. Mundus mari periculosior.

Septimo, portenta & monstrosos abortus plurimos procreat; at non minora nec pauciora portenta habet mundus, qualia in primis sunt illi quibus gladius in labiis, quibus duplex cor, item qui duas vno ore exerunt linguas: *Os bilingue detestatur Deus.* Eccles. 2. Prou 8.

7. Mundus scatet monstris.

8.

Mare habitationi & sedi stabiliendæ ineptum est; ita mundus: confirmabat hoc Hebræis scribens Paulus: *Non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus:* Heb. 13. neque enim est aliud quam diuersorium, è quo postridie emigrandum sit.

9. Mundus amaritudine plenus.

Mare nono amarum est, salsum, & insipidum, hanc quamuis salsuginem pisces, qui in eodem viuunt nec sentiant nec gustent: Idem de mũdo hoc inferiori iudicium esto, Auditores, qui amaritudine & miseriarum salsugine plenus est, licet qui in eodem assidui sunt, & immersi, eamdem non percipiãt: Tangit obiter Propheta, dum de mandatis orationẽ instituens ait: *Esse sub sensibus delicias reputant.* Iob. 30. Mare denique nunquam satiatur, sed hydropici instar quo magis bibit eo amplius sitit. nam quamuis torrentes, amnes, fluuiosque absorbeat, qui in ipsum quotidie se exonerant, numquam tamen limitibus suis, quasi saturum egreditur, sed alios haurire fluuios paratum est: ad hũc modum etiam mũdus saturari nequit, sed semper habendi siti laborat: qui enim ad honores euectus est, ampliores & maiores ambit; concupiscentiam cernis & delicias corporis consectatus & consecutus, alias cupit & nouas excogitat; cupidus, auro distentas arcas habens, cupiditate non extincta, sed prouocata, ad nouas diuitias aspirat. In mari quoq; hoc semper turbines, ac procellæ, & tempestates assiduæ, vnde textus Euangelij: *Motus magnus factus est in mari.*

Cymba

III. Cymba porro hæc, quæ ventorum furiis & procellis agitari hic dicitur communi omnium sanctorum Patrum sententia, verus Ecclesiæ typus & imago est: ipsa enim Ecclesia scite admodum & conuenienter naui cõparatur. Nam quemadmodum diluuij tempore, nullus ab aquis immunis fuit, nisi qui Noë aream ingressus, cæteris omnibus diluuio absorptis, & oceano circumquaque stagnanti immersis: ita nulla prorsus extra Ecclesiæ aream constitutis salus, nullisque salutis portũ ingredi datur, quam quos Christi nauis excipit, reliqui autem non diluuij modo, sed damnationis æternæ fluctibus submersi intereunt.

*Matth 8.* Ecclesia naui comparata.

*Gen. 7.*

Nauis adhæc nullas patitur rimas aut foramina per quæ subingrediẽte sensim aqua, mergeretur, ac triste naufragium faceret: Idem de Ecclesia dictum volo, quæ nullum schisma, diuisionem nullam, nullam denique dissensionem ferre potest. Hanc obrem sponsam suam laudauit in Canticis sponsus dicens: *Vnica est columba mea, una perfecta mea.* Vna scilicet Ecclesia sit oportet, & ita vna, vt quicumque eamdem diuisam velit, næ ille fatuus & demens censendus, ac regem Antiochum imitari dicendus sit. Hic enim cum piratam quemdam, qui mare myoparonibus infestum reddebat, ac nõ nisi rapto viuebat, magna nauium copia obsedisset, adeo vt nullus ei effugij locus pateret; ita tandem cũ eodem transegit, vt cum dimidia nauium parte sospitem eum dimitteret, quod & sacramento confirmauit. Pirata igitur cum in regis se manus tradidisset, singulas quamprimum naues Antiochus in duas dissecari partes iussit, piratæque vtram sibi partẽ vellet, electionem dedit, atque ita naues omnes inutiles nauigationique ineptas reddẽs, eius potentiam fregit. Idipsum, mihi credite, Ecclesiæ eueniret, si in plures diuidi partes posset. *Porro vnum est necessarium.*

*Cant. 6.*

*Valer. Lib. 7. cap. 3.*

*Luc. 10.*

Inter cætera quæ ingenio se Salomon suo comprehendere posse diffidebat, erat *via nauis in medio mari* at dũ hæc illius verba mente voluo dato studio Spiritum sanctum de naui Ecclesiæ locutum censeo, quæ in medio mundi huius pelago varie impellitur, & fluctuat. Et est profecto difficile admodum ingenio humano, intelligere aut perfecte comprehendere, quomodo sacra illa Iesu Christi nauis tot annis ventorum turbine concussa, & tempestatibus agitata in persecutionum oceano incolumis, nec minima tabula amissa, insultantibus & frendentibus nequidquã inimicis, fluctuet, imo nullum naufragij periculum pertimescat.

*Prou. 30.* Ecclesia nauis est in medio mari fluctuans.

Ecclesiæ igitur imago nauis hæc est, de qua trina asseri veritas poterit. Imprimis infracta quædam & pertinax firmitas, ac sempiterna duratio; idq; propter assiduum sancti Spiritus auxilium, quod nullo vmquam tempore intercidet aut deficiet. Promisit siquidem Christus perpetuum se sospitatorem Ecclesiæ futurum, ac nullo eam æuo à se deferendam: quod autem promisit, irritum non reddet. Vnde in Matthæo legitur: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: quin & Paulus ideo, Timotheo suo scribens, firmamentum eam & columnam veritatis nuncupat. apud Ieremiam autem Dominus instar ciuitatis munitæ & columnæ ferreæ eam se redditurum promisit: *Ne timeas, ecce dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream.*

Ecclesia perpetua & perennis est.

*Matth. 16.*

*2. Tim. 3.*

*Ierem. 1.*

Deinde vehemens & assidua persecutio: Ecclesia tam graues quippe & turbulentas procellas patitur, tamq; vehemẽtibus turbinibus concutitur, vt absorbenda & peritura penitus videatur, & tamen incolumis semper caput effert, & frendẽtibus persecutionibus magnanima & heroica quadam constantia insultat, naufragiumq; quid sit, ignorat. Et profecto tres iam Ecclesia graues persecutiones perpessa est: primã à tyrannis; Nerones, Domitianos, Troianos, Diocletianos, Maximinos aliosque intelligo: secundam ab hæreticis, de qua vaticinatus olim Petrus Apostolus ait: *Et in vobis erunt magistri mendaces*. tertiam à peruersis Christianis: quarta & postrema, omniumque crudelissima futura est persecutio illa Antichristi. At his nequidquam insultantibus Ecclesia victrix semper & superior euadet. Eiusce rei si figuras desideretis, arcam Noë considerate quæ fluctibus quidem agitata & rupibus marinis illisa est, nunquam tamen quassata fundum petiit. Graues etiam luctus Rebeccæ vterus experieba-

Ecclesia quadruplici persecutioni subiecta.

*1. Pet. 2.*

*Gen. 7.*

*Gen. 25.*

riebatur cum gemini inter se collatis viribus decertarent, & ciuili & intestino bello cõuterentur; nullus hinc tũ abortus secutus est.

*Matt.7.* Domus illa Euangelica rupi inædificata, à ventis quidem impulsa & petita fuit; aquilonibus ludibrium; ideo tamen ad terram non concidit. Mulierem illam prægnantem,

*Apoc.12.* cuius meminit Apocalypsis, bestia quidem deuorare conata est, sed infracta permãsit & immobilis. Idem omnino de Ecclesia cogitetis velim, ipsa quippe Noe arca est omnia animalia ratione prædita, munda & immunda continens; vterus Rebecæ est, Iacobos & Esau in se complectens, iustos inquam & peccatores, est domus illa rupis confessionis Petri, quam de Christi diuinitate protulit, inædificata; est mulier illa Apocalypseos, quæ insultibus, persecutionibusq; exposita constans permanet, omniumque vires eludit.

Ecclesia de persecutionib. triũphat. Postremo, quod periculis omnibus superior euadet, inimicos debellatura, deq; ipsis triumphum reportatura, & testes victoriæ, infamiæque hostilis notas trophæa erectura sit: idcirco rubo quem Moses in Exodo vidit inter flammas non flammantem, eam haud

*Exod.3.* absimilem licet confiteri. Quamuis enim Ecclesia in mediis persecutionum ignibus constituta sit, nullum tamen sentit incendium aut ambustionẽ, at inuiolabilis semper permanet. Hinc inter cetera sponsus in Canticis

*Cant 7.* eam comparat palmæ; quæ quo violentius deprimitur, eo amplius exsurgit & cristas obtinẽdo erigit. Ecclesia igitur nauis est, sed

*Matt.8.* nauis quam Christus hodie ingressus scribitur. *Ascendente Iesu in nauiculam.*

Christus semper in laboribus præcedit. Quot nauis hæc consecẽsio mysteria, quot mirabilia & dignas considerationes includit! Primo docet Christum in tempestatibus & laboribus ducem semper & primum esse, ipse nimirum magnanimus ac generosus ille ductor est, qui in ærumnis, laboribus, periculis subeundis primus est, primus in periculis maris, in pœnis terræ primus, viam aperiens ac vadum tentans: vt quicumque sequi desiderent, tentatum iam & complanatum iter ingrediantur: ipse vitæ huius angustias & amaritudines sua constantia perfringit, ac quodammodo melle superiecto dulcorat, ne earum difficultate ceteri deterriti pedem retrahant, at potius, facile illecti, vlterius progrediantur. Magnus ille & validus Abimelech cum pinum medium dissecuisset, eiusque ramos in milites distribuisset, orationem ad eos conuertens

*Iud.9.* ait, *Quod me vidistis facere, cito facite.* hodie namque de inimicis vindictam sumamus necesse est. Idem omnino ductor ductorum Christus suis ait, *Qui vult venire post me, ab-*

*Luc.9.* *neget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me.*

Moyses Hebræorum ductor & tutela, cum

*Exod.14.* virgam manu gestans populo in trãsitu maris rubri ducatum præstaret, alta voce inclamauit: Sumite animos populi mei, audacter me ducem sequimini: neque enim vos in syrtes aut cæca vada deducam, eadem vtriusque sors & discrimen erit; nolite timere: hi, quos cernitis, aquarum congesti & conglobati montes, non subsident aut in caput vestrum descendent. Idem hodie & Christus facere videtur, nam quo nobis omnibus per tribulationum oceanum ingredientibus animum adderet, primus nauem ascendit, primus mari se committit, primus denique tempestatibus & procellis sese exponit.

Christus semper in nauclerũ assumendus. Secundo quoniam maris, & cymbæ mentio incidit, notandum hic occurrit, eos, qui semper in nauigationem instituunt, mare iam conscẽdere parant, de necessariis sibi rebus semper prouidere, nequid sc.dum in medio itinere constituti periculum aliquod adire cogũtur, desit; malum quippe, anchoras, vela, remos funesq; comparant, denique de vigilãti ac sedulo sibi nauarcho prospiciunt. Via, qua ad cœlum tenditur, difficilis est, & quidem per mare instituenda: magna hic discrimina, & euidentia pericula adeũda, multaq; ad hoc necessaria sunt. At inprimis det operã vnusquisq;, ne vnquam sine diuino numine iter aggrediatur, eius semper auspiciis imploratis nauem conscendat, ipse Deus in nauarchũ & directorem assumatur, ipse inquam primus in naues nostras admittatur; vt hic factũ videmus: vix n. nauem conscendit, quin omnes eum Apostoli comitentur, & præcedentẽ sequãtur. *Et secuti sunt eum discipul eius.* *Matt.8.*

Sanctorũ exẽpla afflictis cõsolationi sunt.

Nihil autem est quod animos roboret ac confirmet magis, nihil quod eos ad labores & difficultates æquanimiter perferẽdas amplius exstimulet, quam sanctorum hominũ exempla, earumque vita ob oculos posita.

1. *Mal.* 8.

Hinc zelosus ille patriarum legum Mathathias filios alloquens ait, *Mementote qualiter salus facti sunt patres nostri, cum persequeretur eos Pharao in mari rubro.*

*Ios.* 4.

Quin & Iosue, cum filij Israel Iordanis fluenta ficco vestigio pertransissent, præcepit, duodecim vt lapides vastos fundo eductos in ripa, in rei tãtæ memoriam, erigerent; quibus posteri visis, Deo confidere, inq; ipsum spem suam conijcere discerent, qui nimirũ patres tantis angustijs calamitatibusq; eripuisset. Hodie quoque Apostoli, dum Christũ Dominum mare cõscendere vident, ipsum quantocius secuti sunt & nauem cum ipso conscenderunt, ad vsq, pericula à latere illius non decedendo. Sed quid hic noto? quænam sese hic paradoxa aperiunt?

Multi Christum in prosperitatis terra, pauci in aduersitatũ mari sequuntur.

Video, plurimos Christo, dum in terris ambulat, adhærere, adeo vt sæpenumero præ copia sese mouere non potuerit; at mox, vt mare ingressus est, in quo maiora pericula, tempestates assiduæ, & procellæ frequentiores: solos Apostolos & discipulos eum sequi. Quod & hoc in mundo iam locum hẽt: multi namq; in terrã prosperitatis Christum sequuntur; at pauciſſimi in mari tribulationum aut in afflictionũ tempestatibus: in quo hirundines imitari videntur, quæ interea dũ æstas ridet, & calores vehementiores sunt, nobis & laquearib. nostris adhærent; at quã primum frigus & bruma ingruit, recedunt frigoris impatientes.

*Actor.* 26.

Apostolus cum coram Agrippa Rege & Præside Festo, de Christo eiusq; oraculis ac lege loqueretur, tanta eloquentia & verborum efficacia vsus est, vt cõmotus rex & tactus intrinsecus dixerit. *In modico fieri me suades Christianum.* cui subintulit Paulus, *Opto apud Deum, & in modico & in magno: non tantum te, sed etiam omnes qui audiunt hodie, fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Id est, Vellem omnes Christianam religionem amplecti, & in eo me imitari; non autem vsq; ad vincula & compedes quibus constrictus sum. Perinde ac si dixisset, Scio paucos admodum esse, qui Christum ad vincula & carceres vsq; sequi, & corã præsidib. & iudicib. ob Christum sisti velint. Nam quamuis paradisi gaudia & cœlestes deliciæ omnibus paratæ sint, crux tamen & calamitates, tormentaque nonnisi discipulos eius manent; qui hic in mari, in tempestate constituti trepidant, quorum aliqui in amara passionis procella Dei filium vendunt, quidam vero eũ deierando pernegant, ceteri fuga distrahuntur, quid igitur tenelli & molles mundi amatores agerent? *Et secuti sunt eum discipuli eius.*

*Matt.* 8. Amor sui homini proprius.

Solos hic discipulos Christum secutos tradit Euangelista, quod ipsi magistrum tam in viis asperis ac scruposis quam lætis & planis, tam terra q̃ mari, sequerentur. Sunt n. nonnulli, qui Dominum nõnisi in campestribus, viis latis, terraq; sequuntur, & ab eodem vocati, nonnisi in ijs quæ ad gustum sunt volũtati illius obsequuntur atq; hoc ex inordinato erga seipsos affectu, nimioq; amore proprio, ortũ habet, qua nulla deterior aut exitiosior à peccato pestis nos deuoluta remansit. Adeo vt vnusquisq; in omnibus erga quæ afficitur, aut quæ aggreditur, in seipsum primo oculos conijciat, vtilitatiq, & emolumẽto priuato præ cæteris studeat, inque ipsum ante omnia collimet.

*Gen.* 25.

Isaac geminorum pater, quamuis alias vir vitæ sanctissimæ, Iacob iusto posthabito, erga Esau agrestem & profanum potissimũ afficiebatur, quod de huius venationib. interdum vesceretur. Nõ proprie diligebat Esau, sed seipsum; quod venator hic ferina sæpius paternam mensam instrueret, epulisque delicatiorib. patris palatum subinde reficeret.

Deũ homo proprio studens cõmodo diligit.

Ad eũdem modum & homo, sui ipsius commodo & lucro studens, Deum propterea diligit, quod plura ab eodem beneficia recipiat, non vero quo amari dignus sit, & coli ab omnibus debeat. Horum de numero erat & Psalmographus, dum de seipso canit, *Inclinauit cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem* Id est affectus quidem meus, Domine, in mũdanarum rerum amorem propendebat; sed ab ijs retraxit, & mandatorum tuorum viam, quod larga mihi donaturum te beneficia promittebat, ingressus

*Psal.* 118.

sum

sum. Iacob quoque in mercedem & præmium oculos coniiciens, votum vouet Domino, *Gen. 28.* *Si fuerit Dominus mecum, custodierit me in via per quam ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prospere in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Videte obsecro, vt proprii emolumenti respectu, priuatique commodi intuitu, Dei se seruum confiteatur.

Et proprius hic atq; inordinatus affectus in causa est, vt nullus laborem aliquem aut tribulationem, etiam minimam, in Dei seruitio occurrentem, vltro subire velit, sed eã remis velisque fugiat. Quod tædium & nauseabundam pigritiam in Prouerbiis exaggerans Salamon, ait, *Prou. 22.* *Dicit piger, Leo est foris in medio platearum occidendus sum.* perinde ac si dixisset, Credit piger ea quæ factu facilia & percommoda sunt, magnam difficultatem includere, ac detrimentum sibi aliquod allatura: diei quippe vnius ieiunium; leonem existimat, à quo se enecandum opinatur: horam oratione traducendam, feram credit: quæ iugulo suo insiliat, & incautum præfocet.

O inanes ac pueriles affectus! ô amicitiam fallacẽ & inimicã! an ignoras, ô homo, perfidi & fidifragi esse, amicum in necessitate & periculis constitutum deserere, opemque & subsidium efflagitanti denegare, de quo Spiritus sanctus apud Salomonem locutus, *Eccl. 6.* *Est amicus secundum tempus, non permanebit tempore tribulationis.* At, *omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Adeo vt quicunque perfecto Deum amore diligere se dicit, tam in aduersis & tristibus, quam lætis, & prosperis; tã in maris procellis & tempestatib. quam terræ amœnis, & suaue ridentium hortorum deliciis eum amare & sequi debeat. Ast hodie, pro dolor! in tranquillitate quidem plurimi, pauciſſimi vero in tempestate & aduersitatum procellis Christum sequuntur.

Verus amicus vbique & semper adest amico.

Hebræi cum Ægyptios vndarum vorticibus absorptos, marique rubro immersos cernerent, se vero diuitiis, spoliis ac thesauris Ægypti, Angelo ductore, locupletatos, & sospites per æquora traductos, lætum Domino pæana depromebãt, *Exod. 15.* *Cantemus Domino, gloriose n. magnificatus est.* At, non multo post cum rerum penuria laborarent, & rebus ad vitam necessariis indigerẽt, omnes aduersus Mosem & Aaronem in deserto murmurarũt, & querelarum plaustra in eosdem desperabundi exonerarunt. *Exod. 16.* *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti quando sedebamus super ollas carnium.* Seruiebant nimirum Deo, quamdiu ad votum fluerent omnia; at vbi aduersa ingruerent, à Deo recedebãt. Quotnam hodie, Deus bone, Israelitis his pares reperiemus, qui nõnisi in terra Deum sequuntur, eumque quam de voluptatibus delitiisq; carnalibus aliquid remittere malunt.

Genezarenis etiam similes esse dicere quid vetat? namq; audito Christum dæmonibus porcos inuadendi eosq; in aquarum fluenta præcipites agendi potestatem dedisse, enixe ab eo petierunt, obuiam procedentes, finibus vt eorum egrederetur? His longe deteriores sunt Christiani, qui Dei sui iacturam facere, eumque amittere malunt, quam corpora in seruitutem redigere, spirituique subiicere, sensuumque inordinatos appetitus refrenare. Adeo vt nemo Christum, si vel minimum quid aduersitatis ferendum occurrit, aut aliqua rerum iactura faciẽda sit, sequi velit; at si qua lucri spes voluptasque exterior affulget; nemo non eum sequitur.

Qui Deũ nonnisi in prosperitate sequuntur similes sunt Genezarenis. *Matt. 5.*

Historia Iob refert, filios Dei quadam die in conspectum Dei venisse, & inter illos & satanam adfuisse, cui Dominus ait, *Nunquid consideraſti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo?* Satan respondens mox dixit, *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti domum eius, vniuersamq; substantiam per circuitum: operibus manuũ eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ possidet, nisi in facie benedixerit tibi.* Nouerat scilicet Satan, homines Deo tunc potissimum seruire, eiq; se subiicere, dum rebus eorum benedicit, cum omnia ad votum fluũt, cum fortunarum nauem prospero & læto ventu propellit, imo per terram solidã & non

Crẽdebat diabolus Iob Deo seruire rerum temporalium quas ab eo recipiebat gratia.

subsidentem eos dirigit: at vbi mare tribulationum, aduersitatum, tempestatumq; conscendendum, vbi contraria aura superuenit, quamprimum eum deserere, & aliud iter ingredi. Sed iam satis superque de priori concionis membro; tempestates iam & ventorũ procellæ aures meas feriunt, meq; ad se vocãt Deerat nimirũ nauigationi huic altera q̃ auspicamur, pars.

V. *Matth.8.* Tẽpestas hęc supernaturalis fuit. *Luc.8.*

*Et ecce motus magnus factus est in mari.* Quamuis natura tempestatem hãc ciere potuerit, credibile est tamen supernaturalem eam potius, atque Deo permittente factam fuisse. Quod innuere videtur Lucas dicens, *Et descendit procella venti in stagnũ*: cum tamẽ vndarum tumor & fluctus à ventis subaquis latentibus seseque exerere volentibus gigni soleant, qui cum efferre se & erumpere gestiunt, fluctus voluunt & mare à sedibus imis excitant Philosophatus hunc in modum est Propheta Dauid: *Educẽs nubes ab extremo terræ, qui producis ventos de thesauris suis.* Hi porro venti hac ratione procreati, ad Dei nutũ diriguntur, illiusque imperio parent, de quo Psaltes, *Spiritus procellarum qui faciunt verbũ eius.* Illius scilicet voluntate & nutu venti mare rubrum in duas partes dissecuere, fluctusque in altum velut mole concretos sua suspenderunt: ipso volente venti dispulere ex Ægypto cinyphes & locustas: ipsius imperio iidem coturnices & aues à transmarinis locis in castra Israelitarum pepulere; hodie quoq; Æolo suo & creatori obsecundantes tempestatem causantur.

*Psal.134.* *Psal.148.* *Exod.14.* *Exod.10.*

Tẽpestas hæc ingẽs fuit.

Hæc porro tempestas, quantum augurari è circumstantijs possumus, vehemẽs admodum & periculosa fuit: eamque varias ob causas oriri Dominus permisit. Primo, vt ita Apostoli Christum in carina dormitantem excitare compellerentur; quod haud dubie, si exiguum periculum fuisset, non fecissent. Pleriq; enim eorum nauigio assueti erant & naucleri, sæpiusque dum in mari piscarẽtur, tempestatẽ & iratum mare experti fuerant. Deinde, vt hinc euidentius miraculi ipsius magnitudo appareret, dum Christus ventos & turbines cõpescuit, serenitatemq; superinduxit. Tertio, vti quidẽ Origenes ait, ingens fuit, vt ingens etiam opus appareret, quale nullus vmquam prophetarum edidisset. Quarto, vt tanto maius Apostolorum gaudium foret, cum tanto se ereptos discrimine cernerent: quo enim fluctus magis magisq; intumescebant, quo & metu & formidine maiori exanimabatur. atq, vt timor periculi ingens fuit, ita quoq; liberationis gaudium magnum fuerit oportet. Ideoq; *motus magnus factus est in mari.* *Matt. 8.*

Per mare hoc Genezareth stagnum intelligendum.

Porro, nullum hic mare aliud intelligendum, quam stagnum Genezareth; ita namq; ipsum Lucas cap. 8. appellat: maris autem nomine Matthæus vocandum ipsum censuit, quod late pateret, & multa passuum millia complecteretur. Nemo aũt, dum tam horrẽda tempestate nauem hanc eum maximo naufragii periculo audit iactari, tantam vẽtorum vndarumq; audaciam fuisse sibi persuadeat, vt nauim qua Dominus, ventorum fluctuumq; moderator, veheretur, cõcutere præsumpserint; nisi diuina huc volũtate cõcurrente, tantamq; maris rabiem permittẽte: vt ita potentiam suam, quemadmodum olim tempore Ionæ Prophetæ, declararet.

Vbi Deus adest, semper rarum quid accidit. *Matt.21.* *1 Reg.4.* *1.Reg. 5.* *Colos.3.*

Notandum hic etiam, semper insolitum quid & rarum accidere, vbi Deus adest. nam quamprimum vt Ierosolymam intrauit, *commota est vniuersa ciuitas.* Arca Domini cũ in castra Hebræorum descendisset, Philisthæi ob insolitum hostium gaudium obstupescẽtes dixere, *Quæ exultatio est hæc? qualis nõ fuit heri & nudius tertius?* quo insinuatur, Deum pertinaces & obstinatos animos, quos semel subierit, conuertere, & cera molliores reddere.

Cum eandem Arcam in fanum Dagon intulissent, miser Dagon quamprimum comminutus ad terram concidit. Docemur hic, Deo animam subeunte, idola eius confestim concidere & perire: ruere inquam idolum auaritiæ, quam hoc nomine Apostolus nuncupauit; idolum quoque gulæ, luxuriæq; oĩa deniq; animæ nostræ idola trunca & mutila ad terram delabi. Deus siquidem animarum nostrarum territorium ingressus, easdẽ mirabili quadam ratione conuertit, mutat, inq; nouos nos homines transformat.

Spiritus Domini cum in Saulem descendisset, in alium prorsus virum eumdẽ mutauit, *1.Reg.10.*

uit, adeo, vt qui agrestis & minax fuisset, iam manſuetiſſimus & benigniſſimus mortaliū videretur. Quod olim Regi huic, quotidie ijs accidere conſueuit, quos Deus viſitare & inhabitare quodammodo dignatur: omnia nimirum mutata, quadrata rotūdis, ita ſummis naturam veterem transformat in nouā, longeq; meliorem, petram conuertit in torrentem, vitia in virtutes, tenebras in lumen iucundiſſimum, procellas in ſerenitatē, turbas in requiem & pacem, inſcitiam in ſcientiam, mortem denique in vitam. Docuit hoc me Pſalmographus dicens, *A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iacob: qui conuertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.* Hæc autem mutatio rarum quid eſt & inſolens à dextera Eccleſiæ profectum, & virtutem Altiſſimi patefaciens, eius inquam qui ventos hodie & fluctus compeſcit, ijſq; arma extorquet.

Deus animam intrans, eādem immutat.

Pſal. 113.

*Motus magnus factus eſt in mari.* Credit Ambroſius, Beda, Thomas, & Gloſſa ordinaria ob ſceleſtum & proditione infamem Iudam Iſcariotem hanc tempeſtatem excitatam, ex quo colligere poterimus, quot mala & calamitates illi domui impendeant, in qua ſceleratus & impius commoratur. Si ob vnius Ionæ inobedictiam quamuis metu inuectam, mare cōcitatum nauem qua alij plurimi vehebantur in extremum naufragij diſcrimen coniecit; ſi ob vnius Achan furtum Iſrael ad internecionem propemodum deletus eſt; ſi ob trium virorum illorum ambitioſorum Core, Dathan & Abiron ſuperbiam, omnes eorum domeſtici & cōmilitones viui ad inferos, per dehiſcentem terræ voraginem deſcenderūt; magnum profecto afferre exitiū perniciemq; vnius praui ſceleratiq; cōmercium credendum eſt. Semper namq; vbi impiorum congregatio eſt, tempeſtates excitātur, pericula frequentia ſunt, & diſcrimina obuia. Date igitur operam, ne quem impium aut vitijs infamem in familiam veſtram adoptetis, niſi extremam capiti veſtro ruinam arceſſere velitis.

Matt. 8. Iudas huius motus cauſa.

Iona. 1.

Ioſue 7.

Num. 16.

Hanc porro in familia inſtituenda regniq; miniſtris ſeligendis cautionem adhibuit rex Dauid: *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum, ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat: non habitabit in medio domus mea qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorum meorum.* Id eſt, nullos vmquam niſi probos in hoc mundo dilexi, & ſi quem in regno meo iuſtum Deique timentem repetire erat, hunc in familiam meam adoptaui; quin & ita improbos, vitæque cōtaminatæ, ſuperbos, turgidos, vitiiſque deditos abominor & deteſtor, vt nullus vmquā impius domum meam ſit ingreſſurus. Et merito; cum peccatores tempeſtatum & malorum familijs in quibus habitant ſuperueniētium cauſa ſint.

Pſal. 100 Dauidis in ſeruorum delectu cautela.

*Motus magnus factus eſt.* Ipſe forſitan Chriſtus motus huius cauſa fuit; antequam enim nauim conſcenderet, mare pacatum & quietum erat, inſoleſcere vero & tumere cœpit, dum in altum prouectus eſſet. Docemur hic, eos qui ſine Deo viuunt, eiuſq; ſocietate nō gaudent, ementita quadam & ficta pace, belliſque deteriore gaudere. Teſtatur hoc ipſum Chriſtus in Euangelio dicens, *Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet.* Tunc ſcilicet Dæmon gaudens ait, quod Holofernes olim de ſe iactabat, *Ego numquam nocui viro qui voluit ſeruire regi Nabuchodonoſor.* Sed dici non poteſt, q̄ pax hæc noxia ſit & periculoſa, quā triſtes ſub riſu hoc lacrymæ deliteſcant: de hac ſiquidem Iſaias locutus videtur, *Ecce in pace hac amaritudo mea amariſſima.* Idcirco quamprimum animarum noſtrarum Deus cymbam ingreditur, tempeſtates & turbines exſpectemus neceſſe eſt. Huc alludēs Chriſtus, dicebat ſe bellum & non pacem mūdo attuliſſe: *Non veni pacem mittere, ſed gladium.* Cum enim quis firmiter ſecum ſtatuit peccatis ēgredi, & virtutum ſemitam ingredi; tūc bella interna deſæuiunt, tribulationes & tentationes ingruunt, tempeſtateſque validæ cōcitantur.

Matth. 8.

Luc. 11.

Iud. 11.

Iſai. 38.

Matth. 10.

Appoſitam huic propoſito ſimilitudinem attulit Chryſoſtom. Fur, inquit, domui non inſidiatur, quam fœno, ſcrutis, rebuſq; alijs nullius momenti ſcit plenam eſſe, ſed palatiis, ædibuſque amplioribus, quibus lautam ſupellectilem & magnam opum vim nouit incluſam. Dæmon, latro ille ſacrilegijs & rapina infamis, nullos etiam infeſtabit aut tentabit,

Diabolus nullos tēntat, niſi qui in ſtatu gratiæ ſunt.

tabit, nisi quos meritis, virtutibus gratiarum donis & charismatibus, eique perfectione prouectos nouerit; inopes vero & in via perfectionis non vsque adeo progressos deserit aut contemnit. Quod & Gregorius calculo suo confirmat, *Dæmon eos tentare negligit quos quietis ture se possidere sentit*, virtutibus inopes, & vitiis opulentos. Exemplum euidēs, quod modo præ oculis habemus, rem testatam faciet, in quo mare nauē Apostolorum exagitat, quod Christus eam ingressus sit.

VI. *Matt. 8.* Nihil in mundo stabile.

*Motus magnus factus est in mari.* Cum cymbam qua Christus mundi Redemptor vehitur, tempestatibus quassari video, & Apostolos pelago iactari ipse mihi persuadeo, nihil in hoc mundo stabile aut solidum reperiri. Notauit hoc Glossa. Et sane quantumuis Christum socium haberemus, quantumuis ille nobis semper adesset, semper tamen metuere opottet, imo nusquam non timere: *Prou. 28.* *Beatus* enim, inquit Sapiens, *qui semper est pauidus.* quin & Bernardus exclamat, *Nusquam est securitas, nec in paradiso; multo minus in terra.* Angeli quippe cœlo excidere, primi mortalium satores paradiso eiecti sunt, & Iudas sancto Apostolorum contubernio, indignum se reddens expulsus: hodie ecce nauim, qua Apostoli nauigant, tempestas exagitat, adeo vt omnes præ metu exalbescant.

Qui Christum sequuntur, tempestates experiuntur.

Antequam Christus nauim ingrederetur, mare stratum videbatur, vndæ quiescebant, fluctus peccati subsidebant, nec venti prælia inter se miscebant: at mox vt Christus mare conscendit, ecce tibi subito tempestates insurgere, mari intumescere, vndæ sursum librari, venti desæuire, decumani fluctus volui, aer turbari, piceoque tegi cœlū velamine, tonitrua exaudiri, fulgura coruscare; omniaq; sursum deorsum moueri, & discrimē certissimum minari ac naufragium; malus ecce comminuitur, vela lacerantur, funes & rudētes vt festuca diffringūtur, nauis quoq; iam iam aquis absorbenda & fluctibus videtur haurienda, adeo vt cœlum, terra, atq; omnia elementa in Christum eiusq; discipulos conspirasse visa sint. Cur autē qui Christum sequuntur, tempestatibus exagitētur, inque periculo versentur, varię dari rationes possunt. primo quod quicunq; Christum in aqua & alto religionis mari sequi desiderant, tacite carpant & coarguant eos qui in terra desides & meticulosi permanent. Hinc de Christo dixere impii, *Sap. 2.* *Contrarius est operibus nostris*, qui nimirum paupertate sua diuitias nostras, humilitate superbiā, sobrietate ingluuiem castigat ac reprehendit. Scilicet, omnes sancta vitæ illius nauigatio exagitabat, quia tacite omnium mores corripiebat.

Simia speculum odit; quod eadem deformitatē eius exhibeant.

Atque vt simia, superbiæ & malitiæ symbolum speculum horret, & vbicumque potuerit, frangit, ne in eodem corporis sui turpitudinem videat; & vt camelus, monstrum illud dorsiferorum animalium, aquā limpidā semper turbat, ne gibbum, quem se gestare tergo nouit, videre cogatur: ita mundus, ne vitia sua videat, proborum vitam semper carpit & aduersus eosdem bellū mouet, exēplum quæritis? Quamprimum ecce, vt Ioānes Zachariæ, anachoretarum caput & Primas, Herodis aulam ingressus est, omnia cōcitantur, tantaque aduersus eum tempestas insurgit, vt ceruicem simul & vitam amittat: austeritate namque sua regias delicias suaq; continentia adulterium & incestum regis castigabat.

Iusti semper tempestatem patiuntur in mundi huius pelago.

Altera tempestatis huius ratio est; vt hinc manifestum foret, iustos & probos, quādiu mundi huius mare nauigant, tempestatibus & procellis concuti: mundus enim fideles Christi Iesu seruos hospitum & peregrinorum instar habet. Quod ne insolitum aut nouum Apostolis videretur, Christus eos præmonendos censuit, dicens, *Si essetis de mundo, diligit vos mundus; quia vero de mundo non estis, odit vos mundus.* *Ioan. 15.* Ciuis ciuem vt ciuē tractat, sed alienigenā & externum, nonnisi vt ignotum & hospitem: non secus etiam mundus iustos persequitur, piis bellum mouet, sanctā instituere vitam volentes grauissima tyrannide premit; & quoties aliquis nostrum aliā vitæ rationē inire conatur, tempestates excitat: contra vero si per omnia vitiorū genera euagetur, ad omnia scelera habenas laxet, viāq; latā ingrediatur; pace perpetua gaudebit, deq; nullo hoste sollicitus, quietē aget.

Mundus iustos & probos vt peregrinos habet.

Simile.

Quamdiu enim maleficus carceribus cōclusus tenetur, nemo ei grauis est, aut negotium

tium faceſſit: ſi clam fugã inſtituere, aut carcerum repagula violenter velit effringere, omnes in eum manus injicient, quotquot obuios habuerit, tot hoſtes experietur. Quod egregia etiam figura è libris Regum deprõpta manifeſtum reddam. Dauid priuſquam molem illam carneam, coloſſeum illum gigantem funda ad terram dieciſſet, & enſe ei proprio ceruicem præſcidiſſet, omnib. gratus acceptuſq; erat, omnes illius ſocietatem ambiebant, ipſe quin etiam rex Saul eo vt cytharædo vtebatur, eumque in delicijs habebat: at heroico hoc facinore edito, gigante proſtrato, & Iſrael in libertatem aſſerto, omnes in eum collatis votis conſpirabant, necemq; ipſi machinabantur. Quid hoc? aliud nihil quam Chriſtianos, mundo bellum inferre & peſſumdare eundem volentes, tempeſtatibus obnoxios reddi, & animarum eorum cymbam, vt hodie Apoſtolorum, iratũ oblocutorum & dæmonum mare experiri. *Motus magnus factus eſt.*

1. Reg. 17.

Chriſtianus mundum oppugnaturus tempeſtatem ſentiet. *Matt. 8.*

Piratæ eas potiſſimum inuadere naues ſolent, quas auro, gemmis, rebuſque pretioſis onuſtas norunt: non ſecus etiam infernalis ille prædo Satan, viſo hodie nauem illam opulentam & diuitem, in qua omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei reconditi erant, Chriſtu, inquam & diſcipuli, mare conſcendiſſe; omni ope eamdem inuadere, deprædari, & exſpoliare nititur, vẽtos armat, tempeſtates ciet, fluctus coaceruat, & vniuerſum mare turbat & cõcitat. Hoc igitur modo Satan, pirata ille barbarus, & cerdo ille immitis cum animab. agere conſueuit. Cum magnus ille doctor Paulus, velut vas & nauis electionis, gratijs & donis ſpiritualibus onuſta, in mundi huius mari enauigatura, tertio cœlo delapſus eſſet; ecce ſubito ſpiritũ illum improbitatis, angelum Satanæ, tanto impetu in eum inſilientẽ, vt neceſſitate vrgente genua in terram ſæpenumero proſternere coactus ſit, diuinum auxilium implorãs, quo ab hoc tyrãno liberaretur; *Datus eſt mihi*, inquit, *ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me.* Ecquænam bella, ecquæ tempeſtas! inde diſcimus eos quos meditatio interdum in altum tollit; quique vitam hoc in mundo viuũt angelorum, importunis nihilominus mundi inſultib. obnoxios eſſe, & Satanæ ac principum tenebrarum morbus ſubiectos, imo nunquam ſine tempeſtatibus viuere.

2. Cor. 12.

Hos inſultus dum Chriſtus meueret, ſuique in libertatem vindicandi ergo in deſertum ſeceſſiſſet, atque inſtar mercatoris pretioſis cimelijs onuſti latebras quæreret; tartareus ille prædo hæc ſubodoratus, tempeſtates ciet, tentationes in aciẽ producit, mũdum quin etiam vniuerſum ad eum circumueniendum offert, *Hæc omnia tibi dabo.* Ita quotquot Deo ſeruire decreuere, eumq; ſequi, tempeſtates experiantur neceſſe eſt. ℞ perſpectum habẽs Propheta regius dicebat, *Cuſtodi animam, quoniam ſanctus ſum:* non hic de ſanctitate parta, non de proprijs meritis loquitur, ſed diuino ſe ſeruitio mancipatum confitetur; quaſi dixiſſet: Toto vitę tempore me clientem tuum confiteor, & nunquam à ſeruitio tuo declinabo, atq; ideo maiori auxilio indigeo.

*Matt. 4.*

*Pſal. 85.*

Religioſi cuiuſdam viſio.

Refert in hanc rem viſum quoddam Caſſianus, quod Religioſo cuidam apparuiſſe ſcribit. Hic cum orationi in ſpelunca, quam ſibi in habitationem delegerat, intentus in genua procumberet, integrã dæmonũ progredientium legionem vidit, quam princeps Lucifer ceteris elatior & deformior duceret. Cum omnes ordine tandem proceſſiſſent, princeps throno inſidens, ab omnibus rationem diei tranſactæ exegit; qui negligentiores in hominibus peruertendis fuiſſe comperiebantur, acriter corripiebantur, imo & flagris ſubiiciebantur; contra vero qui diligentius peruerſioni huic inuigilauerãt encomijs digni cenſebantur. Inter ceteros quidem ſceleratus dæmunculus, viginti quinque ipſos annos in religioſo quodam tentando ſe inſumſiſſe referebat, & hactenus operam & oleum perdidiſſe; ſed hodie tandem aliquãdo triumphum & victoriam reportaſſe, ad ſacrilegum cum virgine ſacra concubitum non modo eum pelliciendo, ſed ad nuptias cum eadem contrahendas etiam exſtimulando. Hic omnes ſuſurrare, & magnis ſceleratum hunc laudibus efferre, imo tanquam re bene geſta congratulari. Hinc igitur manife-

nifestum est, iustos & probatæ vitæ viros tempestatibus subditos esse, & dæmonibus oppugnari, solumq; Christum eosdem posse compescere, qui *Surgens imperauit mari & ventis.*

VII. *Matt.* 8. Præsulib. Ecclesiæ dormitãtibus tempestates excitãtur. *Cant.*7.

Ausimne dicere hanc diuino nutu tempestatem accidisse, vt nimirum Christo dormitante surrexerit eoq; experrecto resederit; & demonstrare voluisse, Episcopis & Ecclesiæ Pastoribus negligentiæ lethargo oppressis, tempestates sæpenumero in Ecclesia & persecutionum procellas oriri; & easdem, cum strato surgunt, & vigilias super gregem agunt, sopiri & detumescere? Huc scriptor quidam verba illa Canticorum traxit; *Mane surgamus ad vineas, videamus si vinea nostra floruit.* & sane quicunque vineæ præpositus est, quodammodo insomnes noctes ducat, summo mane strato membra corripiat, præsentiaq; eam sua sæpius visitet ac recreet necesse est.

Præsatus in loco cui præest, residens, lunæ assimilatur.

Quamuis luna noctis præses omnium planetarum minima sit, maiores tamẽ ceteris in res terrenas inflexus includit: cuius rei hæc esse potest ratio, quod terræ proxima sit & à rebus inferioribus non admodum remota. Vt proposito hoc adaptem, dico Episcopũ & Præsulem, quamuis fortasse minus doctum, in diœcesi tamen versantem sua eamque sæpius circumambulando visitantem, ouibus suis vtiliorem esse quã subtiles doctores in aulis versantes, procul ab ouibus & diœcesi constitutos.

*Act.*5.

In Apostolorum Actis legitur, Petro per regionem obambulãte, mortuos vmbra illius inumbratos ad vitam rediisse. Crediderim hoc factum, vt hinc manifestum foret, quantum etiam sola pastoris vmbra Ecclesiæ, vel diœcesi emolumenti adferat, quamque vtilis sit ouib. pastoris præsentia pſertim morbidis, aut intrinsecus Deo mortuis, Episcoporum absentiam aliquoties deplorans. Bernardus pastorumque & custodum oscitantiam & somnolentiam reprehendens: Si cui, inquit, phiala pretioso Iesu Christi sanguine plena in custodiam mandaretur, quanta eam cura, quantaque diligentia custodiret! Dum vero vel vnica anima sanguini hinc equipolleat, nam pro eadem effusus est; cur cui eadem commissa est, eiusque pretium & valorem perspectum habet, non eadem etiam diligentia sedulitateque ipsam seruabit? Ipsa igitur pastorum absentia ouibus tempestatem procreat, præsentia vero serenitatem tranquillitatemq; superinducit. *Surgens imperauit ventis & mari.* *Matt.*8.

Pastoris præsentia gregi prodest.

Præsagus futurorum Dauid hoc olim miraculũ à longe præuidit, dum diuinorum encomiorum catalogum texens inter cætera cecinit: *Tu Dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas*, vel, vt hũc locum interpretatus est Hieronym. allegoricum sensum secutus, Tu dominaris mundi potestati, Domine, & tempestates in electos tuos excitatas tu mitigas. Idem propemodum & alio loco, *In aquis multis ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.* & Psalmo septuagesimo sexto, *Viderunt te aquæ Deus & turbatæ sunt abyssi*, & sonitum verborum tuorum & imperium. *Psal.*88. *Psal.*106. *Psal.*76.

Pacare fluctus & ciere solius Dei est.

His addo, quotics in Sacris litteris fluctus sedati & excitati, mare tranquillatum & turbatum, vnde subsidentes & tumescentes leguntur; semper virtutem quandam cœlestem & à diuina profectam dextra designari. Vnde apud Isaiam, *Ego Dominus Deus tuus qui conturbo mare.* Dauid quoque vates, Dei mirabilia exaggerans, mare conturbatum, & eleuatos fluctus imprimis stupet, *Qui conturbas profundũ maru.* Discamus hinc, quod sanguineis deplorandum est lacrymis, creaturas omnes, licet sensus & mentis & rationis expertes, ipsum quin etiam mare, Deo quam promptissime in omnibus obsequi, & solum hominem, ratione præditum & cœlo originem ducentem, eidem resistere, eiusque præceptis aduersari. Quod apud Ieremiam olim deplorauit, Iudæos ingratitudinis coarguens, *Audi populе stulte qui non habes cor, qui habentes oculos non videtis; aures, & non auditis. me ergo non timebitis, ait Dominus, & à facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum quod non præteribit, & commouebuntur & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transilient illud: populo autem huic factum est cor incredulum exasperãs.* Id est, nihil est ô ingrata creatura, quod rebellionem, peruicaciam, duritiamq; tuam refra- *Psal.*64. *Ieremi.*5.

refractariam magis cõdemnet, quam prompta illa insensibilium rerum obedientia, præsertim cum furentes illi maris fluctus, tumentes vndæ, & insolens oceanus intra arenæ terminos inclusus vlterius progredi non audeat, nec transgredi præfixos ab æterno numine limites præsumat; & tu sola mente & ratione prædita, libero arbitrio dotata, obedientiæ limites transgrederis, & inordinatos affectuum impetus sequeris, quoque illi impellunt moueris. O ingratitudinem singularem! mare Creatori obsequitur, & solus, prô dolor! homo illius imperium negligit, & refractarius inuenitur, *Surgens imperauit mari & ventis.* Matt. 8.

*Imperauit ventis* vt ostendat, eum non extendisse, virgam, vt olim Mosem, dum mare rubrum transiret, fecisse scriptura narrat; nec pallio aquas tetigisse, vt in Iordane olim Elias præstitit; sed absoluta quadam potentia & auctoritate, velut seruo Dominus, Creaturis creator, mari imperasse. Raguelis filia Sara præuiderat hoc ipsum cum diceret, *Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem & fletum exultationem infundis*, & melius Psalmographus, *Dixit & stetit spiritus procella.* & alio loco, *Nix, glacies, spiritus procellarum quæ faciunt verbum eius*, & alibi; *Omnia seruiunt tibi*, teque Dominum suum agnoscunt. Exod. 14. 4. Reg. 2. Tob. 3. Psal. 106. Psal. 48. Psal. 118.

Cõclusio. At iam satis superque in mari hoc euagati sumus tempestate iactati, ventis huc illucq; pulsi, & immensum spatijs confecimus æquor; iam littori cymbam applicemus, portumq; ingrediamur. Quamobrem, Auditores, miraculum hoc animis vestris insculpite, cogitate mundum hunc nõnisi mare esse, in quo iusti & probi tempestatibus concutiantur. Mementote, vos Christum tam in terra, quam in mari sequi, & cum illo procellas experiri debere; deinde nihil in hoc mundo firmum aut stabile reperiri, cum ipsa qua Apostoli vehuntur nauis, ventis huc illucque pellatur. Perpendite etiam quam noxia improborum sit societas, quantamq; pernitiem afferre soleat, cum vnicus Iudas in causa sit, cur reliqui Apostoli tempestate agitẽtur. Hinc in Deuteronomio vetuit Dominus ne quis bouem asino ad aratrum, velut impari iugo, copularet. Designare mysterium voluit, non debere iustos cum sceleratis societatem inire. Bos enim figura est eius qui collum legi diuinę subiicit, asinus vero eius, de quo in Psalmis est mentio, *Homo cum esset in honore, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus.* Deut. 10. Psal. 48.

Tu autem, summe Deus, qui tuam in mari potentiam ventos compescendo, tempestatem sedando, tranquillitatem que aduocando ostendisti; cum nauis hæc tempestatibus iactata Ecclesiam tuam repræsentet, ratem illam, quæ tot iam annis in mundi huius pelago fluctuauit, tot tempestates perpessa est, & hæresium ventis etiam num cõcutitur, illæsam conserua, à naufragio immunẽ præsta, tempestates seda, ventos fræna, persecutiones aufer, tumida æquora placa, auramq; serenantem aduoca. Deinde cum miser hic mundus, oceanus quidã turbulentus & tempestatibus obnoxius sit, quas nos pati cogimur; gratia nobis tua succurre, nauem ipse nostram ingredere, adesto, opitulare, à tentationibus & insultibus nos defende, vt, dum omnia hic tranquilla & quieta fuerint, salutis, id est æternæ felicitatis portum, te dirigente, feliciter ingredi valeamus, cuius nos compotes reddat qui viuit & regnat in sæculorum sæcula Deus, Amen.

## DOMINICA QVINTA POST EPIPHAN.

Partes.

1. *De patientia Dei peccatores tolerantis.*
2. *Quis, qualisq; seminator, & quod semen.*
3. *Qua causa Deo, peccatores toleranti.*
4. *Hæreticos esse eradicandos.*
5. *De Christianis saluti indormientibus.*
6. *De vtriusq; Magistratus dormitantia.*
7. *Quis inimicus sator sit lolij.*

*Simile est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo.* Matt. 13.

### FIGVRA.

INTER cætera quæ fidelis ille & amans Canticorum sponsus, dilectæ suæ blan-

diendo promittit, murænulas & inaures se daturum illi pollicitus est, sed similitudines aurisnam loco verborũ Vulgatæ, *Murænulas aureas faciemus tibi*, septuaginta transtulerunt, *Similitudines aureas faciemus tibi*. Denotabant hæiam inde parabolas & similitudines, quas sacer ille sponsus Christus, Ecclesiæ suæ aurib. esset inditurus, qui sine parabolis non loquebatur ei: neque enim par erat, vt profunda illa, sublimia, atque ab hominum mentibus & oculis semota mysteria, quæ Christi ab ore nectaris instar vt plurimum profluebant, nuda exponerentur, sed æquissimum, vt similitudini velut auro quodammodo insererentur, itaque proponerentur. Inter quas principem locum occupare mihi videtur illa, quæ hodierno inclusa Euangelio prælegitur quam vt ipse debite exponere, & vos fructum ex expositione haurire possitis, communi cœlestem opem suffragio imploremus: in quo sanctissima nobis Deipara patronæ & mediatricis vice fungatur, quam idcirco angelica salutatione compellabimus.

*Cant. 1.*

## AVE MARIA.

I. Mirum est impios à Deo æquanimiter tolerari in hoc mundo.

Nihil est quod tantopere iusti demirantur & obstupescunt, quam impiorum prosperitatem, diuinamque clementiam, quæ eos tam æquanimiter toleret, eorumque nequitiam ita patienter ferat, quasi eorum scelera vel non videret, vel visa castigare negligeret. Dauid rex cum attentius hoc animo volueret, nec diuinorum iudiciorum abyssum comprehenderet; aperte confitetur, nõ mediocriter angi se & turbari, imo quodammodo indignari, dum sceleratorum pacem quietudinemque qua in hoc mundo gaudẽt, cerneret: adeo vt dubius hæreret & anxius, virtutisne semitam prosequeretur quam ingredi cœperat, an vero latum perditionis damnationisq; iter insisteret, de diuina propemodum prouidentia diffidendo. Audiamus quid dicat, *Mei autem pene moti sunt pedes pene effusi sunt gressus mei pacem peccatorum videns* Quin idem & alio loco demiratus, ait, *Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur, effabuntur, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes qui operantur iniustitiam? populum tuum Domine humiliauerunt: & hereditatem tuam vexauerunt.* Id est, vnum hoc non possum quin demirer, quod impios æquanimiter sustineas, ijsdem parcas, connigeas, indulgeas, longanimis eos ad pœnitentiam expectes, eorumq; peccata infernalibus suppliciis non expies.

*Psal. 72.*

*Psal. 17.*

Magnus ille Propheres Abacuc, is inquam quem Angelus è Iudæa comis apprehensum in Babylonem sublimem per aera transuexit, eandem quæstionem proponit dicens, *Quare non respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se, & facis homines quasi pisces maris, quasi reptile non habens Principem?* Id est, paucis vt comprehendam, Cur sustines eos qui sceleratam vitam ducunt, teque peccando ad iracundiam prouocant?

*Abac. 1.*

Tam singularis porro hæc Dei erga improbos patientia indulgentiaq; est, vt hinc multi occasionem dicendi acceperint, rerum harum inferiorum Deum nullam curam habere, deque iis haudquaquam solicitum esse? quin vlterius progressi sunt, eo vt certam huius rei rationem Spiritus sanctus in sacros libros referre debuerit: quam chordam in Epistola sua Petrus tangens ait, *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Atque hoc est, quod omnes hactenus demirati sunt & modo etiam demirantur.

*2. Pet. 3.*

Vetulæ cuiusdam acerbius dictum in Stratonicum.

Citharædus, Stratonicus nomine, Corinthum ingressus cum vetulam quamdam curiosius in se oculos coniicientem vidisset, stomachatus & indignans cur fixis se oculis intueretur, rogauit, quæ nihil morata, mox subintulit, *Demiror*, inquit, *si mater te nouem ferre menses potuit, cum ciuitas vno te vix ferre die queat?* Quam scite hoc de improbis dici queat! est enim summa admiratione dignũ, qui Deus tanto illos tempore in patientiæ suæ vtero ferre queat, cum mundo gsauesit, eosdem vno solum die, imo ad horam in vitæ huius theatro sustinere.

Timon ille bipedum nequissimus, naturæ inimicus hominumque osor acerrimus, & proinde à Græcis μισάνθρωπος appellatus,

tus, interrogatus olim quid tantopere homines odisset, *improbos*, inquit, *odi quia improbi sunt: probos vero, quia improbos non odere.* at non fouet huiusmodi sub pectore pestem Deus. Videtur quippe sceleratos diligere potius & patienter ferre, contra vero detestari eos qui impijs supplicia irrogata volunt: *Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.*

Solon interrogatus olim, referente Stobæo, qua ratione fieri posset, vt nullũ in repub. aliqua scelus committeretur, respondit, *Si tam indignarentur illi quibus non est facta iniuria, quam quibus facta est* Nõ ita Deus. nam tametsi iuxta Psalmistam sceleratos omnes odio prosequatur, (*odisti omnes qui operantur iniquitatem*) in ijs castigandis tamen vsque adeo præceps non esset, sed admiranda quadam longanimitate eos, donec resipiscant, & pœnitẽtia delicta eluant exspectat. Atque hæc Dei nostri bonitas admiratione digna est.

Hoc cum olim principi Apostolorũ Deus testatum vellet, linteum magnum cœlo demisit, hinc auibus & volatilibus, illic serpentibus, animantibusque venenatis refertum. Denotare linteum iam inde hoc voluit, serpentes & crocodilos, peccatores inquam, vna cum electis & iustis, per diuinam patiẽtiam tolerantiamque, casto Ecclesiæ sinu contentos, conseruandos, & saluos fore.

Ipse quoque Redemptor Christus cum in parabolis populum olim doceret, ait, Regnum cœlorum simile esse sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Vt vulgarem hic sagenæ huius cum Ecclesia, bonos & improbos complectente, comparationem omittam, aio Christum hic ostendere voluisse, diuinæ prouidentiæ sagena iustos simul & peccatores, qui instar piscium in mundi huius pelago natitant, comprehendi.

Eodem in vtero nutriebantur gemini, Iacob & Esau, hic reproborum, ille electorum symbolũ: qui quamuis inter se nonnunquam decertarent & colliderentur calcibus se mutuo impetẽdo: abortũ tamen mater idcirco non est passa, sed luctatores hos patienter, donec pariendi tempus aduenisset, tulit Dei nostri patientia vere Rebeccæ vterus dici poterit. in hac enim electi & reprobi comprehenduntur & educantur: qui tametsi sæpius inter se digladientur & contendant: nullum tamẽ inde damnum sequitur, sed Deus bonitate quadam admirabili & misericordia, eosdem, ad mortem vsque vel sæculorũ finem, quando omnia in apertum proferentur, tolerat.

Dei patiẽtia vtero Rebeccæ comparatur.

Vt igitur de longanimitate hac diuina loquendi finem faciamus, exemplum euidens hodiernum Euangelium suppeditabit. In eo videbitis patremfamilias bonum semen agro suo committentem, & inimicum hominem deinde zizania superseminantem: videbitis, inquam, agrum bonam sementem & simul zizanias proferentem, quas tamen prudens ille paterfamilias colligi noluit, sed vsq; ad tempus messis crescere, ne forte eradicãdo zizaniam eradicarentur simul & triticum. Mysterium describit Matthæus: verba textus hæc sunt, *Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo.* Vt egregiam hanc parabolam dignè exponam, bifariam eam diuidam: primo bonitatem Dei bonũ semen seminantis, zizaniamque eradicari nolentis, ac deinde Satanæ zizania superseminantis, malitiam peruersitatemq; aperiam.

II. *Matth.* 13.

Principio igitur, iam ab ipso mundi primordio, Deo seminantis, & agricolæ nomen inditum est: an non enim dextera manu cœlum, sinistra vero terram conseuit, cum illi angelorum semen, huic vero hominum concrederet? Huc quam proxime accedens Ieremias, coloni eum nomine nuncupatum censuit, *Quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator.* quin & ipse Christus agricolæ se filium confiteri non erubuit. *Pater meus agricola est, &c.* & apud Zachariam, *homo agricola ego sum.*

Seminatoris nomen Deo propriũ. *Ier.* 14. *Zach.* 13. *Ioan.* 15.

Fuit nimirũ diuinus ille & eximius agricola, cui soli datum est, in boue & asino simul terram proscindere: tulerat quippe Deus olim legem, nequis colonorum boui asinum in arando, velut impari iugo, copularet, *Non arabis in boue simul & asino.* Hoc nimirum magno illi colono reseruatum erat, qui idcirco, quam primum in hunc



*Maxim. ser. 6.*

*Ezech. 33.*

*Stob ser. 41.*

*Psal. 5.*

*Act. 10.*

*Matth. 13.*

*Gen. 25.*

mundum natus est, in stabulo Bethlehemitico reclinari voluit, bouem inter & asinum medius, vt eos iam inde copulans & annectens iugo, arationem suam inciperet. atque hoc est quod Propheta olim ait. *In medio annorum notum facies*, vel *In medio duorum animalium cognosceris*, vt Septuaginta. Id est, Quando medius inter duo hæc animalia videberis, an non hinc manifestum fiet, verum te agricolam esse & colonum?

*Deut. 22. Abac. 3.*

Prudentis autem & periti agricolæ est, vbi agrum spinis, vepribus, sentibus, saxis, lolio, carduis & rubigine sterilescentem viderit, prius quam bonam ei sementem concredat; eundem incendere, omnemque illam pestem flamma expiatrice auferre. Colono quem format olim hoc consuluit Maro in Georgicis dicens:

*Luc. 12.*

*Sæpe etiam steriles incendere profuit agros.*

Iusti semẽ Ecclesiæ sunt.

Vnigenitus Dei filius cum sub coloni & agricolæ specie in mundum venisset, videretque sterilem mundi huius agrum nonnisi tribulos, lappas, melathium & infœlix loliũ cum vrticis ꝓferre, radicibusq; noxiis scatere: prius quam bono Euangeli semine eum consereret, flammam ingentem excitauit: ideoque etiam Spiritus sanctus in forma ignis in die Pentecostes apparuit: indeque factum est; vt mox, luxuriante segete, eximia quædã & insolita fertilitas per vniuersũ mundum apparuerit, omnemque priorem sterilitatem exterminauerit. Atque huc trahemus, quod Dominus deinde de se in Euangelio testatus est, *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur?*

*Isai. 1.*

*Luc. 12.*

Idem hic agricola, Ecclesiæ deinde aruo bonos & electos, velut semen bonum, concredidit. ita namque iusti in Scripturæ volumine sæpius nominantur. *Nisi Dominus nobis reliquisset semen*, iustorum & piorum, *quasi Sodoma fuissemus*. Porro Hesychius Cõmentario in Leuiticum per semen hoc Apostolos designari existimat, quos post Iudæorum ruinam & destructionem, velut reliquias, superfuisse credit. Cyrillus quoque Alexandrinus & Procopius de iis ipsis locum illum Isaiæ de vocatione gentium ad fidem agentis accipiunt. *Omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Hoc modo etiam intellexit Galatis scribens Apostolus, *Si vos estis Iesu Christi, ergo semen Abrahæ estis secũdum promissionem hæredes.* Sicut autem electos per bonum semen, ita sceleratos & impios per semen nequam & zizaniam scriptura designare consueuit. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, &c.*

*Isai. 61. Gal. 3.*

*Isai. 1.*

Agricolæ huius bonitas.

III.

Prudens profecto ac sedulus agricola est, sed in labore eheu infelix: nam postquam semen bonum in agro seminasset, dormientibus aliis, venit inimicus, & superseminauit zizaniam, nuntiantibus autem id seruis, eãque agro euellere volentibus, ait: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus*, vt zizaniam à tritico discriminent: iam autem eam colligi nolo, ne forte colligentes zizaniam eradicetis simul & triticum. Diuinam hic bonitatem demiratur Hieronym. inimicos æquanimiter tolerantem, nolentemque eos tam subito ac repente è mundi huius agro euelli: sed quæ illius benignitas & clementia est, ad pœnitentiam eos diutissime expectãtem, tempusque resipiscendi indulgentem. Si enim Deus peccatores statim ab admisso peccato castigaret, næ illi infælices ac miseri forent, quin & sæpenumero bonum semen vna cum zizaniis euelleretur. nam qui hodie reprobus & peccator est, cras forsitan, per pœnitentiam & lacrymas ad Deum conuersus iustus fiet: quiq; hodie diabolis associatur, in Angelorum fortasse tandem aliquando choros assumetur. Eius verba sunt hæc, *Datur locus pœnitentiæ & monemur ne cito amputemus fratrem: quia fieri potest, vt ille qui hodie noxio deprauatus est dogmate cras resipiscat, & defendere incipiat veritatem.*

*Matt. 13.*

Dei bonitas peccatores tolerando.

*Hieron. in Matthæã.*

Idem propemodum habet Augustinus, & Petrus Chrysologus dicens, *Si zizaniis Dei patientia non subueniret, ne Matthæum de publicano Euangelistam, nec Paulum de persecutore Apostolum, nec Magdalenam de peccatrice pœnitentem Ecclesia possideret.* O misericordiam incredibilem! exclamat hic Chrysostomus, sex diebus, inquit, mundum Deus vniuersum, & omnia quæ eodem continentur condidit: sex quoque diebus Iericontem idolo-

*Li. 3. quæst. Euang. sen. 97. Hom. 3. de pœnit.*

*Matth.* 13. *Rom.* 9. 1. *Tim* 1. S. Paulus diuinam in se clementiam celebrat.

idololatriæ cultu deditã an euerteret, consuluit. Atq; hoc insinuare volunt verba illa Euangelii, *Sinite vtraq; crescere vsque ad messem.*

Deprædicat hanc Dei bonitatem Paulus, mirisque laudibus effert in Epistola ad Romanos, *Sustinuit in multa patientia vasa ira aptam interitum vt ostenderet diuitas gloriæ suæ in vasa misericordiæ quæ præparauit in gloriam* Eamdem quoque in se expertus ita ad Timotheum scribit, *Fidelis sermo & omni exceptione dignus, quod Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum. vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in vitam æternam.* Ecce in seipsum, velut in exemplum, in quo diuina bonitas clementiaque mirabiliter eluxit, Timotheum iubet intueri: & eadem bonitate inductus hodie zizaniã eradicari prohibet, quo peccatoribus spem abiicientibus, nouos animos redderet, simulque, vt similem nobis ipsis patientiam admiraremur.

*Matth.* 13. Deus iustos magnificit.

*Sinite vtraque crescere vsq; ad messem.* Aliud hic notandum occurrit: magni scilicet à Deo iustos fieri: quippe qui ob vnum aut alterum probum, qui cum reprobis forsitan radicari posset, infinitis scelestis, pœnam infernalẽ promeritis, parcat. quod ipsum mille è Scriptura locis probare poterimus. Vniuersæ Sodomæ se parcere velle ait, si vel decem iustos in illa reperiat. Ob vnius Mosem, Israelitis in deserto peccantibus ad vnum omnibus pepercit. Quot hi vrticæ, quot spinæ, quot zizania pullulabant! Quodque maiori etiam admiratione dignum est, indignari sese testatur, quando ad impiorum castigationẽ accingitur, nullum in vniuersa republica reperiri iustum, qui se furori vt murum opponat, minacem Dei dextrã exarmet, suaq; innocentia ac vitæ sinceritate impetũ indignãtis flagelli retundat & auertat. Vnde apud

*Gen* 18. *Exod.* 32.

*Ezech.* 22.

Ezechielẽ expostulans, ait, *Quæsiui de iis vir qui interponeret se vt sepẽ, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiperẽ, & non inueni.*

*Matt.* 13. Deus probos impios permistos tolerat varias ob causas.

*Sinite vtraq; crescere vsque ad messem.* Multas easque singulares ob causas, scelestos piis permixtos Deus viuere sinit: quarum hæc prima est, vt nimirum illorum hac ratione virtus emineat, ac velut in palæstra exerceatur; vt dum à reprobis fatigantur, premuntur, exagitãtur: meritorum ita seges excrescat: eorumq; corona splendidior & gratior reddatur. Vnde Augustin. *Omnis malus ideo viuit, vt corrigatur, aut vt per eum bonus exerceatur* Nam vt quidquid in mundo & rerum natura videmus per contrarietatem habituum & qualitatum varietatem oppositionemque conseruatur vt in elementis animalibusque cuiuis indagare volenti manifestum est: ita & in rebus spiritualibus animamque concernentibus fieri certissimum.

Veterum Philosophorum opinio.

Hinc non vsq; adeo absurda mihi veterũ Philosophorum fuisse videtur opinio, discentium, discordiam contrarietatemque omnium rerum originem & causam concordiam autem & pacem, interitum destructionemque existimasse: bellum sc. & duellum, omnia produxisse: amicitiam autem & vnionem, corrupisse. Quod & confirmat Aristoteles docens, principia naturæ inter se contraria esse. Atque ideo naturæ ipsius auctor, perpetuum certamen & luctam inter iustos & mundum, carnem ac diabolum esse, triticoquoque zizaniam permisceri, & vtraque vsque ad tempus messis crescere voluit. Secundo, scelestos hic viuere Diuina bonitas permittit, vt piis vitæq; inculpatæ hominibus in rebus temporalibus auxilio sint, & in necessitatibus succurrant: suos enim ad altiora sustollere, & è terrenarũ rerum sordib. educere satagens: peccatores & improbos, quo fragilium & temporalium curam rerum gerant, & ita iustos alant, hic agere permittit. Quod figura è libris regum deprompta manifestum facit. Salomon Ethæos, gentesque conterminas subiugatas, vectigales reddidit: nullum autem è filiis Israel in seruũ venundari voluit, sed illos sibi duces & bellatores; principesque armorum & præfectos rei bellicæ delegit. Vt autem Salomon Israelitas rebus vilibus & indignis immisceri & applicari noluit: ita Deus suos, iustos inquã & sinceros, à rerum temporalium cura exemit, peccatores autem velut gregarios & triuiales, seruorum mancipiorumq; vice fungi voluit. Quo alludens Psalmographus ait, *Labores populorum possederunt, vt custodiant iustifi-*

*Li* 1. *Physic.*

Deus impios tolerat, vt probis in rebus temporalibus auxilio sint.

3. *Reg.* 9.

*Psal.* 104.

*iustificationes eius, & legē eius requirant.* Similem prorsus figuram in lib. Iosue reperio, vbi Gabaonitis pepercit dux, quo populo Dei & ligna cædant, & aquam hauriant: *Vt viuant, & in vsum vniuersa multitudinis ligna cædant, aquas comportent.* Mundanos & peccatores sæculi huius similes Gabaonitis putem, & ideo potissimum in hoc mundo à Deo tolerari, vt Ecclesiæ necessitatibus succurrant, electisq; in vitæ huius curriculo necessaria suppeditent.

*Ios. 9.* Peccatores collati Gabaonitis.

Gentium Doctor Paulus egregiā in hanc rem similitudinem adducit: *in domo magna,* inquit, *non solum sunt aurea vasa & argentea, sed lignea & fictilia.* Idem de Ecclesia, quæ Dei domus, esto iudicium: in illa quippe iustos & probos, (quorum imago sunt vasa aurea & argentea) impios quoque & sceleratos (quos figulina & lignea denotant) reperire est. Atque vt aulæ regum non Principes & Magnates modo, sed & lixas, calones, & agasones habent; ita Ecclesia, toties domus Dei in sacris literis appellata, peccatores, viles & infames simul & iustos, illustres inquā & nobiles complectitur. Quod egregia figura manifestum reddet.

*2. Tim. 2.* Vasa aurea iustos, fictilia sceleratos designant

Babylonis rex nullos è Iudæis in captiuitatem abduxit, quam principes, nobiles, magnique nominis viros; ignobiles vero, quales sunt vinitores & agricolæ, in Iudæa reliquit. Idipsum omnino agere censeo Deū: iustos n. & electos, florem, inquam, nucleū, & totius mundi nobilitatem, ad æternam gloriam destinans, & ad rerum cœlestiū meditationem trahens; pauperes & inopes, peccatores, inquam, hic in terra relinquit, quo eandem colant, laborent, rebusque terrenis incumbant. Quam allegoriam exponens Paulus ait, eos terrena sapere, piorum autem conuersationem in cœlis esse.

*4. Reg. 25.*

*Philip 3.*

Tertio zizaniam hic crescere, & impios viuere Deus permittit, vt bona quæ in statu damnationis fecerunt opera, rerum temporalium affluentia & felicitate compensent. Nam vt nemo ita sanctus est, vitæque adeo inculpatæ, quin delinquat interdum; ita nullus tam peruersus, aut improbus, quin aliquod interdum meritorium opus edat. Ideo iustos hic interdum torqueri, aduersitatibus premi, affligi ærumnis, credendum, vt quæ commiserunt, hac ratione, velut in fornace excoquātur, & omnis peccati contagio hoc pacto defricetur: peccatores autē & sceleratos prospere agere, & blandum fortunæ vultum experiri, quod aliqua interdū ediderint opera bona, quæ suam hac ratione mercedem recipiant. Abraham Patriarcha hoc reddet manifestius: hic enim cum testamentum conderet, deque reb. suis disponeret, Isaac filium legitimum hæredem ex asse scripsit; concubinarum vero filijs, velut spuriis & nothis, minora quædam munera, ne contempsisse eos videretur, legauit. Certissimum est autem quidquid hic in terra possidetur, mobile esse, & talia à Deo bona peccatoribus dari, filijs vero legitimis & dilectis æterna. Quin etiam vnanimis Doctorum omnium & Patrum sententia est, opera pia etiam in peccati & damnationis statu edita, à Deo mercedem accipere: quibus accedens Augustinus, ideo Romanis Deum tam propitium se & benignum ostendisse, imperiūque eorum dilatasse credit, quod optimis reipubl. suam legib. temperarent, & vitam moraliter bonam instituerent. Et quamuis, vt bene D. Thomas docet, huiusmodi opera gratia Dei destituta, beatitudinem æternam non promereantur, de congruo tamen mercede digna sunt, & felicitate quadam temporali eadem remunerari solent. Atque hæ sunt rationes, cur pater familias in tempus vsque messis zizaniam crescere. *Simile vtraque crescere.*

*Gen. 25.*

Deus rerū temporaliū copia beat hic improbos

Deus opera bona in peccati statu edita digna mercede cōpensat.

Sententia D. Thomæ de bonis operibus.

*Matt. 13.*

IV.

Fuere nonnulli, qui hoc eo loco docere conati sint, hæreticos veræ fidei tabula amissa naufragos, & Ecclesiæ desertores, puniendos non esse, imo nec ad fidem cogendos. Sed errant, prauamque stabilire opinionem conantur: non enim sub parabolæ huius inuolucris docuit Christus, improbos non esse castigandos pœnisq; afficiendos: at ita eorū correptionem castigationemque instituendam, ne quod boni & electi pariter detrimentum patiantur. Et quoniam sæpe euelli zizania & lolium, etiam cum tritici emolumento Ecclesiæq; augmento, possunt, ideo hæreticos quamprimum euelli oporteret, in quo Christi præceptum nulla ratione violabitur.

bitur. Et namque omnium opinio est, tunc tolerandas esse zizanias; quando sine tritici detrimento eradicari nequeunt; at quando nullum hinc tritico damnum imminet, tunc radicitus euellendas & exstirpandas. Vix enim pedem Sodoma Loth extulerat, quin angeli, quibus Pentapolitanum excidium concreditum erat, in eam furorem egesserint, flammamque sulphuream iniecerint. Discamus hinc, dum nullum è sceleratorum suppliciis, electis damnum, aut ob vicinitatem periculum imminet, scelestos esse castigandos, dignaq; in eos virga animaduertendum.

*Gen. 19.*

*Epist. 48. ad Vincen.*

Alterius quidē aliquando opinionis fuit Augustinus, dum crederet neminem ad religionē suscipiendā cogi oportere, sed mutata sententia palinodia cecinit, alioq; melius sentientes secutus est; *Mea primitus*, inquit, *sententia erat, neminē ad vnitatem Christi esse cogendum, ratione vincendum: nefictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus; sed hæc opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis.* Atq; in exemplum adducit ciuitatem suam, quæ eum Donatistis referta esset, paucis diebus ad Catholicam fidem, cum Impp. decreta ad supplicium hæreticum raperent, & morte afficiendū censerent redijt. Ac deinde sententiam suam libere proponēs ait, merito hæreticos suppliciis addici; si enim Principes in homicidia, furta, rapinam, cædem capitali supplicio animaduertant, sacrilegis & hæreticis cur parcant?

*Idem tom. 7. l. 3. cont. ep. Parme.*

Hæretici merito puniuntur.

Et quoniam de castigandis hæreticis sermo incidit, merito illos ad supplicium rapi, & non sine æquitate, capitis in eos sententiam pronuntiari censeo. Primo, quod ipsimet hæretici & hæresiarchæ ita in eos, quos vt hæreticos habebant, animaduerterint, morteq; tales dignos iudicauerint. Quod Caluini exemplo confirmabo; refert enim in Apologetico Gorscius, Valentinum Gentilem, Caluino suadente, & censente è Senatu populoq; Geneuensi ad mortem esse condemnatum, quod de SS. Trinitate perperam sentiret, ac Domini nostri Iesu Christi diuinitatē in controuersiam vocaret: ita vt igne & viuos quidem, comburi debere eos, qui tam sacrilegam impiamq; sententiam docerent, iudicaret. Testatur quoque Surius rerū toto orbe gestarum commentario pag. 359. sceleratissimū mortalium ac diris deuouendum Seruetum ex Hispania oriundum, impia etiā de SS. Trinitate dogmata spargentem, eodem Caluino instigatore, & quodāmodo incendiario, in foro Geneuensi flammis adiudicatum impietatis pœnas dedisse. Nicolaus quoq; Sanderus tradit Svvinglianis olim auctorib. plurimos in Anglia, Arij hæresim propagantes, & in filij Dei personam & substantiam iniurios igni traditos, cum Svvinglianis aduersarentur. Beza hæresiarcha & ipse, Caluinistarumque coryphæus, anno M. D. LIV. librum edendum curauit, quē inscripsit, *De hæreticis à ciuili magistratu puniendis.* in quo probare conatur, legitimam respublicas à Deo in hæreticos animaduertendi potestatem accepisse.

*Lac. Gorscium.*

Gentilis & Seruet. flammis adiudicati à Caluino.

*lib. de schisma Angl. p. 169.*

Secundo, quod apud veteres, etiam gentiles, ita fieri consueuerit. Erat quippe Athenis tribunal, in quo impij & Athei, & perperam de diis sentientes ad mortem condēnabantur, & ἀθέτητ@- pœnas dabant, in quo & tres Philosophos celeberrimos, impietatis accusatos, condemnatos historiarum referunt monumenta, Socratem scilicet, Theodorum cognomento Atheum, & Protagoram Abderitam. Socratem quidem, quod nullos esse Deos docuisset, accusatū, ducentorum octoginta & amplius iudicum, præter eos qui parti illius fauerent, sententia condemnatum, paucis post diebus cicutam bibisse. Theodorum vero impieratis conuictum, publice damnatum veneno hausto impietatis pœnas dedisse. Protagoram denique Cicero li. 1. de natura Deorum, cum libru edidisset hoc titulo, *De diis neq; vt sint, neq; vt non sint, habeo dicere*, ab Athenienſibus in exilium pulsum, eiusque deinde libros, publico magistratus decreto, in foro igni traditos refert: quod & Firmianus Lactantius suffragio suo confirmat.

Athei Athenis ad mortem condemnati.

*Laert. li. 2. de vita Phil.*

*Idem in vita Theodori.*

*Lact. lib. de ira Dei ca. 9. in dictione Diagoras.*

Præter duos illos priores auctores, tradit Suidas, Diagoram Melium Philosophum, & Poetam Lyricum Pindari æqualem, cognomento Atheum, quod de diuinitate secus ac debe-

deberet, sentiret, Deosque omnes è mundo proscriberet, patria Melo ab hostibus direpta, Athenas concessisse, qui cum multos impietatem & atheismum docuisset, populumque à festorum mysteriorumq; diuinorum celebratione auocasset, in exilium actus est, & talentum iudicum sententia decretum ei, qui caput eius resectum attulisset, duo vero ei, qui viuum adduxisset.

*Act.7.* S. Paul. impietatis accusatus est.

An non & Paulus Apostolus, vt profanis historijs finem imponamus, impietatis ab Athenien sibus coram Areopagitis accusatus est, quasi nouos Deos induceret, & noua incognitaq; numina procuderet, quod Christum ciusque glorioſam resurrectionem annuntiaret. Non possum igitur quin demirer eos, qui in Christiana hodie republica, Religionis violatæ, & disciplinæ Ecclesiasticæ conculcatæ reos, minori dignos supplicio volunt, quam olim apud Ethnicos, superstitiosæ idololatriæ profanatores.

Leges ciuiles hæreticos puniri volunt.

Tertio, quod ius ciuile, regiaq; & imperatoria decreta vnanimiter pœnam capitalem in hæreticos sanciant: & quamuis hæc nihil ad Helenam meam spectent, legum tamen scrinia compilans, meliores & huc quam apposite facientes iurisconsultos adducam. *L. Arrian. C. de hæreticis & Manichæis*, Impp. decreto, vt Manichæi & omnis hæreticorum fæx vrbibus eiiciantur, & vltimo supplicio addicantur, sancitur, quin & *L. Quicunque com. eodem titulo* multo manifestius. Verba legis hæc sunt, *vltimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint; omnes vero charta, qua funestum hæreticorum dogma complexa fuerint, incendio concrementur.* Lege etiam 3. *eod. de summa Trinit. & fide catholica*, omnes hæreticorum libri igni adiudicantur; item *L. Damnato, C. de hæret. & Manich.* Item, *L. 16. C. eodem* dicitur. *Qui hæreticorum libros habet, neque in propatulum profert, vt concrementur, punitur.*

Igni addicit lex libros hæreticorũ.

Ex his omnibus manifestum redditur, æquissimum & rationi consentaneum esse, hæreticos, & quotquot in fide fecere naufragium, supplicio & igne digniores esse quam scripta & libros. At nemini mirum videatur, libros funestos, pestiferoque veneno infectos, errorum seminaria & reconditoria flammis addici, cum in primitiua Ecclesia, & libri qui de curiosis rebus agebant, quales qui Magiam edocerent, publice & coram omnibus flammis traditi legantur. Testatur hoc in Apostolorum Actis Lucas: *Multi credentium veniebant confitentes, annuntiantes actus suos; multi autem ex his qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.*

Libri Magici in primitiua Ecclesia concremati.

Historiarum monumentis proditum est Imper. Constantinum, primum illum, sub quo vniuersali Ecclesia pace refloruit, ac quodammodo reuixit, Catholicæ religionis studiosissimum, & omnis hæreseos inimicissimum, publico edicto sanxisse, vt per vniuersum imperium, omnes Arii hæresiarchæ libri igni traderentur, & quicunque ipsum facere distulisset, ad mortem deposceretur. Hoc ipsum & apud Ethnicos in vsu fuit. Testatur quippe Vale. Maximus, Agricolas, dũ L. Petilii agrum proscinderent, in arculas duas incidisse lapideas, in quarum vna, quãtum ex inscriptione circumsecus apposita colligi poterat, Numæ Pompilij corpus conditum erat; altera libros septem, de iure & munere Pontificis Maximi agentes continebat, eosque lingua scriptos Romana; septẽ item Græca conscriptos, de sapientiæ studio tractantes. Latinos quidem summa diligentia asseruari Patres decreuerunt, Græcos vero, quod Religioni aduersarentur, eamque euerterent, ipse Petilius Prætor Vrbanus, senatusconsulto facto, coram populo cremari iussit. *Noluerunt enim*, inquit Valerius, *prisci viri quidquam in hac asseruari ciuitate, quo animi hominum à Deorum cultu auocarentur.* Quod & Ethnici tam religiose libros qui cõtrariam superstitionem, aliumque Deorum cultum edocerent, comburendos decreuerint; quantam Christiani diligentiam, in veram religionem destruentibus, animarum salutem euertentib. hæresimque continentibus libris, procul ab vrbibus & domibus, eliminandis, adhibeant necesse est?

*Niceph. hist. Eccl. li. 8. cap. 18.*

*Valer. Max. libr. cap. 1.*

Quarto, ꝙ S. Spiritus id in veteri testamẽto sanxerit. Exodi namq; 22. cap. occidi iubetur is, qui dijs alienis, & nõ Deo soli, immolat. Legis verba sunt hæc: *Qui immolat diis alienis, præter quam Domino soli occidatur.* Atqui hæreti-

Puniẽdos hæreticos è sacra scriptura asseritur.

hæreticus Deos alienos colit, Deumque solum deserit. imo & ignorat, vt pote qui eius Ecclesiam non agnoscat, Sacramenta non recipiat, cæremonias exsibilet, vicario illius non obtemperet, verbis illius fidem non adhibeat, nouam religionem, inauditam fidem, inuisibilia, & recenter procusam hæresim inuehere & propagare studeat: igitur morte luat oportet.

*Deut.13.* In Deuteronomio simile continetur decretum, *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, interficietur, quia locutus est, vt vos auerteret à Domino Deo vestro.* Hæreticos autem pseudoprophetas esse, & somniorum, errorum, superstitionũ, blasphemiarum cusores, interpretes, propagatoresque, certissimum est; quamobrem morte dignissimi, & vltimo afficiendi supplicio censentur. Nihil enim verba doctrinaque eorum aliud spectat, quam vt hac plebem Christianam peruertãt, & à veri Dei cultu, mandatorũq; illius obseruatione auocẽt.

*Leuit.24.* In Leuitico quoq; in sanctum Dei nomen blasphemus lapidibus obrui iubetur, tam de populo Israel, quam alienigena: *Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimat eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit.* Quis autem magis blasphemare dicendus est quam hæreticus; qui tum in Christi Iesu corpus, crucem, imagines, tum etiam Sanctos, matrem, sacramenta, & deniq; Ecclesiam illius ingentia blasphemiarum & contumeliarum plaustra euomit? an non igitur supplicio & castigatione dignus?

Hæretici blasphemi.

*Exod.32.* Et quoniam exempla ad permouendum pendonea sunt, & magnam in vtramq; partem vim præferunt, sexcenta producam, Moses vna cum Leuitis, Deo postulante, triginta tria hominum millia, gladio vindice, ob honores vitulo aureo exhibitos, interfecit. *4.Reg.10.* Iehu à Deo electus, zeloque honoris diuini actus, vniuersam posteritatem Achab ob impietatem deleuit, omnesque sacerdotes Baal fũditus excidit. *4.Reg.23.* Iosias rex idolorum sacrificulos occidit, fana deorũ euertit, lucos succidit, ossa quin etiam mortuorũ in cineres redegit. *3.Reg.13.* Elias Propheta cum iudices, ad quos delicta castigare ex officio incũbebat, torpere & stertere cerneret, potestate quadam extraordinaria sibiarrogata, omnes sacerdotes Baal, haud procul è torrente Cison, interficiendos curauit. Mathathias, *1.Mach.2.* Machabæorum pater & animator, honoris diuini studiosus, Iudæum quendam, à patriis legibus desciscentem, & idolis immolantem, in ciuitate media ad aram obtruncauit, eiusque cruore altare conspersit. Præterea hic quæ Nabuchodonosor Rex sanciuit, quæ item Artaxerxes, & Darius. *Dan.3.* *1.Esdr.7.*

Quinto & vltimo, quod ipsa id doceat ratio, eaque varia & multiplex; prima, quia iura Cæsarea eum (*L.9. qui ædes. ff. de incendio*) qui ignem domui alterius, aut horreo iniicit, igni tradendum decernant. Hæretici porro vere incendiarii dici possunt, vtpote qui domum Dei, id est, Ecclesiam, penitus adurunt, & tritico verbi Dei & sanctarum Scripturarum flammam iniiciunt, vere igitur puniendi & flammis acribus addicendi. Ipsi sunt nimirum scelerati illi Herostrati, qui Diani templo ignem iniiciunt, sunt sceleratæ illæ Sampsonis vulpes, quæ igneſcentibus caudis Catholicorum semen adurunt. *1.Esdr.6.* *Iud.14.*

Hæretici sacrilegi.

Secunda, Lex ipsa sacrilegos comburi iubet: nullus autem magis sacrilegus haberi, quam hæreticus potest, qui nimirum sancta profanat, doctrinam peruertit & adulterat, religionem deprauat, altaria deiicit, campanilia deiicit, imagines comminuit, peregrinationem instituentes exsibilat, in Deum conspirat, Sanctis bellum indicit: nemini igitur dubium esse potest, quin qui talis castigandus sit. Tertia, eadem lex monetam adulterantes deprauantesque extremo ignis supplicio addicit, (*L.2. si quis nummos, C. de falsa moneta.*) Hæretici autem scelesti illi mangones, monetam sacram adulterare dicendi sunt, qui nimirum loco argenteæ plumbeam, loco aureæ æneam obtrudunt, mendacium loco veritatis, errorem, vt Propheticum oraculum, superstitionem, vt veram religionem vendentes, legem quoque diuinam violantes, sacramq; Scripturam sacrilegis interpolationibus velut nasum cereum formantes & reformantes. Postremo, si schismatici Datan, Core & Abiron,

*Num.16.* Mosi duci suo aduersantes, tã funesta morte exstincti sunt, vt è libro Numerorum legenti manifestum redditur: quas pœnas, ecquod supplicium eos manere creditis, qui superioribus Ecclesiæ, eiusque principibus, quos Deus summa cum auctoritate Ecclesiæ & fidelibus omnibus præesse voluit, quotidie aduersantur, quales haud dubie esse crediderim hæreticos? I nunc igitur & dic zizania non esse eradicanda.

Auctor nõ arrogat sibi ius aliquod in principes.

Vnicuique tamẽ vestrum notum esse cupio, me prolixa hac disceptatione, quam & rationib. & sacræ Scripturæ auctoritate firmaui, cordatorum Principum prudẽtiæ nihil derogatum voluisse, qui propter temporis exulcerati calamitatem, ciuitatum suarũ conseruationem, subditorum vnionem, Ecclesiæ pacem; aliasque ob rationes, quas diuina maiestas animabus illis regiis instillat, in regni sui agro zizania & lolium hæreticorum tolerant. Theologum siquidem hic ago, non politicum aut reipub. præsidentem; ipsaque obedientia, cultus & obsequium, quod iure naturæ Regi meo debeo, laudare & probare cogit, quidquid illius maiestas & auctoritas hac in re factum voluit; præsertim cum probe teneam, quidquid & exterius agit, & quidquid regia mente voluit & concipit, à Deo, cuius in manibus cor illius, & cuius hoc in mundo locum tenet & imaginem præfert, haud dubie dirigi & conduci. Hæc quoad primam concionis partem dicta sufficiant, iam secundam aggrediamur, deque lolii & zizaniæ seminatoris nequitia agamus.

V. Mysticus parabolæ huius sensus.

Pater igitur familias postquam bonum semen agro iniecisset, & agri custodes altum dormirent, *venit inimicus homo, & superseminauit zizania.* Sensu literali iam sepositio, mystice hic designari putem, hominibus dormitantibus, id est, salutem suam negligentibus, vel otio in iis quæ animam concernunt diffluentibus, diabolum, communem illum generis humani hostem zizania seminare, scelestas animo cogitationes suggerere, linguam ad verba nequitiæ efformare, peccataque in corde procudere.

Simile.

Auis, quamdiu alarum remigio dissecat aera; & pennis in sublime se librat, nulla capi ratione potest, & ab omni periculo immunis est: at mox vt ad terram delapsa super arbore sidit, & quiescit, periculo se exponit, ne vel reti inuoluatur, vel sclopeto petatur: ita nullas diabolus, versutus ille & subdolus animarum venator & insidiator, deprehendere aut in casses trahere solet, quã quæ otio diffluunt, stertunt inertia, & in deliciis molliter ac iucunde viuunt. Quod exponens in Prouerbiis Salomon dicit: *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum*, id est, vigilantium, deque animarum salute sollicitorum. *Prou. 1.*

Otiosi cõparantur aquæ stagnanti.

Aqua semper fluens, sapida est & gustui suauis; at stagnans & nunquam defluens, putiscit, insipida, & ad potandum inepta, nonnisi ranas, rubetas, vermes & lacertas, atque id generis plura procreans. Idem de animabus nostris censete: quæ enim semper occupantur, saluti inuigilant, virtutibus incumbunt, sanctis exercitiis sese distinent; Deo acceptæ sunt & gratæ, & coram maiestate illius nitẽt: at quę stertunt, & in otii inertiæq; luto ac cæno semper volutant, Deus detestari & abhorrere solet, quod nonnisi venenosas scelerum pestes propaginesque generent.

Item domui inculatæ.

Atque vt in domo deserta mures & glires multiplicantur, vermes excrescunt, araneiq, dominantur: ita in anima inerti & segni. Quid enim ipsa aliud quam domus deserta & derelicta, in qua Deus amplius non commoratur, in qua virtutes emoriuntur, è qua gratia exulat? à qua quid exspectes præter innumerabilem, non dico immundorum animalium, sed peccatorum, criminum, & vitiorum copiam: de qua dici merito queat, quod de Ierosolymis olim prædixit Redemptor, *relinquetur vobis domus vestra deserta.* *Matt.23.*

Regula iuris est, non vtentes priuilegio habito vel abutentes illud ipsum perdere. Hoc proposito adaptans meo, dico animas, cum gratia & charismatibus largissime à Deo collaris non vtuntur, vel ad fastum tumoremque abutuntur quamprimum iisdem excidere, easque dormitantes, vel inertia soporatas, tritico destitui, lolioque intrinsecus & zizaniis oppleri. Labore enim & diligen-

diligentia res paruæ ereſcunt, otio ac deſidia maximæ dilabuntur & pereunt.

*Iud.18.* Cæterum ſopor hic & circa ſalutem propriam negligentia magnum animæ afferre detrimentum ſolet. Filii Dan (è quorum ſtirpe Antichriſtum naſciturum Doctores & Patres perhibent) vrbem Lais ſine vlla effuſione ſanguinis, aut ictu ferri inuaſere quã & penitus demoliti ſunt; quod quamuis rebus omnibus ad defenſionem neceſſariis affluerent, otio diffluerent incolæ, ſterterent, ſibique non proſpicerent. Quo myſtice declaratur, animas illas opulentas, & chariſmatibus cœleſtibus ditatas, tunc à diabolo potiſſimum inuadi, exagitari, & diſpoliari cum ſecuræ & omnis metus expertes dormiunt, ſuamque ſalutem negligunt.

*1.Reg.24.* Dauid, caſtra Saulis clanculum ingreſſus, quin & ad tentorium illius penetrans, regia arma furtim abſtulit; quem ſomno diſtentum, vel alias in ſpelunca naturæ neceſſitate ſeruientem obtruncare potuiſſet, ſi voluntas occaſioni adfuiſſet. Ad eundem modum Chriſtiano in Eccleſia, quæ Chriſti Ieſu exercitus eſt, dormitanti, quamuis inter iuſtos & probos verſetur, ſæpenumero dæmon ſpiritualis militiæ arma eripit, imo niſi per Dei clementiam ſtaret, vitam etiam inſcienti auferret. Exclamem igitur, ô ſomnum deteſtabilem, inertiam, magnum animis periculum arceſſentem! Athenienſium

*Laert.lib.2. cap.2.* legislator Solon præclarã in deſides & inertes legem tulit, qua omnibus actionis iis intentandæ poteſtatem dabat. Eandem tuliſſe legem videtur & Deus, ac permiſiſſe, vt negligentes, inertes, deque iis quæ ad ſalutem ſpectant parum ſoliciti, tentationibus variis exagitarentur, à dæmonibus

*2.Theſſ.5.* accuſarentur, omniumq; vitiorum occaſionibus expoſiti viuerent. Cum Apoſtolo igitur finem faciam, ita Theſſalonicenſes admonente: *Vos fratres, non eſtis in tenebris, vt vos dies ille tanquam fur comprehendat; omnes enim vos filij lucis eſtis & filij diei, non ſumus noctis neq; tenebrarũ igitur non dormiamus, ſicut & cæteri, ſed vigilemus & ſobrij ſimus, &c.* Vere igitur ſomnus periculoſus eſt, & magna detrimenta afferre ſolitus: cum dormientibus colonis diabolus zizania ſuperſeminarit.

VI.

*Cum dormirent homines, venit inimicus homo.* Somnum hunc exponens Chryſoſtomus, in Prælatos, Eccleſiæ cuſtodes & capita, eundem detorquet; quibus ſtertentibus, parumque de grege ſollicitis, diabolus hæreſes, errores, vitiaque Eccleſiæ inſerere conſueuit: ſimulque hinc inferre conatur, quanta paſtorum eſſe debeat vigilantia & cura, cum nimirum ad illos ſpectet, ſementem Dei cuſtodire, & omnem in partem circumſpicere, ne quid Eccleſiæ Dei detrimentum afferat diabolus, in quod totis viribus incumbit. Hoc namque cuſtodum & vigilum nomine appellari in ſacris litteris Prælati ſolent; imo nullum hoc nomine illis frequentius. Audiamus Dominum per os Prophetæ loquentem! *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes, tota die, ac nocte non tacebunt.*

*Matt.13. Hom.45. in Matt.*

Eccleſiæ paſtores cuſtodes & vigiles appellantur in ſacris litteris.

*Iſa.62, Iere.1.*

Prima quam Ieremias Propheta viſionem vidit, huic de qua agimus materiæ ſuæ optime quadrat: cum enim Deus illum in cuſtodem populi conſtituiſſet, interrogauit, *Quid vides Propheta?* qui mox ſubintulit, *Virgam vigilantem ego video.* Quo loco textus Hebræus habet proprie, vt bene Lyranus notauit, *Virgam amygdalinam ego video*: vel, vt alius interpres, *virgam nuceam.* Notat autem Procopius, virgam amygdalinam, aut nuceam ceruicali dormientis ſuppoſitam, quamprimum ſomnum abrumpere & dormientem excitare. Quamobrem cum Deus Præſulis ſymbolum virgam ſomni inimicitiam oſtendit, denotare voluit, ſomnum Eccleſię capitibus & paſtoribus ſummopere eſſe fugiendum.

Audite quid aliud: magnus ille Theologus Robertus Holcot obſeruauit, Chriſtum in triſti paſſionis nocte, cum Petrum, quem in Eccleſiæ caput & principem conſtituerat, in horto ſtertentem cerneret, & ad eum excitandum accederet; honorabile illud Petri nomen, cunctisque venerandum gentibus, quod illi, dum Eccleſiæ caput eum conſtitueret, impoſuerat, ſubticuiſſe, ac genuino eum nomine compellaſſe, *Simon dormis.* Perinde ac ſi dixiſſet: Ille Pontificis & cuſtodis nomine indignus eſt, qui hunc in modum ſomno indulget.

*In ſapient. lect.82.*

*Marc.14.*

*Laer. lib. 5. in Aristot. Ammianus. li. 16.*

Referunt historici, magnum illum Asiæ terrorem Alexandrũ, argenteum dormiendo globum manib. tenere solitum, cui ænea peluis subiecta foret; vt, dum altum dormiret, somnoque liberius indulgeret, globo in peluim manibus excidente, & tinnitum edẽte, à somno expergisceretur. In quo grues ille dici potest imitatus, quas Pierius aliique tradunt, dum excubias agunt, & ab hostibus obrui metuunt, hac vti industria cõsueuisse. Cuius partes sunt excubare totiusque agminis custodem agere, lapillum pedibus tenet; quo, vbi hunc cadere contigerit, expergefacta, societas excitet, nullum vt discrimen adeant. Quemadmodum igitur vigilia salubris est, animæque perutilis; ita somnus noxius & damnosus: somno quippe indulgentibus hominibus inimicus superseminauit zizania.

*Pier. li. 17.*

Somnus plurima homini afferre consueuit mala.

Cum enim stertimus, dæmones inualescunt & insurgunt, id est, cum salutem negligimus, tunc inimicus per agros volitat, grassatur in triticum, & lolium bono semini permiscet. Dalila Samsonem irretire & perdere gestiens, an non soporare eum studuit, itaque cæsariem, omnis roboris armamentarium, detondere? Eadem techna vtitur & pellax nostra caro, Philistæa illa longe deterior; nos siquidem perdere, omnemque fortitudinem & animum eripere gestiens, omni ratione conatur deliciarum nos somno opprimere, ac noxio & detestabili voluptatum sopore inescare.

*Iudic. 14.*

Quot, eheu, principes ac reges, quot duces & milites, somno oppressi, triste ac funestum rerum varietatis exemplum fuêre, quot inquam, magnates ac purpuratos somnus in summa & extrema pericula coniecit, vt & vitam amiserint, ac lugubri catastropha diem extremam clauserint? An non Holofernes princeps militiæ regis Assyriorum in obsidio Bethuliæ, stertens & vino obrutus, gladio & dextra muliebri, ceruicem & vitam perdidit? an non Sissara, præfectus Iabini regis Azor, clauo per tempora adacto dormiens per manus Iahel periit? Isboseth Saulis filius percussus in inguine, an nõ meridians in lectulo, occubuit? Adeo vt & fortissimi iuxta & generosissimi, & fœminea quidem dextra, quod somno indulgerent, ceciderint, ludibriumq; suis fuerint. Quod lacrymis potius quã verbis deplorans Isaias ait, *Filii tui proiecti sunt, & dormierunt in capite omnium viarum.*

*Iud. 13.*

*Iud. 4.*

*2. Reg. 4.*

*Isa. 51.*

Quem locum vt commode intelligatis, diuersa viarum genera esse sciatis oportet: aliæ sunt enim viæ Domini, quarum toties in sacris libris est mentio. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Et, *Quis poterit scrutari vias eius*; Item, *Vias tuas Domine demonstra mihi.* Per has autẽ vias recta ad salutem tenditur: vnde non immerito à Psalmographo viæ vitæ appellantur, *Notas mihi fecisti vias vitæ.* Et aliæ viæ Dæmonis, viæ difficiles, ad calcandum molestæ, & magnorũ discriminum causæ: *Contritio & infœlicitas in viis eorum*, item alibi, *fiant viæ eorum tenebræ, & vias peccatorum disperdet.* deinde apud Zachariam, *Conuertimini de viis vestris.* hæ autem viæ rectæ ad interitum & damnationem perducunt, atque huiusmodi viæ sunt peccata. Vnde Psalmographus, *viam iniquitatis amoue à me, & omnem viam iniquitatis odio habui.* Capita porro & initia harum viarum, & accessoriæ semitæ, ipsa est superbia, auaritia, luxuria, *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, &c.* aut etiam statui possunt, ipsa peccatorum principia, inter quæ recenseri queunt tentationes, suggestiones, occasiones, cogitationesque occultæ.

Duo viarum genera hoc in mundo.

*Prou. 8.*

*Iob. 36.*

*Psal. 24.*

*Psal. 15.*

*Psal. 13.*

*Psal. 34.*

*Psal. 145.*

*Zach. 1.*

*Psal. 118.*

*1. Ioan. 2.*

*Matth. 26.*

Ac veluti nemo non fine discrimine introitu cuiusdam viæ difficilis ac latronibus infestæ dormitat: ita periculo non caret, si quis tentationi prauæ morosius inhæret, aut indormit. Quamobrem cõfestim cum Redemptore Christo excitemur, & animæ potentis præ negligentiæ veterno stertentibus dicamus, *Surgite eamus, ecce qui me traditurus est appropinquat*, peccatum in animę perniciem conspirans præ foribus est, atque huiusmodi cum tempestas insurgit, tantæ procellæ dum ingruunt, compellemus Christum, clamemus naufragii metu exalbescentes, *Salua nos Domine, perimus.*

*Matth. 8.*

Luxurioso libidinibusque suis vacanti, Sapiens imminentem calamitatem præsagiens has minas intentat: *Et eris quasi dormiens in medio.*

*Prou. 23.*

*in medio mari & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Non ait in terra dormienti similem eum fore, sed in mari, vt ita ostendat in quanto periculo versetur, quod vt sit etiam euidentius, ait, *in medio mari.* Non minus peccatoris peccato indormientis, nullaque ratione è flagitiorum voragine emergere cupientis, esse solet periculum. Atq; ita cum dormiunt homines, venit inimicus, & superseminat zizania: oportuna scilicet malorum infligendorum Satanæ occasio est somnus.

Peccator dormiens in peccato similis in mari dormienti.

VII. 1. *Pet.* 5. Satan inimicus est & zizaniorum sator.

Quis autem hic inimicus dici potest? nullus profecto alius quam dæmon, qui tum Christi, tum omnium fidelium inimicus est: quo nomine eum Apostolus Petrus in Epistolis nuncupat. Ipse est inquã, qui seminat zizania non in Iudæorum, Turcarum, Arabum, Saracenorum agro, sed in Ecclesia Dei, atque inter Christianorum sulcos. In quo illius notate astutiam: de die non veniet, at de nocte dum spisse terrã occupant tenebræ: non dum vigilant & excubant homines, at dum dormiunt. Id est, dum Prælati, pastores, Episcopi, cæterique Christiani animarum saluti non inuigilant, dum auaritiæ student, voluptates consectantur, honores ambiunt, rerumq; terrenarũ studio tenentur, tũ versutus ille animarũ aduersarius lolium spargit, noua perniciosaq; dogmata serit, doctrinas degeneres, & fucũ olentes disseminat, inaudita opinionum commenta ferruminat, fidem perturbat, religionem in diuersa trahit, charitatem exstinguit, Sacramenta conculcat, Ecclesiam denique perdit & destruit.

Satan zizania spargit quando superiores dormiunt.

Hæc igitur belua tunc zizania seminare solet, cum Prælati stertunt, & officium negligunt suum; ita fecere olim in agro Iudæorum Pseudoprophetæ Baal, Molochitæ, Pharisæi, Sadducæi, in Christianorum, Ariani, Manichæi, Valentiniani, Pelagiani, Donatistę: & iam nuper à patrum memoria, Lutherani, Caluinistæ, Zuingliani, Anabaptistæ, aliiq; & scelere & audacia pares. Quare si Prælati Germaniæ omnem in partem circumspexissent, si gregis curam gessissent: nunquam Lutherus aut Zuinglius zizania disseminassent: si canes latrassent, nunquam lupi in ouile irrũpentes damnum gregi intulissent. Videant igitur Principes sæculares, ipsique pastores Ecclesiæ, num coram summo Iudice in nouissimo die exactam animarum sibi creditarum rationem dare poterunt: sibique persuadeant, non impune se tunc habituros. Conspirare siquidem inter se mutuo, illi armis sibi diuinitus traditis, hi vero auctoritate quam ipsa sacra infula includit, in vulpium Ecclesiam Dei vineam suffodere nitentium, euersionem debent. Sunt enim vtriq; custodes vineæ Christi cõstituti, & vigiles circa ciuitatem Ecclesiæ excubantes, sunt fortissimi illi ductores thalamum Salomonis ambientes, qui quamprimum vt dormitant & stertunt inimicus homo venenum diffundit.

Principes sæculares & pastores Ecclesiæ Religionis custodes sunt.

Notate hic obsecro, vt paterfamilias diaboli nequitiam & peruersitatem, quæ ei naturaliter adhæserit, exaggeraturus, *inimicum hominem* eum appellarit. Nouum profecto & animaduersione dignum, quo spiritus huius peruersi artes, nequitia, crudelitas odium exprimantur, vt hominem eum describi: nulla siquidem maior fingi aut excogitari crudelitas, nullum odium deterius inueniri, quam hominis. Inter animalia nullum leone crudelius & immanius, hominis tamen ferias barbarie sque maior.

Nõ est vlla crudelitas maior quã hominis. Homo leone crudelior.

Daniel Propheta, cum ad petitionem Satraparum Babyloniorum in lacum leonum coniectus esset, leones quam suos mitiores credens, ingenti lacum saxo muniuit, regioque sigillo, ne quis Danielem interfecturus effringeret obsignauit. Quid agis rex? quid hoc video? Virum sanctum leonibus obiicis, & ab hominibus eum tutatum cupis. Prudenter profecto & sapienter. Sciebat namque rex, nullum homine animal inhumanius aut ferocius haberi posse, qui nimirum nemini parcat, vt odio, affectuiq; prauo satisfaciat. *Dan.* 6.

Baltassar nihil vnquam horribilius, aut quod maiorem ei formidinẽ incuteret conspexit, quam manum illam hominis in pariete scribẽtem, adeo vt exanimis in terram ceciderit. Non exseruit hic Deus vngulam animalis, sed manum hominis: quasi nihil eadem haberi posset terribilius magisque metuendum. Ecce, qui nec in præliorum *Dan.* 5.

rum æstu, non inter belli clangores, non in visorem aprorumq; venatione, non inter fera animalia & monstra palluerat: ad solum manus hominis conspectum, expallescens & exsanguis in terram concidit.

2. Reg. 2. 4. Quod egregia è libris Regum historia manifestum reddam. Cum Deus trium plagarum Dauidi regi ob delictum promeritarum optionem dedisset, pestem scilicet, famem & bellum: pestem delegit, dicens: *Coarctor nimis: sed melius est mihi quod incidam in manus Domini, quoniam multa sunt misericordiæ eius.* Expedire & satius esse sciebat pius hic rex, in Dei quam in hominum manus incidere: quum ille mitis sit, hi vero inhumani & ab omni pietate alieni, & quibus nihil crudelius aut ferocius. Hinc diabolus, quo eius malitia & crudelitas designetur, *inimicus homo* appellatur.

Matth. 13. O nomen satana dignissimum! ô peruersitatem singularem! ô crudelitatem barbarie omni barbariorem! Ecce post quam pater familias triticum in agro seminasset, crudelis ille hominum aduersarius eundem zizaniis oppleuit, *& abiit*. Notate, vt scelerata illa bellua, postquam venenum sparsit, sese subducat: vt ictu inflicto, canat receptui. At quid mirum, in terra seditiones, motus, & prælia reperiri, ac zizania seminari, cum nec cœlum, locus ille ab omni perturbatione alieniissimus, iisdem caruerit. Porro hæc seminum mixtura repræsentare mihi ipsum videtur, quod quotidie in Ecclesia contingere videmus, in qua, vt August. olim obseruauit, scelerati probis permisti sunt & prauorum lolium iustorum tritico: quod & in Concilio Constantiensi asseruere, toto orbe exciti Patres. Ecclesia quippe est arca Noe, quæ animalia immunda, non secus ac munda, includit. Est area illa, de qua Matthæus, in qua & palea, & luxurians lætaque messis. Est conuiuiũ illud nuptiale, ad quod virgines fatuæ iuxta ac prudentes vocantur. Est aula illa regia, ad quam & admittuntur illi, qui veste nuptiali carent. est deniq; ager hic, in quo triticum vna cũ zizaniis excrescere videmus: quod tantopere serui & domestici demirantes patri familias dixere,

Hieb. de hæres. ca. 69. Sess. 5.

Gen. 6.

Matth. 3.

Matth. 25.

Matth. 22.

*Nonne bonum semen seminasti in agro tuo: vn de ergo habet zizania?* Matth. 13.

Et est reuera admiratione dignum, quanam ratione in anima hominis tam triste excrescere zizanium, tam infœlix pullulascere lolium queat: est namq; quodammodo incredibile, quomodo potentiæ & facultates animæ peccatorum instrumẽta esse possint. Vetuit olim dominus, balistas, machinas, hastas, missilia, pila, aliaq; instrumenta bellica, quib mors afferri hominib. potest ex arbore frugifera concionari, sed sterilib. & syluestribus eadem parari voluit. Qui fieri igitur potest, ô homo, vt è corporis tui mẽbris, animæq; facultatibus, & sensibus, qui instar arborum feracium sunt mortis instrumenta constituas, & arma pares quib. & Creatorem oppugnes, & animæ mortem afferas? Deut. 20.

*Quomodo ergo habet zizania.* Si peccatum monstrum aliquod spirituale est, tenebrarũ abortiuum, mors æterna, diluuium cõmune animarum, naufragium vniuersale, merum latrocinium, extrema calamitas, damnum irreparabile, omnium retũ exitium & pestis: quomodo igitur in anima excrescat? si peccatum rationi aduersetur, Deo contrarium sit, gratia animam priuet, cœlo deturbet, inferni hęredem constituat, in carcerem dæmonum coniiciat, animæ mortem adferat, Ecclesiæ sit lolium: quomodo igitur ingredi animam potest? *Vnde ergo habet zizania*: Deniq; si Angelos cœlo exegerit, innocentiæ statum peruerterit, diluuii causa exstiterit, filium Dei vnigenitum ad mortem, & quidem acerbissimam pertraxerit, si omnia pessũdederit, si æternis sit expiãdum flãmis, ecquænam hominum esse potest audacia, vt ipsum committant: vt tam infœlix in animæ agrũ lolium admittant? sed rationem addidit paterfamilias dicens, *Inimicus homo hoc fecit.* Matth. 13. Matth. 13. Peccati epitheta varia. Matth. 13.

Manifeste hinc colligere possumus, nulla posse ratione Deum peccati auctorẽ constitui, at inimicũ, qui hasce superseminauit zizanias. Deus igitur peccati non est auctor, vt Psalmographus aperte profitetur: *Non Deus volens iniquitatẽ tu es.* Diabolũ vero peccato aditum patefeciisse, & ipsum in orbem inuexisse Sapiens testatur, dicens: *Inuidia diaboli mors* Deus peccati non est auctor. Psal. 5. Sap. 2.

*mors intrauit in orbem terrarum.* Hoc retundere clypeo venenosa Lutheri iacula possumus, hoc vallo blasphemiarum hæresis, errorumq; illius tela infringere, dum ait Deum peccata per impios patrare: Melanchthonis item sententiam confutare docentis, tam Iudæ proditionem, quam Pauli Apostoli vocationē Deo asscribēdam: Buceri item, Deum absolute efficientem peccati causam constituentes, adeo vt quicunque illud negarit, Deo diuinitatē hunc adimere censeat, quod eum causam eorum quæ facta vult, esse neget: Caluini denique, acriter propugnantis, Deum simpliciter & pure peccati auctorem esse. Quod aperte demonstrauit Cl. De sanctis Episcopus Ebroicensis, qui lib. 5 de Caluini atheismis, Caluinum Bernæ impietatis accusatum & damnatum tradit, quod Deo & peccatum & damnationem damnandorum asscriberet. Sceleratam porro hanc opinionem diris deuouens Concilium Tridentinum, anathemate percussit omnes, qui eandem docent & credunt: *Si quis dixerit, mala opera, & bona Deum operari: non permissiue solum, sed etiam proprie & per se, adeo vt eius sit proprium opus, non minus proditio Iudæ, quam vocatio Pauli, anathema sit.*

*Conc. Trident sess. 6. can. 6.*

Eundem errorem acriter olim oppugnauit Magnus Basil. qui in homilia, quā super hac re conscripsit, inter cætera ait, fatuum eum quidē & stolidum, qui nullū esse Deum credit: at stolidiorem & stultiorem censendum, qui Deum peccati causam statuit: q; ille Deū penitus negatum, hic vero clementiā & bonitatem ei detractum eat. Eiusdem sententię est & Irenæus, & tradidit in ecclesiastica historia Euseb. qui egregia ad Florinū epistola multis ostēdit, Deum malorum causam aut architectum esse non posse. His accedat & Philo Iudæus, qui omnes peccati causam Deum non vero seipsos constituentes, puniri & suppliciis addici vult. Theodoret denique vt finē faciamus, omni ratione opinionē hanc profligare conatus, probare contendit, Deum natura bonū, malorū aut peccati causam non posse constitui: sed illum triticum seminare, diabolū vero supseminare zizania.

*Li. 5. c. 19. Lt. de profugis.*

*Lib. 5. de cur. Grec. affect.*

Conclusio.

Omni igitur studio & contentione Auditores scelestum hunc zizaniorum satorem fugiamus, omni cura eum ab animarū agro excludamus, impediamus, inquam, ne peccati, schismatis, hæreseos, errorū, calumniarum, blasphemiarum lolium tritico superseminet, somnum quoque ab oculis propulsemus. Dormientibus enim nobis grassatur, vagatur, & circuit: Vos itaq; Præsules, Antistites, Episcopi, Dominici gregis pastores, Ecclesiæ excubitores, Christianorum duces, vineæ sponsi custodes, animarum nostrarū tutelæ super gregem vestrum excubias agite, atque omni ratione impedire satagite, ne vestra illectus negligentia Satan, per diœceseon vestrarum agros lolium & paleam serat. Vos etiam Catholici Principes, Reges potentissimi & inuictissimi, Monarchæ fidelissimi, cœlo originem ducentes, Altissimi vice hic in terris fungentes, patres patriæ, populi tutores, religionis fulcra & bases, fidei columnæ, Ecclesiæ antes & fornices, non minus excubate, ac nolite pati, vt vestram culpam, hæreseon zizania regnorum vestrorum noualia ingrediantur.

Et ecce ô regnum rex, animarum nostrarum conditor, Ecclesiæ princeps Christe, tu, qui bonum fidei charitatis, sacræ scripturæ & Euangelii semen seminasti: omnia modo zizaniis scatēt, familiæ vniuscuiusque nostrum non vsque adeo laudabiliter dirigūntur, vrbes inter se dissident, prouinciæ integræ à se mutuo diuisæ sunt, per regna peccata inualescunt, hæresi Ecclesia repleta est, deniq; zizaniis mundus oppletus gemit: impedieſne igitur Domine, quo minus noxiæ illæ propagines eradicētur? per te stabit, quo minus motus hi & seditiones sedentur, peccatis debita infligātur supplicia, errores tollantur, blasphemi, & hæretici exscindantur? Anne patieris, eadem inualescere? diutiusne eadem feres? anne in messem reseruari cupis? O iudiciorum abyssum! ô consilia impenetrabilia! ô secretorū fundum nemini vtrinandum! ô mare nullius ingenii bolide explorandum! At, quoniā ita maiestati visum est tuæ gratiam saltē elargire, vt tam sancte media inter mundi huius zizania, vitam instituamus, vt emensa vitæ huius nauigatione, feliciter æternæ felicitatis portum ingredi mereamur: ad quem nos pellere & dirigere digne-

dignetur, qui cum Filio & Spiritu paracleto, potest omnia Deus Pater. Amen.

# DOMINICA SEXTA POST EPIPHAN.

Partes.

1. *De magnis, arte factis minimis, minimoque regno.*
2. *Quid grani paruitas, ad diuina, totamque Ecclesiam collata.*
3. *Quid eadem ad Ecclesiæ adiuncta & contenta.*
4. *De grano fidei & doctrina.*
5. *De auibus.*
6. *De fermento.*

*Simile est regnum cœlorum grano sinapis.* Matth. 13.

## FIGVRA.

Dan. 4. POTENS ille Babyloniorum Monarcha Nabuchodonosor terribile olim somnium vidit multaque includens prodigia: vidit, inquam, arborem in meditullio terræ consitam, cuius caput luxuriantibus comis ad nubes pertingeret, radices ad terræ vsque centrum descenderēt: ramorum adhæc brachia per quatuor mundi latera extenderent, & de fructibus illius omnes pascerentur, in ramis volucres cœli nidificarent, sub vmbra vero varia animalium genera luderent & delitescerent. Et ecce tibi vox subito cœlo delapsa, quæ arborem succidi, & radice tenus amputari iubebat. Sensu literali iam sepposito, eo, inquam, quem Daniel regi visionem exponendo patefecit: scilicet regem arborem esse: quæ exscindenda esset, quod regnum amitteret, sed radix nihilominus permaneret, quando scilicet ad regnum postliminio reuerteretur: existimo visionem hanc Euangelii hodierni figuram esse, in quo Christus regnum cœlorum grano sinapis simile esse perhibet, quod quamuis omnium seminum sit minimum germinans, cæteris plantis excrescit sublimius, & aera quodammodo ferit. Huic autem grano quid obstat, quo minus Christum similem esse dicamus: qui in hoc mundo exiguus quidem fuit, humilis, plebis abiectio, & vermiculus terræ: sed in terram deinde iactus; post glorioſam, inquam, resurrectionem, ita excreuit, vt volucres cœli in ramis eius nidos construxerint, id est, Sanctorum animæ sub vmbra illius delituerint, & omnem ab ipso suam beatitudinem traxerint. In medio item terræ plantatus est, dum in Palæstina, quæ vmbilicus & meditullium, vt Cosmographi tradunt, orbis, natus apparet. Cœlos quoque vertice tetigit, & radice ad terræ centrum pertigit, quod verus esset Deus in cœlestibus agens, verus item homo in terra cum hominibus conuersatus. Ramos per orbem diffudit, quod potentia illius ab arctico polo, vsque ad antarcticum se extenderit. In ipsius ramis nidificarunt aues, & ad truncum resederunt animalia: quod tam Angeli quam homines omnem à IESV CHRISTO gloriam & beatitudinem duxerint. Excisa porro fuit, Christo moriente. Hac de re hodie acturi sumus, discussuri inquam, cur Christus grano sinapis comparare voluerit. Eius huc maiestatem auxiliariam aduocemus, matrisque illius glorioſæ patrocinium supplices inuocemus, quam verbis angelicis ante omnia salutabimus. *Aue Maria.*

I.

Qui naturæ miracula, mundique huius inferioris prodigia descripsere, quæ Ethnici olim tantopere demirati sunt: referunt inter cætera, mirabilia quædam opera, quæ vel ars vel industria hominum produxit, & in naturæ theatro spectanda proposuit. Celebrant in primis opus illud eximium: licet in tenui elaboratum, quo Myrmecides sculptor egregius currum quadriugum, & aurigam eidem insidentem, tam industriè & scitè, tamque exiguo in subiecto formauit, vt alis eum suis musca tegeret atque obumbraret: illud item alterius sculptoris, qui in cerasi nucleo nauem omnibus necessariis instructam efformauit: sed adeo tenuem, vt à picula in antenna constituta suis eam cooperiret alis. An non hæc ad naturæ ludibrium? an non hoc artificium eius quam proxime imitari, ne dicam superare?

Mirabilia & artificiosa quædam opera. *Textor in theſauro tom. 2.*

Aliud

Aliud non minus ſtupendum refert Plinius, dum ſcriptoris manum adeo ſubtilem & argutam celebrat, vt vniuerſam Homeri Iliadem, tot bella, tot conflictus, tot concertationes ducum, militum congreſſus, vexillorum expanſiones, adhæc myriades aliquot verſuum continentem, deſcriptam, nuci incluſerit. Fuit deinde noſtra tempeſtate ſculptor adeo dexter & artificioſus, vt in gemma vndecim Virginum millia exprimere non dubitarit, tanto quidem artificio, vt nulla numero defuerit. Exclamem igitur merito hic, ô paradoxa, & prodigia naturam ſuperãtia! Vt etiam è ſacro theſauro exempla aliquot proferam, non poſſum quin Ezechielis hic etiam Prophetæ artificium deprædicem, qui laterem à Deo iuſſus ſumere, inſtar Apellis, ciuitatem Hieroſolymitanam cum omnibus caſtellis, propugnaculis, munitionibus & obſidentium corona in eod. deſcripſit: vrbem tamen adeo ſpatioſam & amplam, vt, teſte Ioſepho, ducenta hominum millia in ſe comprehenderit. *Et tu fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem Hieruſalem, & adificabis aduerſus eam obſidionem, & edificabis munitiones.* An non enim miraculo videatur ſimile, vrbem tam frequentem & populoſam, muros adhæc eius & propugnacula obſidionemq; circumſecus poſitam, lateris ſpatio comprehendi?

*Ezech. 4.*

Nabuchodonoſor rex ſomnians vidit, rẽ miram & Dei nutu peractã! lapillum è ſublimi monte, nullo impellente, delapſum, & ſtatuæ è varia conflatæ materia pedibus allapſum, eandem in cinerem redigere: eumq; mox ita intumeſcere prægnantẽ, vt in montem Olympo & Atlante maiorem excreuerit, & vniuerſam terræ ſuperficiem compleuerit. Inauditum vero & ab hominum memoria inuiſum, montes in lapillos excreſcere, oceanum in guttam redigi, & elephantum in muſcam anguſtari.

*Dan. 2.*

Pater æternus, omnipotens illud numẽ, ſimile quid in orbe productурus, imo omnem omnium artificum induſtriam ſuperaturus, opus edidit, quod omnis ſtupeat antiquitas, & ſuperior ætas admirabunda decantet. Omnia namque in anguſtum redigendo, è Deo hominem, è Creatore creaturam, è Domino ſeruum, ex æterno temporalem, ex infinito finitum, ex impaſſibili & immortali paſſibilem & mortalem, humanisque ærumnis obnoxium conſtituit. quod deſcribens Iſaias exclamat: *Conſummationem & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio terra.* In quo de myſterio incarnationis, opere illo admirabili, quo maius nullum in orbe viſum eſt, vaticinatur. Quod & Apoſtolus admirans ait, *Verbum abbreuiatum fecit Dominus ſuper terram.* *Iſai. 10.* *Rom. 9.*

Mirabilia profecto hæc: ſed aliud longe mirabilius quod nulli quidem priorũ cedat, hodierno Euangelio legitur deſcriptum, vbi Chriſtus Redemptor in grano ſinapis, omnium rerum in hoc orbe creatarũ minimo, cœleſtis gloriæ amplitudinẽ & vniuerſam eccleſiæ monarchiam ſpectandam proponit. Deſcribit idipſum S. Matt. *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis.* Duæ hoc Euangelio continentur parabolæ, vna de grano ſinapis, de fermento altera: ambas has expoſiturus, in duas concionẽ partes diſtinguam, priori primam, poſteriori alteram complexurus. *Matth. 13.*

II. Eccleſia per regnũ cœlorum exponitur.

Principio igitur quotquot parabolæ huius ſenſum perſcrutati ſunt, in diuerſas & interſe diſcrepantes ſententias abiere. Fuere enim qui per hoc regnum doctrinam Euangelicam intellexerunt, de qua Matth. 21. Iudæis comminatus dominus ait: *Auferetur à vobis regnum Dei*: huius opinionis S. Hieronym. eſt. Alii hic fidem deſignari putant, vt Ambroſ. ſer. 2. & Auguſtin. ſer. 31. de ſanctis. Alii Chriſtum hic exprimi arbitrantur, alii Eccleſiam denotare, quib. vltimis & meum calculum addo. Ipſa enim vere regnum cœlorum eſt: vtpote quæ legibus plane cœleſtibus dirigatur, quæ niſi cœleſtia depoſcat, cœlo originem ducat, in cœleſtib. conuerſetur, finis denique eius & ſcopus, ſit ad cœleſtem clientes ſuos beatitudinem deducere, & à terrenis auocare.

Et ſane Eccleſia regnum eſt, & regnum Ieſu Chriſti, de quo locutum credo Archangelum cum Deiparæ diceret: *Et regni eius non erit finis*: & Danielem Prophetam, *Regnum quod in æternum non diſſipabitur*, regnum quod ipſe rex intellexit, dum coram Pilato *Luc. 1.* *Dan 6.*

Ioan. 18. dicerer, *Regnum meum non est de hoc mundo.* id est, non regnum meum instar regnorum mundi huius, quæ rerum varietati exposita in momento pertranseunt, quę exterius quidem splendorem quendam & maiestatem præferunt, interius vero sordent & exigua sunt.

Porro regnum hoc grano sinapis persimile est: in principio enim exiguum est: primo propter principem eius & caput, qui *exinaniuit seipsum* & abiecit quique vltimus & *nouissimus & despectus* habitus fuit. Secundo propter doctrinam Euangelicam, quæ parua est & exteriori specie vilis, vt Apostolus ad Corinth. ait, *Nos prædicamus Iesum Christum crucifixum Iudæis scandalum, gentibus stultitiam.* Id est, non annuntiamus deorum maiestatem, vt olim Plato: non ferimus leges, nec rerumpubl. statum constituimus vt Lycurgus: de principiis rerum non agimus, vt Arist. refluum aut defluum mare non docemus, non influxus cœlestes, elementorum qualitates & vires, terræ dimensionem, aliaque communem hominum captum excedẽtia, qualia veteres olim Philosophi, nominis alicuius comparãdi ergo, docuere, sed Iesum Christum prædicamus & hunc crucifixum: doctrinam profitemur, quæ & Iudæos offendat, & gentibus videatur stultitia. Adeo vt Arnobius testetur, Gentiles olim Christianis insultasse ac vitio vertisse, quod hominem aliorum instar è muliere natum, & vili crucis supplicio interemptum, Deum esse contenderent, vt Deum agnoscerent & venerarentur. Præterea, quod eadem nonnisi humilia & abiecta doceat, mundi nempe splendorem & vanitatem contemnere; honores & fastum pedibus proterere, gloriam aspernari, paupertatem amplecti, & humilitatem animi omnibus in rebus sectari. Vnde Matthæus, *Nisi efficiamini sicuti parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.*

Ecclesia grano sinapis confertur.

*Philip. 2.*

*Isai. 53.*

*1. Cor. 1.*

Ethnici Christianis olim insultabãt quod crucifixũ Deũ colerent.

*Matth. 18.* Tertio, regnum hoc exiguum & augustum dici potest, propter principium & ortum: quod qui eiusdem fundatores fuere, prima fundamenta iecere, inimicos insultantes fregere, leges & statuta in eodem obseruari necessaria promulgauere, piscatores fuerint, indocti, multarum rerum ignari, & omnium quodammodo mortalium abiectissimi. Testatur idipsum vnus è fundatoribus Paulus, *Qui stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: quæ infirma sunt, vt confundat fortia.* Perinde ac si dixisset, Altissimus ille Deus, cuius iudicia sunt impenetrabilia, ea quæ mundus vt fatua & insipida reiiciebat, selegit in sapientium confusionẽ: & quæ vt imbecilla, fragiliaq; vilipendebat, assumpsit, vt potentia elumbaret, & valida eneruaret. *1. Cor. 1.*

Quarto, propter exiguum credẽtium numerum: pauci enim initio legem euangelicam amplectebãtur, vt quam difficilem crederent & grauem. Vnde ipse suos Christus allocutus ait, *Nolite timere pusillus grex.* Regnum igitur cœlorum merito grano sinapis persimile esse perhibetur. *Luc. 12.*

Quod quo melius intelligatur, duplex regnum statui posse notandum est, terrenum vnum alterum cœleste: inter quæ ingens profecto discrimen est & alterum ab altero multum distat. Terreni quippe splendor & maiestas in rebus exterioribus sita sunt vt pote quod exterius magnum & amplum videatur, nihil autem in se includat & emedullatũ sit. Hinc interdum cedris Libani comparatur, *Vidi impium superexaltatum sicut cedros Libani*: interdum arbori qua cœlum capite feriat, qualis erat illa, quæ regnum Nabuchodonosor designabat, cæleste porro omnisque eius maiestas, interiora respicit, *Omnis gloria eius filiæ*, Ecclesiæ inquam, *abintus.* Ideoque grano sinapis comparatur, quod magna quidem virtute præditum, exterius vero nullam speciem præfert.

Duo regnorum genera.

*Psal. 36.*

*Dan. 4.*

*Psal. 44.*

Deinde regnum mundi huius, initio, ingens & vastum est, magnæque potentiæ sed vbi conciderit, & ad finem deuenerit, nonnisi vmbra & cinis. Cuius figura fuit statua illa Nabuchodonosoris, cuius quidem caput aureum, pedes & articulorum extrema fictilia & lutea. Considerent hæc obsecro, qui rebus terrenis hodie in tantum adhærentes, voluptates mundi consectantur, iisque immersi gemunt. Quod in veteri Testamento ita designauit Deus: inter cætera namq; quæ in tabernaculi vsum parari iussit, vasa, lebetes duos concinnari ad suscipiendos cineres vo-

Regnum mundi initio magnum, sed postea in cinerem euanescit.

*Exod. 27.* res voluit: vt hinc colligeremus primam nobis curam esse debere, colligere cineres mundi scilicet, in cineres & puluerem redigendi, finem intueri.

Mundus à magnis incipit, & in paruis desinit.

Mundus à maioribus, contra vulgarem naturæ à minimis incipientis ordinem, originem sumit, & in parua desinit. Gigantes turrim Babel ædificaturi alta concepere, sed in linguarum confusionem desiêre, somnia Nabuchodonosor ab arboribus sumpsere exordiũ & in radicib. finierunt: regius Christi in Ierosolymam introitus ab oratione & regno incepit, *Benedictus qui venit in nomine Domini*: *Aue rex Iudæorum*: & in cruce finiuit, *Tolle, crucifige*. Mundus deniq; à voluptatibus & deliciis incipit, in tormento, & ærumnis exspirat. In Apocal. namq; scriptum est, *Quantum fuit in deliciis, tantum date illi & tormentum*. Testes sit dives ille epulo qui epulatus quotidie splendide, tandem sepultus fuit in inferno. O triste & infelix regnũ!

*Gen. 11.* *Dan. 4.* *Matt. 21. & 27.* *Apoc. 18.*

Huc respexit in Euãgelio Dominus cum in nuptiis Canensibus diceret, *Omnis homo primum bonum vinum ponit, postea id quod deterius est*. At non hæc Dei agendi est ratio, qui à minoribus solet incipere & paulatim ad maiora progressum facit, ab ærumnis ad gaudia, à paupertate ad opulentiam: à cruce ad regnum delabitur. A carcere Ægyptio Iosephum ad honores & regiam dignitatem euocat: Danielem à leonibus ad palatium & purpuram sublimat: Mardochæum à cilicio, & cinere ad trabeam, & honores regios euehit: denique à cruce & monte Caluariæ Christum ad regnum sempiternum promouet. Vnde Apostolus: *Factus obediens vsque ad mortem mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod est super omne nomen.*

*Ioan. 2.* *Gen. 39.* *Dan. 4.* *Esth. 6. 7.* *Philip. 2.*

Deus à paruis incipit, & in maiores desinit.

Ita magnus ille Deus à grano incipit sinapis, & in arbores proceras desinit. In magno creationis opere ab imperfecto & indigesto chaos auspicatur, & in mundum perfectum, numerisque omnibus absolutum desinit, à piscibus & auibus initium duxit, & homo microcosmus operis exstitit finis. Idque iuxta communem naturæ ordinem, quæ à minoribus sensim & paulatim ad maiora ascendit. Prius enim, ait Aristoteles, vita plantæ, postea animalis, tum demum hominis viuimus. Ita Ecclesia, ipso sui initio parua, & tandem excrescens in immensum, grano sinapis persimilis est.

Ecclesia lunæ comparatur.

Hinc ipsa in sacris literis lunæ nomine dici solet, Psal. 88. & Cant. 6. nam vt noctiuagus ille planetes initio exiguus est, & nõnisi tenuia cornua ostentat, quotidieq; donec in orbem coalescat: ita Ecclesia ipso sui exordio tenuis & perobscura fuit, sed excreuit deinde, & ad finem vsq; sæculi excrescet, atq; immensum augebitur, donec totum orbem impleuerit. De solo igitur Iesu Christo dici potest: *Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terrarũ*. Nec aliud aduersus Donatistas, qui Ecclesiam vniuersalem ex quo Africæ angulo cõcludebant, vti & hodie Caluinistæ eandem Geneuæ terminis circumscribunt, Augustinus telum dirigit, quam hac depromptũ pharetra: ostendendo nimirum Ecclesiam, tanto tempore elapso, tam exiguis non posse finib. cõtineri. Verba eius hæc sunt; *Ecclesia luna similis est; si quis nouam lunam primo & secundo die non videt, dignus est venia, qui autem tam plenam non videt, cæcus est*. Valentius & maiores edituri plagas crediderim telum hoc statũ cõaduersus Caluinistas nostros torqueri posse. Si enim Donatistas cæcutire dixit Augustinus, quod Ecclesiam, quæ quadringentis iam annis post Christi ascensionem durauerat, non viderent: quid de Caluinistis, nostræq; tempestatis hæreticis dicendum, qui post mille quingentos annos, non modo Ecclesiam non vident, sed ne videri quidem posse contendunt, eamq; penitus inuisibilem asserunt? sed plura hic non recensebo, vt ad propositum thema reuertar; *simile est regnum cœlorum grano sinapis.*

*Psal. 71.* Caluinitas Ecclesiã non videntiũ. *Matth. 13.*

Opera Dei à paucis inchoãtur.

Ceterum opera Dei ab exiguis & paruis principiis initium ducunt, at finis & exitus nõnisi magnum quid & heroicum includit. Primi Euangelii præcones disseminatoresq; fuere piscatores indocti & ignari; & ecce, celeberrimi mox Philosophi, reges potentissimi, tyranni crudelissimi, cultuiq; idolorum dediti ipsum amplexi sunt, & tumẽtia corda eidem submisere. perspectum hoc habebat magnus ille legis doctor Gamaliel, cum di-

*Act. 5.* ceret: *Si ex hominibus est, consilium hoc statim dissoluetur, si autem ex Deo, dissolui non poterit, sed prævalebit.*

Hinc euidenter colligi discrimen poterit, inter Dei & hominum opera: diuina siquidem ab humili auspicantur, & inglorioſum & spectabile desinunt; humana vero à fastu ducunt exordium, quotidieq; decrescentia in nihilum tandem & moram infamiam desinunt. Egregium hanc in rem apologum refert Crinitus, Cucurbitā scilicet pino confitam, in altum excrescendo ramis eius implexam, insolescere cœpisse, auctamq; viribus viroreque, his arborem verbis allocutam: *En, vides, vt te supero, vt amplis foliis, vt virore præsto.* Pinum vero, insolentiam deridendo subintulisse, equidē aliquot iam brumas & æstates pertulit, varias cœli iniurias exsibilans, gelu, hyemes, calorem, æstum superaui; & integra, vt vides perseuero, fortunæ inuidiā fractura: te vero ad primam cœli iniuriam & rigorem borealem superbas hasce comas deponentem videbo, & insolentiam compescet aeris inclementia, ac tūc cornua depones & cristas: mox enim vt frondifluus desæuire inceperit Aquilo, folia tua defluent, flores emorientur, fructus putrescent, omnisque decor & splendor, ob quem tantopere te modo effers, emarcescet. Quod Alciatus, mundanam felicitatem in momento euanescentem exsibilans, egregio designauit emblemate. Verba dabo:

*Lib. 2. de bon. discip. cap. 14.*

*Embl. 124.*

*Aeriam propter* (id est prope) *creuisse cucurbita pinum.*
*Dicitur, & grandi luxuriasse coma.*
*Cum ramos complexa, ipsumq; aggressa cacumen*
*Se præstare aliū credidit arboribus:*
*Cui pinus: nimiū breuis est hæc gloria: nam te*
*Protinus aduenient, qua male perdit, hyems.*

Iterum igitur repeto, quod dixi inter cœli terræq; opera discrimen posse constitui. An non enim veteres illæ monarchiæ & Imperia, fastu turgida & potestate celeberrima, à splendore & superbia; Regnum autē Christi ab humilitate & abiectione exordium sumpsit? illo videlicet & Cyro, Dario, Cæsare, Alexandro; hoc vero à Crucifixo, qui se vermem & plebis opprobrium appellauit. Vnde de se apud Prophetam ait: *Non sunt viæ meæ sicut viæ vestræ, dicit Dominus: quia sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltantur viæ meæ à viis vestris.* *Isai. 55.*

Noui hic mihi conceptus in mentē veniunt; & dico, Ecclesiam grano sinapis similē dici posse ob tentationes & persecutiones, quæ initio quidem exiguæ, sed, antequā desæuiant & sopiantur, excrescunt, & immensum augentur. Sic Satan perfidus & versipellis ille tentator, à lapidib. cœpit: *Dic vt lapides isti panes fiant*, & in regna amplissima desiit: *Ostendit illi omnia regna mundi, dicens: Hæc omnia tibi dabo.* Diluuiū à guttis incepit, quæ nonnisi vepreta & dumeta cooperirent, at in tantum postea illæ excreuēre, tantamq; per terræ superficiem stragem edidere, vt cœlum laxatis fontibus & cataractis, in terram videretur effusum, ipsaque aqua decem cubitis summis montium fastigiis staret altior. Ad eundem etiam modum tentationes tenue habent exordium, sed catastrophen luctuosam, & damna adferunt grauissima. Tentationes initio exiguæ, sed in fine magnæ. *Matth. 4. Gen. 7.*

Infamis ille & mortalium scelestissimus Iudas ab osculo cœpit, & in crucem finiuit: vt verum esse Philosophorum hoc axioma censeatur. *Paruus error in principio, maximus est in fine.* Ægypti namq; plagæ muscis, & ranis cœptæ in cruentatos amnes & primogenitorum stragem desiere. Sic tentationes initio instar muscarum sunt, sed in fine, elephantos magnitudine, crudelitate homicidas & sicarios superant. *Matt. 26. 22. Exod. 8. 9. 10.*

Innuere hoc sacra Scriptura dum conatur, metaphorice locuta est. Isaias n. ait: *De radice colubri egredietur regulus*, i.e quantum ipse quidem possum capere, Tentatio exigua & breuis, aliam longe grauiorem & maiorem parit. vel, Tentatio, quæ instar colubri mordet & pungit, peccatum progignit; quod, non secus ac regulus corpora, animas disperdat & interficiat: vel iuxta Euangelium, Granum sinapis in arborem excrescit. Ipsa quippe tentatio in ingressu nonnisi vulpecula est: quam haud dubie in Canticis intellexit sponsa, dum ait: *Capite vulpeculas quæ demoliuntur vineas.* at in fine leoninam rabiē præfert, omniaq; deuorat & absorbet, *Tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* *Isai. 14.* *Cant. 2.* *1. Pet. 5.*

Idem

Ezech. 47. Idem autem homini in tentationibus constituto credendum est accidere, quod Ezechieli fluuium transuadanti. Nam dum ingrederetur, nonnisi ad talos aqua perueniebat, deinde genuum tenus: mox pectus transcendens ad collum vsq; ascendit; tandem vero intumuit, vt submersionis periculum adiret. Non absimiles crediderim esse tentationes, quæ initio nihil quidem esse videntur, vt ne ad suras quidem aqua pertingat: at si quis morosius inhæreat, vlteriusq; progrediatur, adeo intumescunt & insurgunt, vt perfectissimi quique naufragio facto submersi sæpe intereant, ita vt mox initio nonnisi grana, mox arbores procerissimæ & validissimæ appareant. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.*

Matth. 13.

III. Quidquid Ecclesia obseruat exiguum est.

Vere itaq; Ecclesia grano sinapis comparatur, quod quæcunq; in Ecclesia obseruantur, & quidquid in Christianorum vita seruandũ occurrit; nonnisi tenuia sunt & difficilia, humilitas inquam, crux, paupertas, tribulationes, pœnitentia, lacrymæ; vera sinapis grana, quæ accipiens homo seminauit in agro suo. Nulla autem Deus præter hæc grana, in Ecclesiæ suæ agro seminare solet; olim quidem in paradiso arbores vitæ seminauit, at in Ecclesiæ agro nonnisi grana sinapis: neq; enim aliud par est granum huic agro committere, cum omnia præter granum sinapis, nonnisi lolium sint & zizania.

Gen. 2.

Leuit. 19.

Prohibuit in veteri lege Deus, ne quis diuerso agrum semine consereret, quod allegorico sensu ita exponendum censeo; tunc vere Ecclesiæ agrum diuerso semine seri, diuinumq; præceptum violari, cum voluptates & pœnitent am simul quis studet amplecti, ac gentili & simul Christiano ritu vitam instituere. Hinc etiam olim vetuit vsum vestium è lino lanaq; pariter contextarum. Ille porro duplicem vestem & diuersi filamenti gestare dicitur, qui Gentilitio & Christiano more simul viuere contendit, paupertatem vna cum diuitiis consectatur, contemni vult & magni ab omnibus fieri, victus & vestium asperitatem amplectitur, nec non delicias colit. At Christus nonnisi vnicum sinapis granum agro suo commisit, cui regnum cœlorum simile esse ait.

Deut. 22.

Ecclesia profecto grano sinapis, tam si vniuersum eius statum & amplitudinẽ, quam si singula illius membra & partes spectemus, comparatur. Si enim oculos in illius caput coniiciamus, quid Christo in passione quidem constituto vilius, & quid eodem tumulo gloriosè exsurgente maius? Quid virgine, fabro manib. victum quæritanti nupta, hũmilius & abiectius, quid eadẽ dum Deum parit glorioſius? Quis vnquã minus quid vidit quã Ioannem in deserto Palæstinæ inedia membra macerantem? quis etiam quid illo maius, cum Iudæi Messiæ instar eum coluerint & habuerint, & de ipso à Christo dictum sit: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Idipsum de reliquis Sanctorum, Martyribus videlicet, Virginibusque censendum est: quibus nihil dum viuerẽt vilius & abiectius, vtpote quos mundani, vt fæcem & peripsema habebant, & omnium mortalium contemptissimos. Et ecce, post mortẽ, certatim omnes amplissimos eis honores impendunt, colunt, venerantur, reliquias osculantur, quin & beatas se respub. existimant, si modo illorum tutela & patrocinio gaudere queant. Ipsi quoque Reges eorum reliquias humeris gestare non erubescunt, plurisque cineres sepultos & viles, quam sceptra & diademata facere comperiuntur, quod Psalmographus admirans exclamat: *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Dic igitur, an non vere regnum cœlorum grano sinapis sit simile?

Ecclesia grano sinapis similis est per omnia.

Sancti, dũ viuerent exigui fuere post mortem magnis honoribus affecti.

Psal. 138.

Videtur autem parabola docere, eorum quæ agimus, finem & nunquam initium spectandum. In quo Deus & mundus multum inter se distant: mundus quippe grandia & ampla initio pollicetur, at finem si spectes, præter meras inanias nihil reperies: mango hic & agyrta diuitias spondet, sed ditissimis quibusq; nonnisi vile linteum & quinq; pedum spatium terræ post mortem concedit? spondet honores, sed eheu in fine infamiam donat & ignominiam: spondet delicias & voluptates carnales, & nonnisi morbi, caneri, fici, purulentiæ & ægritudines variæ sequuntur: vitam deniq; diuturnã, & in omne æuum duraturam, &; dum minus exspectatur, morte arcessit. Quam bene igitur Salo-

Deus & mundus plurimum inter se dissident.

*Eccles. 1.* mon, *Omnia flumina intrant in mare.* Quidquid enim mundus suggerit aut offert, initio quidem mel & ambrosia est, at finis amaritudinem & absynthium præfert: Deus autem è contra amara & difficilia in principio propinat, & dulciaria & mellita in fine. Israelitas in Ægypto lactucis syluestribus pauit, quos deinde manna omnem in se suauitatem continenti in deserto refecit. Et vt eadem Mosis virga, quæ in regno Pharaonis aquas in sanguinem cõmutarat fontẽ aquæ salientis petra elicuit, Samson è mandibula, qua Philisthæos plurimos Orco dimiserat, fontẽ aquæ dulcis eduxit: ita etiam sæpius accidit, vt è rebus initio quidẽ amaris, insipidis & permolestis, incredibilis dulcedo, iucunditas, delitiæ, voluptasque oriatur; & quod initio sinapi erat, postea in arborem fructuum suauissimorum feracem excrescat. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.*

*Exod. 26.*

*Exod. 7.*

*Iud. 13.*

*Matth. 13.*

IV.

Fides grano sinapis comparatur.

Absoluisse me partem hãc credebam, sed aliud quod de sinapi dicẽdum occurrit, Dominum scilicet Iesum sinapis grano fidem aliquãdo similem esse dixisse: *si habueris fidem sicut granum sinapis*, id est, ardentẽ & flagrantem. In quam rem egregiam & scitam referã historiam, quæ huc optime facere videbitur. Calipha Tartarorum rex cum anno salutis humanæ M.C.XXV. Christianos omnes imperii sui finibus excludere & exterminare vellet, quidam ex aulicis consultuis esse putauit eos à cœpta opinione deducere, quos verbis Euangelii ad fidem mutandam facile persuaderi posse aiebat; docuisse nimirũ docebat in Euangelio Iesum Christianorum Deum, *si habueritis fidem sicut granum sinapis & dixeritis monti huic: Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* nihil a huiusmodi illos effecturos putabat. Hoc ille consilium probans, omnes mox conuocari Christianos imperat, petitque num Christus in sermonibus verax sit, & Euangelium certissimum? quibus ita se rem habere licentibus Christianis, hunc mox locum produxit, quem nisi reipsa ante decem dies comprobarent, omnes se neci traditurum cõminatus est, Episcopi & sacerdotes, Christianis per omnes regni limites diffusis triduanum mox ieiunium, orationibus subnixum indixere, quo Deum sibi propitium redderent. Cum iam constitutum tempus aduenisset, & omnes vna cum rege vnum in locum conuenissent, in nomine omnipotentis monti cuidam altissimo vnus eorũ imperauit, alium vt in locum transmigraret; & ecce, rem mirabilem! mox loco cessit, veritatemque dicti Euangelii patefecit

*Matth. 17.*

Historia admirabilis.

Idem propemodum refert Paulus Venetus, dum rerum Orientalium historiam texit; recenset enim Saracenis Euangelio Christi insultantibus, eiusque auctoritatem & veritatem eleuantibus; hunc que in primis locum, in quo de montib. per fidẽ transferendis agitur, obiicientibus; Christianos id reipsa declarasse, cum montem excelsum, haud procul ab vrbe Tauro, precibus suis alio transtulere, quod & ad themat is nostri expositionem videtur facere, quo dicitur: *Simile est regnum cœlorum grano sinapis.*

*Li. 1. descriptionib. Orient. c. 8.*

*Matth 13.*

Cæterum inter omnia semina & grana, sinapis videtur esse vilissimum: nihil etiam verbo Dei & prædicatione Euangelica, quã Christus Ecclesiæ suæ agro cõcredidit, esse videtur oculis mundanorum abiectius; at coram Deo & Angelis nihil eadem haberi aut fingi potest excellentius. Omnes quippe flosculi Rhetorici, omnis Theoria physica, omnia argumenta philosophica, nonnisi fabula quædã sunt, si cum doctrina Euangelica comparentur. Testem rei huiusce habeo Dauidem dum canit: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua,* Ipse quoque gentium Apost. Paulus de verbi Dei contemptoribus agens post futuris temporibus venturos ait, qui pseudoprophetas & doctores prurientes aurib. sequendo, *à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.*

Verbum quidẽ Dei oculis mundanus vile apparet.

*Psal. 118.*

*1. Tim. 4.*

Hinc Christus summus ille doctor verbũ suum esse voluit humile & abiectum, qui & prædicationem suam humilibus verbis, nullo ascititio adhibito fuco, exposuit parabolas, similitudines, aliaque vulgaria argumenta, obuiis è rebus producta adhibendo; meram & nudam simplicitatem demonstrando, vtpote qui nulla schemata colorem nullum, nullumq; artificium quæsierit. Et consulto quidem, quod veritatem resque veriſſi-

Deus voluit verbũ suum humile esse.

verissimas doceret, quæ nullo fuco aut colore adulterino opus habent, vt mendacium & dolus. Hinc veteres illi Philosophi, vt ea quę docerent quamuis è mendaciis conflata, vera esse comprobarent, verbis plurimis iisque ad fucum compositis & coloratis vtebãtur. Ita scilicet mendacium colorari & palliari oportebat.

Simile. Solent mulieres deformes & corpus distortum habentes, fuco sibi & pigmentis venustatem conciliare, arteque alia formam parariam facere; pulchræ vero & formosæ huiusmodi fucos & purpurissam abhorrent. Mendacium, vt hoc proposito adaptem, deforme est, vt quod maxime, turpe, sordidũ: quod vt deformitatem, turpitudinẽ, imperfectiones reliquas tegat; eloquentiæ fuco opus habet: at prædicatio Euangelica, verbum Dei, ipsa inquam veritas, quæ & pulchertrima & nitidissima est, nullo indiget artificio aut ementito habitu. Adeo vt non modicam Euangelio iniuriam irroget is, qui verbis ad artem compositis, flosculis scholasticis, & Rhetoricis coloribus ipsum colorare & exornare contendit. Heu igitur seculi nostri pestẽ ac labem! in quo plurimos reperire est concionatores qui eloquentiam magis suam ostẽtant, quam ad virtutem auditores exstimulant.

O calamitatem singularem! Hac de re cõquestus olim est Dominus, cum de disertis & sui iactatoribus concionatoribus Ieremię ait: *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* Nihil autem aliud verbis illis designatum voluit, quam Euangelii, quod est verbum Dei, concionatores, non ad instar adulãtium oratorum philosophorumque, sermonem debere cõponere, sed instar ferratiorum zelo succendi, instar laromorum adamantina, & pertinacia corda perfringere oportere; idq; simpliciter & natiue sine vllo fuco aut schematũ colore. E quo singularem sæculi nostri concionatorum vanitatẽ colligere datur. Quid si hostis vrbi huic immineret eandem euersurus, & excubitores & præsidiarii loco pilorũ, missilium bolidum & hastilium flores eiacularentur, rosas & lilia spargerent, nõ gladios sed serta vibrarent; anne hoc modo hostem propellerent? nequaquam. Eodem prorsus vos modo agere certissimum est concionatores; remp Christianam & animas vniuscuiusque præsentissimo periculo exponentes. Quando enim inimici nostri; peccatum, hæresis, dæmon Ecclesiam oppugnant; tantũ abest, vt eosdem verbo Dei propulsetis, fortissima validissimaq; sacræ Scripturæ arma adaptetis; vt etiam ad aniles fabulas recurratis, conceptus seculares & gentilismum redolentes adhibeatis, & historiis profanis, nõnisi flosculos, elegantias, nouitates, delicias, que rhetoricas seligatis, itaque hostes in Ecclesiæ arcem admittatis: cum potius verbis granibus, minacibus, castigantibus opus foret, quibus & peccatores expugnaretis, vitiaque iugularetis. Sed heu! nonnisi verba aurea, mellita, fucata, elegantia, ementitæ pulchritudinis, sed tamen elumbia, hodie in cathedris regnant.

Notẽt, obsecro, hi comminationem illam quam Ieremiæ Prophetia scriptam legimus; qua maledictus declaratur is qui facit opus Domini fraudulenter, & gladium suum sanguine veretur tingere: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulẽter, & maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.* Per antonomasiam autem & excellentiam opus Domini vocatur, salus animarum: quod ille fraudulenter agere perhibetur, qui in concionibus placere auditoribus eorumque auribus seruire contendit. Hoc scilicet est, Euangelium fallere, hoc est, in verbis Dei fucum facere, hoc est, veritatem stultitiæ ergo deserere. Nam Doctrina hæc simpliciter & candide, nulloque adhibito pigmento tradi debet.

Dauid rex non prius cum Goliada manus conserere potuit, quam Saulis arma exuisset: quod diuinitus factum est, vt nimirum singularis hæc victoria non armis regiis, sed diuinæ protectioni asscriberetur. Ad eundem modum, non vult mundum aut peccatum, gigantes illos colossæos, regiis Philosophorum vel Oratorum armis superari Deus, sed solo pedo & lapidibus ad terram deiici, quibus tamen nihil ad pugnandum haberi potest vilius. Hinc in primos sui præcones, nõ Philosophos, sed idiotas, piscatores, omnium

Ieremiæ 23.

Ieremiæ 48.

1. Reg. 17.

nium scientiarum ignaros selegit. quod Apostolus Gentium innuit dum ait.: *Videte vocationem vestram fratres; quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hæc omnia occasione grani sinapis dicta sunto quod tametsi omnium granorum minimum, paulatim excrescens, patulisque luxurians comis fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius.

1. Cor. 1.

V.

Quid aues hæ designent.

Arbor porro hæc, quæ ab exiguo hoc sinapis grano pullulat, vt paulo ante iam dixi, vniuersum Ecclesiæ corpus est, rami vero, diuersi eiusdem status; Religiosi inquam, Laici continentes coniugati. S. Hilarius per aues Apostolos designari putat, qui instar lusciniæ in ramis Ecclesiæ considentes, iucundissimam prædicationis Euangelicæ harmoniam & concentum edunt: ad quem alluſit Psalmographus dicens: *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus.* S. Gregorius autem iis iustorum animas denotari credit, qua leuibus in sublime, ad diuinorum vsque mysteriorum contemplationem alis eleuãtur, ad quam magni illi Philosophi nunquam pertingere potuere. Alii vero per aues has arboris ramis insidentes, Confessores, Doctores, Martyres, Virgines, ceterosque iustos, qui in sacro Ecclesiæ statu viuunt, denotari volunt.

Psal. 67.

Homines quibus cõparantur.

Equidem per easdem homines intelligo, quippe quos ad cœlestia Deus condidit: in quo me nemo iure reprehendet, nam vt multa auium genera sunt, ita & hominum. Est imprimis auium regina aquila, quam hoc nomine dictam credo, quod vnguibus & aculeis ceteras aues decerpat & laniet: inter homines: ita & plurimos reperire est, qui instar aquilarum, cæteris præesse & dominari contendunt, aliorum exitium & interitum moliuntur, sanguinem proximi exsugunt, & vicinos penitus depascunt: in quo rhamno Sichimitarum similes illos esse crediderim, qui regnandi flagrans desiderio, se & socias arbores in exitium traxit dum conflagratione simul omnes periere.

Iud. 9.

Secundum locum teneat pelicanus, qui pectus rostro perfodiens, sanguinemq; eliciens, eodem pullos fouet & pascit. Inter homines quoq; plurimos reperies, qui, quo filios locupletent, amplamq; illis hæreditatem relinquant, nõ pectus & viscera sed sanctam Dei legem perfringunt, atque ita sexcenta animæ peccando vulnera infligunt.

Homines nonnulli pelicano similes.

Tertium struthio, quæ natura grauis, nũquam in sublime euolare potest, at terræ quodammodo adhærescens, cursitando, calcibusq; terram percutiendo, volitat. Hunc nonnulli etiam homines imitantur, quorum omne studium contentioq;, quasi perpetuo hic victuri, & immortales à Deo conditi essent, erga terrena hæc fragiliaque versatur, quibus affixi nunquam animum ad superna sustollunt, nec meditatione in cœlestib. versantur, corporeis peritursq; nimiũ immersi. Quos item similes esse censeo pisci illi, quẽ Apostolus Petrus olim dragmam ore præferentem, reti conclusit: nihil enim cogitant aut loquuntur aliud, quam pecuniam, aurum, talenta lucrum, fœnus, vsuram.

Alii Struthioni.

Quartum pauo, qui exterius quidem auium pulcherrimus est, & patulo pennarum examine superbit: at ingratissimam vocem eius vel cantum nemo ferre potest. sunt & inter homines, qui vestibus suis & schemate exteriori, purpureo aut byssino, superbiunt, turgent & insolescunt; at mox, vt os in loquelam resoluunt, nonnisi ineptias, lasciuiam, sordesque meras, mundum & carnem sapientes, loquuntur, bonis omnibus merito graues & ingratas. De quibus agens Psalmista ait: *Sepulchrum patens est guttur eorum.*

Alii pauoni.

Psal. 5.

Quintum & postremum luscinia, aedon, philomela, acanthis, aues Canariæ, aliæque plures, quæ exiguæ quidem corpore, harmoniam tamen edunt iucundissimam, & cantu suo vnumquemq; recreant. Hi sunt religiosi, mundo quidẽ viles & contempti, cunctos tamen ad virtutem exstimulantes, ad probitatis semitã deducentes, de Deo & rebus cœlestibus perpetuo agentes. Sunt scil. columbi illi felle & nequitia carentes, simplices, in conuictu faciles, nemini graues aut noxij: sunt turtures perpetuo gementes & aridis semper ramis insidentes, dum sua aliorumq; peccata

Alii luscinias & philomelas &c.

peccata assidue deplorant, & afflictiones Ecclesiæ lamentantur. Atq; omnia hæc auium genera in arboris huius ramis nidificãt, tam iusti quam peccatores, tam scelesti quam innocentes & integri: alii quidem in ramis vitæ monasticæ, alii in status Ecclesiastici, alii denique in status coniugalis.

Duo auiũ genera.

Sed audite & alium conceptum: quotquot aer aues educat, ad duo reuocari capita possunt; aliæ quippe sunt rapaces & prædæ assuetæ, aliæ vero cicures & mansuetæ. omnes quidem hæ, si notastis, in arboribus nidificãt, ea tamen inter vtraſq; est differentia, quod rapaces nõnisi noctu nidum visitent, per diẽ prædæ inhiantes, & circumquaq; escæ conquirendæ gratia volitantes: aliæ vero noctu diuque nidis insideant, pullos excludentes, alarum sordes expurgantes, plumas mundãtes, rostrum tergentes, & suauissime per aera cantillantes. Sunt quoq; duo hominum genera, mali inquam, & boni: illi sunt aues prædatrices, hi cicures; ambæ tamen super arbore Christi Iesu sedentes, eo tamen discrimine; quod probi & iusti nullo non tempore eandem frequentent: siue enim optima valetudine gaudent, templa adeunt, sacramenta percipiunt, concionibus intersunt, siue cũ aduersa luctentur, à cœptis tamen pietatis operibus in quantum per morbum licet, non resiliunt. At improbi, non prius ad hanc Ecclesiæ arborem volant, quam tenebræ ingruant; non prius de Deo cogitant; quam densa grauioris afflictionis nox superuenerit: cum enim lecto affixi decumbunt, tunc vitæ emendationem spondent, in pauperes eleemosynas effundunt, sacra celebranda indicunt, orationes aliorum exorationesque sanctorum exposcunt, Sed mox, vt pristinæ sanitati restituti sunt, ad ardorem hunc redire amplius nolunt: nam qui aleæ & lusui dediti prius erant, dediti manent; si antea furabantur, tunc nondum furari desinent. Circa vitæ igitur vesperam & occiduos ætatis canos ad Deum sese conuertunt, templa frequentare incipiunt, conscientiam in tuto collocant; reliquo tempore, velut in meridie, discurrunt, vitia consectantur, voluptates diripiunt, mundum ambiunt, ac nonnisi rapto viuunt. O aues infaustas ac nefandas! sed iam primæ parabolæ finem imponamus, & de alia iam aliquid dicamus, cum hoc initio proposuerimus.

Duo hominum genera.

Altera quam Euangelium hodiernum continet parabola, de fermento est, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum, cui regnum cœlorum simile esse dicitur. Chrysostom. inter præcipuos parabolæ huius interpretes; ait Ecclesiam fermento huic assimilari. Nam vt fermentum exiguum licet & vile, massæ pistæ insertum, eandem subluat & in alium saporem commutat: ita Apostoli, numero pauci, & ignobiles, nulla rerum scientia donati, prædicationibus suis totum mundum condiuere, eumque velut panem sapidissimum, Deique mensa dignissimum, reddidere.

VI. Ecclesia fermento comparatur. *Chrysost. interpretat.*

Antequam manum profundius fermentariæ huic massæ indamus, diuinam hic sapientiam prudentiamque pro rerum proprietate singula exponentem, notemus. In prima parabola regnum cœlorum simile esse ait grano sinapis, quod accipiens homo seminat in agro suo, iam vero fermento assimilat, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus: vt differentiam esse denotet inter viri & fœminæ opera. Neque enim pro rei decoro foret seminare mulierem, & virum pinsere. Adeo vt Christus hic insinuarit, virum in familia rite ordinata, quisque opera haconsentanea viris, & fœminam fœminis conuenientia opera agere oportere, & regulam illam grammaticorum quam maxime hic locum habere.

Deus pro rerum proprietate loquitur.

Vir & fœmina sua quisque opera habeat.

*Omne virosoli quod conuenit esto virile.* *Deut 22.*

Vetuit in veteri Testamento Deus, ne quis vestem è diuersis contextam materiis gestaret, scilicet & lineam & laneam, quo designatur, indecens esse, munia & officia, quæ simul constare nequeunt, assumere, id est, viriles simul & muliebres partes agere: neque enim vllam hæ cum illis habent similitudinem, quid namque est aliud, viros fœmininis officiis se ingerere, & fœminam vitilibus, quam rerum à Deo constitutum ordinem peruertere, & merũ chaos inducere.

Animalia amphibia.

Mirum profecto est, animalia quædam in rerum natura reperiri, quæ in duobus ele-

mentis sibi inuicem admodum contrariis viuant: qualia sunt ranæ, mergi, crocodili, glires marini, aliaq; huiusmodi, quæ Græci ἀμφίβια, Cicero libro de natura Deorum *ancipites bestias* vocat. At multo magis mirum reperiri viros qui modo muliebres partes, & viriles modo assumant, mulieres item, quæ modo matrem, modo patremfamilias agant.

*Prou. 31.* Mulieris est solius familiæ curam gerere.

De frugi & cordata muliere ita locutus est in Prouerbiis Salomon, *Considerauit semitas domus suæ & panem otiosa non comedit.* Id est, prudentis & œconomæ matris est, semper agere, familiæ suæ prospicere, ac de solare familiari cogitare: viri quippe partes sunt, externa negotia pertractare, rebusque grauioris momenti vacare. Quod & Apostolus Paulus, Titum in Episcopatus munere instituens admonere non erubuit, *Iuuenculas adhortare vt sint curam domus habentes.* *Tit. 2.*

*Gen. 1.* In rerum creatione Deus ait, *Germinet terra lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum*: pomi videlicet poma, pruni pruna, ita cætera ceteros fructus proferât; quod & in operib. hominum locum habere voluit, vt scilicet vnusquisque agat, quod è natura ei facere incumbit, viri virilia & mulieres tractent muliebria. Quam operum diuisionem adhibet & Dauid dicens, *Sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum: sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, &c.* *Psal. 122.* quibus è verbis manifesto colligere licet, in familia morata, optimisque legib. instituta diuersitatem aliquam functionum inducendam, vt paterfamilias seruorum, domina ancillarum curam habeat. Huc me fermentum abripuit, hancque verborum mixtio hæc causata est: sed iam ad lineam, *simile est regnum cœlorum fermento.*

*Matt. 13.* Sunt quædam in S. scriptura quæ in bonam, tum in malam partem capiantur. *Apoc. 5.*

Obiter autem hic notandum, *fermentum*, aliquando in bonam, in malam aliquando partem capi: sunt enim quædã in sacræ Scripturæ scriniis verba, quæ vtramq; in notionem distorqueantur. Verbi gratia, Leo interdum Christum denotat, vt in verbis illis Apocalypseos, *Vicit Leo de tribu Iuda*: interdum dæmonem, sicut in Epistola Petri Apostoli. *Aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens* Serpens interdum Satanæ symbolum est, *Serpens decepit me* interdum Messiæ, *Sicut exultauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Aues quoque Luc 8. dæmones denotant, qui sementẽ verbi Dei è cordibus auditorum vellicant, hodierno vero in Euangelio pro iustis capiuntur. Ita & fermenti vocabulum in nequiorem partem interdum accipitur, vt Luc. 12. *Cauete à fermento Phariſæorum quod est hypocrisis*: Et in Epistolis Paulinis, *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Hoc autem loco in meliorem cum regnum cœleste huic simile esse dicatur. *1. Pet. 5. Gen. 3. Num. 21. Ioan. 3. Luc. 14. 1. Cor. 5.*

Variæ verbi fermentum, significationes.

His ita constitutis, vocem fermentum diuersa in sacra Scriptura significare comperio: Primo namque doctrinam aliquam hominum denotat, vt quando Dominus suis, vt à fermento Phariſæorum sibi cauerent, auctor fuit, *Cauete à fermento Phariſæorum & Sadducæorum*, eo quod traditiones hominum que institutiones edocerent atque hanc esse putat causam Origenes, cur in lege Mosaica fermentum à sacrificiis excluderetur. Verba cautionis hæc sunt, *Dum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila, panes scilicet absq; fermento conspersos oleo, &c. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet nec quidquam fermẽti ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Secundo pro malitia accipitur: vnde Apostolus, *Expurgate vetus fermentum, vt sitis azymi.* Atque hæc forsitan fuit ratio, cur in Exodo, dum agnus Paschalis comederetur, nemo fermentum domi asseruare sine piaculo potuerit *In die primo non erit fermentum ex domibus vestris: quicunque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel.* Tertio prædicationem Euãgelicam designat, vt hoc loco, *simile est regnum cœlorum fermento.* *Hom. 5. in Leuit.* *Leuit. 2.* *1. Cor. 5.* *Exod. 12.* *Matth. 13. Iud. 11. Prou. 31. Apoc. 12.*

Hæc igitur mulier quæ farinam hic subigit, Ecclesia est, in qua Euangelica prædicatio exercetur: mulier inquam de qua verba illa assentatorum Holofernis vsurpare liceat, *non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine & in sensu verborum*: mulier illa fortis, de qua in Prouerbiis Salomon, *Mulierem fortẽ quis inueniet*, mulier illa Apocalypseos, amicta sole, lunam pedibus premens, duode-

duodecim redimita stellis, quamque draco persequebatur. Tria autem farinæ sata, quibus fermentum instituit, triplex dici lex potest, naturæ, Mosaica & Euangelica: hæc enim tres in Ecclesia tractantur: sunt etiam fides, spes, charitas: de his enim tribus in concionibus Euangelicis agitur: sunt oratio, eleemosyna & ieiunium, hæc enim tria fideles edocentur: sunt paupertas, obedientia, castitas: nam tria hæc Euangelica doctrina ad perfectionem consulit: sunt denique contritio, confessio & satisfactio, in his enim tribus pœnitentia vera ac genuina sita est, quam toties Euangelici præcones annuntiant. O farinæ dulces ac caræ! sed earum in primis fermentum, quod omnia hæc subleuat, producit ac fermentat! De quo iam plura non dicam, vt finem duabus huisce parabolis imponam.

Tria farinæ sata exponuntur.

Cõclusio.

Vos vero auditores, horum omnium memoriam conseruate, parabolas has nolite obliuisci: reminiscamini Christum ideo regnum cœlorum grano sinapis contulisse, vt edoceret, non prius regni cœlestis compotes nos fieri posse, quam humiliter de nobis ipsis sentiamus, & in oculis propriis parui simus. Humiles siquidem Deus & demisse de se sentientes amat & amplectitur: superbos & turgidos execratur. Imitamini adhæc auiculas, quas in arbore hac videtis nidificantes, exuite naturam animalium terram semper intuentium, & ventri obsequentium, at auium assumite, in altum euolate, diuina contemplamini, oculos mentemque in altum sustollite, & sacra mysteria meditamini; fermentum autem malitiæ relinquite, cauete à fermento hypocrisis, fermento prauorum dogmatum, sermo illo nefando quod bonos mores destruit, & animarum nostrarum farinam corrumpit & acidam reddit.

Hanc porro tu nobis gratiam concede, omnipotens Deus, exuberantissime bonorum fons, animarum redemptor, seruator orbis: tu, inquam, qui vere granum sinapis exstitisti, paruum in ortu, paruum in stabulo, paruum in deserto, paruum in passione, & in cruce paruum, sed qui deinde post resurrectionem, post glorioſum ab inferis reditum, post triumphalem ad cœlos ascensionẽ adeo magnus effectus es, vt in arborem procerissimam, cæteraſq; arbores magnitudine superantem excreueris, cuius sub vmbra & ramis, tot aues nidum struxerint, tot animæ sanctæ & piæ delituerint, mundum tibi vt adhærerent deserentes. O arbor vitæ, & omnium quos ad vitam destinasti refugium, nostrũ esto asylum, sedes & quies, nos vero aues tuæ simus, vt à mundo secreti, & ab omnibus terrenis cupiditatibus & negotiis expediti, laudes tuas cantare & mirabilia celebrare possimus: expectantes donec plena & canora voce cantantes audire mereamur angelos, in quorum consortio omnis beatitudo nostra & felicitas vera, ad quam nos deducere dignetur Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

## DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Partes.

1. *Quod labore opus sit ad salutem.*
2. *De Dei nos vocantis amore præueniente, eiusq; pacto.*
3. *De vocantis & vocatorum debito, & horum tardatione.*
4. *Qui sint otiosi in hora vndecima.*
5. *Quid à vespera & procuratore expectandũ.*
6. *Quales operarij.*
7. *Quæ merces operariorum.*
8. *Quis quantusq; denarius.*

*Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineam suam.* Matth. 20.

### FIGVRA.

DEVS optimus maximus, cum Hebræorum peccatis ad iracundiam prouocatus, nullam cœlo pluuiam dimitteret, adeo vt omnes fame se enecandos metuerent: Dauid rex summis precibus ab eo contendit, & oraculum consuluit, vt indignationis suæ & flagelli intentati causam reuelaret. 2. *Reg.* 21.

Cum autem vnius ob noxam Saulis primi regum Iuda tantam terræ sterilitatem euenisse didicisset, vtpote qui nonnullos Gabaonitarum iniuste neci dedisset: legatos quamprimum in Gabaon destinauit, qui peterent, quamnam pro iniustitia suorum satisfactionem desiderarent, aut quo manes interfectorum piaculo placari vellent. Qui dixere, *Virum qui attriuit nos & oppressit inique, ita delere debemus, vt ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius in cunctis filiis Israel. Dentur nobis septem viri de filiis eius vt crucifigamus eos Domino.* Dauid igitur iratum Dominum placaturus, Gabaonitisq; satisfacturus, septem è sanguine regio, de stirpe Saul, electos dedit, quos in montis vertice, in conspectu ciuitatis cruci affixere. Respha autem aliquorum hic suspensorum mater, casum eorũ grauiter ferens, & dolore propemodum exanimata, cineres conspersa lacrymis suffusa, à cruce, nec nocte, nec die decedebat, sortem filiorũ deplorans, qui nempe non ob suũ, sed patris delictum, morte occubuerant. Hodie porro figuram hanc completã video. Adam quippe primus generis humani parens, cum Deum inobedientia ad iracundiam prouocasset: factum est, vt aquæ penuria mundus laborarit, nullusque amoris, misericordiæ, gratiarumque imber cælo caderet. Seniores porro & magistratus populi Israel, quorum Rex Dauid, eum furorem hunc diuinum auertere, iratumque numen placare vellent: Christum, secundũ humanam generationẽ è posteritate Adæ descendentem, & in quo septem Spiritus S. dona, & quidem copiosissime, reperire erat, morti, & morti quidẽ crucis adiudicarunt. Quod triste spectaculum cum Respha, id est, Ecclesia, intueretur, luctu & amaritudine confecta caldis mortem eius lacrymis deplorat: Ecclesia inquam musicam & omnem iubilum deponit, tristitiam induit, & carmen lugubre & elegos decantat, deplorat inquam Christi sui sortem, morti, non ob sua, sed Adæ parentis sui delicta commissaque, adiudicati. Nec satis esse putans, cineribus seipsam deuenustare, & ob mortem Christi luctum induere: omni etiam ratione satagit, vt fideles omnes laboribus insistant & ad beatitudinem æternam secum perueniant: exemplum idcirco iis ob oculos ponit, ad quod velut ad normam vitam componant, & omnia verba & facta dirigant, quo tandem ad æternam fœlicitatem pertingant. Parabolam inquam proponit, vt in hac, qui in Ecclesia militante adhuc agunt, videant sibi quid agendum sit, vt nimirum in vinea Domini laborent, quo opere exacto & labore absoluto in triumphante Ecclesia, cœlesti inquam gaudio, mercedem recipiant. Hoc Euangelium hodiernum continet, quod vt aliqua vobis ratione profit, summi numinis gratiam postulemus, & Spiritus S. opem imploremus, idq; suffragio & intercessione gloriosissimæ Deiparæ, quam Gabrielis Archangeli verbis salutemus. *Aue Maria.*

I. Operæ ad salutẽ necessaria.

Ea semper omniũ Catholicorum Theologorum opinio fuit, opera sancta piaque ad salutem necessaria esse, laborem meritorum omnium partem, nullamq; sine labore mercedem expectari posse. Hanc dicere solebant veteres, gentiles licet ac pagani, Deos omnia laboribus vendere: apud Christianos autem iam certo certius est, Deum optimum maximum nonnisi sudoribus & sanctis operibus res minimas, nedum gloriam cœlestem, æternamque beatitudinem, vendere: & quidquid in cœlo habetur gaudii laboribus & sudoribus parari.

Caput bouinum laboris Hieroglyphicum.

Atq; hæc sintratio, cur Ægyptii laborem exprimentes, bouis caput depingerent, animalis scilicet laborib. assueti: quod & imitantes Romani, bouem diis mactaturi, coronis & sertis caput illius redimiebant: innuentes soli labori & ærumnoso sudori coronam & mercedem deberi. Salomon quoque dum in basibus columnarum, & in coronulis peristyliorum boues & Cherubim efformari voluit: mystice declarauit, instar boum nobis in Ecclesia, interea dum viuimus, laborandum esse, si Cherubim & sanctorum sortis participes esse velimus.

In Exodo quoq; mandauit Deus Mosi, vt vela & cortinas tabernaculi, lineas, & hyacinthinas, & purpureas faceret. Purpura hęc, quæ rubicunda & sanguinea est, denotat, in Ecclesia ad sanguinis vsq; effusionem nobis laborãdum esse: linum vero quod toties manus

nus subit, toties tunditur & laboratur, antequã ad perfectionem & formam legitimam veniat, mortificationem designat: hyacinthus autem, qui cæruleus color est, & cœli conuexa imitatur, æternæ beatitudinis præmium. Hinc laudatur in Canticis spõsa quod digitos hyacinthis refertos habeat. Quicunque enim laborat, membraque sua mortificat, gloriæ hyacinthum promerebitur.

*Cant.* 5.

*Matth.* 11. Quod & testimoniis è sacra pharetra depromptis confirmari poterit. In Matthæo quippe scriptum legitur, *Regnũ cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Perinde ac si Euangelista dixisset: Regnum illud cœleste, cuius monarcha Deus est: purpurati, Angeli incolæ, sanctorum animæ, terminus æternitas: nonnisi armis paratur, & soli violenti, id est, seduli, laborantes, non vero inertes & desides, eius participes & compotes fiunt.

Cœlum nonnisi laborantibus paratum.

*1. Cor.* 3. Quam deinde sententiam Apostolus cõfirmans, ait, *Vnusquisq; propriam mercedem recipiet secundum laborem suum.* & quam ipse excentis allegoriis eo stabilitum.

*4. Reg.* 17. Dauid priusquam Saulis filiam in matrimonium acciperet, & regis gener fieret, Goliadam prosternere, conflictum inire, vitamque periculo exponere debuit. Mysterium denotat, neminem cœlestem illam filiam, beatitudinem inquam accipere, & non dico generum, sed filium Dei fieri posse (*dedit illis potestatem filios Dei fieri.*) nisi arma sumat & Gigantem illum, mundũ inquam, expugnet ac prosternat. Quo alludens Iob dicere solebat, vitam hominis militiam esse super terram. Expertus id etiam erat Paulus, dum diceret, *Bonum certamen certaui, cursum consummaui*: vt hinc euidens fieret non nisi laboribus meredem & præmium parari.

*Ioan.* 1.

*Iob.* 7.

*2. Tim.* 4.

Exploratores Iosue eum è terra promissionis reuersi, fructus terræ coram vniuersa multitudine protulissent, mox dixere, *Terra quam lustrauimus deuorat habitatores suos, ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo.* Profecto Sancti omnes exploratores illi regni cœlestis, & eminus è cœlis fructum modo ostendentes, idipsum nobis hodie inclamant, vnaque voce asserunt, per multas nos tentationes in regnum cœlorum intrare oportere.

*Num.* 13.

Ipse quoq; Dei Vnigenitus aperte id demonstrauit: cum enim filii Zebedæi, ambitione excæcati, & honorum sitientes, matrẽ honores petitum ad redemptorẽ misissent, vt sc. vnus ad dextram, alter ad sinistram in regno illius, nullo præcedente labore, sine sudore & puluere, considerent: molli eorum superbiam responsione compescuit dicens, *Nescitis quid petatis.* Insinuare voluit, omnes qui honores ambiunt, & laborem fugiunt, nescire, quid petant eorumque se postulatis annuere non posse. *Actor.* 14. *Matt.* 20.

Cum hoc Domini responsum refero, alterius mihi prorsus similis in mentem venit. Adolescens quidam cum regem Antigonum adiisset, præmiumque virtutis paternæ bello declaratæ petiisset, ipse autem ignauus & imbellis esset, hoc à rege modo reprehensus fuit. *Ego virtuti propria, non aliena; mercedem dare soleo.* Et profecto ea Dei nostri consuetudo est; vt vnicuique nonnisi iuxta laborem & merita; mercedem retribuat. E quo manifestum reddi potest, bona ad salutem opera perneccssario requiri, & fere fatuum eum ac stolidum dici posse qui nullo exantlato labore, beatitudinem adepturum se sperat. Apophthegma regis Antigoni.

Inter prima quæ Isaac Rebeccæ dedit, in pignus amoris monilia, fuere armillæ & inaures Inaures quidem fidei, armillæ vero bonorum operũ sunt symbolum. Primum autem & pretiosissimũ monile, quo nos Deus, verus ille animarum sponsus donat, ipsa est fides, quæ *sine* bonis *operibus mortua est*, quibus omnibus si careamus, non est quod Deo placere, aut aliquod ab eo præmium adipisci posse confidamus. *Ge* v. 41. *Iac.* 2.

Canticorum ille sponsus, quo amorem, quo se à sponsa diligi sperabat, exterius etiã intueretur, vt signaculum se super cor & brachium ab ea poni voluit, *pone me vt signaculum super cor tuum; vt signaculũ super brachiũ tuum.* Sponsum vero in corde & brachio signatum gestare nihil est aliud, quam ex toto animo, Deum verum animarum sponsum diligere: illumque amorem operibus bonis exterius testatum facere: atque hoc est quod tantopere Deus desiderat. *Cant.* 5.

Inter cæteros, quos ab ingressu tabernacu- *Leuit.* 21.

lì, locique sancti introitu, Deus per Mosem arceri voluit, erant claudi, & fractã manum præferentes. An non hic allegorice designat, eos qui laborare detrectant (quod fracta manus denotat) cœlo excludendos, nec auditum, nedum vllam in æterna beatitudine partem exspectare posse? etiam Psalmographus declarauit dicens, *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Id est omnis decor & pulchritudo Ecclesiæ, quæ est filia illa regia, in intentione, quæ latet intrinsecus, & bonis operibus, quæ extrorsus eduntur, consistit.

*Psal. 44.*

Cur Deus cœlum laboribus parari voluerit.

Opera igitur bona & labores assidui ad cœlum consequendum necessaria sunt, idq; varias ob causas. Primo, quod cœlum sit adeo vt nimirũ non sit, si magnos exantlemus labores, sudemus, difficultates varias subeamus. Si enim vt minima quæq; in mundo adipiscamur, sudemus, & nullam non molestiam toleremus, cur gloriam cœlestem gratis nobis dari velimus? Patriarcha Iacob, quo ad Rachelis nuptias pertingeret, viginti ipsis annis seruire graue non duxit, noctes & dies in gregis commoda inuigilans, ac varias cœli iniurias sustinens, & tamen *videbãtur dies pauci præ amoris magnitudine*, quid Rachelis est pulchritudo, si cũ cœlestis glogiæ dignitate excellentiaq; comparetur? Tu mihi dic Paule, quid de illa tibi videatur? *Non sunt*, inquit, *condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Nam quamuis ad aliquot myriadas annorum vitam extenderemus, eosq; diuino seruitio obsequioq; impenderemus, nihil omnino hoc esset, ac ne minima quidem tãtæ gloriæ particula dignum. Cicero vir prudens & in rebus ciuil bus versatissimus, audito, fratrem Consulatum ambire, mox ad eum literas misit, quarum hæc erat summa: *Peregrinus es, mi frater, Roma est, consulatum petis.* Id est, Quid cogitas, quo aspiras? quid prætendis? annetu externus Cõsulatum ambis, & quidem in vrbe Roma orbis domina, dignitatẽ etiam omnium dignitatum primam. Perinde ac si dixisset, Quicunq; ad Consulatum adspirat, laboret prius necesse est, eundemque promereatur: is enim est honor, ad quem nonnisi summis laboribus quis ascendit. Iisdem sed Christianus verbis compellet, cum cœlestem sibi beatitudinem promittit, necesse est: *Peregrinus es, cœlum est, beatitudinem petis.* Nam peregrinamur omnes à Domino, & beatitudinẽ cœlestem petimus, qua nulla maior aut amplior, quanti igitur subeundi labores, quantum oneris sustinendum?

*Rom. 8.*

*Epist. ad Atticum.*

Quæ magnis parãtur laboribus, cara sunt.

Secundo, quod ita homini ad salutem expediat: nam si gratis Deus cœlestem gloriam hominibus elargiretur, non tanti eam Sancti, quanti modo faciunt, cum pugnando certandoque eius se compotes factos esse perspiciunt, existimarent. Videmus enim fieri quotidie: vt ea quæ magnis laboribus, & nonnisi præuiis difficultatibus, parata sunt, gratiora & iucundiora existant iis, quarum dormiendo & nihil minus cogitando compotes reddimur. Testis sit Saul, qui quod gratis, sola diuina electus gratia, ad regnum Israel euectus esset, beneficium tanti, quanti reuera debuit, non fecit, ita vt etiam se fuga subduceret, quo minus in regem assumeretur. At posteaquam Ammonitis profligatis, victoriaque amplissima obtenta, idipsum promeruisse visus est, plurimi fecit: ac sæpenumero apud suos gloriatus est gladio se & armis regnum sibi Israel vendicasse.

*1. Reg. 11.*

*Hieron. in tradit. Hebr.*

Patriarcha Iacob testamentum condens, & hæreditatem inter filios distribuens, singulatem præ reliquis Iosepho portionem legauit, dicens *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Quæ verba Septuaginta hoc modo interpretati sunt: *Do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos, quam recepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo & sagitta.* quamquã & Chaldaica Paraphrasis aliter adhuc transferat, *Ego autem dedi tibi partem vnã præcipuam super fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, oratione mea, & obsecratione.* Videte quot in sensus verba hæc torqueãtur: equidem viam regiam insistendo, cõmunemq; Patrum expositionem sequendo, per partem hanc singulatẽ Sichimam, Samariæ opidum denotari credo, quã Iacob per filios suos Dinæ raptũ vindicãtes, omnesq; Sichimitas, profligãtes, acquisitã, Iosepho donauit: qui

qui quo magis Iosepho gratificaretur, suumque amorem in eum testatum faceret, apertius partem & hæreditatem se tradere asserit, quam multo sudore & summo vitæ discrimine sibi peperierat. Docere nos quin etiam voluit, ea quæ magna difficultate parantur, cariora & gratiora esse iis, quæ stertendo ac sine labore nobis obueniunt. Hinc voluit Dominus violenter nos cœlum rapere, & sudore molestiaque gloriam immortalem acquirere: vt nimirum eo sit acceptior, plurisque eandem faciamus, quâ si gratis ad ipsam deueniissemus.

Hodierno id Euangelio, sub egregiæ cuiusdam parabolæ inuolucris, expositum video, in quo regnum cœlorum patrifamilias, summo mane ad operarios in vineam suam conducendos eunti simile esse traditur: quibuscum dum ille ex denario diurno conuenisset, in vineam suam singulos destinauit, qui deinde sæpius diuersis temporibus egressus & alios vinitores reperiens, ad eamdem omnes misit. Cum vero iam sero factum esset, vocato procuratore domus, singulis denarium, prout cum vnoquoque stipulatus erat, persoluit. Historiæ seriem Matthæus descripsit: è qua vtaliquid in rem vestram adducam primo de vinea vinitoribus

II. que, deinde de mercede & denario loquar.

Vix parabolæ huius limẽ ingresso quamprimum etiam minus cogitanti occurrit, patrẽ hunc familias esse Deum: vinitores, nos omnes: vineam, Ecclesiam, & denarium, ipsam beatitudinẽ. Vinea igitur Ecclesia est, tam triumphans quam militãs, quod in hac vinitores conducantur, in illa vero præmiũ accipiant. Paterfamilias siquidem haud dubie ipse Christus est: redemptor noster, aut secundum nonnullorum interpretationem ipse Deus Pater. Ipse enim communis omnium nostrum pater est, & paterfamilias, qui diligentissimam creaturarum suarum curam gerit, quique mundi rebus hactenus semper solertissime prospexit ac prospicit. Sed ita, vt primo mane semper exeat mature directurus & dispositurus

*Matt.20.* Amor huius Patris

*Exiit primo mane.* Tantus Patris nostri in filios amor & affectus est, vteum è somno dormientẽ excitet, quo ad nos quærendos, conducendos, meritaque nobis adaugenda familias exsurgat. Non etiam sine emphasi dictum erga nos. est: *Exiit primo mane.* Notant enim doctissimi quique sacræ Scripturæ interpretes, & præsertim Hebræę linguæ periti, matutinam *Prou. 13.* illam è somnis excitationem, magnum aliquod desiderium & amorem vehementem innuere: Exempli gratia, vbi in Prouerbiis *Prou.7.* in Vulgata legitur, *Qui diligit filium, instanter erudit*: in Hebræo legitur, *Mane diluculo erudit.* Quasi diceret, In eo maxime patris erga filium amor elucet, quod eumdem magna contentione diligentiaque summo mane erudiat. Quin & eodem libro cum de pellaci meretricis alloquio, quo adolescentem in illicitum cõcubitum pellicere conabatur, agitur, dixisse fingitur, *Egressa sum in occursum tuum desiderans te videre.* quæ verba ad fontes Hebraicos reuocata sic legũtur. *Egressa sum, vt mane cõsurgerem ante faciem tuam.* Quasi dixisset, Ita me tristis absentia tua affecit, itaq; tui videndi desiderio flagraui, vt summo mane surrexerim, quo vultum mihi carissimum intuerer. At maior longe Dei in nos amor est patrisq; huius cura & affectus vehementior.

Quæ duo vt sacra Scriptura exprimeret, metaphoricum loquendi modum adhibuit. Describitur quippe pater hic in Psalmis super Cherubin ascendisse, & ventorum adminiculo per cœlos terramque volitasse, *Et ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum.* Figurata vero hac loquendi ratione designatur, quando Deus amore diligentiaque suis in necessitate constitutis subueniat & auxilietur: quippe, qui non incedere: sed instar venti pernicibus pennis per *Matth.20.* aera ferri videatur. Deus in benignitatem facilis, in iustitiam tardus.

*Exiit primo mane* Hic notes vélim, ô anima patris huius bonitatem & clementiã qui nimirũ primo mane surgat, misericordiam declaraturus, vindictam autem exercitaturus, & flagella intentaturus, sero domo exeat. Cum n. Adamum grauissimi criminis reum *Gen.3.* castigare decreuisset, non mane sed post meridiem exiit, *Deambulans ad auram post meridiem.* At misericor iam & bonitatẽ factu-rus currit, festinat, & ventorum instar volãs properat. Atque hoc est, quod sub Cherubin illius

illius figura, pedes simul & alas habentis declarare voluit Ezechiel : Deus namque sanctus ille Cherubinorum rex vere pedes habet, quibus ad corripiendos peccatores lente incedat: alas item quibus volet, dum benigne eos in gratiam admittere satagat. Adeo vt de ipso assentatorius ille Poetæ versus vsurpari merito queat:

*Ezech.* 10.

*Tardus es ad pœnas princeps, ad præmia velox.*

Deus in iis quæ ad salutem nostram spectant prouidus est.

Colligi hinc profecto patris huius prouidentia, cura, sedulaq; anxietas, & infracta diligentia potest : qui nimirum sub crepusculum surgat, ante solis ortum, tenebris nõdum dissipatis, sed stellis adhuc in aere rutilantibus. De ipso namque locutus videri queat Iob Propheta dicens: *Vbi eras, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei* ? Nondum etiam surrexerat sponsa illa Canticorum cum sponsus ad ostium pulsans, diceret, *Aperi mihi soror mea sponsa, quia caput meum plenum est rore.* Sole nimirum nondum exorto, qui rorem exsiccet. Eamdem sponsa diligentiam in dilecto obseruat; cum alibi ait: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Quid autem tãtopere properare, quid ita festinare cogit? itineris proculdubio longinquitas, & hominum conuersio, quos è peccatoribus & improbis iustos, à tartari titionibus lampades cœlo aliquando rutilaturas, & astris inuidiam facturas, efficere contendit.

*Iob.* 38.

*Cant.* 5.

*Cant.* 2.

*Matth.* 20. Dei misericordia ab incunabulis nos vocat.

*Exijt primo mane.* Quam matutinus est Deus, quam tempestiue exsurgit, vt nos vineæ suæ cultores conducat, & gloriæ æternæ nobis denarium concedat! ab ipsis incunabulis, ne dicam matris vtero, misericordia sua magna nos præuenit. Quam manè Samuelem, Ieremiam, Ioannem Baptistam, alioſq; innumeros sibi elegit & vocauit! ab ipsa videlicet matrice vocati sunt, & summo mane ad vineam colendam à patrefamilias conducti. Audite quid de se testetur Isaias, *Dominus ab vtero vocauit me.* quid sentiat Ieremias, *Priusquam te formarem in vtero, noui te.* quid Psalmographus scripserit? *In te proiectus sum ex vtero.* & alibi, *suscepisti me ex vtero matris meæ.* quid Lucas Euangelista de magno Zachariæ filio referat? *Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* quid denique de se profiteatur Apostol. *cum autem placuit ei, qui me segregauit ex vtero matris meæ & vocauit per gratiam suam.* An nõ summo mane ille vocari censendus est, qui ante natiuitatis auroram vocatur?

1. *Reg.* 3.

*Isai.* 49.

*Ierem.* 1. *Psal* 21. & 118.

*Luc.* 1.

*Gal.* 1.

Operarii quos Deus diuersis temporib. in vineam suam misit

Neq; hic illius diligentia & sedulitas stertit: nam à primo quo surrexit momento, vsque ad horam vndecimam, operas in vineam destinare non intermisit : omni enim hora, quos in Ecclesiæ vineam mittat, idoneos operarios quærit. Nam summo mane, id est, iam ab ipso mundi exordio, Patriarchas vocauit, qui fuere omnium primi, qui vineam illius excoluere : deinde Prophetas, mox Apostolos, postea Martyres, post omnes hos doctores, alioſque innumeros : itaque summo mane egressus est conducere operarios, quibuscum de stipendio conuenit.

Conuentio & pacta Deum inter & homines.

Conuentio hæc ex denario, pactũ quoddam inter Deum & hominẽ initum denotat, quo alter alteri indissolubili quodam vinculo & nexu se obligat. hinc quidem homo, omni se ratione effecturum spondet, vt vinea fructus proferat, id est, Christiana se opera editurum : illinc vero Deus, si fructum viderit, in compensationem, vitæ sæternæ præmium præbiturum. Præterea, non satis est Deo, gloriam homini suam promisisse; sed vltro se quin etiam ad dandum obligat, quod & scripto, ne qua fraudis detur occasio, vult stabiliri. Et merito quidem. vult enim imprimis suis firmiter nos promissis confidere, nullaque de iis ratione dubitare; vtpote qui fidelissimus sit, & verax in omnibus, neminem in promittendo fallat, aut quod pollicitus sit, implere negligat. Quod aperte testatus Dauid canit: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis; & sanctus in omnibus operibus suis.* Idem sentiebat qui in verbis se Domini, nunquam mentientis, confidere dicebat: *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.*

*Psal.* 114.

2. *Tim.* 1.

Promissa olim sua Deus cæremonijs publicis

Hinc quoties in vetere Testamento Deus quoddam cum hominibus pactum aut fœdus iniret, vsitata ad aliqua cæremonia stabilire, ad maiorem auctoritatem, sõlebat. Vt in primis, dum pactum cum Abraham

Patriar-

Patriarcha contraheret, quo certum eum & securum redderet, ita vt de verborum suorum robore non dubitaret (qui nimirum Deus veracissimus, omnisque mendacii expers esset) signum aliquod vsitatum demonstrauit, cærimoniaque pacta conuenta communi confirmauit; flamma nimirum ante eum per medium auium, iuuẽcarumq; duas in partes resectarum pertranseunte. Ignis autem hic morte eum & lumbifragio dignum designabat, qui quod inter eos statutum erat, irritum redderet, fœdusque initum violaret.

*Exod.24.* In Exodo item cum Deus cum populo suo in legis promulgatione paciscereturr, Moses legatus & mediator vtriusque partis, sanguine victimæ & populum, & altare Domini pariter conspersit. Quæ conspersio nihil signabat aliud, quam vtrumque ad fœderis obseruationem deuinciri, nullaque ratione initum pactum, vt ad Hebræos Apostolus scribit, posse rescindi. Deus igitur cum hominibus paciscitur, atque ideo summo mane exit conducere operarios, & cum iis stipulari.

III. Dei clemẽtia, quod se ad certas conditiones astringi patiatur

O misericordiam singularem! ô benignitatem incredibilem! ô Deum clementissimum! qui quamuis adeo potens & sublimis sit, summus videlicet monarcha, ac proinde nullis legibus subiectus, è nemine prorsus pendens, gloriæ sibi tamen & honori ducit, hominis instar ad certas quasdam leges & conditiones adstringi. In quo profecto summa illius misericordia & clementia elucet. An non enim infinitæ bonitatis indicium est, homini vili & abiectæ creaturæ ius tribuere, quo Deo altissimo & infinito actionẽ intenter, eiusque maiestatem coram proprio tribunali in ius quodammodo vocet? Hac benignitate bonitateque perculsus Iob

*Iob.13.14.* dicebat: *Contra folium quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam; & dignum ducis super huiusmodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?*

Quam admirabilem Deus modum excogitarit,

At summã admirationẽ meretur, Deum cum vineæ suæ cultoribus conuenire, & stipulari non secus ac si dominus quispiam omni ratione contenderet, quo seruis suis & vasallis obligatus esse posset, eorumque se potestati subiiceret. quamuis, si ex congruo & rerum momenta accuratius librando, loqui velimus, nulla ratione dici possit, Deum creaturis, quo præmium illis persoluat, debitorem existere, aut subiici: vt qui sola misericordia inductus pactum ineat, quo se promissa seruaturum obligat, seque pollicitationis factæ fatetur debitorem. Vti hic fieri videmus, vbi magna verborum solennitate nobiscum paciscitur; opera nostra, quæ nullius ex se valoris sunt, ex vi pacti & conuentionis huius, infiniti meriti fore, sine qua tamen omni merito & mercede destituta sunt. Atque hunc in modum intelligenda sunt verba illa Lucæ: *Cum feceritis omnia* *Luc.17.* *quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus.* & illa Pauli: *Non sunt condigna passiones* *Rom.8.* *huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis*: Ex vi autem pacti huius dicere magna confidentia audet Apostolus: *Re-* *2.Tim.4.* *posita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex; non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.*

Vt se hominis debitorem redderet.

Quomodo opera nostra meritoria.

Cuius rei egregiam in libris Regum figuram legimus. Inter cetera Dauidis etiamnum adolescentis stratagemata, fortitudinisque indicia, refertur, quod vrsos perscuteret, leones dilaceraret, lupos iugularet, aliasque belluas & mole vastas, & feritate immanes, non sine præsenti corporis periculo, conficeret. Quæ quamuis profecto singularia, & heroicæ virtutis argumenta forent; nullam tamen ex iis laudem, nullam gloriã, imo ne obolum quidem adeptus est. At mox vt hominem interfecit, quem ictu lapidis e minus ad terram prostrauit, sine ferro & hastili superauit; omnium præconiis celebratus, gratiam filiæ regiæ consecutus, & Saulis gener factus est. Quid ergo in causa esse putamus, vt Goliadæ pluris, quam vrsorum & leonum dememberatio, fieret; cur illa maiorem, quam hac laudem promeritus sit? Vnica rei huiusce ratio fuit, quod Saul Goliadæ percussori filiam se suam in matrimonium daturum spopondisset, nuptiasque & affinitatem regiam monstri huius nece parandam sancte iurasset: ni hoc fuisset, nunquam tantam gigantis cædes laudem,

tantaque præconia nec tantam mercedem obtinuisset. Hinc igitur manifesto colligere poterimus, Christianorum opera infiniti meriti ac valoris esse, qui ex vi pacti quod nobiscum iniit Deus, ortum habet, cum igitur cœlestem nobis gloriam spondeat, æquissimum ac rationi maxime cõtentaneum videtur, vt summo mane in vineam illius eximus, cum ipse vltro conuenire nobiscum, nosque in vineam suam nec opinantes conducere non grauetur.

Mirum hominẽ Deo sine mercede seruire nolle.

O rem admirabilem & paradoxam! Creatura priusquã aliquod Creatori obsequium præstet, de mercede certior esse vult, nihilque, nisi præmio proposito, in honorem Domini exsequi. In quo degenerem profecto, ac plebeiam suam sortem demonstrat: vt quę Creatori optimo, benignissimoque, sine mercedis & præmii amplissimi spe, obsequi nolit. O ingratitudinem, ne dicam peruicaciam singularem! Vasalli vt regi; mancipia vt domino; filii, patri, Creatori, creaturæ obtemperent, eiusque mandata exequantur; præmia promittantur, & remuneratio præcurrat necesse est Patere hinc ad oculum potest, plebeios nos & ignobiles mercenarios esse, ex denario diurno operantes, imo sine prompta pecunia, aut saltem opere peracto persoluenda, ne pedem mouere volentes: quorum conditionem exponens Iob ait: *Sicut dies mercenarij, dies eius.* Ea enim conditionis nostræ vilitas est, eæ sordes animi, vt, non nobilium & generosorum athletarum, sed plebeiorum actriuialium instar, nonnisi spe præmii proposita, seruiamus. Inter quos se numerare etiam Dauid rex non erubescit dicens: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Deus itaque mercedem amplissimam pollicetur, antequam serui obsequium præstent, & operarios certa mercede proposita in vineam conducit.

*Iob. 7.*

Hominis, animi vilitas.

*Psal. 118.*

In vinea Domini & non dæmonis laborãdum.

In vinea igitur Dei, non autem dæmonis, laborandum est; non in prauarum scilicet cupiditatum, honorum, delectarum, auaritiæq; vinea. Quam enim deplorandum ac dolendum est, in vineis hisce Gomorrhæis operam & laborẽ omnem nos perdere! Deplorauit hoc olim Deus ipse, & quodammodo succenset, cum tam multos in vinea mũdi huius, in sua vero paucissimos laborantes aduertat: *Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel.* Id est, Interea dum idololatræ diis suis supplicabant, tu Iacob silebas, nullaque me prece placabas: interea dum proprio idolis suis sanguine litarent, tu nullum mihi amoris obsequiique signum ostendebas: si quem vero laborem perferebas, non in mea hunc vinea, sed cupidinis auaritiæque exantlabis. Hic autem paterfamilias non conducit operas, nisi in vineam suam, & non in alienam, tantaque sedulitate & sollicitudine, vt omnibus diei horis, tertia, sexta, nona & vndecima, in compita egressus sit, operarios conducturus.

*Psal. 43.*

*Circa vndecimam vero exijt.* Non est autem, vt amplius nos ipsos excusemus, Auditores; omni quippe nos hora Dominus ad se vocat. Iam inde ab vtero matris testatur hoc Ierem. dicens: *Dominus ab vtero vocauit me.* vix ipsi quoque in hunc mundum ingressi sumus, quin ipsa nobis fides, gratia, aliaque charismata conferantur. Ab ipsa etiam adolescentia; quoties enim auribus nostris insonat dicens: *Adolescens tibi dico surge?* Sed quæ nostra socordia est, sæpe quidem vocantem Dominum audimus, at semper friuolam aliquam excusationem præreximus, imo longius, ne vocantem audire cõpellamur, recedimus. In quo adolescentem illum Euangelicum, à Domino ad Apostolici culminis honorem euocatum, sed patris grandæui prius sepeliendi sibi licentiam dari postulantem: *Permitte me primum ire, & sepelire patrem meum*, imitamur.

*Mat. 10.*

*Ierem. 1.*

*Luc. 7.*

*Matth. 8.*

*3. Reg. 19.*

Homo semper se excusat, dũ à Deo vocatur.

Elias Prophetes cum Elizæum vocasset; venturum se quidem mox ille ait: sed in paternam prius domum secedẽs, boues & pinguia iugulauit, ciuesque suos epulo sanctissimo refecit: *Tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt.* Ita & nos, quoties à Deo vocamur, conuersionẽ in aliud tempus differimus, & procrastinamus de die in diem, tota die in foro otiosi stãtes, & socordia diffluẽtes, excusationesq; aliquas semper excogitãtes; & dum ad cœlestia vocamur, statim in ter-

in terra quædam nobis expedienda adhuc negotia obiicimus: in quo magnum sæpenumero nobis ipsis detrimentum afferimus, excusandoque non parum damni capiti nostro accersimus.

Gen. 3. Cum inter pastores Abrahæ & Lot, quotidie iurgia orirentur, ait Abraham: *Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro. Si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.* Lot igitur, optione data, locis scopulosis & montosis relictis, in amœnissimam & iucundissimam regionem, sed decliuem secessit, in qua tanta tamen regnabant scelera, vt igne cælitus delapso expiari debuerint. Sed malo in eligendo, inquit Ambrosius, consilio vsus est; cum è regione, quam vt optimam & fertilissimam selegerat, captiuus abductus sit, & omni substantia denudatus. Huic peccator, mihi credite, persimilis est, qui à Deo toties vocatus, & quasi impulsus, vt certum sibi vitæ genus deligeret; alta virtutum cacumina, vitæque religiosæ scopulos declinat, quo valles humiliores ingrediatur, voluptatibus indulgeat, deliciis vacet, Diaboli non vero Dei consilia sequatur; vnde suiipsius sæpe exitii causa existit Deo igitur vocanti auscultandum, nullaq; non hora inuitanti parendum.

Deus omni tempore operarios conducit. Et sane omni hora egreditur operarios conducturus: prima enim diei hora cum Adamo stipulatur; tertia cum Noacho conuenit; sexta Abrahamum conducit; nona Moysem, & vndecima Apostolos in vineam destinat. Cumq; vltima hora egressus multos in foro otiosos vidisset, stomachatus & succensus ait: *Quid facitis hic tota die otiosi?*

Matt. 20. Deus salutem in Euangelica lege negligentib. irascitur. Non adeo mirandum est, si in lege naturæ & Mosaica multi salutis propriæ negligentes aut parum de eadem solliciti, reperti sint: at nunc in tempore accepto, in lege gratiæ, vltima mundi hora, postquam tantum nobis Christus amorem declarauit, & tot eum nostri causa labores subiisse, & innumera ab eodem beneficia accepimus, tãtis tamq; efficacibus Sacramentis potimur, cœlum cuilibet patet; desides aliquos esse, dormire securos, otiari, stertere, indignũ est, iniquum est, & grauissimo supplicio puniendum. His igitur dictum credamus: *Quid Matt. 20. statis hic tota die otiosi?*

IV. Notent hîc curiosi rerum indagatores, solos taxari eos & socordiæ accusari, qui circa horam vndecimam otiosi fuisse comperiuntur: nam tametsi omnes desides & pigri merito reprehendendi sunt, ii tamen in primis redarguendi, qui totos dies in otio transigunt, vitamq; inertissimam ac maxime desidiosam ducunt. Quamuis enim adolescentes & iuuenes, qui nondum ad vndecimam vitæ horam peruenere, si deliciis diffluant, otio torpeant, & nihil agant, reprehendi castigariq; mereantur: senes tamen, qui vndecimam vitæ horam iam attigerunt, qui ad ætatis vesperam vergunt, mortisque in limine versantur, maiori sane castigatione, si stertant, digni sunt. Quas enim vocanti Domino excusationes prætendent? quid in suæ negligentiæ purgationem adferent? quomodo se defendere poterunt? quid aduersus hanc taxationem: *Quid hic statis tota die otiosi?* dicent? Senes saltis suæ negligentes magis reprehendi quã iuniores. Matt. 20.

Hinc est, quod B. Martyr Cyprianus inter duodecim mundi abusus hunc inter primos retulerit: *Secundus*, inquiens, *gradus abusionis est, senex absq; religione & sanctimonia.* Inter abominationes etiam, quas olim Ezechiel in templi medio vidit, fuêre senes, cani capillis, sed lasciuiis viridantes, niuei mento, sed non mente, dorsum altari obuertentes, & flosculorum odores consectantes. Tergum autem altari obuertere, nihil esse potest aliud quam omnis pietatis expertem viuere, quod cum omnem ætatem maximopere dedeceat, tum in sene & cano abominandum est, & maximopere detestandum. *Lib. de 12. abusibus.* Ezech. 8.

Simile. Nam vt arboris illa nomine indigna est, exscindique meretur, quæ, postquam Vere frondes & flores protulit, nullum tamen Autumni tempore fructum edit: ita illi hominis nomine prorsus indigni, & excisionem merentur, qui iuuentutis & vernantis ætatis flore elapso, nullos virtutis, prudentiæ, modestiæque, in vitæ autumno, fructus proferunt.

At mortalium sapientissimus Salomon,

Tria Salomon perosus. *Eccle.25.*

non inter abusus modo hoc referẽdum censet, sed monstri etiam simile esse credit, quod merito omnes detestentur & fugiant: *Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde anima illorum. Pauperem superbum, diuitem mendacem, & senem fatuum & insensatum.* Vt cætera taceam aio, sene insolente, & fatuo nihil reperiri posse, aut odiosius aut detestabilius.

Emblema quo senũ stultorum ineptia designatur.

Ridet in Emblematibus senum canorumque verticum stultitiam & ineptam stoliditatem Alciatus. Fingit Amorem & Mortem die quodam ad idem diuersorium declinasse, & casu mane, dum discessum pararent, alterum alterius arma sumpsisse. Amorem falce mortis, eiusq; feralibus telis instructum abiisse; Mortem vero pharetram & sagittas cupidineas humeris adaptasse. Amor igitur cum solita in iuuenes tela eiaculari disponeret, & ad amandum incitaret, inopinato omnes, doli ignarus, leto dedit. Mors quoq; cum in canitiem illam, decrepitaq; silicernia, alterum iam pedem in Charontis cymba habentia manus iniicere vellet, cupidinis telis eadem transfixit: adeo vt non occũberent letali arundine percussa, sed iuueneſcerent, ineptirent, lasciueque insoleſcerent. Verba proferam & versus:

*Hinc iuuenes occidit Amor fallente pharetra,*
*Hinc Mors ipsa suos cogit amare senes.*

Dicite igitur, num merito aduersus illos verba illa Euangelii detorqueri queant: *Quid facitis hic tota die otiosi?*

*Matt. 20.*

Senes iam factos nihil toto vitæ tempore boni egisse deplorandum. *2.Reg.19.*

An non enim deplorandum est, tot hodie seneciones & sola canicie venerandos reperiri, qui annis quidem graues, nullum tamẽ adhuc in vinea Domini laborem subierint: toto vitæ tempore in mundi huius foro otiosi, & vanitatibus suis impliciti steterint. Sapientior hac in parte exstitit prudens ille Berzellai, cui cum iam seni amplissimos Dauid rex honores offerret, omnem voluptatem & delicias perosus, solo senectutis intuitu eosdem repudiauit indignum scilicet ratus, se iam grandæuum & annis grauem, quem mortem semper & tumulum præ oculis habere par esset, frequentare regiam, & aulæ deliciis interesse. Quid igitur cogitatis decrepiti, totone vitæ tempore otio defluetis? *Quid hic statis tota die otiosi?*

Quid? solos illos reprehendis Domine, quos in foro, & per compita otiosos reperis? illinc igitur impune habebunt, qui hodie in templis otiosi agunt, qui Ecclesiastica beneficia possident, nulloque bono opere eisdem se dignos exhibent, non incumbentes studiis, concionibus non vacantes, nullum probitatis exemplum dantes, animasque proximorum non ædificantes, delicias consectantes, conuiuia frequentantes, alea & chartis lusoriis tempus transigentes, proximum vitæ dissolutione offendentes, nullam castigationem comminationemve audient? Si in foro otiosos reprehenderis; qui tamen conductorem exspectabant; quid faceres, obsecro, si tot Canonicos in Capitulis otiosos & segnes cerneres, os ad cantandum vix semel laxantes, Psalmos non recitantes, orationi non incumbentes, Missæ sacrificium non celebrantes, nullas in pauperes eleemosynas erogantes? Quid, inquam, te facturum putamus, Domine, si tot in monasteriis & cœnubiis religiosos videres, otio pereuntes, somno indulgentes, virtutum exercitio non incumbentes, bonis operibus non vacantes, raro orantes, rarius meditantes, pœnitentiam exosos, fruges denique natos consumere, & de cute curanda plus æquo sollicitos, nihil autem agere curantes, imo nihil vnquam operatos? an non aduersus hos inclamares: *Quid hic statis toto die otiosi?*

*Matt. 20.*

Canonici & Religiosi inertes taxantur.

*Matt.20.*

Solum hic otium & inertiam Paterfamilias coarguit, non autem adulteria, homicidia, pecuniæq; cupiditatem; sed mysterio hoc non vacat. Primo, quod otiũ ipsum infame sit; omnes n. offenduntur, cum in rep. bene instituta tot nebulones, vagabundos, errones, otio diffluentes, gladiatoria tamen quadam firmitate præditos, & laboribus ferendis idoneos vident. Secundo quod ipsum omnium malorum radix sit & principiũ, quod euellere omni ratione conatur. In quo peritum medicum imitatur, qui cum tibiam distentam & intumescentem videt, venam mox aperiendam consuluit, sanguinemque minuendum. Hieronymus quoque

Otiũ reip. noxium & infame.

Otium omniũ malorum radix.

quoq; non aliud aduersus ingruentes tentationes rustico suo remedium præscripsit, quam otii fugam, & honestam semper occupationem: *Amice Rustice, semper aliquod opus facito, vt te semper inimicus inueniat occupatum, & sic quantumcunque tenteris nunquam tamen vinceris.*

Otii damnum.

Ipsum proculdubio otium tam graue est, & noxium, vt Philosophi minus absurdum esse putarint, credere mundum ab æterno fuisse, quam Deo inertiam & torporem aliquem affingere, aut eum vnquam præotio ab eo dirigendo quieuisse. Hinc constans omnium semper opinio fuit, quam diu Deus fuit, tamdiu & mundum exstitisse: si enim nullus fuisset mundus, Deus ab operando cessasset. quod nulla tamen ratione fieri posse dicendum: cum Ens illud infinitum, & agens omnipotens otiosos maximopere detestetur. Ipsa quoque nos fides doceat, otium nunquam in Deo locum habuisse, non quod ideo mundum ab æterno fuisse credendum sit: alia namque in se diuina maiestas & maioris momenti, in quibus operaretur, quam mundi creationem, & totius vniuersi directionem, habebat; diuinæ scilicet essentiæ suæ contemplationem, diuinarumque personarum amorem & mutuam communicationem. At solum hinc efficere volo, otium noxium esse magnorumq; detrimentorum causam: cum Deus ipsum detestetur otiososq; adeo tam acriter corripiat: *Quid hic statis tota die otiosi?*

*Matt.* 20. Deus non esset Deus, si ab operando cessaret.

Inter omnes hosce operarios, nullos reprehendit Dominus, quam qui tota die nihil fecêre: nihil enim diuinæ naturæ repugnat magis quã otium, adeo vt si Deus otiũ ageret, Deus non esset. Est enim agens semper operãs, & spiritus semper agens, & nunquam quiescens. Testatur hoc ipse Dominus de se loquutus: *Pater meus vsq; modo operatur & ego operor.* Hinc Græci Patres; inter cetera admiranda nomina, quæ illi imposuêre, nomen ei dedêre, quod denotat aliquẽ qui semper in opere versetur, vt ita assiduam illam nunquamq; delassatam diuinitatis circa creaturas occupationẽ operationemque patefacerent. Hinc Elias Pseudodeitatem Baal exsibilans, illius sacrificulis

*Ioan.* 5.

aiebat: *Clamate voce maiore, forsitan enim Deus in diuersorio est, aut certe dormit, vt excitetur.* 3. *Reg.* 13.

Viuacionibus te adhuc coloribus & natiua fuligine depingam otium, mala bellua: atque in primis de te reperio, Catonem hominem illum prudentissimum dicere solitum, homines nihil agendo, discere male agere. Solonem quoque lege vetuisse, filii ne parentes alerent senio grauatos, aut adinopiam redactos, à quibus nullam qua victum comparent, artem didicissent. Apud Ægyptios adhæc, ne quis otiosus viueret, legem fuisse, qua omnes nomen suum & artem, quæ ad victum parandum sufficeret, ad magistratum deferre eogebantur Pisistratum etiam, teste Æliano, Athenienium tyrannum, quadam die otiosos omnes & vagabundos ad se vocari iussisse, iisque vnum in locum congregatis dixisse: *Si nec boues, nec semina habetis, de meo accipite, vt terram colatis:* metuebat scilicet tyrannus, ne otio suasore coniurationem in caput suum machinarentur, regnoque eiicerent. Merito igitur sanctus Augustinus, quem post tot profanos scriptores iam producimus, dicere potuit, Otium hominis in vita adhuc constituti sepulturam esse: & pater ille familias, cum otiosos in foro stantes conspiceret, iure illos acriter corripere ac taxare: *Quid hic statis tota die otiosi?* Equidem non amplius eos pati queo, nec diutius in eosdem inuehor: quocirca illis in foro relictis, operarios iam conuenturus sum, deq; eorũ mercede locuturus: hoc enim initio facturũ me receperã.

*Brisson. lib. 4.*

*Diogen. Laert. li. 9.*

*Diod. Siculus.*

*Ælian. lib. 9. var.*

*Matt.* 20.

V.

Refert igitur Euangelista, patremfamilias, cum omnibus diei horis egressus esset, atq; omnis generis operas in vineam misisset, cum aduesperascceret, familiæ suæ procuratorem ad se vocasse, dicendo: *Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos:*

Circa vitæ aut mũdi vesperã Deus operariis mercedem retribuit.

*Cum sero factum,* &c. per vocabulum *sero*, quid obstat quo minus mortis, aut extremi iudicii vesperam intelligamus? tunc enim, vitæ die exacto, operarios vocabit Dominus, dignamq; illis mercedẽ retribuet dicẽs: *Esurui enim, & dedisti mihi mãducare; sitiui & dedisti mihi bibere. Nudus fui,* &c. Hæc

*Matt.* 25.

quidem opera. Sed mercedem mox subiungit: *Accipite regnum quod paratum est vobis.*

Deus mercedē suorum non differt.

Hic gradum sistas velim, anima mea, tecumq; cōsideres, Deum operariorum suorū mercedem diutius; aut in alium diem non differre; sed eodem quo opus absoluêre die, laborem compensare solitum. At non ita mundani: nam postquam variis operarios oneribus oppresserint, sanguinem eorum emulxerint, ad ossa vsque emacerarint; non confestim pactum iis præmium assignant, sed de die in diem differunt, procrastinant, quin & mercedem sæpenumero, penitus negant, adeo vt miseros defraudent, & præter fas & æquum decipiant: In quo grauissimum sacrilegium committunt, quod coram Deo vindictam exclamet. At non ita fecisse legitur sanctissimus Propheta Iob, qui suam hac in parte innocentiam declarans, nunquam se operarum aut seruorum suorum mercedem distulisse ait, aut laborem a iorum non soluendo comedisse: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me.* Hodie vero Homines adeo crudeles & scelerato reperire est, vt magnæ sibi gloriæ ducant, si seruorum mercedem defraudent: imo vt à domesticis in ius ob eandem defraudationem vocari pulchrum putent, cum tamen nonnisi quod æquum est, postulent.

*Iob.* 31.

Homicidio hocce peccatum non concedere credit Salomon: *Qui effundit sanguinem & qui fraudem facit mercenario fures sunt.* Est autem peccatum in Spiritum sanctum, vindictam à Deo etiam in hac vita exposcens. Mundus vero hic; Auditores, crudelis eheu tyrannus est, qui suos misere decipiat ac circumueniat: in quo Labanum imitatur. Hic enim Iacob seruū suum solertissimum & maxime sedulum, qui varias eius nomine molestias subierat, cœlique iniurias passus erat, non semel atque iterum, sed decies in matrimonio filiæ decepit; quod & Iacob vxoribus suis interdum conquestus est cum lacrymis, dicens: *Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus.* Est etiam crudelis ille Pharao, qui Israelitas, cum dies integros lateres, & saxa humeris gestando laboraſſent, & sub oneribus grauissimis gemuissent, circa vesperam tamen, loco præmii ac mercedis, loris ac flagellis arabat, virgisque illorum terga conscribillabat. Vnde ipsi laboris & ingratitudinis tantæ impatientes, Pharaoni dixere: *En famuli tui flagellis cædimur, & iniuste agitur contra populum tuum.* At non hæc est boni huius patrisfamilias agendi ratio; nam ingruente vespera, vocatos operarios mercede donatos dimittit.

*Exod.* 5.

Mundus seruos suos & clientes decipit.

*Gen.* 31.

*Cum sero autem factum esset.* Vesperam hanc aut noctem pleriq; extremi iudicii tēpus intelligunt: nam per diem illum cuius in exordio & crepusculo pater hic familias exiit, & sub cuius vesperam mercedem debitam soluit, multi tempus quod inter mundi initium & finem interiectum est, designari credunt. Est hæc opinio Irenæi, Origenis, Hilarii, Optati Mileuitani, Gregorii Magni, & venerabilis Bedæ. Alii non tam late extendunt, sed tempore quod à primo Christi aduentu vsque ad secundum interiectum erit, hunc diem circumscribunt, vt Athanasius. Sunt & nonnulli qui in arctiores adhuc limites contrahunt, dum vniuscuiusque nostrum vitam hic denotari putant: quod CHRISTI Domini verbis stabilire conantur dicentis: *Ambulate dum lucem habetis; &: Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Veniet enim nox, quando nemo poterit operari.* Quomodocunque demum intelligatur, hinc tamen colligetur, vesperi patremfamilias procuratori præcipere; vt operariis mercedem meritam tribuat.

*Matt.* 20. *lib.* 4. *c.* 70. *in Matth. can.* 20. *in Matt. lib.* 5. *cōt. Parm. Hom.* 15. *in Euang. in hoc loco. qu.* 52. *Ioan.* 12. *Ibid.* 9.

Toparchæ & magistratus qui officium administrant debeant.

Obseruandum hic venit, quamuis vineæ huius dominus procuratorem habuerit, cui totius vineæ curam commiserit; per se tamen operis mercedem & stipendium, & non per alios, solui solutionique & rationibus præesse voluisse. Discant hinc qui in functione aliqua tum sæculari, tum Ecclesiastica constituti sunt, quomodo in dignitatibus se suis gerere debeant, nam quamuis vicarios & præfectos, legatariosque substituant, quorum humeris vniuersam negotii molem imponant; non ideo tamen penitus

nitus ab omni cura liberantur; ad ipsos siquidem spectat, interdum quid agant subdelegati, intueri, rationes examinare, & oculis in omnium manibus euagari, ne hinc forte subditi offendãtur, deque dominorum negligentia, vel vicariorum crudelitate conquerantur.

Ita fecisse comperimus Hebræorum doctorem Mosem, qui cum non satis iis, quos vt socios ad populi regimen, iudiciaque disquirenda assumpserat, fideret, ipse præesse & summa cum auctoritate præsidere voluit: *Qui iudicarent plebem, omni tempore; quidquid autem grauius erat, referebant ad eum.* Exod. 18. Est enim onus & dignitas quæ non nisi humeris illius, qui eadem fungitur, gestari debet. Hinc Isaias Propheta de Messia, dee iusque muniis agens, ait: *Principatus eius super humerum eius.* Isa. 9. Elias quoq; Propheta *currus Israel & auriga eius* esse perhibetur: auriga, quod regeret, & currus, quod omnia totius regni onera & negotia suis ipse humeris sustineret. 4. Reg. 8. Beati igitur & felices rectores, qui Prophetam hunc imitantur, resque subditis commissas, suis interdum oculis intuentur.

Si principes & domini temporales, imo & Ecclesiastici, idipsum hodie vsurparent, non tot in regnis mala, in vrbibus miseriæ, in plebe depeculationes, exhaustiones, insolentiæque apparerent: subditorum, credo, maior haberetur ratio, melius propelli se negotia haberent, quamuis etiam gubernatores, præfecti, & tribuni lapidibus duriores & belluis immitiores forent. Quod Saulem fecisse sacræ docent litteræ: audito enim, habitatores Iabes Galaad ab Ammonitis opprimi & diuexari, & visis eorum lacrymis, ait, *Quid habet populus quod plorat*; 1. Reg. 15. Cum igitur lacrymarum causam didicisset, penitus permotus, auxilium iis se laturum & supperias spopondit, *Et insiluit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hac: & iratus est furor eius nimis.* Ibidem.

Verum aliud hinc erui etiam potest: reperiri scilicet sæpenumero procuratores, actores; vicarios, delegatos qui ad dominorum exemplum compositi sint, & eodem cum illis iure perfusi crudeles, immites, & inhumani: qui quamuis interdum viles sint & plebei, tanti tamen à dominis fiunt, vt ab iis adorari & coli, imo quo à subditis adorẽtur, commendari videantur. In quo impium & fatuum Nabuchodonosor imitari videntur, qui & ipse statuas luteas, quas erexerat, diuinis honoribus afficiebat, & ab aliis adorari volebat. Dan. 5.

Domini sæpe seruos suos adorare videntur, (vt aiunt,)

Hinc est, quod ipsimet domini & superiores non dominentur, sed sub vicariorum delegatorumque potestate è contra constituti esse videantur: nam soli vicarii & actores in familiis eorum & rebuspublicis imperant & dominantur, ita vt omnia ab eorum voluntate dependeant: tantoque interdum rigore & duritie agunt, ne dicam tam absoluta & plena potestate, vt, tametsi Angeli aulam eorum subirent, si modo ministris displiceant, nullum accessum inuenirent, sed velut indigni repellerentur. Accidit hoc Dauid regi quem Achis rex aula exegit, quem tamen Angeli Dei loco haberet, quod purpuratis illius displiceret. Audiamus quid dicat: *Scio quia bonus es tu in oculis meis; sicut angelus Dei sed principes Philisthinorum dixerunt, Non ascendat nobiscum in prælium, igitur consurge mane tu, & serui Domini tui, &c.* 1. Reg. 29.

His vti technis & artificiis, hac grassari via dæmon solet, efficere nimirum vt Domini & Principes ipsi seruitutem seruiant, seruorum genua adorent, id est, omnia ab eorum directione & nutu dependeant: è quo ipsa Principum pestis & ruina, regnorum interitus, & rerum publicarum calamitas, vt plurimum sequitur. Insignis profecto versutia fuit, qua in decipiendo Achab vsus est Satan: *Egressus est autem spiritus, & stetit coram Domino, & ait, Ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus, In quo & ille ait: Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum:* 3. Reg. 22. Id est, consiliariorum. Sciebat nimirum omnia Regis huius à ministris cõsultoribusque dependere, ideo eosdem in fraudem inducere conatur, quo ita vniuersi regni statum cõculcaret & euerteret. At hac ratione non agit Pater hic familias, qui non ita procuratori suo fidit, vt non aliquam etiam ipse curam negotiorum in se suscipiat, solutionique mercedis intersit.

Indigna seruitus cum domi ni à seruis reguntur.

Ecce

Paterfamilias suis manibus non soluit operariis.

Ecce & alium conceptum: Ipse pater familias denarium suis manibus non erogat, sed per procuratorem eundem distribuit: ponderant enim vicarii & magistratus inferiores, quotidiana rerum experientia edocti accuratius, pluriſque facere laborem in vinea toleratum solent, quam ipsimet Principes otio & delitiis assueti. Hoscе porro parabolæ membrum, eximium continet mysterium; Nam quemadmodum ipse vineæ Dominus, est DEVS, ita procurator eiusdem, Christus est: huic siquidem iniunxit, vt operariis satisfaceret, qui nimirum omnia viderat, & simúl experimento didicerat, quam ob causam Paulus eum *tentatum per omnia* dicere non erubuit. Vnicum hoc magnum illum athletam Iob multisque trophæis nobilem, mediis in calamitatibus & ærumnis solabatur, cum aduersis pressus diceret, *Scio quod Redemptor meus vivit*, qui hasce ærumnas meas æterna sit mercede, & vlcera hæc putiscentia amplissimo præmio compensaturus. Vnice quoque hoc a Domino contendit Psalmograph. cum ait, *Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis.* Id est, Mercedis præsoluendæ, præmiique pro laboribus referendi potestatem in filium tuum transfer: qui cum te Patrem agnoscat, vere potentissimi Monarchæ filius est. Deinde & in alio Psalmo, *Da Domine imperium tuum puero tuo*, quasi dixisset, Obsecro te Domine Deus meus, omnem quam habes iudicandi, operaque compensandi potestatem, Messiæ qui in quantum homo seruus tuus est, consigna. Atque hæc quidem occasione procuratoris, cui vineæ Dominus iniungit, *vocæ operarios.*

*Heb.4.* *Iob.19.* *Psal.71.* *Psal.85.*

VI. Multi in Ecclesia operarii.

*Matth 20.* *Ephes.4.*

De his operariis in vinea Domini, id est, Ecclesia strenue laborantibus agens Euangelicus ille præco Paulus, ait, *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, &c.* At de præsenti Ecclesiæ statu merito heu! exclamemus, *Messis quidem multa operarij vero pauci*: mundus siquidem omnes sibi operas conduxit, Ecclesiæ ne vnum quidem reliquit; quod præclara è Regum annalibus historia notius faciet: Philistæi, barbari illi & incircumcisi, cum Israelitas ad certamen prouocassent, omnes quos apud illos reperire erat fabros & armorum artifices, in terram Philistiim abduxerunt: adeo vt, cum iam in certamen descendendum, manusque conserendæ essent, nec gladius nec hasta in exercitu Saul reperiretur, & proinde ad secures, veruta, vomeres, pserrataſque sudes confugere fuerit necesse. *Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel. cauerant enim Philistiim, ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam.* Hoc imitatur & versutus hic mundus, qui omnia Christianæ plebi arma è manibus excutit, vt nulla propemodum ad necessariam defensionem hostesque propulsandos inueniantur hastilia: imo & operæ ad colendam Ecclesiæ vineam, Doctores inquam & Pastores strenui deesse videantur, & pauciſſimos reperire sit, qui gladios spirituales adaptent, quive arma cœlestia cudant. Non abducebāt Philisthæi mercatores, negotiatores, vsurarios, aulicos, aut purpuratos: sed fabros ferrarios & pelliones: mundus similiter nonnisi Doctores, Prædicatores, prælatos, Præsules aliosque magni nominis & calamo & lingua Ecclesiam defendere, armaque ad animæ hostes debellandos expugnandosq; adaptare, irretire & illaqueare satagit.

Allegoria.

*1.Reg.13.*

Et si quos operarios relinquit, eosdem ita imperfectos & ineptos habemus, vt officio vix suo fungi posse videantur: verorum autem operariorum proprietatem naturamq; ad viuum expressit Scriptura in Hiram Tyrio, artifice eximio, de quo hocce artis testimonium Rex Tyri tulit, *Misi tibi virum prudentem & scientissimum, qui nouerit operari in auro & argento, ære & ferro, & marmore, & lignis: in purpura quoque & hyacintho, & bysso, & coccino: & quis sciat cælare omnem sculpturam, & adinuenire prudenter quodcunque in opere necessarium est.* Veram hic operarii Ecclesiastici imaginem habetis: imprimis namque requiritur, vt sapiens sit & prudens: deinde, vt suæ specimen haud spernendum artis in auro & ferro, industriam perinde declaret suam: id est, tam nobiles

*3.Reg.7.* *2.Dan.2.*

biles quam plebeias animas bene moderetur: bonos non secus ac prauos, tam suaues & moribus instar lanæ molles & placidos, quã cor ferro & adamante durius habentes ad virtutem exstimulet: purpuram quoque tractet necesse est, id est, Reges & purpuratos instruat, iisque bono exemplo præluceat, & verbis ad probitatem viam sternat. Denique vt in omni sculpturæ genere versatus sit, animis inquam nostris velut laminæ omnia virtutum genera insculpat. Hæc quidem operariorum occasione dicta sunt.

*Matt. 20.* *Voca operarios*, Non vocantur hic nobiles, non auro & purpura fulgentes, non sublimes Philosophi, sed soli operarii, de solis operibus hic sermo instituitur: quamuis hodie, durante mundi huius die nonnisi de sola scientia, dignitatibus, nobilitateque habeatur mentio; in tenebrosa tamen mortis nocte, & ad extremi iudicii

In die Iudicii de solis operib. erit sermo. vesperam nonnisi de operibus agetur. Tunc quippe magis profuerit iniurias propter DEVM remisisse, & cum inimico in gratiam rediisse, quam eximias illas Iulii Cæsaris victorias obtinuisse: tunc maiori dignus laude censebitur vnicuius humilitatis actus quam omnis illa olim decantata præconiis & à scriptoribus celebrata Alexandri Macedonis maiestas & amplitudo, quam totus terrarum orbis expauit. Vnica tunc in egenos erogata eleemosyna maioris ponderis efficaciæque futura est, quam amplissimæ Crœsi opes, Assueri diuitiæ, aut Crassi talenta.

*Isa. 29.* Tunc Libanus in Carmelum conuertetur, vti prædixit olim Isaias: & quæ prius fieri posse negabantur, fient. Nam quæ modo fertilia & pulchra in mundi huius oculis apparent, tunc sterilescent, & velut inquinamenta sordebunt: quidquid vero iam cõtemnitur, & quodammodo conculcatur, tunc exsurget, sublimius caput attollet, nitebit, & fructum proferet amplissimum. Tunc quoque implebitur carmen illud Annæ, cum gratias de concepta prole Deo agens, in gaudio prorupit, *sterilis peperit plurimos, & quæ multos habebat filios infirmata est.* Multi enim, qui modo hic steriles & infœcundi videntur, tunc subito diuino vegetati spiritu fœcunditatem induent, & ad dignitates sublimabuntur: plurimi vero qui summis hic honoribus cumulantur, quique maximi à cunctis fiunt, in illa die contemnentur, omnium peripsema facti, æternum opprobrium & maledictionem sempiternam pro honoribus & gloria nanciscentur. Omnia denique illic conuertentur, & aliam faciem induent: sola namque bona opera æstimabuntur, & mercedem accipient, & de solis iis, qui eadem dum viuerent fecere, dicetur, *Voca operarios, & redde illis mercedem.*

VII.

*Matt. 20.* Bonorum operum merces adstruitur.

Hic ad oculum Catholicæ fidei veritas, & è contra subdolæ hæreticorum artes & commentitia impostura detegitur: hic vniuersalis & communis totius Ecclesiæ opinio & fides asseritur: hic meritorum bonorumque operum merces adstruitur, quod & è sacræ Scripturæ locis confirmari potest, vt illo Geneseos, *Ego sum merces tua magna nimis*, item illo, *Non perdet mercedem suam.* & illo Matthæi. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* A nobis ipsis, fateor, nihil mereri possumus: quid enim aliud quam serui inutiles sumus? Verum Deo manum auxiliatricem admouente, nobis gratiæ tantum confertur, vt quidquid agamus meritorium sit & pretii infiniti. Opera enim nostra in se considerata & secundum naturam suam, nihil aut saltem exiguum quid promerentur, sed Christi Iesu meritis fulta, & cruce illius passioneque tincta, infinitum continere meritum solent, eque spretis quodammodo & vilibus sancta fiunt & pretiosa.

*Gen. 15.* *Marc. 9.* *Matth. 5.* Opera nostra ex se nihil merentur, sed gratiæ diuinæ innixa.

Putiscentes aquas Iericunthas Propheta Elisæus iniecto sale dulces reddidit, insipidasque in suaues commutauit. Aquæ hæ operum nostrorum imago sunt & figura, quæ natura insipida, amarulenta, ingrata & omnis meriti expertia, mox vt passione & cruce Domini nostri Iesu Christi conspergantur, nihil illis haberi potest dulcius, nihil gustui suauius, nihil palato diuino iucundius. *4. Reg. 2.*

Mirabilium illa opifex manus Mosis cum nuda in apertum proferretur, lepram præ- *Exod 4.*

ferebat: sed ad sinum deinde reducta, omnis expers erat maculæ, & mundissima Idipsum de operibus nostris sentiendum est. quamdiu enim in se, & sola & secundum naturam considerantur, quamdiu nuda spectanda se offerunt, sepram spurcitiem, & sordes intuentibus ostendunt: sed in sacratissima Dominicæ passionis sinu reposita, eiq; immersa, mirum vt splendeant quamq; diuinis oculis gratia sint & accepta.

Deus primarius bonorum operum nostrorum auctor:

Quod quo melius intelligatur, notãdum occurrit, non solum hominem in bonorum operum exercitio incumbere, aut laborare sed præcipuas Deum hic partes agere, ipsum collaborare, ipsum quidquid in operibus his difficile est, quidquid laboris exhauriẽdum in se suscipere: ipsum etiam omnes illis nitorem; pulchritudinemque & præcipuum meritum conciliare. Vnde per Prophetam olim dictum est, *Cum ipso sum in tribulatione*, *Psal 90.* id est, in operibus grauibus difficultatemque continentibus, atque ideo ipsum inuocabat, qui dicebat, *Veniat ad me sapientia Dei, vt mecum sit, & mecum laboret.* *Sap. 9.* Tanta porro Dei nostri misericordia est, vt quamuis præcipuas ipse partes agendas suscipiat, & solus propemodum agat: hominem tamen velit in socium assumere, sibique collaborare: ea quoque conditione, vt sola ex operibus nostris promanans gloria in ipsum redundet: homini vero soli victoria assignetur, perinde & etiam corona ac merces eidem cedat.

Nonne perhumanus & perbenignus dux ille censendus esset, qui postquam vrbem aliquam fortissimam obsidione pressisset, & grauissimos indies labores in castris pertulisset, sudasset, vulnera excepisset, caput discrimini exposuisset: dum, parta iam victoria, triumphus agendus foret, & læto ipse totus exercitus plausu iamiam esset excipiẽdus, omnem in præfectum, aut vicarium, aut vnum è commilitionib suis gloriam & triũphum transferret? Ita fecisse Ioab cum rege Dauid legitur: cum enim fortissimus ille dux castra Rabbath perfregisset, & internecione deleuisset, vrbem quoque Aquarum magno labore & periculis oppugnasset: eamdem prius ingredi noluit & expugnare, quã regem certiorem reddidisset, num ipse eamdem intrare vellet, vt ita victoria Regi & non sibi asscriberetur. Eodem prorsus modo Deus cum vineæ suæ operariis & militibus suis agit: cum enim ipse omnem propemodum laborem perferat, omnem difficultatem absorbeat, ipse, quod durum, graue, & molestum est agendum, in se suscipiat; homini tamen meritum omne adscribit, in ipsum omnem laudem & gloriam traducit, victoriamque ei acceptam referri vult, adeo vt quidquid bene, prudenter, fortiter, animoseque gestum est hominem solum fecisse dici cupiat. Vult Deus bonorum operum victoriam homini adscribi. *Ios. 6.*

Expressum hoc aliqua ratione fuit in obsidio & expugnatione Ierichuntina. Præceperat namq; hic Deus, vt omnis populus armatus, & velut in acie constitutus consisteret, itaq; ciuitatem murosq; circuiret; cum tamẽ ipsa sua virtute muros ad terram deiicere decreuisset. Præcepit hoc, non quod simplex hæc murorum circuitio aliquid in eorum ruinam deiectionemque adiumenti adferret; verum vt hac ratione Deo populus cooperari videretur, victoriæque ita particeps fieret.

Ioas rex Israel cum sagittas in incertum emitteret, superueniens Elisæus prophetes manus manibus regiis superimposuit, itaq; simul iaculati sunt. Allegoricẽs historiam hanc exponens, dico hominem, qui hoc in mundo à Deo rex est constitutus, dum bonorum operum tela caritatis eximiæ arcu emittit, à Deo adiuuari, Deum manus superponere, ictum dirigere, meritumq; & robur addere; velle etiam vt bonis operibus merces sua & præmium reddatur. *4. Reg. 13.*

*Redde mercedem.* Iterum dico, opera nostra, in propria radice considerata, & ita vt è proprii arbitrii nostri trunco pullulant, nullam virtutem supernaturalem, nihilque meritorium continere: omnes namque iustitiæ nostræ, vt Propheta præcinit, instar panni menstruatæ sunt. Tamen si, in quantũ sanguine & meritis Christi Iesu sublimata sunt, considerentur; infiniti ipsa valoris sunt, mercedemq; promerentur amplissimam. Christus enim fons, principium, & fundamẽtum omnium nostrorũ meritorum est. Huc alludens *Matt. 10.* *Isa. 64.* *Cant. 5.*

dens amans illa sponsa dicebat, *Species eius vt Libani*: in quo sponsi sui pulchritudinem Libano rosis & floribus variegato comparauit, idque non sine mysterio. Libanus quippe mons est prælatus & quasi cœlo minans, è quo omnia ligna, tigna, trabes & columnæ, quas templo suo rex Salomon indidit, petitæ sunt; adeo vt in solo Libano omne templi magnificentissimi decus & ornamentum creuisse videatur. Sponsa igitur, vt ostendat omnia merita nostra, à quibus ædificium illud cœleste constituitur, à sponso prouenire, Libano eum similem esse dixit. quo etiam referri possunt verba illa Isaiæ, *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron*: quod omnis sanctitas, gloria, & Ecclesiæ splendor ac pulchritudo, omnisque meritorum nostrorum fructus, vni Christo acceptus referri debeat. Isai. 35.

Idipsum monuit & Paulus, cum in Epistola ad Roman. ait, *Tu autẽ cum oleaster esses, insertus es oliuæ, & socius radicis & pinguedinis factus es.* Oleaster & quidquid syluestre, natura sua amarũ est, nullumq; fructum palato gratum profert; mox tamen vt oliuæ inseritur, de fœcunditate & virtute illius participans, fructus gratissimos & suauissimos progignit. Idipsum de operibus nostris censendum est; ex se enim siluestria sunt, amara & insipida, eo quod peccatum includunt, & nullius, vel saltem exigui meriti sunt: at si per fidem & caritatem arbori vitæ, quę Christus est, inserantur, gratiarum illius participes efficiuntur, operandoque gloriam æternam ex condigno, vt Theologi loquuntur; promerentur. Quod conuentio ex denario diurna inito, & merces operariis persoluta designat. Rom. 11.

VIII. Denarius vitæ æternæ symbolum. Triplex de denario hoc opinio. Matt. 20.

*Et acceperunt singuli denarios.* Hi porro denarii, quibus ex condicto operariis persoluitur vitam æternam denotant, in quo doctores & interpretes omnes mirum in modum cõsentiunt. Sed hic disquirendum cur vnus idemque denarius omnibus persoluatur: cuius rei tres inter se pugnantes opiniones inueniuntur. prima hæreticorum est, dicẽtium in vniuersa parabolæ huius serie non aliud Christum designare voluisse, quam gloriam beatorum aliquando æqualem fore, vtpote quæ ex mera detur gratia, non vero operibus acquiratur, quod hîc omnes operarii post laborem exactum, vnum eumdemque denarium receperint. Altera nonnullorum Catholicorum est, qui nouitatem omnem consectantes, dixere, Christum hic ostendere voluisse, Deum præter omnium opinionem, minorem nonnullis, & quibusdam etiam maiorem beatitudinẽ quam promeriti sint, daturum. Tertia & omnium communissima est, Deum hîc designare æternæ vitæ mercedem non tempori quod laborando impensum est, sed operi facto respondere: accidit enim sæpenumero, tantum operis ab vno horæ spatio fieri, quantum ab alio vix solido die, qui proinde parem mercedem & eumdem denarium recipient.

Eo prorsus modo, quo Sapiens olim de iusto locutus est, *Cõsummatus in breui expleuit tempora multa*, id est, Iustus licet nõ adeo diu vixerit, tantum tamen operatus est quãtum qui multa vixerint sæcula. Ita qui vndecima hîc hora venerant, & nonnisi vnius horæ spatio in vinea laborarant; eumdem tamen, quoniam tantillo tẽpore tantum præstiterant, quantum qui toto die operati fuerant, & pondus diei & æstus sustinuerant opere pe acto à patrefamilias denarium recepere. Hinc discant Religiosi, non iactare se de professionis & vocationis diuturnitate, discant non efferre se quod diutius in cœnobio vixerint; hic enim fortasse qui nonn si ab hinc anno habitum monasticum assumpsit, plus apud Deum promeritus est, quam plures alii, qui aliquot lustra in Religone transegerunt. Sap. 4. Religiosi non debẽt se iactare de professionis annis.

Cum igitur procurator denarium singulis daret nonnulli conqueri & eum iniusti tiæ insimulare cœpere: illi enim qui portauerant pondus diei & æstus, & à mane vsq; ad vesperam laborarant; ægre ferebant, eos, qui nonnisi circa finem diei in vineam venerant, & vix horam laborando insumpserant, eadẽ mercede donari. quocirca procuratori dixere indignantes, *Hi vna hora laborauerũt, & pares nobis fecisti, qui portauimus tõdus diei & æstus.* Similes esse dixerim operas has militibus, quorũ in libris Regum habetur mẽ- Operariorum murmuratio. Matt. 20. 1 Reg. 30.

tio; hi enim vrbe Siceleg, quæ in tribu Simeon in finibus Iudææ sita erat, expugnata, nolebant socios, qui ad sarcinas relicti erant, impedimentaque custodierant, de spoliis prædaque participes facere.

Meriti magnitudo è tribus colligitur.

Notandum hic porro est, meriti magnitudinem & excellentiam è tribus potissimũ rebus elici posse. Primo è temporis diuturnitate. Seruus enim, qui plurimos annos Domini sui obsequio impendit, maiora profecto promeretur eo qui nonnisi abhinc bimestri vel trimestri in familiam venit. Hoc potissimum nixus fundamento Iacob de soceri sui Laban inhumanitate & ingratitudine conquestus est. *Viginti annis seruiui tibi,* Gen. 31. & tã indignis me modis habes? Eodem nitebatur & filii prodigi frater, cum patri queribundus diceret, *Ecce tot annis seruiui tibi.* Luc. 15. Id est, Quid hoc video mi pater, tanto tibi tempore seruiui, & nunquam aliquo grati animi signo obsequiũ meum cõpensasti. Rex item Ezechias cum Deo fidelitatem suam testatam vellet, dicebat, *Memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, &c.* 4. Reg. 20.

Secundo meriti magnitudinem augent difficultas, & labor, qui in opere insumptus est. Seruus enim qui vitam suam discrimini tui causa exposuit, pluribusq; caput obiectauit periculis, maiora promeretur beneficia, quam qui nudo seruitii & obsequii nomine cõtẽtus, nihil tui ergo passus est. Hinc D. Thomas Aquinas credit quoad præmium accidentale multis Martyrem parasangis Confessoribus, antistare; aliis item plurimis quoad essentiale, qui diutius se diuino obsequio manciparunt, quamuis ipse nonnisi breuissimo spatio Deo fuerit obsecutus. Atque hæc est causa, cur merita nostra exigua sunt: quod videlicet nonnisi in facilibus lætisque Deo obsequamur, in difficilibus vero ipsum deseramus. Quamobrem vnusquisque nostrum audacter dicat, quod olim David profugus coram rege Achis tẽpore prælii dixit, *Nunc videbis quæ facturus est seruus* 1. Reg. 28. *tuus.* Cum enim difficultas aliqua resurgit, cum molestiarum procellæ ingruunt, dicamus Deo: iam videbis Creator & conditor meus, quid tuo fim nomine acturus, quid tui causa passura; hodie fidelitatẽ tibi meam probare, hodie fidum obsequium meum tibi dedicare conabor.

1. le verit. q. 26. ar. 6. ad 8.

Tertio ad meriti magnitudinem non parum facit, ipsa caritatis & gratiæ vis ac magnitudo: ita qui inter seruos amplius à domino diligitur, eius quoq; gratiora sunt opera, & oculis heri sui acceptiora. Ita Luc. 2. Luc. 2. Viduæ illius duos denarios gazophylacio inferentis eleemosyna Deo gratior exstitit, quam eorum qui thesauros ingentes & talenta regia offerrent. Ad eundem plane modum, ii qui hodie hora vndecima in vineam venere, maiori mercede donati abeunt, quã qui ab auroræ principio in eodem desudarunt. Quamuis enim Deus iuxta meriti magnitudinem mercedem assignet; ex mero tamen beneplacito puraq; voluntate gratiam huic minorem, & illi maiorem erogat; eandem prout visum fuerit vnicuiq; distribuendo, adeo vt merito nemo conqueri, se cæteris quid minus accepisse, queat.

Nam vt in ipso rerum exordio, nulla de Creatura Dei iniquitate iniustitiaq; conqueri potuit vna mur- creatura, quod maiori dotata perfectione nõ murare nõ fuerit, & minus absoluta facta sit. cum enim potest licet omnia è nihilo condiderit, vnicuique quod alia à Deo visum fuit; donauit: ideo etiã vnamquamq; perfectior creaturam infinitas illi agere gratias par est, sit condita quod cum nihil esset, imo nõdum existeret, Deus tibi esse aliquod contulerit, ita in gratiæ statu idem conditor Deus, omnia è peccato, quod nõn si merũ nihil est, condidit, ac proinde quod huic maiorẽ, illi minorẽ gratiã elargiatur, nemo merito cõqueri potest; at vnicuiq; potius ex officio incũbit, infinitas ei & immensas gratias & agere & referre.

Formosæ illæ Virgines, quæ in gynæceio Esth. 2. & conclaui Assueri regis asseruabantur, ex omnium regnorum finibus congregatæ, Estheri inuidere non poterant, quod sibi illam à Rege prælatam, maioriq; honore affectam cernerent. Nam cum vnaquæq; secum cogitaret, se è plebeia & humili ancilla regio tandem thalamo destinandam, & ad regiam propemodum dignitatem euectam, gemmis & auro rutilare; statuere in animo poterant, nullam sibi iniuriam fieri, si Esther cæteris ab Assuero præponeretur.

Dicen-

Dicendum est igitur, eos qui nonnisi vndecima diei hora, id est, sub lege Euangelica in vinea Domini laborarant, maiori dotatos gratia, quam qui in lege naturæ aut Mosaica vixêre, maiori etiam donari mercede, maiusque præmium recipere: atque illos immerito patremfamilias de iniquitate & iniustitia traducere & conqueri. quod enim denarium iis daret, quem condixerat, quemque operando promeriti erant, aliis vero serius venientibus tantumdem daret; bonitati illius & benignitati asscribendum, in quo nullam culpandi aliis occasionem dedit. Relinquamus igitur iniurios hosce murmuratores & oblocutores, Deique potius benignitatem demiremur, atque ita parabolæ huic finem imponamus.

Cõclusio.

Vos autem Christiani Auditores, animo repetite obsecro quidquid hactenus dictum est, reminiscámini, inquam, Ecclesiam vineæ, Christum Domini vineæ, nos ipsos vero operariorum imaginem gerere: Deum quoque omni diei, id est, vitæ huius, hora, sanctis inspirationibus permouendo, egredi, & nos conducere, vt in vinea hac laboremus: alios quidem in flore & aurora ætatis, alios vero in ætate virili & vitæ meridie, nonnullos etiam circa decrescentem senii diem. Hæc, inquam, animo vestro penitus insculpite, sanctis operibus incumbite, Dei vos obsequio consecrate, otium fugite & segnitiem; & cogitate, acriter illos à patrefamilias correptos, qui in foro steterant otiosi, exspectantes donec ab aliquo conducerentur: nolite stertere, otioque indulgere, sed toto vitæ vestræ tempore strenue laborare, vt cum vesper ingruerit, denarium in mercedem recipere possitis.

Deus omni vitę hora nos ad se vocat.

Tu vero, ô æterne rerum conditor, magne familias pater, cuius vinea Ecclesia est, cuius operæ nos ipsi, & cuius labores cultusque opera nostra meritoria; nos iam inde à baptismo vocasti, vt in hac vinea laboremus & sudemus; conduxisti, & nobiscum conuenisti; vt, postquam toto die, aut aliquo saltem tempore in hac vita laborauerimus, beatitudinis nobis denarium persoluas. Verba porro tua veracissima sunt, promissa tua certissima; conuenta tua irreuocabilia, adeo vt ne minimum quidem dubitemus: scimus enim, quod, quamuis opera ex seipsis nihil omnino valeant, modo filii tui meritis innixa suffultaq; sint, pacto quod nobiscum iniisti præsuppositio, in remunerationem tamen, tandem aliquando, id est, vltimo & nouissimo vitæ die, & circa ætatis vesperam, denarium accepturi sumus, vitam, inquam, beatam ac sempiternam, ad quam nos Pater & Filius & Spiritus sanctus perducere dignentur. Amen.

## DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Partes.

1. *Parabola quadam de verbo Dei.*
2. *Cur parabolis vsus Dominus, & quis seminans:*
3. *Quales esse oporteat satores verbi Dei.*
4. *Qua alia seminatoris adiuncta.*
5. *Declamore Domini, & auribus populi.*
6. *Quod semen cadat secus viam.*
7. *Quod semen cadat supra petram, & quod inter spinas.*
8. *Qua terra bona, & quis eius fructus.*

*Exiit qui seminat seminare semen suum.* Luc. 8.

### FIGVRA.

SECVNDÆ generationis auctor Noe cum aream, qua se suosque à diluuio immunes seruaret, à Deo iussus esset fabricare, magno eam artificio & industria compegit, ita vt in eadem diuersas mansiunculas & habitacula diuersis vsibus accommoda constituxerit. Quintuplicia eidem fuisse credunt Doctores & loci illius interpretes; vnum sordibus egerēdis destinatum, & formicarum vice fungens; in secundo, quæ ad victum necessaria erant, asseruabantur, in tertio animalia fera & indomita continebantur; in quarto, mansueta & hominum commercio gaudentia; quintum denique

*Gen. 8.*

& postremum volucres simul & homines comprehendebat fuêre nonnulli, qui præsenti historiam hanc Euangelio accommodare conati sunt, in quo Redemptor noster parabolam de semine producit, cuius prima quidem pars secus viam cecidit, vbi & ab auibus sublata, & ab hominibus conculcata fuit; secunda in saxosa & cõfragosa loca, quæ ob humoris defectum radices agere non potuit, ac proinde quamprimum exaruit; tertia vero in dumeta & spineta, à quibus suffocata, in herba & primo flore exstincta fuit; postrema autem in terrã bonam quæ fœlici segete herum beauit, fructumq; attulit tum sexagesimum, tum centesimum. Diuersitatem hanc terræ cui semen hoc creditur, prout Interpretes loci huius vnanimi consensu tradunt, varia illa arcæ habitacula designant: terra enim viæ proxima carnales & lasciuos denotare videtur, quorũ figura erat sorica & sentina arcæ, quod nonnisi immunda cogitent & impudica proferant: saxa & lapides symbolum sunt superborum, quos secundum arcæ cubiculũ repræsentat, in quo penus & horreum erat, & quidquid ad vitam sustentandam necessarium: in his enim sita potissimum est superbia & iactantia: spinæ & vrticæ, diuites & auaros significant; quorum imago fuit illa feratum immaniumque bestiarum mansio: nam vt hæ dentib. & vnguibus cuncta dum rapiunt, dilaniant; ita & diuitiæ, quæ prout bene olim Redemptor, ait, vere spinæ sunt. Terra autẽ bona & ferax, fructumq;, proferens amplissimũ, sunt animæ sanctæ, & virtutib. deditæ, per quartum & quintum areę habitaculũ, in quo animalia mansueta, aues simul & homines stabulabant, designatæ. Horum autem triplex statui ordo potest: alii quippe in statu coniugali sunt, quos domestica illa animalia demonstrant (animalia autem sunt, quod generationi & prõli procreandæ dent operam, quod ipsum animali omni proprium est; mãsueti sunt & mites, quod neuter alterum debeat offendere, aut aliquod proximo malum inferre) atque hi fructum ferunt triceſimum. Alii in continentiæ statu viuunt, quos homines in arca cõprehensi designant: nam quamuis in arca aliquot cõiugum paria essent, generationi tamen, prout nõnullorum interpretum opinio est, quamdiu terra diluuio stagnaret, operam non dedêre continenterq; inter se vixêre, hi porro fructum sexagesimum, geminato fœnore proferunt. Alii denique virgines sunt, quos denotant aues quæ cœlos volando petunt, & intra nubes habitare interdum videntur. Hi enim quam proxime ad Angelorum naturam cognationemq; accedunt, puritateque vitæ quam in terra ducunt, Angelicam puritatem æmulantur, cœlitibus iniuriam facturi; hinc etiam fructum centesimum afferre dicuntur: Videte igitur, vt arcæ habitacula & cubilia cum terræ diuersitate, de qua hodiernum Euangelium loquitur, conueniant & coincidant. Hoc ipsum expositurí, Sancti spiritus opem & auxilium, idque consueta Deiparæ intercessione, quam vt mediatricem adhibeamus, enixe imploremus, dicamusq; cum Angelico paranympho.

## Ave Maria.

Tantus verbi Diuini splendor & dignitas est, Auditores, tamq; ipsum admirabile tum cœlestibus cum hominibus apparet, vt sicuti non vnum, sed varia & millena propemodum effecta continet, ita idcirco non vnico, sed plurimis in sacris litteris nominib. appelletur; & infinitis propemodum rebus simile esse perhibeatur. Denotat enim cum primis effectus, potentiam essentiamque illius, ipsa pluuia, quod nomen præ reliquis primo iã mihi occurrit: quo nomine ipsum Dauid rex appellauit: *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.* Quo in loco de genuina ac vera doctrinæ diuinæ pluuia, quæ hæreditati Iesu Christi, id est, Ecclesiæ, reseruata est, locutus est: in Ecclesia enim Deus nos docet, & verbo doctrinæ suæ, velut pluuia quadam cœlesti animos nostros irrigat. Sacra scriptura verbum Dei variis rebus assimilat. *Psal. 67.*

Didicerat hanc loquendi rationem Dauid à legislatore Moyse, qui Ecclesiasten & prædicatorem agens, verba sua pluuiæ esse similia exoptabat, doctrinamque rori. Hinc in cantico ait: *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum,* vt *Deut. 32.*

his

his loquendi modis verbi diuini suauitatem dulcedinemque exprimeret.

*Apoc 1.* Admirabilis ille vir, quem Ioannes in Apocalypsi vidit, quemq; Iesu Christi imaginem referre credit, cuius caput instar lanæ album, oculi instar flammarum scintillantes, facies solis instar rutilans, manus stellis erant plenæ; vocem tanquam vocem aquarum multarum habere describitur, *Et vox illius, tanquam vox aquarum multarum.* Quo mysterio designatur, quod quemadmodum aqua terram sterilem & infœcundam irrigat fœcundatque, ita sacrum Dei eloquium animas Christianorum impinguet, & spirituales in eis fructus producat.

Prophetis quoq; de encomiis vocationeque Messiæ, qui celebris in mundo concionator futurus esset, quemque Pater æternus *Matth. 17.* deinde audiri præcepit, (*ipsum audite*) agentibus; inter ceteros Ecclesiasticus de eo hūc *Eccl. 39.* in modum locutus est, *Et ipse tāquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.* Omnem hic Messiæ doctrinam sapientiæ nomine nuncupat; quod sancta hæc doctrina nonnisi quam sapientissime prudentissimeque exponenda sit, omniaque verba sinceri Concionatoris ore prodeuntia modestiam & sapientiam, non autem inanias & fucum eloquentiamq; puerilem, spirare oporteat.

Verbum Dei securi comparatur. *Matth. 3. Luc. 3.* Secundo sacrum Dei eloquium securi cōparatur, vt è verbis Ioannis Baptistæ colligere est, qui primus hac cōparatione vsus est, dum in Palæstinæ desertis clamaret, *Iam securus ad radicem arboris posita est*, quem locum Hieronymus exponens ait Euangelii prædicationem vere & merito securis nomine appellari, quod concionator eam radici, id est voluntati, & non ramis, apponere *Matth. 3.* debeat, altaque voce inclamare, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.*

*Dan. 4.* Hinc apud Danielem male securim is posuisse censendus est, qui arborem illam proceram, Nabuchodonosorem inquam, radicitus non exscidit, nec funditus amputauit, quæ deinde repullulans, ad priorem proceritatem reuersa est: *succidite arborem & dissipate illam, attamen germē radicum eius in terra dimittite.* Vtita euidens fiat, genuini & veri Euangelistæ partes esse, non inanes inanium conceptuum ramos concutere, nec arbores iniquitatum solummodo agitare; sed ad radicem securim figere, & funditus eas exscindere. Dauid Goliadam expugnaturus: ita primum lapidem iecit, vt frontem feriens vno eum ictu ad terram deiecerit, prostrato ceruices præciderit, vitaque priuauerit. Hūc imitetur sapiens concionator, qui cum mundi peccatique Goliath indies confligit, & ingentes illos colossos gestit prosternere; pedes inquam illorum non feriat, in brachia non collimet, sed caput & frontem petat, itaque victoriam consequetur. Concionator Dauidi cōparatus. *1. Reg. 17.*

Hinc pater ille familias, cum ficum nullis *Luc. 13.* onustam fructibus, sed frondibus repletam cerneret, quamprimum eandem succidi fecit, & radicitus exstirpari, *succidite ergo illam,* *Deut. 20.* *&c.* Ipse quoque Dominus Israelitis olim præcepit, vt quamprimum ac terram Chanaan ingressi essent, arbores omnes infrugiferas stirpitus exscinderent. quin & in Exodo postquam omne cum gentibus commercium, nationumque idolis seruientium familiaritatem & cōnubia vetuisset, etiam lucos radicitus succidi, & aras sub vmbrosis nemoribus constitutas euerti voluit, *sed & aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide.* Allegorice hæc omnia denotabant, concionatores & præcones Euangelii Christi, veros illos cœli legatos, mundi huius regionem verbi diuini securi accinctos intrādo, omnes inutiles vitiorum propagines exscindere & stirpitus euellere, imo ne radicem quidem vllam aut germen relinquere debere. *Exod. 34.*

Verbum Dei fermēto assimilatur. *Luc. 13. in Matth. Lib. 1. q. Euang. qu. 12.* Tertia verbi Dei figura & imago est fermentum, cui ipse Redemptor similem doctrinam suam esse perhibuit: turbas enim docens aiebat. *Regum cœlorum simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.* Scio, per fermentum hoc Iesum ipsum à S. Hieron. & Ambrosio, Apostolos à Chrysostomo, charitatem ab Augustino intelligi: verum, eodem Hieronymo teste, de scripturarum quoque sanctarum intelligentia verboque diuino capi potest; atq;

per

per tria illa farinæ sata, tres animæ nostræ potentiæ, irascibilis, concupiscibilis & rationalis commode exponi: cum enim verbum Dei attente auditur, partem rationalem erudit & instruit, irascibilem compescit, & concupiscibilem refrænat, Ipsum fermentum est, quod patientiam auget, quod virtutes in anima producit, omnemque animæ nostræ fortitudinem excitat & commouet: fermentum est, quod res spirituales animique pietatem sapidam reddit, & gustum illius conciliat. Quod ipsum cum rex Israel degustasset, mox exclamat, *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* *Psal.* 118.

Verbum Dei gladio confertur. *Heb.* 4.

Quarto sacra Dei doctrina & eloquia cœlestia gladio comparantur. Vnde ad Hebræos Paulus doctor gentium: *Viuus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Quamuis autem locus hic de verbo increato; (vt quidem Chrysostomus, Ambrosius, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius, Thomas Aquinas, Caietanus, aliique exponunt) intelligatur; plurimi tamen interpretes de verbo creato intelligendum putant, vt Origenes, Augustinus, Ambrosius, & sexcenti alii. *Hom* 3. *in* 12. *Num.* *Epist.* 58 & *lib.* 20. *de ciuit. ca.* 11. *li.* 3. *de virg.*

In rei huiusce veritatem, ex ore viri illius admirabilis; quem Apocalypseos initio Ioannes describit, gladius anceps egredi legitur. *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat* quem Primasius, Aretas, Pannonius, Richardus à S. Victore, & communis doctorum expositio, verbi diuini figuram esse credit. Anceps autem dicitur tribus de causis, primo propter vtrumque testamentum, quo hæcce doctrina comprehenditur, vt quidem Augustinus censet. Secundo, quod in vetere Testamento vitia & superfluitates carnales, in nouo autem animi & spiritus dedecora næuosque præscindat, quæ opinio Richardi Victorini est. Tertio, quod qui ipsum despiciunt, tum in anima, tum in corpore castigabuntur. Atque hæc communis Patrum sententia & expositio est. *Apoc.* 1. *Lib.* 20. *de ciu. cap.* 21.

*Can.* 3. In Canticis Canticorum, lectulus regius à sexaginta de fortissimis Israel, & binos quidem gladios, vnum in manu, alterum in vagina habentibus, custodiri ambirique dicitur. *Lectum Salomonis sexaginta ambiunt de fortissimis Israel, vniuscuiusque ensis super femur suum.* Theodoretus hoc de doctrina diuina interpretatur, notaque vnumquemque à stipatoribus his duobus instructū gladiis fuisse, adeo vt qui tum animo tum manib. verba diuina complent, vere fortissimi & maxime strenui dici debeant.

Quid? an non omnes hæ comparationes egregiæ videntur? ita profecto, at quæ præsentis diei Euangelio sub parabolicis inuolucris continetur, omnes videtur excellere: in qua verbū Dei semini comparatur, quod ab agricola seminatum, partim secus viam, partim in loca saxosa, partim in spinetum, partim in terram bonam cecidit, quod ipsum fructum attulit cētesimum. Euangelista Lucas eandem describit, *Exiit qui seminat seminare semen suum, &c.* Hanc vt melius intelligatis, primo satorem describam, ac deinde semen examinabo, ac duobus hisce membris vniuersam parabolæ huius medullam comprehendam. *Luc.* 8.

Seminans hic, Christus est. Quod ad primum igitur spectat, sator hic, teste Hieronymo in Matthæum, Chrysostomo homil. quadragesima quarta, Sancto Irenæo lib. 4. contra hæreses, ipse Christus est, qui ab omni æternitate arcano Patris sinu egressus in hunc mundum descendit, verbi sui sementem disseminaturus. Dictum autem est, *Exijt seminare semen suum*, quod nullus vnquam exstiterit, suum qui semen seminauit, sed omnes quotquot hactenus seminarunt, nonnisi Christi Iesu semen disseminarunt. Hinc Prophetæ, cum quid olim prænuntiare ac interminationem aliquam intentare vellent, hoc semper vsi sunt exordio: *Hæc dicit Dominus:* Christus autem turbas docens, semper ait, *Ego autem dico vobis.* *Luc.* 8.

II. Christus inter docendum parabolas miscebat. *Matt.* 13. Verum, antequam prouehamur longius, & sinus in ventum laxemus, notandum est, Christum docendo concionandoque parabolas vt plurimum adhibere solitum, Vnde Matthæus Euangelista dixit, *Et sine parabola non loquebatur ad eos.* ita quippe iisdem assueuerat, vt nihil propemodum in rerū natura, vel in quotidiano hominum vsu reperire sit, è quo nō cōparationes similitudinesque, quib. mysteriorum suorum dignitatem ita no-

ita nobis cõmodius ob obulos poneret, elicuerit. Dixit enim regnum cœlorum alias simile esse fermento, decem virginibus, grano sinapis, alias thesauro abscondito in agris, margaritæ pretiosæ, nuptijs regijs, interdum bono pastori, vineæ, Domino mercedem operarijs persoluenti, sagenæ missæ in mare, agro triticum & zizaniam producenti; denique seminanti, vt in præsenti Euãgelio, *Exiit qui seminat seminare.*

*Luc.* 8.

Deus vult omnia nobis creata rerũ cœlestiũ memoriam refricare.

Et reuera, si rem accuratius perspicere velimus, penitiusq; intueri, inueniemus profecto, non alia Christum de causa tot parabolis similitudinibusque vsum, quam vt nos hac ratione cogeret quodammodo, rerum cœlestium perpetuo recordari, ac velut in tabula singula propemodum creata repræsentanti, earũ nobis imaginem subijceret. Vult nimirum, pastorem ouium tuarũ, semen agri tui, vuas vineæ, nuptias quas celebras, thesauros quos asseruas, annulorum tuorum gemmas & margaritas, retia quibus piscaris, seruorũ rationes, omnia denique quæ hic agis & moliris, cœli tibi memoriam refricare, mysteriaq; diuina edocere.

Industria ad alphabeti litteras edocẽdas. Simile.

In quo imitari videtur cordatum illum & sapiẽtem regem, cuius historiæ veteres meminere; hic cum filium prima elementorum nomina & alphabetum docere conaretur, & ille obtusioris ingenij ipsum memoria tenere nõ posset, hac industria vsus est. Alphabetum ei tradidit, nõ in charta exaratum, nullisq; characterib. expressum, sed tot ei pueros pedissequos addidit, quot alphabetũ litteras contineret; quibus ipsa elementorum nomina imposuit, primo A, secundo B, & sic ceteris cetera. Atq; ita factum est, vt puer hic cum alijs agens colludensque, & nomine vnumquemq; suo quod pater indiderat, cõpellans elementorum nomina quamprimũ perceperit. Eodem prorsus modo Deus cum hominibus egisse censendus: atq; hoc ipsum erat, quod iam ab initio filio Pater æternus faciẽdum præceperat, vt nimirum cœlos super terram conderet; ait enim per Isaiam, *Fili mi, ego posui verba mea, vt cum illis plantes cœlos in terra.* Cœlos autem in terra plantare nihil est aliud, quam omnibus è rebus comparationes & similitudines elicere, quo nobis, q

*Isai.* 51.

hic in terra viuimus, perfecta rerum cœlestiũ notitia inseratur. Ipsum est dulcedo illa, mel & lac, illud quod Messiæ temporibus colles destillaturos prædixerant Prophetæ: *Stillabunt montes dulcedinem, & colles lac & mel.* ipsum deniq; denotabunt parabolæ illæ, quas toties Dominus produxit, & præsertim ipsa Euangelij hodierni.

*Ioel* 3. *Amos* 9.

*Luc.* 8.

*Exiit qui seminat.* Dixi, & iterum dico, Auditores, satorem hunc Christum Redemptorem esse, illum ipsum qui cœlis semel exiit, quo in terram delaberetur, humanamq; naturam indueret; qui deinde sacratissimo Virginis vtero exiit, doctrinam Euangelicam disseminaturus. Qui verus seminans & agricola est, cum per Prophetam ipse de se locutus sit, *Ego sum colonus*, & seminator. Et sane omnes seminantis proprietates requisitaque peroptime in ipsum quadrant. Seminator enim, cum agros cõserit, quamuis opulentus sit, multumq; agri possideat, humilem & abiectam vestem assumit, nullumq; fastũ præfert: ita & Iesus Christus in hoc mundo euãgelizaturus, doctrinamq; disseminaturus, q̃uis omnia, vtpote creator, possideret, omniumq; rex esset; vili humanitatis nostræ sacco, qui deinde ipso passionis die conscissus & dilaceratus fuit, sese induit. Colonus adhęc, boues quib. arua proscindat adhibet: Christus Apostolus, qui instar valentium & torosorum boum, præfractorum & obstinatorũ glebas effringeret, & sementem Euangelij mundi noualibus concrederet, sibi delegit, Ideo etiam *exiit qui seminat seminare semen suum, &c.*

*Zach.* 13.

Sator verus Christus est.

Seminãtis proprietates Christo optime conueniunt.

*Luc.* 8.

Aduertite hic etiam, Deum mysteria non sublimi & difficili quadam ratione proponere; nec comparationibus & similitudinibus à motu cœlorum, planetarum influxu, maris reciproco meatu, origine fontium, ventorum causationibus, solis defectu, nec ab mutationibus elementorum petitis, quæ ipsis etiam Philosophis ad disquirẽdum difficilia sunt, sed à rebus obuijs, domesticis, vulgaribus, & captui nostro accommodatis, vti solitũ, quo ita ab omni hominum genere intelligantur. Atque hinc inprimis singularis quædam Dei bonitas & benignitas erui potest, qua nullam vnquam maiorem erga

Mysteria sua Deus simplici & communi modo exponit.

homines exhibuit, quod diuinam maiestatē hic exuerit, & cœlestem illam, angelicam, sublimē, & philosophicam, vt ita dicam, loquendi rationem; quo nostro captui sese accommodaret, & nostrum dicendi characterem stilumque effingeret, sepositurit. Quod ipsum veterum quidam Prophetarū demiratus ait, *In terra visus est* magnus ille Deus qui cum angelis agere & versari consuerat, *& cum hominibus conuersatus est*, eorū lingua locutus, eorum phrasim imitatus, ad eorum se stilum conformans.

Baruch. 3.

Atque hæc vnica est ratio, cur amans illa sponsa sponsum suum in domum maternam abducere tantopere desiderarit, quo nimirū sermone vulgari, & communi loquendi ratione & lingua, vt dicitur, materna vti eum cogeret; *Tenui eum*, inquit, *nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genetricis meæ.* Non putabat scil. amans illa maiorem sibi accidere felicitatem posse, quam si sponsus inter cognatos & notos cōstitutus, illorum se vocibus & sermonibus accommodaret.

Cant. 3.

Simile.

An non enim magnum humanitatis beneuolentiæq; argumētum foret, si rex cum arcana sua consilia rustico cuidam communicare vellet, regium loquēdi morē seponens, vulgarē & plebeium assumeret, aulæq; phrases cum rustica loquēdi ratione, quo ille melius & commodius, eadem intelligeret, cōmutaret? Idem omnino, Deus Opt. Maxim. interdum egit. Moses n. dum Israelitis, quæ à Domino in deserto & alibi receperant beneficia, vti mannæ imbrem, vestiū cōseruationem, idq; quadraginta annorum spatio, coturnicum epulū, viperatū morsus depulsos; in memoriam reduceret; tandem velut omnium maximum, & ob quod maximas ei agere deberēt gratias, subnectit, *Vt recogites in corde tuo, quia sicut erudit filium suū homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te*, fermone tibi vsitato loquendo, teq; suū idioma edocēdo.

Deut. 8.

III. Concionatores nimium sublimia edocere nō debēt.

Hinc efficitur, cōcionatores Euāgelicos, exemplo Domini sui, non nimium sublimia, aut à communi hominum captu remota tractare, vel pro concione proponere debere, quæ nullus auditorum intelligat. In quo hodie tamen plerique delinquunt; quod profecto intolerabile est, dum honoris proprij q̄ salutis animarum studiosiores sunt, & seipsos potius iactant, quam auditores ad bonam frugem inuitant: similes ficui illi Euangelicæ, quæ latas quidem & patulas proferebat, quibus seipsam ostentabat, frondes; nullū tamē, quo domino satisfaceret, fructū.

Minorum Patriarcha Franciscus Assisias, cum fratrib. concionandi normam præscriberet, edoceretq; qua alios ratione edocerēt, ait, verba vestra pudica sint & honesta, modestiam spirantia & zelum, auditorum saluti incumbentia, vitiorum regnum destruētia, ad virtutē excitantia; illis tartarea supplicia interminando, his autem sempiternam gloriam, idque q̄ compendiosissime, promittēdo. Imitando nimirum illum, de quo in Apocal. cuius ex ore gladius anceps egrediebatur, & manus stellas præferebant. Gladius n. verbi Dei vtrimq; scindat oportet, vitia quidem eliminando, virtutes aūt inserendo; & concionator Christianus anima in ore gerat, quo impios verbi sui & doctrinę acie percutiat, stellas vero manu, quo iustis beatitudinem & gloriam cœlestem promittat.

Apoc. 1.

Dominus hic alluit, cum Isaiam Prophetam, qui sublime incarnationis diuinæ mysterium describeret, ad se vocans ait, *Sumes librum grandem, & scribes in eo stylo hominis.* Hominis aūt stylo, & calamo scribere aliud non est, quam alta & diuina fidei nostræ mysteria modo quodā vulgari, noto, hominūque captui accommodato pertractare, ita vt omnes quam facillime singula intelligant.

Isai. 8.

Idem Dominus, cum in impium Balthassarum Regē Babylonis digno flagello animaduertere constituisset, & furorem suum denuntiare, & tū iniquitates quas cōmiserat, tum supplicia quę ob easdem promeritus esset, declarare, nonnisi hominis manum, quæ easdē parieti inscriberet; adhibere voluit: *In eadē hora apparuerunt digiti, &c.* Cur humanā hic dexterā adhibere Deum voluisse existimatis equidem, aliis rationib. relictis non aliam fuisse causam credo, quam vt melius barbarus ille Scripturam intelligeret; & quoniam propter solum hominem scriptura hęc exarata erat, ideo etiam hominis dextra, calamo, & stylo eandem describi voluit.

Dan. 5.

In h q.

Exod. 38.

In reliquis signum Mosi, vt bene sanctus obseruauit Gregorius, præcepit, vt præter tot fontes, tubos, syphões & canales aureos, etiã ænea aliquot vasa, diuersæ magnitudinis & formæ, in sacrificiorum vsum concinnaret. Vult enim prædicatores suos, non sublimia modo & alta populo mysteria, curiosasque disquisitiones, verum etiam minora, & tenuiora, quæ animarum salutem, & spiritus emolumentum potissimum concernunt, pro concione proponere.

Curiositates honestas & proficuas pro ponere interdum licet.

Iud. 10.

Non quod penitus hic notabiles damnare curiositates magnamq; tum doctrinam, cum vtilitatem continentes, velim. si enim concionator non ad sui ipsius, sed gloriam animarumque salutem eas depromit; dubitandum non est, quin omnis concionum illius ornatus, & decoramentum Deo sit futurum quam gratissimum. Iudith enim dũ se gemmis & margaritis ornauit, dum crinem calamistro discriminauit, dum vestes cocco & byssо diuites induit, quo Holoferni gratior appareret, nulla ratione peccauit; præsertim cum id non vanitatis causa, sed Spiritus sancti instinctu, fecisse eã sacra Scriptura dicat. Ad hunc etiam modũ Christus magnus ille concionator cœlo delapsus, doctrinam hanc diuinam edocens, instar satoris eandem disseminat, & vulgaribus parabolis exponit, quid enim seminante & seminetritius aut magis obuium haberi potest?

Concionatorem igitur, Christi exemplo familiarius cum auditoribus agere oportet, eorumque captui conceptus suos adaptare; si enim prouecti sint, & multa rerum cognitione polleãt, sublimia proponat; sin minus, serpat & vulgaria consectetur Atq; hoc modo verba illa Lucæ intelligẽda sunt: *Quis putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illi in tempore tritici mensuram?* Fidelis ille, & œconomus seruus, quem familiæ suæ Dominus præfecit, vt tempore messis mensuram det, concionator Euangelicus est, per mensuram aũt hanc tritici verus verbi diuini annuntiandi modus designatur: ipsum enim dum promulgatur, mensura & mediocritas adhibenda, sublimibus scilicet & doctis, alta & erudita; plebeiis autem & imperitioribus obuia & communia proferenda sunt. Modus enim & mensura tam hic quam omnibus in rebus, sunt necessaria.

Luc. 12.

Mensura & modus in concionibus adhibendus.

Modum hunc seruare didicerat Paulus cum ad Corinthios scriberet, *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tãquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, nõ escam.* Prudentis concionatoris est idipsum imitari, indoctioribus simplicia, doctioribus autem magisque versatis altiora & solidiora elargiri. Hinc etiam Moses, cum facie instar solis resplendente monte descenderet, legis tabulas populo prælecturus, vultum velauit, ac velamine emicantem splendorẽ cohibuit, ne forte populus perterrefactus ab eo fugeret. Vt vero populariter & simpliciter cum iis agat; eorum se moribus agendiq; rationi accommodat. Audiamus quid hanc in rem dicat Papa Gregorius, *Coruscantem coram populo faciem velat, qui intima claritatis arcana non reuelat.*

1. Cor. 3.

Exod. 34.

Ioanni quoq; in Apocal. Dominus præcepit, vt templum, altare, & quotquot in ipso adorarent, metiretur: quod mandatum Richardus à S. Victore ita exposuit, *Hoc templũ siue altare metiri, præcipitur. quisquis actiuis, sine contemplatiuis verbum eruditionis ministrare secundum vtrorumq; capacitatẽ admonetur.* Concionator itaque hoc exsecutus priusquam ad dicendum sese accingat, templum & altare & adorantes circa ipsum, diligenter dimetiatur necesse est, id est auditorum conditionẽ, qualitatem, ingenium, mores, virtutes denique & vitia perspecta ad vnguem habeat.

Extrem. part. past. lib. 5. Apoc. 11.

Totum igitur hunc tractatum concludẽtem audiamus Gregorium, dum ait, *Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo doctorum.* Nam vt citharædus, inquit, non eodem cordas omnes pulsat modo, ita & concionatores non vna eademq; cum omni hominum genere agere ratione par est, sed cordatum illum agricolam, qui exiit seminare semen suum, imitari.

Prolog. 3. part. pastoral.

Christus scilicet cœlesti habitaculo & ipso Patris sinu egressus est, quo semen suum hic seminaret; vt præco Christianus videat & discat simul, vnde eum exire necesse sit, cum ad concionandum se accingit: à Deo nimirũ à pretiosis filii eius vulneribus, feruore Spi-

ritus sancti, egrediatur, inquam, oratione, animarum zelo, rerumque diuinarum contẽplatione. Paulus Gẽtium Doctor, & electionis vas, tertio cœlo, in quo arcana verba & recondita mysteria, quæ nõ licet homini proloqui, audierat, egressus est; Isaiæ Prophetæ os Seraphin calculo, quem de altari acceperat mundauit, priusquam vaticinaretur: Apostoli quoque nonnisi post acceptũ Spiritum paracletum docere Euangeliũ incepere.

2. Cor. 12.

Isai. 6.

IV. Luc. 8. Allegoria.

*Exiit qui seminat.* Vt allegorice hoc exponã, videtur hic ipse Deus Pater, iustitiæ domo, cui ob peccatũ Adæ inclusus tenebatur, egredi & in patentem misericordiæ campũ prodire, semen suum, id est, Christũ Dominum, in sacratissimo Deiparæ Virginis vtero seminaturus. Porro diuinum hocce semen primo secus viam cecidit, ipsa videlicet natiuitatis Dominicæ die, neque n. in palatio, non in domo aliqua, sed in stabulo communi, haud procul à via regia sito, natus est. Deinde cum hominibus conuersatus, & turbas docens, in saxa visus est cecidisse, cum sæpius eũ Iudæi lapidibus obruere conati sint. haud multo post in spinas & rhamnos incidit, amarissimæ nimirum passionis tempore, quando spineo serto redimitus, omnium ludibriũ factus est. Deniq; in terrã bonam cecidit, quãdo in sepulchro positus, rediuiuus & gloriosus resurrexit, *& fructum fecit centuplũ*: resuscitatus enim patres limbo detẽtos eduxit, portas paradisi reserauit, inferos vectib. ferreis occlusit, peccatorum remissionem obtinuit, mundumque vniuersum redemit, reipsa declarans quod in Euangelio olim ipse docuerat, dicens: *Nisi granum frumenti*, quod ipse Christus est, *cadens in terram mortuũ fuerit, ipsum solum manet*: nisi enim ipse mortem oppetiisset nullus præter ipsum salutem fuisset consecutus. *Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert, &c.* quod è mundi totius redemptione satis euidenter colligi potest.

Christus semini comparatur.

Ioan. 12.

Iam vero litteralem sensum disquiramus, *Exiit qui seminat seminare semen suum, &c.*

Luc. 8.

Qui seminat nonnisi manu seminat: ita verbi Dei prædicator manu potissimum serere debet, id est, operibus sanctis & piis. Hinc in Leuitico Dominus diuerso semine agros conseri vetuit. Is porro diuersum semen seminare dicendus est, qui aliud verbis, aliud operibus seminat, operibus quidem semen prauum, verbis vero & cõcionibus bonum. Qua de re Basil. Magnus agens, dicere solebat, cõcionatoris veltè e duplici contextã esse debere materia, operibus videlicet ac verbis.

Leuit. 19.

Deinde sator hic exit, seminaturus, & in apertum se prodit. *Exiit qui seminat* de die inquam & publice, qui enim clanculum & in abscondito concionatur, merito suspicionis notam incurrit; adeo vt metuendum sit, ne hæreses doceat, prauaque dogmata dissemiuet. Hinc de sapiẽtia sapiens locutus ait, *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.* Atq; idcirco Christus, dum pseudoprophetiæ & mendacij à Iudæis, impostricisq; doctrinæ insimularetur, hanc à se calumniam dimouens, non aliud in sui purgationem, & ad innocentiam testandam argumentũ protulit, quam se palam omnibus semper docuisse, in synagogis, viis publicis, & compitis, nulla vero vnquam conciliabula occulta coegisse, aut latebras doctrinæ spargendæ ergo quæsisse. *Ego semper palam locutus sum, & in occulto locutus sum nihil.* Quicunque igitur hoc modo Dei verbum non disseminat, bonus dici fator nequit, sed *inimicus hom.*: & sane inimicus ille homo de quo in Euangelio, nõnisi nocte, tenebris denuntiis cuncta occupantibus, zizania sparsisse legitur, *cum dormirent homines, venit inimicus homo, &c.*

Concionator publice seu per concionetur *Prou. 1.*

*in Psal. 44.*

*Ioan. 18.*

*Matth. 13.*

Sator autem hic exire videtur, vt multos agri Ecclesiastici cultores confundat eorũq; inertiam & vecordiam coarguat, qui sæpe quidem exeunt, nõ seminandi, sed metendi, & in horreum colligendi gratia; quibus merito obiici illud Matthæi queat, *Metu vbi non seminasti.* Et est profecto deplorãdum, Pastores & Præsules Ecclesiæ, tot opes in Ecclesiæ agro colligere, id est, tot villas & domos coemere, quem tamen nunquam aliqua prædicationis semẽte excoluere. Nemo aũt colligere carnalia potuerit, qui spiritualia prius non seminarit. Vnde Apostolus, *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnũ est si carnalia vestra metamus*: Erubescant igitur & pudore cõfundantur magni illi doctores, multa rerũ cognitione & scientia pollentes, qui ex aliorum quidẽ opibus quales sunt Ecclesiasticæ, viuere

Inuectiua in doctores, qui non concionantur.

*Matth. 25.*

1. Cor. 9.

viuere volunt; alijs vero quæ à Deo accepere, communicare nolunt, nunquam ad prædicandum, scribendum, disputandum, aut alia scientiæ documenta in Ecclesia edenda egredientes. At hic *exiit seminare semen suum.*

*Luc.8.* Seminatoris titulus maior quã creatoris.

Quamuis autem plurima Deus nactus sit nomina, quæ ex actionibus ei variis indita sint; hoc tamen satoris, velut pulcherrimum & maxime eximium, sibi præ cæteris delegit. Quod qui penitus examinare, & accuratius inquirere voluerit, inueniet profecto, nomen & opus seminanti lõge dignius esse, & eminentius quam creantis; quod ipsa gratia nobilior sit magisque emineat quam natura. Deus siquidem, in quantũ creator, ipsa elementa & totius vniuersi machinam condidit, in quantum vero sator, verbum suum, gratias, Sacramenta, salutem nostram, delictorũq; nostrorum expiationem, seminauit. *Exiit qui seminat.*

*Luc.8.*

Et qui ipse solus seminandi onus opusque suscepisset, ceteroisque omnes ab eodem excluderet; dicitur, *qui seminat*: quamuis enim mundus, caro & diabolus interdum seminẽt, veri tamen seminatores nõ sunt, sed seminis deprauatores. Solus porro Christus Iesus seminat, qui sementem proprii etiam voluit sanguinis imbribus irrigare, æquum quippe erat, vt semen cœleste & diuinum cœlesti etiam pluuia irrigaretur, itaq; fructum ferret.

*Ibidem.* Multi prædicatores, mundi semen seminant, & non Dei.

*Exiit qui seminat seminare semen suum.* Apposite Spiritus S. hic *semen suum* ait. Sunt enim plurimi qui non suum, id est, Christi sed alienũ, id est, diaboli, carnis, mundi & hæreseos semen seminant. Atque ideo etiam olim vetuit, ne diuersum vni agro semen concrederetur. Neque enim aliud semen, quã Dei, seminandum est, nam, vt bene monuit Sapiens, *Adulterinæ plantationes non dabunt radices altas*, nec spuriæ stirpes propagines proferent longius.

*Leuit.19.* *Sap.4.* *Matt.15.*

Christus ter in Euangelio legitur clamasse. *Ioan.7.*

At nondum hic sator quiescit, sed semen iaciens clamat alta voce, *qui habet aures audiendi audiat.* Cæterum, tertio Christus clamasse in vniuersa Euãgelii serie legitur. Primo hoc loco, secundo, dũ ait, *qui sitit, veniat ad me & bibat*, tertio cum in crucis ara exspirans animam Deo Patri reddidit. Moriendo quidem clamãs diabolum perterruit & deuicit; cum dixit, *qui sitit*, &c de Spiritu S locutus est, quem credentes recepturi erant; iam vero omnes ad verbi diuini auditũ attentionemque inuitat, Ioannem Baptistam pœnitentiam in desertis Palæstinę prædicãdo clamasse Euangelista perhibet. *Ego vox clamantis in deserto*, & ecce hodie vocis illius auctor & magister, ipse inquam Dei filius alta voce inclamat; *Qui habet aures audiendi audiat.*

*Ioan.7.*

*Matt.13*

V. Verbum Dei auditu dignũ est, & auditũ plurimum prodest.

Ceterum in docendo hic exclamat, vt nos omnes edoceat, quã sit aures verbo Dei adhibere; concionatoresque diligenter auscultare, necessarium; suasit hoc olim ipse Pater æternus, cum de filio diceret, *ipsum audite*, filium meum, quem vobis in doctorẽ misi, cuius verba spiritus & vita sunt. Bene autem Dei verbum vitæ nomine appellatur, quod vitam afferat, animasq; scelerum sepulchris cõditas egredi cogat; ac mortuas penitus resuscitet. Quod & in Ezechiele aperte patet, cum ad vocem Dei sparsa per agrũ cadauera, & ossa arida, putida, fœtida, resurgũt, & redanimantur. Quin & Apostolorũ princeps Petrus cũ Christi magistri sui potentiã, verborum efficaciam, spiritus feruorem effert, ait: *Verba vitæ habes*, id est, mortuos spiritu ad vitam loquendo reuocas. Ideoque *qui habet aures audiendi, audiat.*

*Matt.17.* *Ezech 37.* *Matt.11.* *Ioan.6.*

Vult, quotquot aures habent, diligenter auscultare; multi enim aures habẽt non quidem verbo Dei, sed mũdi tumultib. & turbis patẽtes, quo nihil tamen Deo displicere magis potest. In cuius rei signũ, olim sibi victimam voto promissam, offerri noluit cauda & auribus truncam. Glossa autem linearis hũc cauda carentem esse putat, qui nouissimorũ vix vnquam recordatur. Nam vt cauda animali extremum est; ita mors, iudiciũ, tartarus & cælestis gloria vltimi vitæ nostræ alphaberi characteres sunt. Is aũt qui nouissima vix vnquam ob oculos habet, auribus carere merito dici potest, vtpote cui omnis de morte iudicioque extremo sermo grauis sit ac molestus. Huiusmodi autem sibi in victimam immolari aut offerri vetat Deus.

Nolebat olim sibi Deꝰ victimas auribus & cauda truncas immolari.

*Leuit.22.*

Deplorandum est autẽ, peccatores, auribus quidem à Deo donatos, verbum Dei audire tollẽ, imo ne clamanti quidem credere velle. An nõ enim miserrimũ est, surdos illos,

Peccatores verbũ Dei non audire deplorandũ est.

& tamen auritos, quæ Deus, Sancti, Prophetæ omnes docent & inculcant, audire nolle. Loth de Sodomæ excidio euersioneq; à Deo certior factus generos suos monuit, vrbe vt egrederentur, *Surgite & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem istam*: at illi ludere eum putabant, cum imminentem ruinã prænuntiaret, & iocari, cum de sulphureo imbre ageret interitumq; vrbis, & ciuiũ prę-moneret. Ad eundẽ modum & plerique hodie faciunt; cũ enim concionatores de morte illis aut iudicio, & æterna damnatione verba faciunt, fabulas aniles narrari sibi credũt, hic surdastri sunt, cũ in omnibus mundi ineptiis auritissimi existãt: aures quidem fabulis, vanitatibus, nugisq; patent; cœlestibus autem mysteriis & verbis Dei occlusæ sunt.

*Gen.* 10.

Huc opime quadrat quod de Oratorum Principe Demosthene referunt historici. hic enim cum quadam die in tribunali de rebus grauibus magnique momenti disseret, videretq; causam populi auribus non vsq; adeo gratam accidere, sed plerosque alio mentem intendere; abrupto orationis filo, non illepidã narrare occœpit, atq; ita oẽs aures mox arrigere cœpere. Conduxerat quidam asinũ æstiuo tempore, Athenis Megaras profecturus, at dum circa meridiem æstus inualesceret, sub vmbra asini solẽ declinauit: quo viso indignatus agaso locasse se asinum dicebat, nõ autem vmbram, alter vero è contra se asinũ conducendo, vmbram quoq; illius conduxisse asserebat. Vnde non modica inter vtrũq; contentio & lis nata. Hoc dicto Demosthen. apologum abrumpens; nec ad finem prosequens, è iudicum se conspectu subtraxit. Populus vero finem cuẽtus scire auidus, orauit, vt controuersiam illam vmbratilem absolueret. Quo audito ineptiam eorum coarguens ait, *De vmbra asini audire cupitis, de salute Græcia differentem audire detrectatis.* An non hoc ipsum hodie iure de plerisque Christianorum dici poterit, qui rebus & ineptiis mundanis audiendis maximopere delectãtur: concionatorem vero de animæ salute agentem, & ad virtutis studium quã doctissime adhortantem, audire detrectent?

Demosth. factum laudabile.

Dauid rex cum Deo ob accepta beneficia gratias ageret, inter cætera summi beneficii loco habet, quod aures eloquiis diuinis patentes acceperit, *Aures autem perfecisti mihi*, id est, vt quidem Hieronymus à fontib. Hebraicis interpretatur, *fodisti*: quod perinde est ac si dixisset, In perpetuum me tibi seruũ elegisti: moris quippe apud Hebræos erat, vt in Exodo patet, aures seruo perpetuo perforare. Vt autem Euangelio veterem legem adaptem, apertissimum & euidentissimum veri serui Dei altissimi symbolum esse censeo, aures ad diuina eloquia doctrinamq; Euangelicam patentes habere: occlusas vero & obseratas, mancipium diaboli arguere & mundi. Sed filum hoc abrumpamus, & aliam telam ordiamur: satis de semĩate actum est, de semine iam dicendum restat.

*Psal.* 39.

*Exod.* 21. Serui Dei signũ est habere aures verbo diuino patentes.

Postquam igitur sedulus ille sator semen seminasset, aliud, eheu! secus viam cecidit, quod & à transeũtib. protritum est, & à volucribus direptum: aliud in rupes & lapides, quod natum ob humoris defectũ quamprimum exaruit: aliud etiam vepreta & senticeta, à quibus suffocatũ euanuit. aliud denique in terram bonã, & fructum protulit amplissimum. Quatuor locis semen hoc dispersum est, & nonnisi vno fructum protulit. Vt autem allegorice quatuor hæc exponam, dico, primo Philosophos vetes commode intelligi; qui in magna illa & regia naturæ via aliquã Dei cognitionem habuere: per rupes a. & saxa, quidẽ obstinatos illos & duræ ceruicis Iudæos intelligi vetat, quib. lex in duabus lapideis tabulis tradita legitur, quiq; in circũcisione cultello lapideo circumcidebãtur? Per spinas & vepres, Saracenos, Turcas, Mahumetanos, per terram bonã vero Christianos designari volo. Qui secus viam, sunt pigri & vecordes; saxosi & scopulosi, obstinati sunt, & inconuertibiles: spinosi, diuites: & electi, fertiles.

Explicatur quadrupler hæc seminis terra.

Antequã vero progrediamur vlterius, nõ possum quin imprudentiam aut potius profusionem satoris huius demirer, quod semen suum tum in viam, tum in saxa & silices, tum deniq; in spineta, & dumeta iecerit; quodq; nõnisi quarta pars in terrã feracem ciderit. Quod tamen consulto & varias ob rationes factũ crediderim. Primo ad nostram instructionem: vt, ad illius nimirum imitationem, omnium

Cur sator hic in spinas & secus viam semen suũ iecerit.

omnium hominũ generi doctrinæ illius se-
Rom.1. mentem cõmunicemus. Vnde Paulus, *Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.* Secunda ad concionatorum cõsolationẽ, ne animo deiiciantur, aut secius ac par est ferant, si semen iactum in plurimorũ agro nõ germinet, sed in nihilũ euanescat: cũ id ipsum Christo Redemptori nostro q̃ feruentissime docẽti in plurimis euenisse certũ sit: nam, vt bene scribit Augustinus, *Magna consolatio mẽbris ex capite.* Tertio, quod is, cuius semen est, infrugiferam terram in fertilẽ
Iob.14. commutare facili negotio queat, quod Iob Propheta testatur: *Quis potest facere mundum de immũdo conceptum semine, nisi tu qui solus es?*

His ita constitutis, dico per terram hanc viæ vicinam, in qua semen à viatoribus conculcatur, & ab auibus absumitur, publicos peccatores designari, qui verbum Dei vilipendunt, ipsumq; pessumdari sinunt. Hæ sũt viæ recta ad infernalem voraginem deducẽtes, per quas ferales & nefandæ aues semper volitant, id est harpyię illæ ferales & tartareæ quæ omnia deuorant & absumunt. Quamq̃
Gen.14. per terram hanc intelligi etiam queant illi, qui varias peccandi occasiones habẽt hæ nãque certissimæ ad peccatũ viæ: at viæ declinãdæ: variisq; periculis obnoxiæ. Cum Dina filia Iacob, & duodecim patriarcharum soror, domo paterna, vrbis Sichem videndæ, animiq; relaxandi ergo egressa esset, deflorata est, solasq; se reperturam fęminas rata, viros ẽt reperit, à quib. rapta imminuto pudore redijt, excidijq; Sichimitarũ causa exstitit. Multum igitur ad peccãdum occasiones
Exod.10. valent, periculiq; sunt stratrices.

Deus cum legis tabulas Mosi daret, & mõs circumquaq; tonitru & fulgure coruscaret, populo præcepit ne monti propius accederet, ni graui perire morte vellet, repẽteq; temeritatis pœnas dare: *Qui tetigerit mõte, morte morietur.* Montem vel solum tãgi præcipit, & primo pede calcari: sciebat siquidem eos, cum semel montem tetigissent, eumdem & ascensuros. Peccãdi igitur occasiones fugiẽdæ sunt: semen enim secus viam prolapsum quamprimum exaruit.

VI.
Luc. 8. *Cecidit secus viam.* Chrysostomus de negligentibus hoc & desidiosis exponit, *Qui via significantur, hi negligentes sunt atq; ociosi:* qui nimirum verbum Dei pedib. proterunt, vilipẽdunt, contemnunt, aut saltem negligenter admodũ audiunt. Quos Vriæ duci censeo esse persimiles: hic enim cum litteras à Rege ad Ioab deferẽdas accepisset, putabat se per easdem ad præfecturã castrensem aut tribunatum promouendũ: sed eheu! sui ipsius interitus exitijq; nuntius venit. Qui n. multas audiuere conciones: sed negligenter, nec ad earum præscriptum, vitam instituunt, ceteris quæ fecisse se putabunt bona opera, easdem annumerabunt, magnaq; in die iudicij mercede se donandos idcirco credent: at, cũ Deus æquissimus ipse Iudex litteras explicuerit, legeritq; & viderit, nihil illos ad concionum auditarum præscriptũ fecisse: morti illos ac supplicijs sempiternis adiudicabit quod iuxta viam commorantes semen acceptum, à volucribus absumi sinant. *Hom. 45 in Matt.* *2 Reg. 11.*

*Secus viam.* Sunt qui hic vitia carnis lasciuamq; voluptatem intelligant. Nam vti q̃ viæ adhæret, in omnium oculos occurrit, ita qui illicitis voluptatib. dant operam & delicijs se carnalibus inquinant, omnibus noti sunt, occultis quidem & furtiuis se amorib. teneri putant, sed tandem etiam pueris noti fiunt. Amor quidẽ cœcus effingitur, sed nudus est: vt alios quidem videre nequeat, sed ab alijs econtra videatur ipse. Nam furtiuã Venerem consectans, & adulterio thorum temerans, latere se putat: & tamẽ verba ipsa gestus, motus, vitæque ratio impudicitiam lasciuiamq; illius coarguunt. Vitia hæc viæ proxima dicuntur q̃ publica sint & occultari difficulter queant. *Beati* igitur *quorum recta sunt peccata.* *Luc. 8.* Luxuria & vitia carnis per terrã hanc viæ proximam denotantur. *Psal. 31.* *Gen. 38.*

Thamar, quæ incestuoso soceri sui Iudæ concubitu se prostituit, in biuijs viarumq; capitib. viatores illicio dementare & ad cõcubitum pellicere gestiẽs sedisse legitur, adeo vt Iudas cum meretrice triobolari se, non vero cum nuru, rem habuisse crederet. Proposito hoc peroptime quadrat: vera n. hic luxuriæ imago proponitur, peccati inquam, quod semper secus viam hæret, q̃ viatores in exitium trahit, quod omnib. notissimum est, multaq; alia in populo scãdala & offendicula creat. Quin & alia quadam ratione pec-

peccatum hoc viæ proximum dicitur, quod inceſtuoſus, adulter & fornicator multis alijs vitijs pateant. Quod Iſaias Propheta cuidam laſciuo exprobrauit dicens, *Poſuiſti corpus tuum & cor tuum & deſiderium ſicut viam, vnde tranſeunt oēs.* Superb. quidem cor ſuum vanitati ſoli reſerat, ceteris vitijs penitus occludit; auarus cupiditati animū patere vult, non vero aliis peccatis: at luxurioſus & adulter omnib. ſe vitijs proſtituit, cunctorumq; ſe ſcelerum propudiū conſtituit. Inſtar Luciferi enim ſuperbit & turget: in vanitatibus prodigus & effuſus eſt, nulla in verbis illius ſubeſt veritas, in actionibus ſubdolus & vafer, in promiſſis fallax & vulpinus eſt: ſibi ipſi inuidet, in homicidijs deniq; audax & pceps.

Iſa. 51.

Adulteri cor omnibus vitiis pateſcit.

Eccleſiaſticus vero magis ad viuum adhuc fornicarium depingit: *Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via, ab omnib. prætereuntibus conculcabitur.* Cum igitur vitium hoc, per terram hanc viæ regię vicinam deſignetur; certū eſt, ſi in animam carnalem ſemen verbi Dei iaciatur, ſi concionibus varijs ad bonam frugem excitetur; ipſum conculcandum, correptiones amicas vilipendēdas, prædicationes illudendas, verba admonitoria exſibilanda, ſannis excipienda, ſtatimq; obiiciendum illud. Iuuenis ſum, indulgendū eſt ætati, cum ad ſenium peruenero, vitam in melius commutabo, fragilis ſum: ſed & tandē, huiuſmodi vitiis deditos, in hæreſim prolabi, dicendo, non eſſe tantum, quantum ſcriptura quidem deſcribit, peccatum; ſed nōniſi faciuus quoddam heroicum & aulam ſapiens.

Eccl. 9.

De quibus Oſee Propheta loquens ait, *Extranei comederunt fortitudinem eius, illi ignorauerunt.* fortitudo hæc doctrina Euangelica eſt, quæ rite intellecta vires animæ, quo in virtutib. creſcat, ſuppeditat. tunc porro eam extranei comedere cenſentur, quando tota vi dæmones impedire conantur, ne in anima radices agat, & fructus quib. nutriatur proferat. Atque hoc dicere voluit Euangeliſta, dum ait ſemen ab auibus deuoratum fuiſſe. dæmones quippe ſunt funeſtæ & ferales illæ harpyiæ; quod certiſſimū interitus damnationiſq; perpetuæ argumentum eſt.

Oſe. 7.

Piſtor Pharaonis carcere concluſus ſecundum quietem ſomnium eum vidiſſe ſe diceret, videlicet, tria ſe farinæ caniſtra, & in ſummo oēs cibos qui piſtoria arte parari queāt, quos aues comederent, geſtaſſe: Ioſeph ſomnij interpres ait, poſt triduū eum in ligno ſuſpendendū, & à volucrib. cœli comedendum. Vt allegorice hoc in meum propoſitum detorqueam, certiſſimum eſt, te fornicator, ſi egregiam illam verbi Dei farinā, &, quidquid ad ipſum ſpectat, in capite ſolummodo geſtes, caq; dentib. non molas aut rumines, id eſt cogitatione non excoquas, ſed auibus illa in prædam des, in inferorum te carcerib. ſuſpendio periturum, morteq; perpetua afficiēdum. Nam cum miſer ille panes ſuos ab auib. comedi ſomniaſſet, Ioſeph augur hinc ruinam illius & interitum auguratus eſt: ad eumdem modū, certiſſimū æternæ damnationis argumentum eſſe cenſeo, ſi quando verbum Dei, animarum inquam alimentū, dæmones è corde velut prædam, diripiunt.

Gen. 40.

Iudic. 6.

Iſraelitæ cum terram promiſſionis coluiſſent, ſeminaq; eidem concredidiſſent; ecce, ſubito Madianitæ, Amalecitæ, alijque in oriente populi per circuitum meſſem adhuc in herba perdidere, peſſumdedere, & magnam circumquaq; ſtragem edidere. Ita dū Eccleſiæ ſementis eſt, id eſt, dum cōciones publice fiunt; tunc graſſari dæmones incipiunt, tunc funeſtæ illæ aues circumuolitare, tunc Madianitæ, Amalechitæ, & impij ad perdendum, deſtruendum, ſeminaq; è cordibus & Eccleſiæ agris euellenda, egredi. Itaq; fit, vt laſciui & voluptuarij, verbi Dei iacturam faciant, ipſumq; contemnant.

Sæpiſſime quin etiam fit, vt ipſos concionatores explodant, eorumq; auctoritatem eleuent. Si enim Eccleſiaſtes aliquis, qui diuino zelo motus, & vitij huius turpitudinem deteſtatus, in ipſum ſumma animi cōtentione debacchetur, inuehatur, brutale, & inferni pabulum appellet, ſanctorum Patrum de eodem opinionem cenſuramque depromat, quomodo ad vnum omnes ſuis ipſum colorib. depinxerint, quomodo S. Gregorius in Moralibus fieri non poſſe crediderit, libidinibus deditū ad ſanctas cogitationes aſſurgere: quomodo S. Hieronymus eo mentem turbari, iudicium inuerti, ſpiritum eneruari, ani-

Voluptatibus ſeruientes concionatores exſibilant.

Comm. in Matth.

animam excæcari, hominem in brutum commutari, ratione priuari, & in beſtialitatẽ ſenſim declinare dixerit: quo modo Iſidorus eodem animam enecari & exſtingui ſenſerit; nam vt cadauer, inquit, nonniſi tetrum odorem ſpirat, ita voluptatibus carnalibus deditus intrinſecus peſſime olet: qui eadem opera, Bernardi ſententiam exponat, vt nimirum exclamet, Quantos laſciuus labores ſubit, quoties cum vitæ periculo ad dominæ fores excubat, quoties frigus & æſtum patitur, quo breui & momentanea voluptatula perfruatur! annos ſæpe integros ambit, quærit, inſtat, ſudat, diſcurrit, varios labores & difficultates tolerat, quos ſi ad Dei honorem animæque ſalutem inſumeret, quantam ſibi meritorum in cœleſti horreo ſegetem coaceruaret! & ipſum quod his omnibus venatur, quam exiguum, quam momentaneum, quam breue & fallax eſt? & tamen æternum his omnibus ſibi exitium accerſit. qui etiam plura & maioris momenti & efficaciæ dicat; ipſi tamen carnales dicentem explodent, illius verba exſibilabunt, & nihili facient. Videte igitur, vt ſemen, ſecus viam ſi ceciderit, pereat & exſtinguatur. iam alia loca diſcutiamus.

Lib. de ſum. bono.

VII. Auari per petram deſignati.

*Et aliud cecidit ſuper petram*, & natum exaruit: nam quoniam humor defecerat, defecit & germinatio. Thomas, doctor ille Angelicus, loci huius interpretem agens, de auaris hæc exponit, hi enim cum petra duriores ſint & obſtinati, verbi Dei ſemen præ humoris gratiarumq; cœleſtium inopia, in animis eorum germinare nequit. In cuius rei ſignum, Satan, omnium auarorum caput & princeps, Dei filium in Paleſtinæ deſertis ambitione & auaritia tentaturus, in ſumma petrarum iuga eum ſubuexit, è quibus omnia illi toties orbis regna oſtendit. Vt enim latentes in pelago rupes & ſcopuli naues appellentes euertunt & collidunt, (vnde Poeta *fuge littus auarum*: (Ita in mundi huius mari auaritiæ rupes, & ambitionis ſcopuli animas ſæpenumero in interitũ trahunt, naufragiumque amiſſis tabulis & armis, ſubire cogunt.

Luc. 8.

Matt. 4.

In Apocalypſi Ioannes vidiſſe ſe in cœli regione volitantem aquilam ſcribit, quæ *habitantibus in terra va, va, va*, inclamaret. Aquila hæc piorum ſpiritualiumque imago eſt, quorum, vt Apoſtolus teſtatur, *conuerſatio in cœlis eſt*: qui nimirum ſublime euolent, procul ab hominum in terra habitantium, id eſt diuitum aliorumque prauo quodam affectu tranſuerſum acti animum rebus terrenis affixere, oculis remoti. Triplicem porro auis hæc his infœlicitatem denuntiat ac ſpondet, ſcilicet, vt quidem gloſſa exponit, laborem & ſudorem in opibus parandis, anxietatem & ſolicitudinẽ in conſeruandis, dolorem cruciatumque in amittendis: vel, væ libidinoſis, væ auaris, væ diuitibus. Atque hoc innuere Propheta volebat dicens, *Terra, terra, terra, audi verbum Dei*: libidinoſorum inquam, auarorum, & opulentorum terra. Terra igitur eaque ſcrupoſa & petroſa auaros denotat, quorum ſcilicet animi ſaxoſi ſunt, in quibus verbi diuini ſemen germinare nequeat, ſed natum quamprimum areſcat: audito enim Dei verbo vitæ quidem aliquam emendationem initio proferunt, ſed mox ad vomitum reuertuntur, eo quod animum deſpondeant, conceptumq; feruorem exſtingui ſinant.

Apoc. 8.

Philip. 3.

Ieremi. 22.

Ioas rex Eliſæum grauiter decumbentem cum inuiſeret, aliquot per feneſtram Orientem verſus ſagittas emittere iuſſus eſt, ſed, cum nonniſi tres emiſiſſet, grauiter à Propheta apprehenſus eſt, quod plures non eſſet eiaculatus. Quadrat propoſito meo figura hæc? ſunt enim plurimi qui Deo ſeruire quidem incipiunt, ſed defatigati quamprimum à cœpto reſiliunt. Peccator ſcilicet ad Deum accedit, vitæ emendationem ſpondet, Deus, quantum in ſe, auxilium ſpondet, manum præbet auxiliariam, ſanctas inſpirationes immittit, robur ſuppeditat; tunc ſagittam primam emittit, vitæ inquam melioris propoſitum, quæ validiſſimum aduerſus dæmones ſagitta eſt, iacit deinde & alias; ſed vltra tertiam non progreditur; biduo ſcilicet aut triduo ieiunabit, bis aut tertio peccatorum exomologeſin faciet, bis terue flagris in corpus ſæuiet; ſed quamprimum defatigatus ſuperſedebit; occurrunt quippe ſcrupoſæ & anxiæ difficultates, rupes moleſtiarum impedimento ſunt, ne pergat vlterius, & verbum Dei germinet ac fructum faciat. Ac forſitan in ſpineta vbi deciderit maiores editurum radices ſperatis? ſed fru-

4. Reg. 13.

Luc. 8. ſtra nequaquam, nam à ſpinis ſuffocabitur. *Et aliud cecidit ſuper ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.*

Spinis diuitiæ cõparantur. Iud. 9.

Per terram hanc ſpinis, tribulis, & ſentibus oppletam, omnis omnino Sanctorum Patrum chorus diuites & locupletes intelligunt: ſunt enim diuitiæ vere ſpinæ. Solent quippe ſpinæ ouium lanam decerpere & auellere: ita locupletes pauperum ſubſtantiam depaſcere. Et vt rhamnus ille ſpinoſus, in arborum regem cum electus eſſet, incendio ſuo aliarum ruina & interitus fuit: ita & opulenti cum ad ſummas dignitates euecti ſunt, magnamque auctoritatem opibus ſibi peperere, ruinam capitib. ſuis inducendo, alios ſæpenumero in interitum pertrahunt. Atque vt inter præcipua Paſſionis dominicæ cruciamenta, ſertum illud ſpineum imprimis eminuit: ita augurari hinc licet, coronas illas aureas, quæ à diuitiis quæ veræ ſpinæ ſunt, donantur, præcipua ſæpiſſime inſtrumẽta, & præſentiſſimas occaſiones exiſtere, vt noua filio Dei crux & paſſio paretur, eiuſque maieſtas ad iracundiam prouocetur.

Exod. 3. Magnam ſe Moſes vidiſſe viſionem, imo prodigium credebat, cum Deum in rubo ardenti cerneret, *Ibo & videbo*, inquit, *viſionem hanc magnam*. Et ſane prodigij ac miraculi loco habendum: Deum in diuitiarum rubo apparere. Nam ſpinæ & dumeta ſerpentum, colubrorum, lacertarumque receptacula eſſe ſolent, ita diuitiæ, vitiorum fomenta & cunabula. Vnde ad Corinthios Apoſtolus, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua quæ mergunt homines in interitum & perditionem* Videtis a quomodo hoc loco verbi Dei ſementem ſuffocent, & in herba exſtinguant. *Et ſimul exortæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.*

1. Tim. 6.

Luc. 8.

Hom. 15. in Euang.

Late hic excurrit magnus Gregorius magnoque ſententiarum & verborum pondere ſuffocationem hanc exponit, dicens, *Sollicitudines & diuitiæ & voluptates ſuffocant verbum, quia importunis cogitationibus huc guttur mentis ſtrangulant*. Atque hæc ratio eſt cur olim Deus arbores & rubos circa altare ſuum plantari vetuerit: verba legis ſunt hæc, *Non plantabis lucum & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui*, Dei autem altare cor noſtrum eſt, ſpinæ vero & arbores diuitiæ ſunt, mala deſideria, voluptates & deliciæ: quas circa cordis aram plantare nefas, ne ſua illi vmbra noceant, vt quæ noxia eſt & peſtilens. Quam igitur ſpinæ damnoſæ ſunt, vtpote quæ verbi diuini ſemen exſtinguant & ſuffocent? ſed iam ad quartam ſeminis portionem ſe conuertat oratio, quod cadens in terram bonam ortum fecit fructum centuplum.

Deut. 16.

Philip. 3.

VIII. Terra bona cor fide plenum eſt.

Porro per terram bonam, cor fide inſtructum, in charitate fundatum, & ab omni liberum vitio intelligere oportet. Atque vt triplex eorum eſſe genus diximus, qui nullum è ſuſcepto ſemine fructum proferunt, ita & triplices ſtatui queunt, in quibus ſemen concreditum fructum ampliſſimum producit. Per fructus autem hos bona intelligenda ſunt opera, quæ fructus fidei & verbi diuini eſſe ſolent, vt patet è Matthæi Euangelio, *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius*, vel, quod mihi eſſe videtur verosimilius, ipſa vita æterna, vt ex epiſtola ad Corinthios manifeſtum eſt, *Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

2. Cor. 9.

Duo Caluiniſtarũ errores, qui hoc loco refelluntur.

Ex hoc autem loco, velut ex inſtructiſſimo armamentario, tela, quibus duos grauiſſimos & pernicioſiſſimos Caluiniſtarum Lutheranorumque errores refellamus petere poterimus. Primum, quod operibus bonis vitam æternam promereri negent; cum tamen fructus non tam terræ bonitati vitioque, quam laborantis diligentiæ reſpondeat. Secundum quod eandem omnium Beatorum gloriam putent, nullumque inter eos diſcrimen conſtituant; cum tamen tantam hic fructuum diſcrepantiam videre ſit, aliis triceſimum, ſexageſimum aliis, aliis denique centeſimum proferentibus; atque hoc iuxta laborem diligentiamque quam agro colendo impenderunt. Variæ autem ſanctorum Patrum, quoad hanc fructuum diuerſitatem dari poſſunt expoſitiones: Centeſimum namque alii ad virgines, ſexageſimum ad viduas, triceſimum ad coniugatos, teſte Diuo Hieronymo, & D. Athanaſio in epiſtolis, referunt. Alii centeſimum Martyribus, ſexageſimum Virginibus, & viduis triceſimum aſcribunt, inter quos Hieronymus: ſunt qui centeſimum Martyribus, ſexageſimum virginibus, & triceſimum coniuga-

In hunc locum & lib. 1. cont. Iouin.

Lib. 1. qq. Euangelic. Homil 31.

iugatis attribuant, vt Augustinus. Nonnulli centesimum Martyribus, sexagesimum religiosis, qui omnia propter Christum vendendo, pretium in egenos distribuerunt, & tricesimum nuda & sola mandatorum diuinorum obseruatione contentis assignant, inter quos auctor operis imperfecti, Alij denique centesimum Anachoretis & eremitis, sexcentesimum Monachis & cœnobitis, & tricesimum coniugatis donant; quorum de numero Theophylactus est. Omnia hæc exsibilat Caluinus nullosque in Ecclesia sua ordinum gradus cõstituit, ac differentiam nullam status admittit; at omnes æquales, omnes sanctos, omnes ad imitationem Iouiniani hæresiarchæ perfectos credit.

Plura his non addam Auditores, vt vos ipsos ad perfectam eorum quæ his parabolis continentur obseruationem inuitem. Cogita te igitur eorum omnium qui Christum docẽtem audiuere, quartam tantum partem fructum protulisse; & hinc discite, quam exiguus saluandorum sit numerus. Caueamus igitur atque operam demus, ne, postquam tot conciones audierimus, vitæque emendationi non studuerimus, eadem nobis calamitas accidat, & sterilitatem proferamus. *Nolo vos ignorare, fratres* scribebat Corinthijs Apostolus, *quoniam patres nostri omnes sub nube fuerũt, & omnes mare transierunt, sed non in pluribus eorum bene placitum est Deo. nam prostrati sunt in deserto.* Hanc illis figuram ob oculos ponit, vt ostendat, pauciſſimos eorũ qui sanctas prædicationes audiunt fructum ex ijs referre, animæque saluti ideo magis incumbere. *1. Cor. 9.*

Verbum Dei tubæ confertur.

Magna igitur animi attentione verbum diuinum audiendum; adeo vt surdior littore ille merito dicendus sit, qui ipsum audire nequit, cum tubæ ipsum Dominus in Isaiæ vaticinijs comparet, *Quasi tuba exalta vocem tuam*; vt belli esse signum & notam indicet; quo, qui ipsum audiunt, ad bellum dæmoni, vitijs & mundo inferendum accendantur. Hinc veteris testamenti sacerdotibus præcepit olim Dominus, vt tubis clangerent, *filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis.* In tabernaculo quoq; suo duas perpetuo tubas asseruari voluit, vnam quæ vitijs bellum indiceret, alteram quæ ad virtutem accenderet. Angelus etiam ille Apocalypseos, Euangelij magni præco, instar tubæ vocem exaltasse scribitur. Ipsa etiam Ierichuntis mœnia ad tubarum sacerdotalium clangorem repente ad terram conciderunt, Quod designatur, ad sonum & vocem prædicationis doctorum, qui vere Ecclesiæ buccinæ sunt, vitiorum nostrorũ mœnia & propugnacula cœlo minantia, collapsura & in ruinam itura. Gedeon deniq; magnus ille dux, & Israelitarum clypeus, tubas militibus in manus tradens, Madianitarum cuneos profligauit, & in fugam actos internecione deleuit: Deo ad eũdem modum concionatoribus, qui milites eius dici queunt, tubas, id est, verbi sui annuntiandi potestatem & auctoritatem, tradente; omnis vitiorum hæresumque colluuies, atque adeo omnes Ecclesiæ hostes, in fugam compelluntur & profligantur.

*Isai. 18.* *Num. 20.* *Ibid.* *Apoc. 1.* *Ios. 6.* *Iud. 7.*

Verbum Dei malleo confertur.

Vereigitur verbum Dei, in honore habendum, & quam diligentissime & auidissime audiendum: est enim malleus cœlestis, qui durissima cordium peruicacium saxa, marmora, petras, comminuit, frangit, conterit, & emollit. Hinc per Ieremiam Prophetam expostulãs Dominus ait, *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petras?* verbum suum ecce ignis nomine vocat, quod bonos accendat; mallei vero, quod impios conterat & contundat. Nam vt malleus ad dura emollienda necessarius est, ita verbum Dei ad peccatores obstinatos flectendos domandosque peraccommodum. Atque vt Iahel generosa illa mulier, Sisaræ viro fortissimo clauum malleo per tempora adegit: ita Ecclesia, quæ in Apocalypsi & alijs Scripturæ locis mulieri comparatur, verbi Dei malleo Satanam principem illum tenebrarum enecat & occidit. Est deniq; malleus ille, cuius meminit Scriptura, *vox mallei innouat aurem eius*: nam dulcis illa & harmonica, verbi diuini mallei vox, incredibili iucũditate aures piorum & animas iustorum perfundit & afficit. *Ieremi. 23.* *Iud. 4.* *Eccl. 38.*

Cum iucunditate igitur verbum Dei audiendum est, auditumq; retinendum; non vero imitandi illi qui nundinas quidem adeunt, nihil autem emunt aut vendunt; ne de vobis, q̃ de nonnullis sui temporis conqueritur Psalmographus, dicatur, *firmauerunt sibi sermonem nequam.* Nolite itaq; crebro similes esse, quod *Psal. 5.*

aquæ iniectum quamprimum quidem completur; at eductum, ne guttam continet. Dolendum tamẽ, plurimos cribro persimiles existere, prędicationem quidem audientes, plenis buccis pietatem concrepantes, nihil nisi pietatem somniantes, ita vt eadem & saturi & opleti esse videantur; sed templo egressos, & in publicum eductos, vacuos esse, & auditorum omnium oblitos. Ad quam similitudinem alludens Scriptura, quodam in loco ait, *Cor fatui quasi vas confractum, omnem sapientiam non retinet.* Quid enim profuerit, cibo ventrem ingurgitasse si per vomitum mox eiiciatur? quid cõceptum fuisse prosit, si mors quam proxime immineat? quid iuuerit, semen sacco pertuso inserere, litteras in aqua effingere, aues illaqueare, easque quamprimum dimittere? Ita, quodnam emolumentum fuerit, verbum Dei audiuisse, & auditum mox obliuisci?

*Eccl.21.*

Conclusio. Quot iam anni elapsi sunt, Auditores, ex quo primum verbum Dei audire cœpistis? viginti scilicet triginta, quadraginta, quinquaginta, plus minusue, audiuistis tot disertos & celebres concionatores, nomine & doctrina per vniuersam Galliam notissimos: eosdem estis admirati, eorum dicta concioneſque laudastis, at quid tandem ex ijs omnibus retinuistis? quis inde secutus est fructus? hinccine aliqua in vitæ ratione subsecuta est emendatio? ideone firmius & tenacius oratio vobis Dominica, salutatio Angelica, fidei symbolũ, aut decem decalogi præcepta inhærent? Pluuia vermes & bufones è terra elicit; eadem herbarum germina producit; plantasque & arbores facit turgescere. Quid autem in animabus vestris ille cœlestis verbi diuini ros præstitit? quos effectus produxit? an peccatum aliquod fugauit? anne virtutes, bona opera, sanctas cogitationes in cordibus vestris coegit excrescere? Non sanatur, mihi credite æger medicum consulentem audiendo, at quæ præscripserit diligenter exequendo; ita *estote factores verbi non auditores.*

*Iacob 1.*

Si rex aliquis nũtium vobis cum litteris dirigeret, amicitiã, beneuolentiamq; testãtibus: vos vero quæ vestra inhumanitas foret, eum non modo domo excluderetis, sed ne intra limen quidem admitteretis? an non indignationem illius incursuros vos putatis? Nuntium vobis, mihi credite, Deus delegauit, id est, sanctum illud verbum & doctrinam cœlestem. (In prouerbijs siquidem scriptum est, *Sicut aqua frigida animæ sitienti, ita nuntius bonus de terra longinqua*) hunc proinde non in aurem solum, quæ animæ ianua est, sed & in cordis palatium debetis admittere: qui enim secus faxit, infinitam illius maiestatem grauiter offenderit. *Prou.15.*

Idcirco æterne & omnipotens Deus, qui humile agricolæ nomen minime est dedignatus, (de quo filius ait, *Pater meus agricola est*) tu inquam, qui hodie semen illud diuinum, & secus viam, & in loca petrosa saxosaque, tum etiam in spinetum, tum in terram bonam seminas: gratiam nobis præsta, ne vijs illis publicis similes inueniamur, in quibus bonum illud semen pedibus transeuntium conculcatur: nec petræ, in qua radicem agere nequit: nec dumeto senticetoue, in quo suffocatur, at bonæ terræ assimilemur, quo ita omnigenos fructus, attamen cum varietate aliqua & emolumenti discrimine, tricesimum nimirum in adolescentia, sexagesimum in ætate virili, centesimum autem in decrepita & exsucca senectute, proferamus: vt hac ratione de virtute in virtutem, de perfectione vna in aliam, quasi per gradus quosdam descendentes, tandem aliquando ad æternam illam beatitudinem, & fælicitatem perpetuam pertingere mereamur: ad quam deducere nos dignetur qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus Redemptor noster Christus, Amen. *Ioan.15.*

## DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Partes.

1. *Deum & hominem passum esse, difficile captu.*
2. *Christi de sua passione iugis memoria.*
3. *Christianorum de passione Christi ingrata oblitio.*
4. *Quod Bacchanalia multis magis cordi quam passio Christi.*
5. *De traditione & illusione Domini.*
6. *Quorum nos cæcus admoneat.*
7. *Fræuntes comminabundi quibus similes.*

*Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis,* Luc. 8.

FIGV-

## FIGVRA.

IVnior Tobias, paternæ voluntati morem gerendo, longam ac diuturnam peregrinationē cum inſtitueret: Angelum Raphaelem itineris & ducē & ſocium habuit: qui cum ambo proficiſcerentur, & Tobias quadā die in fluuio Tigri pedes lauaret: ecce tibi ſubito aquis immanem caput exerentem cetum, qui toruo eum aſpectu intuens, deuorare incautum nitebatur. Viſa autem bellua perterritus iuuenis, ſocij auxilium imploraʋit: qui roburmox addens & animum, ait, *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te* & ſimul vt exenteraret, cor & fel illius aſſeruaret, quæ varijs morbis, & maxime oculorū caliginī medicandæ vſui forent, præcepit. Piſcis hic, Auditores, figura eſt Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri: in triſtia paſſionis fluenta voraginemq; mortis profundiſſimam coniecti: hunc porro exenterari vult Deus, & amoris illius, quo flumen hoc ingreſſus eſt, & mortē hanc amarā ſubijt, exta penitius inſpici. Nam profecto ſi cor, cuius nobis aditum militis lācea reſeraʋit, videre poſſemus, quo nimirum ardore incenſum ſit, quo dilectionis erga nos igne flagret: cum Thoma Apoſtolo haud dubie exclamaremus, *Deus meus, & Dominus meus*: & ipſum exiguæ fidei, quæ in nobis latet, conduceret, & ſingulare amoris erga amantem noſtri incentiuum foret, fel quoque illius diligenter vult aſſeruari, vt ſcil. paſſionis amaritudinem cōſideremus, eoque animarum oculos illinamus, id eſt, quidquid ille in paſſione amaritudinis ſubiit, diligenter ruminemus, illius cauſa ingemiſcamus, & illi intrinſecus condoleamus. Hoc ipſum videlicet Eccleſia Catholica hodierno nobis Euangelio innuere contendit, in quo cum Chriſtus Dominus labore, ærumnas, paſſionem, & mortem denique ſuam Apoſtolis enarraſſet, & in exemplum propoſuiſſet: tandem ad finem ſermonis, egregium & admirabile, cæcum non procul ab vrbe Iericho illuminando, miraculum edidit. vnde colligere poſſumus, certiſſimū oculorum cæcutientiū lippientiumq; collyrium eſſe, ſi animarū Dominicæ paſſionis fel iiſdē applicetur, id eſt, omnis eiuſdem amaritudo diligenti meditatione ruminetur. Hoc Euangelio dominicæ huius continetur, & hoc ipſo virili mea vobis exponere conabor: auxilietur modo gratia ſua Deus, & precibus nobis ſuccurrat glorioſa Dei mater Maria, quamobrem vnanimiter oēs in genua prouoluti, ſalutatione eam angelica compellemus.

*Iob. 6.*

*Ioan. 20.*

## AVE MARIA.

I. Difficulter quis in animum admittere poteſt, Chriſtum mortem ſubiiſſe. *1. Cor. 1.*

Nullum eſt, in vniuerſa Chriſtiana Religione myſterium, Auditores, quod humanū ingenium magis exerceat aut fatiget, nullum q̄ ad credendum ſit difficilius, nullum deniq; q̄ veteres illos Philoſophos, quos Græcia iactat, torſit magis & ſuſpenſos reddidit, q̄ ipſa Redemptoris Chriſti humilitas, mors, crux & cruenta paſſio. Teſtatur & hoc Gentium doctor Paulus dum ad Corinthios ſcribendo ait, *Ieſum prædicamus crucifixum, Iudæis quidē ſcandalū, gētibus autem ſtultitiam.* Tanta ſcil. eſt in credendo, Chriſtum mortē pro hominum redemptione ſubijſſe difficultas, vt Iudæi hac audita offendātur, Gētes vero taliā docentem exſibilēt.

*Exod. 3.*

Moſes cū in Sinai deſertis Dominū in rubo ardenti & non cōburenti cōſpiceret, perculſus ait: *Vadā & videbo viſionē hanc magnam.* Non minor, mihi credite, eſt viſio, aut minus prodigioſa (vt allegoricē hanc Moſis exponā) eūdem Deum in deſerto Caluariæ, crucī affixū ſpineo redimitū ſerto, manus illius clauis perforatas, faciem liuore, ſanguine oppletā corpus vulneribus lacerum, lanceaque latus apertum habentē cernere. at profecto mecū ſtatuo, maiorem magiſque portentoſam viſionem, & quæ maiores ad credendum difficultates contineat, a nemine vmquam viſam eſſe.

Hinc Prophetæ omnes, cū de Chriſtō eiuſque operib. quæ in mūdo editurus, quin & de paſſione quam ſubiturus eſſet, vaticinarētur: ſemper admirando de iiſdem locuti ſunt. Alii quippe exclamando orationem exorſi ſunt, dicendo, *Domine quis credidit auditui noſtro?* quando ſcilicet audiuimus: in præſepio tē naſciturum, in Ægyptū præ metu ſeceſſurum, fame in deſerto Palæſtinæ cruciandum, Pſeudoprophetæ inſtar habendū, ad mortem inſtar ſicarii cōdemnandū, columnę alligandū, flagellis ſubdēdum, crucī affigendū, ſepulcro deniq: coarctandū? Alii vero, *Domine audiui auditionē tuā*, te nimirū humana carne induendū, ſtabulū loco palatij electurū, in cruce exſpiraturū, miſeriis & opprobriis ſaturandum, *& timui.* Atq; hæc eſſe ratio poteſt, cur alii cum *petram* ſcan-

*Isai. 53.*

*Habac. 3.*

*Rom. 9.*

*Ibidem.*

*scandali & lapidem offensionis* vocarint, in quem increduli & in fide errantes impingerent.

Fides Christiana duo de Deo tradit.

Quod quo melius intelligatur, notandum est cum Christiana fides duo de Deo doceat, penitus tamen inter se contraria, & a se mutuo nimium quantum discrepantia; vnum sublime & eximium, alterum vero vile & abiectum, hinc quidem Deum, omnipotentem esse cœli terræq; conditorem; viuorum ac mortuorum iudicem, totius vniuersi conseruatorem, hominum patrem tutoremque, & summum Angelorum regem: illinc vero, eumdem ipsum humanam naturam assumpsisse, inter bestias nasci, à Iudæis ad mortem condemnari, à Scribis & Pharisæis accusari, in cruce deniq; mori voluisse: notandum inquam est, ambo hæc, tam ob illorum amplitudinē magnitudinemque, quam ob horum vilitatem & contemptum, ad intelligendum ac comprehendendū esse difficillima. Atq; hoc innuebat Psalmographus dicens, *Psal. 106.* *Ascendit vsque ad cœlos, & descendit vsque ad abyssos*: eo quod maxima Dei opera ad cœlos vsque ascendant, humilia vero ad imas terræ abyssos pertingant, vtraque porro longis interuallis ingenij nostri captū excedāt.

*Isai. 6.* Dei humilitas non minus admirabilis quam maiestas. *Psal. 17.*

In cuius rei signum Seraphini illius admirabilis alæ non modo Dei faciē, sed pedes quoq; velasse describuntur. *Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes.* Vnde colligitur, non sublimia solum quæ in Deo dicuntur, nobis occulta esse, ingenijq; aciē exeedere, quæ per faciem illius designantur: sed ima ēt & profunda, quorum figura sunt pedes. Proxime aūt ad figuram hanc alluisse videtur Psalmographus canens. *Ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorum, & caligo sub pedibus eius.* Cum super Cherubin Deum ascendisse, superque ventorum pennas volasse dicit, innuit eū opera fecisse, quæ omnem humanam sapientiam excedant: cum vero caliginem sub pedib. illius commorari ait, & nubes ostendit opera eum quoq; edidisse, quæ humilitate sua omnē hominum captum superent. Adeo autem hæc abscondita sunt, vt ab vllo mortalium nec videri nec intelligi queant.

Veteres Philosophi Christi humilitatē non

Hinc factum est, vt Philosophi veteres, atque adeo omnes sapientes, hæc ingenij sui acie penetrare non valentes, rationem in consilium adhibuerint, naturales causas inquisierint, sensusq; exteriores consuluerint: ideoque varijs eadem argumentis impetere, & velut impossibilia condemnare, conati sunt. Exemplo sit impius Celsus, quem Origenes huiusmodi passionem Christi argumento impetijsse scribit: Humilitas & passio Iesu Christi, vel absolute necessaria fuit, vel voluntaria tantū: si necessaria: ergo potentia illius non absoluta, sed limitata fuit, cum non mori non posset: si voluntate propria inductus mori voluit, magnæ profecto dementiæ argumentum fuit, ob hominem ingratissimum, tanta & talia perpeti. Vnde efficitur, inquiebat, Christum vel fatuum, vel exiguæ potestatis fuisse, ac proinde verum Deum non existere: Deus enim & sapientiæ infinitæ, & immensę potentiæ est. Quam inania ac fragilia tela tua sunt Celse, quam futilia argumenta tua ô humana Philosophia: respicis siquidem mortem, non vero amorem illius: quem si penitus perspectum haberes, nunquam profecto diceres, fieri non posse Deum hominum causa mortē subire: Ignoras siquidē aliquē è Propheris nostris vaticinando dixisse, *Habac. 3.* *Deum* diuini amoris *abyssus* erga homines, *vocem suam*: id est patefecisse: & mox humanæ sapientiæ *altitudo* admiraudo *manus suas leuauit* & sustulit, vt quidem Gregorius exponit. potuerunt comprehendere. *Lib. 2. cont. Celsum.*

Mors Christi spōtanea ac voluntaria fuit.

Dicendum est igitur, vestrū omnium, ô Philosophi sæculum spirantes, sapientiam cōfundendo, opiniones exsibilando, Christum spōte, vltro, voluntate sua inductum, non vero ab aliquo coactum, aut necessario, mortem oppetijsse: atq; in sententiæ nostræ stabilimentū varia Prophetarum veterum vaticinia depromimus. Dicit enim Isaias, *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et Psalmista. *Sacrificium & oblationem noluisti, corpus autem adaptasti mihi. Deus meus volui, &c.* Q de Christo Iesu Apostolus ad Hebræos exposuit, quin & ipse de se in Euangelio testatus est, *Ego animam meam pono pro ouibus meis.* *Isa. 53.* *Psal. 39.* *Hebr. 10.* *Ioan. 1.*

Hoc autem cum Christo stulta hæc mundi sapientia, humana ratio, & Philosophia hæc exterior & nuda penitus, agere censenda est, quod Michol Saulis filia cum coniuge suo Dauid. hæc enim cum eminus è fenestra maritum, regijs exuuijs exutum, ac plebea indutum lacerna, coram Arca Domini subsilientem exultantemque cerneret, in animo eum stultescere censuit, eiusq; agendi rationem irrisit. *2 Reg. 6.*

Chri-

Christus, animas nostras cœlo inserturus, Dauidem regem arcam Testamenti in palatiũ suum inducere gestientem, quam proxime imitatus est: splendidum quippe diuinitatis paludamentum exuit, & seruilem sibi tunicam circumcinxit, *Formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo*: at mundus hoc explodit, hincq; Seruatoris irridendi, & operum illius exsibilandorum occasionem captat. Philip. 2.

At inanis hæc mundi philosophia nonnisi mera hic est ignorantia, ratio humana merus stupor, sensus exterior insensatus, sophisticus & caligans, omniaque argumenta è rerum natura petita inania sunt & caduca. Vnde Apostolus magnus in Christi schola hoc de ipsa testimonium depromit: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundum traditiones hominum, secundum elementa mundi huius, & non secundum spiritum*. Quam obrem dicite Philosophi, Theologi, & mundi sapientes cum Psalmista, *Non est similis tui in diis Domine*, bonitate & natura, *& non est secundum opera tua*. Coloss. 2. Psal. 85.

Longior hoc in exordio consulto fui, quod Christo olim de morte sua & passione, omnibusque Ierosolymæ sibi euenturis apud Apostolos agente, dicendo, *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*: Euangelista mysterij huius enarrator mox subiiciat, *& ipsi nihil horum intellexerunt*. Omnia hęc Euangelio præsenti continentur: quod vt commodo vestro exponam, primæ orationis parte sacram Christi passionem complectar: secunda eximium illud quod ibidem refertur, prodigium, de cœci oculis restitutis, recensebo: Luc. 18.

II. Christus passionis tempus præsciuit. Luc. 18.

Quod ad primum igitur spectat, refert Euangelista, Christum, quadam die duodecim Apostolis secreto assumtis, rerum fortunæque suæ statum expositurum, his eos verbis compellasse: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*. id est, Hora iam in proximo imminet: qua in manus hostium tradetur, deridebitur, flagellabitur, conspuetur & morti adiudicabitur. Vnde euidenter apparet, mortis eum horam & tempus præsciuisse, cum omnẽ passionis seriem tam enucleate, omniaque pœnarum genera tam exacte recenseat: deinde, vere Deum fuisse, futura & ferenda pro hominum salute, quæ longo ante tempore nouerat, præsignando.

Sponsa in Canticis hoc de sponso elogium habet, *Ecce iste veni: saliens in montibus, transiliens colles, simila est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum*: per laborum & difficultatum montes subsultanti. Poterat sane Deus aliam & tritiorem in homine redimendo viam insistere: si nimirum immortalem, impassibilemque naturam, licet humanam, assumpsisset, & in illa suos a dæmonis potestate vindicasset: quod profecto, si modo voluisset, sine vlla difficultate subeunda, nullos labores pœnasque tolerando, facere potuisset, sed regia hac relicta via, angustam illam passionis semitam insistere voluit, & viam mortis, per crucis cruciatus, per opprobria & flagella, veluti per scopulosos & præfractos quosdam anfractus, collesque præcipites, incedens, vt ita euidens amoris sui testimonium daret. Cant. 2.

Christus capreæ cõparatur.

Ceterum capreæ comparatur, primo ob mortem quam subijt: quod animal hoc ex legis præscripto sacrificiis vsui esset: secundo, quod mortem suam præuiderit. Nã vt caprea acutissimi visus est, ita Christus rerum omniũ præscientia, qua à Patre donatus erat, eminus præuidit, ac dudum ante suis enarrauit, quos in passione cruciaras & tormenta subiturus esset: Ad quam referenda haud dubie sunt verba illa Prophetæ, *Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius*. Tunc autem ante faciem Christi mors iuisse censenda est, quando eam præcepit, & è longe venturam vidit. Porro oculis eius mors obiecta dicitur, quo manifestum fiat, eam ab ipso præcognitam & præuisam: & diabolus pedibus illius prostratus, quod superandus ille, domandus & debellandus per crucem illius esset, è quibus omnibus ardentem illius amorem & dilectionem singularem colligere est. Abac. 3.

Abraham Patriarcha vnicum filium Isaac in montis culmine immolaturus, alterum silentio inuoluit, quin & filium, qui tamen præcipuus tragœdiæ huius auctor futurus esset, consciũm rei tantæ esse noluit: adeo vt, cum dum simul iter carperent, filius, vbinã victima esset holocausto destinata, quæsiisset, aliud non responderit, quã, *Deus prouidebit sibi victimam*. Gen. 22.

*mam filii mi.* Sciebat siquidem, ipsam mortis imaginem apprehensionemque maiorem filio horrorem & pallorem, quam immolationem ipsam, incussuram. At Pater cœlestis, ab hac humana commiseratione nimium quantum alienus, filium iam inde à primo conceptionis momento mortis & genus & tempus prægnoscere voluit. Audiamus, vt hodie de eadem coram Apostolis loquatur, *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur &c.*

Non enim cum filio suo fecit, vti Dauid rex olim cum suo, qui benignum admodum se erga Amnon filium, sororis Thamar violatorem & constupratorem gessit: ait enim
2. Reg. 13. Scriptura, *Cum audisset rex Dauid verba hac contristatus est valde, & noluit contristare spiritum Amnon filii sui* At Pater æternus longe diuersum iter insistens, quo filij sui ærumnas tristitiamque aggrauaret, & dolores vehementiores redderet, crucis amaritudinem ac Caluariæ supplicia prægustanda ac prælibanda quodammodo, illum dudum ante in mente habere voluit.

Non imitatur etiam prauam illam mundanorum consuetudinem, quæ hodie plerisque in locis inoleuit: dum nimirum parentes, nimium indulgentes, in filios, licet aliorum vitia flagitiaque eos viderint assumere, non animaduertunt. Cuiusce rei præclarum in libris Regum legere est exemplum, quo Abigail, iratum Dauidem ob Nabalæ mariti inhumanitatem stoliditatemque placans, inducitur, dicens, *in me sit, Domine mi, hac iniquitas:*
1. Reg. 25. *ne ponat, oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal quoniam secundum nomen suum stultus est*: quibus verbis omnem iram regis placauit, adeo vt conceptam vindictam sepoluerit, & cum eo in gratiam redierit. Pater autē æternus aliter omnino videtur egisse: videns enim dilectum sibi filium omnium in se delicta commissaque susceptisse, tantum abest, vt iram deponat, armaque exuat, vt etiam in ipsum eadem dirigat, ad mortem illum condemnet, crucem quoque & passionem nullo non tempore illi ob oculos ponat, adeo vt etiam iter faciens earumdem meminerit, dum Apostolis suis eadem patefacit dicens, *Ecce*
Luc. 18. *ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia &c.*

Sponsus illa Canticorum varia in sponsam encomia congerens, his eam inter cetera compellat, *Coma capitis tui sicut purpura regis tuncta canalibus* Verba quidem hæc obscura sunt & mystice intelligenda, sed tamen genuinum eorum sensum eliciamus: sponsæ caput ipse est Christus, cuius comæ continuæ sunt cogitationes: sed purpuræ regiæ canalibus & torrentibus proximæ, persimiles: à primo enim sanctissimæ conceptionis instanti, in vtero etiam Deiparæ, sanguinem quem effundere, virgas quas perpeti, mortem quam oppetere debebat, semper præ oculis habebat: quin & assidue ac nullo non loco de iisdem loquebatur. Purpura igitur sanguinis illius symbolum est & canales, sanguineorum torrentium in passione profundendorum. Vere inquam, de iisdem semper apud suos loquebatur, vt & è loco illo Ioannis manifestum
Ioan. 14. redditur, *Mandatum accepi à Patre meo, & coarctor donec adimpleam illud*: nihil autem aliud mandatum hoc est, quam Patris voluntas, qua illum in cruce pro hominum salute mortem occumbere volebat. Deinde & alio loco figuras veras fuisse ostendens dixit, *Sicut*
Ioan. 3. *Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Quin & gloriosæ Transfigurationis tempore, cum in monte Thabor facies eius solis instar gloriose rutilaret, non alios illum habuisse sermones Euangelista tradit, quam de excessu suo è vita, morte, tor-
Ibid. mentis, passione, suppliciisque crucis, *Loquebatur de excessu.* Paulo quoque assertore, dum baptismum susceptit à Ioanne, in mortis id
Rom. 6. suæ signum & memoriam suscepit. S. Eucharistiæ quoque Sacramentum instituens, in mortis suæ commemorationem quotiescunque eadem sumenda esset, sumi eam præcepit
1. Cor. 11. vt idem ad Corinthios testatur Apostolus, *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Merito igitur sponsus, tuas ô dilecte mi, comas purpuræ regiæ simillimas esse ait: semper enim de morte tua meditaris, semper de sanguine tuo loqueris, omnesq; cogitationes tuæ nonnisi de cruce & passione sunt; quin & hodie dū Ierosolymam tendis, in via de eadē coram Apostolis agis, *Ecce ascendimus* Luc. 18. *Ierosolymam.*

Cant. 7. Christus de passione sua ne semper cogitabat.

Tecum

Tecū igitur cogita, anima mea, quomodo dilectus tuus in toto illo itinere Ierosolymam versus, nonnisi de morte cogitet, nōnisi de amara passione quæ in foribus iam erat & proxima sermonem instituat. Vnde colligere potes, Christū quāuis, teste Apostolo, nōnisi semel mortuus sit, ac nonnisi semel cū morte in crucis arbore luctatus: intrinsecus tamē semper & in animo ab eadē fuisse cruciatū, atque assiduo lancinatum, & toto vitæ tēpore mortem semper expertū esse. feralis hęc & lugubris cogitatio eum vbique comitata est, inimicitias perēnes & implacabiles eum ipso gessit, nullam requiem indulsit, semper ac nullo non tempore eum prosequendo, viueutemq; etiamnum feralibus iaculis impetendo. Adeo vt tui causa mortem semper in vlnis gestarit, ita tamē vt mors & vita in ipso pares semper exstiterint, eodemque natæ tēpore. Importuna nāq; hæc cogitatio, iā inde à primo incarnationis eius exordio incipiēs, nunquam eum deseruit: sed vt fida comes lateri illius semper adhæsit, non prius ab illo recedens quam in cruce tandem exspiraret.

Rom. 6.

Hoc nempe olim de Messia vaticinans canit Isaias, *Paruulus natus est nobis cuius principatus super humerum eius.* Non de alio autem principatu hic & imperio Propheta locutus intelligitur, quam de crucis: de qua alio in loco scriptū est, *Regnabit à ligno Deus*, ipsa etenim regni illius principum & origo fuit, ipsa omnium triumphorum & trophæorum causa: ab illa ortum sumpsit corona illa imperialis & diadema gloriæ, nomen illud quod est super omne nomen, item humilis illa omniū creaturarum subiectio; qua eum vt Dominū agnoscunt, cœlestibus, terrestribus & inferis eius se maiestati suppliciter, in submissionis signum, prouoluētibus, de qua ibidem Apostolus ait, *In nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium terrestrium & infernorū.* Deniq; à cruce initiū habuit nouum illud regnū & numerosa illa Christianorū colonia ac generatio, quę in infinitum breuissimo tēpore excreuit, vt Propheta de illa exclamans dicat, *Generationē eius quis enarrabit?* Vt igitur ad propositam deuoluatur materiā oratio: puer hic iam inde ab incunabulis sceptrum regiū & principatum suum super humerū gestabat, quod Christus à primo conceptionis momento, crucem, mortem ac passionē cogitationum suarum humeris sustineret.

Isai. 9. Christi principatus crux est.

Philip. 2.

Isai. 53.

Augustinus, Africæ decus & ornamentū, verba illa Psalmographi, *Sol cognouit occasum suum*, exponens, ad Christum Iesum solem iustitiæ eadem transtulit: quod sol ille cœlestis, lampas illa empyrea, oculus mundi, fax orbis, nulla rerum cognitione sit prędituS. Vt autem figurate & tropologice hæc intelligātur, verus ille terræ cœlique sol Christus tūe occasum suum cognouisse dicendus est, dū mortem & amaram passionis tragœdiā longo ante præsciuit tēpore. at ita cognouisse, vt semper ob oculos & in memoriæ archiuo eadem haberet, ac nullo non loco & tempore de iisdē loqueretur: etiā in itinere, vt hodie apud Apostolos suos, cum Hierosolymam ascenderet. *Ecce ascendimus Hierosolymam*, &c.

Psal. 103.

Luc. 18.

III.

Quo properas Iesu dulcissime? quo tendis mitissime mundi redemptor? crucē illam instantem non metuis? mortē imminentē non reformidas? tot præparata supplicia & tormēta non te exanimāt? Hic nimirum cum Salomone exclamādum, *Aqua multæ*, tribulationum *non potuerunt caritatem* tuam *extinguere.* Magnus ille Scipio, cum in carcerem coniectus esset, quod exercitus pop. Romani illius negligētia deleti & cæsi essent, à Lucio, amici sui casum miserante, carceribus clam, nō tamen sine præsenti tum suo tum alterius periculo redactus est. Cuius amoris magnitudinē & robur Valerius demirat' exclamat, *Proh! magnum & inexsuperabile numen amicitiæ.* & profecto non sine iniuria. nam, licet omnes Scipionem Romani ad mortem, inuidia ducti, deposcerent: vnius Lucij amor & dilectio tamen prævalebat, & carceribus, nequidquā frendente omniū odio & vindictæ desiderio, eum exemit, pluſq; mihi credite, sincerus amici affectus & animus, quā omniū Romanorum odia & inuidia potuit. Hæc quidem Romæ: at maiori sane cum ratione de te, ô mundi Redēptor Christe, hic exclamandum. Tu enim es sincerus ille Lucius, fidus ille amicus, qui summo cū vitæ periculo hominē, quem tantopere diligebas, æternis carceribus eduxisti: tui vnius amor maiores, pfecto vires habuit, quā vt omnes dæmonū minæ, inimici-

Cant 8.

Val. Max. Lib. 4.

micitiæ mundi, odiaq; tartari irreconciliabilia impedire potuerint. Hic scilicet amor est, quo hodie impulsus sine vllo tormentorum metu, ait, *Ecce ascendimus Ieroſolymam.*

*Luc. 18.*

Christi passio præ oculis semper habenda.

Hinc discamus oportet, Christiani mortis Iesu Christi ducis nostri, quamdiu in vitæ huius itinere versamur, semper meminisse, & nunquam eius memoriã deponere, discamus inquã, semper de eadem loqui, eiusq; miseratione, dum suppliciorum grauitatẽ & pœnarum acerbitatem attendimus tangi. An non enim graue & molestũ homini sincero foret, aliũ iniuste rei alicuius, quã tamẽ ipse patrasset, accusatũ, ad necem rapi videre: an non conscientia stimulante exclamaret, Parcite innocuo ciues, parcite, in me conuertite ferrum? quẽadmodum olim locutũ constat regem Dauid, cum Angelum ferro accinctũ per omnes regni Israelitici fines sæuientẽ, & in innocuos grassantẽ vidit, sciret tamen sua vnius culpa tantã innoxiorum vbiq; stragem edi, hinc lachrymans exclamat, *Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt?* perinde ac si dixisset: Eheu quã tristem tragœdiã contemplor, quam graue animo meo accidit, subditos vbiq; locorũ sparsos tam grauiter castigari, flagellis cædi quæ ipse promerui, pœnas lasciuiæ meæ debitas exsoluere. Tu vero ô Angele à Deo ad hanc castigationẽ delegate, diuinæ iustitiæ vindex, in me furorẽ conuerte, me pete, iræ tuæ tela in corp⁹ hoc meũ detorque, ipse peccaui, deliqui ipse, culpa mea est, ac proinde ipse pœna & supplicio dignus; non autem subditorum, qui instar ouium innocui sunt & immunes in culpa.

*2. Reg. 14.*

Et est profecto triste ac funestũ, innocentem videre morti adiudicatum, ac pœnam luentem quam nõ admisit. hinc Salomon ne hoc iniustitiæ nomine male apud suos audiret, inter cætera quæ à Deo in solemni tẽpli sui dedicatione postulabat, enixissime & summis votis contendit, vt in iudicando suũ cuique ius tribuere posset, & hunc secundũ innocentiã absoluere, & illũ pro delicti grauitate castigare. Verba orationis hæc sunt: *Iudicabis seruos tuos, condemnans impium, & reddens viam suam super caput eius; iustificansque iustum, & retribuens ei secundum iustitiam suam.* Et bene, mea quidem sententia; ne quẽ forte rei natura & veritate nõ perspecta, perperam condemnaret, & innocentes ad supplicium traherentur. Cum igitur Christus Dei filius, sine vlla criminis suspicione, mortuus sit, nos tamen crimen ipsum admiserimus, & supplicium proinde promeuerimus; an non ingemiscendum & illo exspirante suspirandum?

*3. Reg. 8.*

Christi mors animo deploranda.

O miserum! & quam maxime deplorandum, tam paucos nimirũ hodie reperiri, qui nullo doloris sensu intrinsecus ob Domini sui mortẽ & casum moueantur! cuius rei indignitatem deplorans Isaias ait: *Periit iustus, & non est qui recogitet in corde suo.* Non de omnibus in genere iustis Propheta hic loqui censendus, aut de ijs qui vt plurimum hodie iusti nuncupantur; at de Christo, qui & solus natura sua iustus est, & iustitia animas nostras exornat; de quo scriptum est, *Deus iudicium tuum Regi da*; & alibi, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant iustum.* Sanguineis igitur deplorandum est lachrymis, neminẽ, iusto hoc in cruce moriente, nulloq; admisso crimine pœnas luente, ad lachrymas aut commiserationẽ commoueri, neminem in funere illius tristissimo lugubres & pullas vestes induere.

*Isai. 17.*

*Psal. 17.*

*Psal. 45.*

Israelitides omnes, audita tristi Saulis in montibus Gelboe in conflictu Philistinorũ nece, luctum induerunt, & mortem illius lachrymis sunt prosecutę, Saul quippe eas coccino, teste scriptura, vera vestiebat in deliciis, & ornamenta aurea ad cultum earum præbebat. Maiori profecto cum ratione in filij Dei morte plorandum audito tristi eum passione in monte Caluariæ exspiraturum, eum inquam, qui animas nostras exornat, & gratiæ ornamentis condecorat & vestit.

*2. Reg. 2.*

Asael, cursor ille velocissimus, qui pernici pedũ velocitate cum ceruis certaret, cum ab Abner in inguine hasta percussus in terram mortuus cõcidisset, omnes qui in comitatu illius erant & præcurrẽtem sequebãtur, viso ducem tantum, tamq; strenuũ exanimem in terra, instar gregarij alicuius iacere, sanguine fœdatum, & è vulnere exspirantẽ; attoniti substitere; *Omnesq; qui transibant per locum illum, in quo ceciderat Asael, & mortuus erat, stabant.* Si ducis vnius qui aliquod sibi

*2. Reg. 4.*

bello

bello nomẽ pepererat, ſuiſq; carus erat mors cõmilitones in tantũ percellere & lãcinare potuit: quomodo nos afficiat ac cõmoueat neceſſe eſt mors & paſſio Chriſti, Regis regũ, inſignis illi⁹ Aſaelis, curſoris in ſtadio virtutũ velociſſimi; de quo agẽs Pſalmographus canit, *Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſſio eius!* Quis n. non ingemiſcat, quis nõ doleat, & admiretur; videns regũ regẽ tanta in paupertate mori, in cruce extenſum, eidẽ inſtar latronis affixũ? an non verè res lacrymis ſuſpirijſq; digniſſima eſt? an non beneficium, cuius memoriam animo ſemper inſculptam nos gerere neceſſe ſit?

Pſal. 18.

Plutarch.

Interrogatus olim Philoſophus, quid quã citiſſime in homine ſeneſceret, Beneficium, inquit. vt ſcitum hoc Philoſophi reſponſum propoſito adaptem, dicendum eſt, inſignem ingratitudinis in homine, notam eſſe, ſi diuinorum beneficiorum, ac præſertim eius q⁹ in paſſione in mõte Caluariæ à Domino cõſeeutus eſt, ſtatim obliuiſcatur; adeo vt de illo illud Pſalmogr. vſurpari merito queat: *Obliti ſunt beneficiorum eius, mirabilium quæ oſtendit eis*: quo loco de Hebræorum ob percepta beneficia ingratitudine agitur.

Pſal. 27.

Gen. 41.

Ioſeph Patriarcha ad ſummos honores euectus cum eſſet: ſciretq; hominum beneficia recepta vt plurimum obliuiſcẽtium ingratitudinem; poſteros gratitudinẽ edocere volẽs, noua & inuſitata ratione vſus eſt, duobus enim filijs maioribus natu, nomina hoc denotantia impoſuit: Maiori namq; nomen fuit Ephraim, id eſt, abundantia, alteri vero Manaſſes, id eſt, obliuio. Prudenter profecto & appoſite: inſinuare volens in rerum abundantia & beneficiorum affluentia homines Dei plerumque obliuiſci, donorumque acceptorum memoriam perdere.

1. Reg 8.

Inter ceteros Dauidis regis domeſticos & ſeruos fuit quidam Ioſaphat nomine, à cõmẽtarijs & memoria, vt qui regi, grauiorib. occupato negotijs, rerum agendarũ cauendarumque memoriam refricaret: habebant quippe reges veteres ſeruum, cui ex officio incumbebat regi in memoriam fidelia ſubditorum ſingulorum obſequia reuocare. Vt hinc myſterium aliquod eruã, inter omnes animæ noſtræ, q̃ vere regina appellari queat, pediſſequas ac famulas, id eſt, potẽtias & facultates, memoriæ partes eſſe dico, benefactorum à Deo acceptorum ſemper recordari, vt ita ingentes ei gratiæ referantur.

Simile.

Nauis quando in portum appulit, ne forte à ventorum ſubito exorientium turbinibus diſſipetur, & in portu naufragium patiatur, quatuor grandiorib. alligari anchoris cõſueuit. Anima quoq; noſtra, quo Deo ſuo ſemper obſequatur, & obtemperet, quatuor anchoris, ne vagetur, retinẽda eſt; prima ſit ſtabile non amplius peecandi, vitæq; emendandæ propoſitũ. Secunda, aſſidua oratio. Tertia, frequens Sacramentorũ vſus. Quarta, perpetua diuinorũ beneficiorum & præſertim redemptionis noſtræ conſideratio. Animæ ſuæ familiã hoc modo moderabatur Dauid rex cũ diceret: *Niſi quod lex tua meditatio mea eſt, tũc forte pertiſſẽ in humilitate mea.*

Pſal. 118.

Leuit. 6.

Perpetuum in altari ignem olim eſſe voluit Deus, quem & à ſacerdotib. tabernaculo deſeruientibus foueri voluit, noua ligna ſemper prima luce ſubminiſtrando. Si figura hæc in veritatem vertatur, dico Deum etiãnũ hodie velle, vt in cordis noſtri ara vehemẽtis amoris flamma ſemper colluceat: quę quo perpes ſit ac nunquam intermoriatur, Eccleſiã admonet, vt filijs ſuis diuina beneficia, ac præſertim redemptionis humanæ & mortis Ieſu Chriſti, in mentem reuocet. hæc enim velut ligna ſunt & fomes materiaque. quæ ſpiritualẽ hũc ignem, & diuini amoris flammas fouent & nutriunt. Hinc toties de ipſo redẽptor noſter agit, & Apoſtolis ipſum in mentem vocat: *Ecce aſcendimus Ieroſolymã & conſummabuntur omnia.*

Luc. 18.

IV. Cũ Deus ad paſſionẽ ſe præparat tunc homines laſciuiæ incũbunt.

Sed, ô rem deplorandam & lamentis expiandã! omnia ſancta hæc inſtituta infracta ſunt, piæ illæ cõſuetudines violatæ, diuinorũ beneficiorũ memoria ex animis hominũ euanuit: & licet vnigenitus Dei filius Ieroſolymã hodie aſcẽdat, myſteria crucis, mortis & paſſionis ſuæ auſpicaturus; homo tamẽ vice verſa, ſine vllo ſenſu, mundi ſe voluptatibus immergit, diſſolutiones conſectatur, laſciuire, ineptire incipit, prauiſque affectibus & genio indulgendo, in ſui ipſius interitu vltro ruit. Atque vt Abſolomo aduerſus patrẽ cornua erigẽte, & in regni ſtatũ cõiu-

rante, ac bello rem cõmittere audẽte, omnis
2. Reg. 15. propemodum populus à Dauide defciſcens, coniuratorũ partes ſecutus eſt: ita hodie in hac noſtra Gallia, hac ipſa die, omnes propemodum, relicto Deo & templis eius, die inq̃ laſciuiæ ac voluptatum, ſcelerata & Circea mundi agmina ſequuntur, qui aduerſus Deũ arma mouit, & ab eo turpi ſe ſchiſmate & diuiſione ſequeſtrauit. pauci aũt Chriſti vexilla prodeuntia comitantur, pauci crucẽ eius ſtipant, de paſſione cogitant, in morte illius lugent, ſacraq; myſteria meditantur.

Apoc. 17. Abominandam olim Ioannes meretricem vidit, aquis multis inſidentem (id eſt, varijs nationib. dominantẽ, poculũ aureũ, immũditie & abominatione plenũ manu præferẽtem, cuius inceſtuoſo cõcubitu ſe oẽs terræ reges polluebant, & cuius poculo omnes mundi incolæ inebriati, vinũ proſtitutionis & iniquitatis exectãdæ eructabant. Cuiuſnã vero, veſtro iudicio, meretricia hæc imago eſt, niſi voluptatis & diſſolutionis, q̃ hiſce diebus omnes propemodũ homines amplectũtur, parui nõ ſecus ac magni, & cuius deliciarũ vino mulieres nõ minus q̃ viri ebriæ, Mænadum inſtar bacchantur & furunt?

Ierem. 9. Hiſce igitur dieb. cum Ieremia, dum populum Iſrael voluptatib. immerſum, & laſciuiæ olim indulgẽtem cerneret, exclamare poſſumus: *Quis dabit me in ſolitudine diuerſorium viatorum, & relinquam populum meũ, & recedam ab eo quia oẽs adulteri ſunt & cœtus prauaricatorũ.* Loquitur hic, vt loqui prudẽs & frugi ſeruus familias ſolet, dũ videns bona domini dilapidari, familiam perperã adminiſtrari, reſq; domeſticas inutiliter cõſumi, ſecum ait: Ad vltimas vtinam mundi plagas delatus ſim, aut in deſerta aliqua ſolitudine obſcurus deliteſcam, ne tantam rerũ domini dilapidationem, & profuſionem oculis hiſce videre cogar. Ecquis, obſecro, eſt hodie, humanæ ſalutis ſtudioſus & ſitiens, qui, cum tãda ſcandala, diſſolutiones, lubricitates, quæ hiſce diebus per oẽs vrbis angulos cõmittũtur; videat, templa inquam deſerta, plateas laruatis oppletas, mẽſas aleis & chartis coopertas, aulas & atria tripudijs & laſciuo cãtu reboantia, omnia deniq; vitia laxatis habenis proruentia: non procul à mundo ſecretus, extra anni ſoliſq; vias, viuere, aut in ignota aliqua ſolitudine ſequeſtratus velit deliteſcere.

Idem autẽ Redemptori noſtro hodie videtur accidere: quod olim Dauidi regi: hic enim cum perſequentem Abſalomum fugeret, & nudipes & capite aperto in montem Oliueti ſecederet, omniſq; eum populus lacrymis abeũtem, in magni affectus teſtimonium; proſequeretur: *egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei filius Gera procedebat q̃ egrediens, & maledicebat, mittebat q; lapides contra Dauid.* Hoc ipſum hiſce diebus Chriſto Ieſu à mundanis irrogatur: montẽ n. Caluariæ aſcenſurus, triſtis & afflictus atq; morti adeo proximus, quem vniuerſa Eccl. lamentis & lugubri cantico hodie proſequitur, à tot nefarijs Semei, à tot ſceleratis peccatorib. varijs iniurijs & opprobrijs afficitur, & flagitiorum lapidib. impetitur, nemo a vlla eius commiſeratione tangitur, aut patiẽti ex intimo animi affectu cõdolet.

2. Reg. 16.

Tob. 1. Tobiæ ſenioris pietas & religio in eo potiſſimum commendatur, quod contribulib. ad vitulos aureos quos Ieroboam erexerat, properantibus, & idololatriam exercentib. horum ipſe conſortia deuitaret, & in Ieruſalem, Deũ cœli adoraturus occulte ſecederet. Sanctum hũc virum imitando, in eo potiſſimum verum ſe quis Chriſtianum demonſtrat, quod, ceteris luſum & delicias conſectantibus, vanitates quærentib. diſſolutis, & ineptientibus, Chriſtum ſequatur ad mortẽ vſq;, vitia deſerat, Eccleſias frequentet, & Deum quærat.

Veri Chriſtiani notæ.

Hoc ſcilicet modo nunc vita inſtituenda eſt, nunc ſacra Domini paſſio mente reuoluẽda, nũc aliquis compaſſionis ſenſus induendus, & afflictionis pars aſſumenda. Ideo factum exiſtimo, q. Dei filius triſtem paſſionis calicem non euacuarit, ſed nobis quam biberemus partem reliquit. nam *Calix in manu Domini, vini meri, plenus mixto: verumtamen fæx eius non eſt exinanita, bibent ex eo oẽs peccatores terræ.* Amara profecto potio, q̃ tamen meraciſſimam, nulla cõſolationis aqua dilutam, Saluator ebibit: quod, crucis tormenta pura nemine opitulante, pœnamque leuante, perpeſſus ſit. Vnde per Pſalmiſtam

Pſal. 74.

dictum

dictũ est: *Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum. Omnia excelsa tua & fluctus tui super me transierũt* Id est, tam graues dolores & cruciatus passionis meæ fuere, vt vere abyssus vocari queant, quam vt perferã, abysso quadam è contra patientiæ opus est: nam decumani irarum tuarum fluctus tãto in me impetu deuoluti sunt, vt vires meas naturales obruturi fuissent, ni diuinitatis vis & anchora naufragiũ impediuisset, *Omnia excelsa tua, &c.* Id est: nullum graue tormentum in orbe fuit, nullus enormis cruciatus, quin in me vnicũ vires exeruerit, & grauissimas in animo meo tempestates excuerit. At nobis vinũ hoc mixtum, & dilutum præbibitur: si enim ærumnis pressi gemimus & angustijs circumundiq; vallamur, consolationes sunt in proximo, & prior angustia molestiaque ab ijsdem mox excipitur. Vnde Psalmographus: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Quisquis demum sit sapor, mixtus an merus, aliqua tamẽ nobis portio bibenda venit.

Israelitis cũ vniuersa multitudine castrensi, de loco in locum proficiscentibus, sactãque suppellectilem deferentibus, Leuitis tabernaculi vtensiliumque eius gestatio demandata erat, vnoquoque partem aliquam deferẽte. De Passione Domini idem penitus sentiendum est, & vnusquisq; partem eius aliquã pro virium modulo in humeros assumat: quod fecisse Apostolus apud suos se gloriatur, dicens, *Adimpleo quæ desunt passionum eius*: id est, Christus calicem passionis habendum suscipiens, solus bibere noluit: at nos dolorũ cruciatuumq; participes voluit esse partemq; aliquã assumere: equidem, ait Apostolus, ipse subibo humeris, & quantũ humanæ quidem vires permittent, tormentorum illius reliquias perficiam, & quæ cõplenda restant passionis, libenter adimplebo.

Saul cum Philisthæis quotidie prælio decertante, egregium faciinus Ionathas filius eius & hæres, ausus est: nam cum hostes, in mõtis cliuo & Israel in planitie castrametati essent, armigerũ suum compellauit dicẽs, *Veni & transeamus ad stationem Philistinorum quæ est trans locum illum.* Quo annuente, & animos domino etiam addente, magno cum labore prærupta montis ambo transcendũt, & Philistiim castra ingressi, magnam circũquaque stragem edunt, multis excubitorum obtruncatis. Arrigite aures Allegoricorum sensuum indagatores, Ionatha hic regni Israelitici hæres, imago fuit Iesu Christi Redemptoris nostri: quem armiger, id est vniuersus Christianorum cœtus, consequitur; ipse in infernalem aciem & principes tenebrarũ expugnaturus, vt homo pone subeat, desiderat, simulq; in castra hostilia, collatis cum duce viribus grassetur, & in partem aliquam laboris veniat.

V.

Audite & plura. Christus omnem passionis suæ seriem enarrans, omnemq; tragœdiam illam ab exordio texens Gentib. se tradendum asserit. Fuit enim nõ modicus Redemptori cruciatus, quod Iudæi filij illius carissimi cum barbaris, & gentilib. in necem suã conspirarent, & ad mortem quærerent. Vti non exigua Saul regi olim afflictio & crux fuit, quòd dilectus filius Ionathas cũ hoste suo iuratissimo Dauide fœdus inijsset, illum vt alterum se, patris nequidquam frendente inuidia, complecteretur: ideoq; indignans ait: *Coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi reuuntiet? maxime cum & filius meus fœdus inierit cum filio Isai?* 2. Reg. 22.

Nulla igitur acerbior aut maior parari Christo crux potuit, quam vbi à suis se tradi gentibus, vbi dilectum sibi populum ciues Ierosolymitanos, imo & fratres cum Romanis in ruinam & necem suam conspirasse, vidit. Dudum id antea per Prophetam suum prædixerat *Extraneus factus sum fratrib. meis tu, & peregrinus filijs matris meæ.* Graue Christo fuit in Gẽtium manus incidisse. Psal. 68. 2. Reg. 12.

Nathan Propheta cum Dauidi Regi duorum grauissimorum criminum adulterii, & homicidij, enormitatem ob oculos poneret, potissimum in illis exaggerauit quod Vriam virum integerrimum gladio barbarorum & alienigenarum interficiendum curasset. *Et occidisti eum gladio filiorum Ammon.* Non enim tam graue fuisset aut ignominiosum si contribulium suorum aut amicorum armis concidisset. Ita Christus ærumnarum suarũ catalogum texens: recensensque minutatim quidquid in passione sibi esset euenturũ, in

primis quod in Gentium manus delapsurus esset, conqueritur.

*Gen 37.* Moyses peccatum & ingratitudinem Iosephi fratrum exaggerans, qui odio & inuidia acti, in innocentis necem cõiurauerant, ait eos fratrem Ismaelitis alienigenis, infidelibus & incircumcisis, forte illac transeuntibus, in seruum vendidisse. Christus etiam inimicorum suorũ crudelitatem passionisq; acerbitatem exaggerans, ait se, Iosephi instar, in manus Gentium & infidelium tradẽdum. *I.Reg.20.* *Tradetur gentibus.*

Dauid à Saule ad necem quæsitus, & nullo non loco pressus, quadam die apud amicorum integerrimum Ionatham de tanta crudelitate conquestus est, *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice, & ad patrem tuum ne introduxeris me.* Grauius ac crudelius, scilicet iudicans, inimici manibus quam amici occũbere. Eiusdẽ opinionis videtur, & fuisse Redemptor noster, nec tantum mors illi allatura tormentum, si Iudæi illam, & non Gentes, intulissent. Ideoque sortem suam deplorans, ait Gentibus se tradendum, & in earum manus consignandum.

*Luc.18.* *Et illudetur.* Præsagierat hoc longo ante
*Psal 21.* tempore Psalmographus, & dixit, *ego autem sum* (præsens loco futuri positum est) *vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis: omnes videntes me deriserũt me.* Huc
*Isai 28.* etiam referri cõmode videtur posse, vaticinium illud Isaiæ. *Vt faceret opus suum, alienum est opus eius ab eo: vt faceret opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* Fecit enim Deus opus redemptionis nostræ patraturus, multa exotica & peregrina, & à terribili maiestate sua nimium quantum aliena: an non enim opus peregrinum & numquam hactenus visum & à diuina maiestate alienissimum fuerit, Deum latronis instar comprehendi, instar malefici ad mortem condemnari, instar sicarij patibulo suffigi, & ab omnibus hominibus illudi?

*Luc.18.* *Et illudetur.* Præclaram huiusce figuram
*Deut. 25.* in Deuteronomio legimus: eo namque loco præcepit Dominus, vt fratre siue liberis moriente, alter viduam fratris ad suscitandũ semen propagandamque familiam duceret: quam si ille ducere detrectaret, coram iudicibus & senioribus populi ab illa citabatur; qui si in sententia peruicax perstaret, & nuptias repudiaret, à muliere in vultu cõspuebatur, quæ calceamentum illius de pede in ludibrium tollebat, *Accedet mulier ad eum coram senioribus, & tollet calceamentum de pede eius, Spuetq; in faciem illius* Moses Synagogam veterem sibi in vxorem copulauerat, é qua nullos suscepérat liberos, qui in hæreditatẽ cęlestem possent succedere, aut ad quos huius matrimonii iure, paterna & sempiterna illa possessio cœlorum deuolueretur; de quibus Ioannes Euangelista hunc in modum *Ioan.1.* locutus est, *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt* Christus igitur, ad quem spirituale semen (q̃ non potuerat Moses) suscitare spectabat, Synagogã ob superbiã, ingratitudinẽ, auaritiam, aliaq; innumera peccata deformatã, ducere detrectat, Ecclesiæ suæ dilectissimæ & charissimæ amore incensus. Hinc synagoga varias in eum congerit iniurias, & opprobria, coram iudicibus, senioribus, magistratibusque insigni eum afficit ignominia, in sacrum illius vultum, Angelis tremendum, propudiosissima sputa eructat, illudit velato, colaphis in ignominiam cædit, nec solum calceamenta pedib. abstulit, sed vestibus etiam denudauit, nudum & inopem in crucis patibulo, in Caluariæ monte erecto, mori cogens. Hæc fuere; Auditores, quæ circa primum concionis huius membrum mihi dicenda in mentem venerant, alterum iam aggrediar, de singulari hoc Domini miraculo acturus.

VI. *Luc.18.* Ingens cæcitatis malum. *Tob.5.*

Christo igitur Ierosolymam, in qua passurum & moriturum se sciebat, concedente, & in itinere de funesta mortis suæ tragœdia agente; cũ haud procul ab vrbe Ierichuntina abesset cœcus prope viam sedens, & stipem à transeuntibus exigens, audito pedum strepitu, alta inclamare voce cœpit, *Iesu fili Dauid, miserere mei.* Quam graue autẽ sit, oculis & lumine orbatum esse, pius ille senex Tobias testabitur, qui quod oculos amisisset, omnia se amisisse existimabat: hinc lacrymans & suspirans dicebat, *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo & lumen cœli non video?* Duo autẽ cæcitatis genera sunt, corporis

poris vnum, alterum animæ: quorũ hoc illo deterius ac periculosius: si enim potentiarũ & facultatum excellentia per obiecta ostenditur, & oculorum corporalium obiectũ sint res corporeę sensibiles, animæ vero Deus ipse; necessario hinc sequitur, tanto cæcitatẽ animæ maiorem ac deteriorem esse, quanto Deus solus omnia temporalia antecedit.

S. Antonius Eremita, referente Palladio, cum quodam tempore Didymum, eremi itẽ incolam, sed oculis orbatum visitaret, eumque magno animi sensu & feruore de rebus cœlestibus loquentem audiuisset; rogauit numnam hæc ei cæcitas molestiam afferret; Imo mox ille pectore graue traxit suspiriũ, ingemiscendoq; sine vlla voce respondit: ingentem animi dolorem, quem cæcitas causaretur, testatus. Tũ Antonius, fierine potest pater venerande, molestiam tibi aliquam cęcitatem adferre, & graue esse, oculis orbatũ viuere, qui tibi cum formicis cõmunes sunt: è contra vero, te non lætari ob oculos, quos cum Angelis communes habes.

Cæcitas naalum.

Cæcitas siquidem adeo grauis & infelix est, vt nonnisi in grauissimorum scelerum flagellum correptionemque eandem immittere Deus consueuerit. Hinc, cũ Isaias Prophera Dominum exercituũ sublimi insidẽtem throno, & alto subnixum solio cerneret, populum vero rebellem murmurantemque tam illustri indignum visione iudicaret, Dominum orauit, illius vt cor excæcaret, oculos densa caligine obnubilaret, ne videns videret, & audiens cognosceret. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte videat oculis suis* Atq; hæc quidem occasione cæci huius, *Cæcus quidam sedebat secus viam.*

Isa. 6. Luc. 18.

Imperfectiones naturales nemini ad peccatũ imputantur. 2 Reg. 2.

His nihil obstantibus dico, cæcitatem, surditatem, & similes imperfectiones naturales vitia nõ esse: sed tantũ admirabilia quædam effecta, quibus Deus eos, quib. hæc accidunt, mundi periculis & discriminib. immunes præstat. Constat enim pulchritudinẽ venustatemq; corporis exteriorem, ipsas etiam dotes naturæ possidentibus præsentissima nõnunquam adferre pericula, ac damna grauissima: exempli gratia pedum velocitas & pernicitas Asaeli cursori in perniciẽ fuit & interitum, cæsaries flaua & rutilans Absalomo in laqueum & restim. Dinæ pulchritudo causa constuprationis & raptus, Samsoni vires captiuitatem cæteraq; infortunia attulere. Econtra vero sæpe Deus, idque non sine singulari clementiæ & amoris argumento, cæcos, claudos, mancos, debiles, tortuosos, aliosq; deformes nasci permittit, quo natiua hæc illis deformitas ad maiorem meritorum segetem cedat, elatos animos compescat, iterq; ad cœlestem beatitudinem pandat.

Defectus naturales hominem in primis humiliat.

Hæc igitur, hisque similia immittere & permittere consueuit Deus, vt quibus obuenere, salutem eo melius suam consequantur. solent quippe defectus & imperfectiones naturales humilitatem & animi demissionem vt plurimum causari, & insolentes animos altaq; spirantes compescere, atq; intra rationis & moderationis limites continere. Quod euidenter in Isboseth videre licet: hic enim claudus quod esset, & pedibus iam inde ab incunabulis debilis, quamuis Ionathæ filius esset, & Saul auum iactaret, sanguine deniq; regum Israel oriundus, nihili se faciebat, & canis loco habendum censebat, *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* 2. Reg. 9.

Deus immaius animarum emolumentum, salutisque progressum, imperfectiones has immittere solere: & non omnibus promiscue, at cui visum fuerit: vni quidem oculos eripit, ne mũdana & mundũ amplius intueatur: qui interitus damnationisque forsitan causa exstitisset: alterum pedibus debilem efficit, ne Deũ fugiat, atq; ita animæ damnationem incurrat: alterius manus debilitat, quibus Deo resistendo ingens animæ periculum crearet. Atq; huc respiciebat Dominus, cum in Euãgelio suis diceret, *Quod si oculus tuus scandalizat te eiice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Et si scandalizauerit te manus tua, abscinde eam: bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem.* Matt. 5. Mar. 9.

Nemini naturales defectus exprobrãdi.

Nemini autẽ huiusmodi defectus aut vitio verti aut ignominiose exprobrari debẽt. Hoc nempe inprimis in sacra scriptura Spi-

ritus

ritus S. prohibet: ait enim Ecclesiasticus, *Non irrideas hominem in amaritudine animæ, est enim qui humiliat & exaltat circūspector Deus.* Scio, Auditores, scio prauam hodie apud plerosq; consuetudinem inualuisse, qua debili, manco & distorto naturæ defectus, & vitia corporis quamprimum magno cum pudore & infamia exprobrantur. Vti fecisse olim constat, Phenennam de qua in Libris Regū, quæ Annæ piissimę matronæ sterilitatem naturalem exprobrasse legitur: *Affligebat quoq; eam æmula eius & vehementer angebat, in tantum vt exprobraret quod Dominus conclusisset vuluam eius.* At non ita fecisse comperiuntur, qui hic Dominum Ierosolymam proficiscentem comitati sunt, dum cæcum hunc in via sedentē conspiciunt, quamuis vt taceat compescūt, defectum tamen oculorum ei vitio non vertunt.

*Eccles 7.*

*1. Reg 1.*

*Cæcus quidam sedebat secus viā.* Cæcus hic quantum ex historię serie manifestum redditur: mendicus fuit ac stipē postulās à transeuntibus: animosus tamen & audax fuisse dignoscitur: quod velut viarū custos & excubitor hodie constitutus, Christū illac transeuntem, meridie, corā vniuersa quæ eum sequebatur multitudine, obnixe obtestetur, sui vt misereatur, benignitatisq; oculos exerat, &, nequidquam frendentib. Iudæis, qui odio in Saluatorem plusquā Vatiniano ardebant, oculorum restitutionē postuler, postulatorumq; cōpos fiat. Et sane fatale quid inesse cæcitati videtur: plures enim tā in sacris quā in prophanis occurrēt historiis cæci aut coclites, & rebus gerendis strenui, & parta bello gloria nobiles: vt inprimis Philippus Macedonum Rex, Annibal Carthaginiensiū, Romanorum Sertorius, Lacedæmoniorum dux Antigonus: aliique & numero infiniti & gloria celebres, qui omnes oculo vno amisso deformes exstitere & coclites. Patriarcha autem Isaac, Ahias Propheta, Samson Hebræorum fortissimus, & senum ornamentum & gloria Tobias, oculis penitus orbati fuere: quatuor inquam viri sanctissimi, & totidem duces fortissimi, Quintus hic viarum sedet custos, & summa voce Iesu transeunte clamat, *Domine vt videam.*

*Luc. 8.*

Cæci huius animositas.

Cæci aliquot & coclites strenui recensentur

*Luc. 18.*

Hic, obsecro, notate, vt pauper hic cæcus, stipem ab omnibus quotidie poscere solitus, oculorum vsum à Iesu Christo postulet, qua nulla maior erogari eleemosyna queat. Tam exigua enim hominum potentia est, tamque angustis limitibus circumscripta, & eorum loculi adeo tenues, vt nonnisi mediæ necessitatum nostrarum parti queant succurrere: multa quidem pollicentur, at parum admodum, imo sæpe nihil, præstant; linguam habent, at non manus. Deus autem linguā habet & manus ambas; illam quidem, qua misericordiam promittat ac spondeat; has vero, quibus eandem mundo elargiatur. Vnde bene, meo quidem iudicio, Salomonem dixisse Deum orando apparet. *Qui præstitisti seruo tuo Dauid patri meo quæcunq; locutus fueras ei, & quæ ore promiseras, opere cōpleuisti.* Solus igitur Deus loculos locupletissimos & refertissimos habet, quib. omniū inopiæ & necessitati quā abundantissime potest satisfacere.

Hominū potestas exigua.

*2. Paral.*

Sapienter igitur Ioram rex mulieri fame propemodum enectæ respondisse censendus est: dum n. illa importune regi occlamaret, *Saluame, Domine mi rex*; mox ille subintulit, *Non: saluet te Dominus. Vnde te possum saluare de areā vel de torcular?* quasi dixisset. Dei hoc est, & in sola illius potestate, non autē regia situm. Qua enim me tibi putas posse ratione opitulari? Crediſne me imperare posse nubibus vt pluuiā tibi exoptatā distillēt; aut elementis cœliq; influxibus, quo anni tempora conuertāt, communē naturæ cursum inuertant? Licet enim rex sim; anne naturā in manu mea sitam putas? egone tempora immutem? soli imperem? calores accelerem? frigus dispellam? omnia enim hæc in Dei manu sita sunt, ipse potest omnia; hominum enim potestas limitata, Dei solius infinita. Hinc efficaciter admodum cęcus hic à Iesu Domino postulat, quod à nemine mortalium impetrare se posse sciret.

*4. Reg. 6.*

Hominū potestas circumscripta.

*Domine vt videam*, per aureum illud candelabrū, q. Zacharias Propheta vidisse se narrat, in quo septē accēsæ lucernæ fuisse perhibētur, omnes propemodū Christū Iesum intelligi credunt; qui septemplici obtusos impiorum oculos, septē etiam mortalium scelerum sordib. excæcatos, ratione illustrat & illuminat. Humilitate siquidē, superborum,

*Luc 18. Zach. 4.*

mundi

mundi contemtu, auarorum, impudicorum, castitate & continentia; iracundorum, blanditiis; gulonum, temperantia, inuidorum, amorem, & acedioſorum oculos, diligentia illuminat & aperit. Vnde bene de eodem Ioannes Euangeliſta dixiſſe viſus eſt, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ioan. 1.

Origenes ſecundum Canticorum caput exponens, non ob aliam ait cauſam ſponſam dilectum ſuum capreæ ſimilem eſſe dixiſſe, quam q̃ in corde animalis huius, ſalutaris humor quidem & liquor deliteſcat, oculis & viſui admodum illuſtrando vtilis, & obtuſam eorũdem aciem exacuens. Quo illa exẽplo è natura petito edocere voluit nihil citius corde diuino, quam promptam quandam hominum illuminandorum, & tenebrarum ab animarum oculis diſpellendarum voluntatem emanare. Quod probe cæcus hic noſter perſpectum habens, alta inclamat voce: Domine oculorum mihi viſum reſtitue: *fac vt videam*: alta inquam voce, adeo vt omnes obtundat, moleſtiamque audientibus generet, qui ſilentium indixere; *Turba autem pratereuntium impediebat eum ne clamaret.* Homil 3. in 2. Cant. VII.

Marcus autem addit, turbas ei ſilentium minitando imperaſſe: quod quoniam hodie frequens admodum, quam maxime deplorandum eſt. Sæpe enim fieri videmus, vt ij, qui nobis in infirmitatibus noſtris ſuccurrere, cum ad Deum accedere contendimus & illuminari poſcimus, deberent, impedimento ſint, accedentique occaſiones præſcindãt. cuius rei præclaram in libris Regum hiſtoriam legimus. Dauid rex cum honoris diuini zelo ſuccenſus Ieroſolymam, Goliadam; nomen Dei viuentis blaſphemantem debellaturus, tenderet: Eliab frater eius, natu maximus, eum à cœpto retrahere conabatur, adeo vt etiam calumniaretur & temeritatis eum puerilis coargueret. *Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas illas oues tuas in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui.* 1. Reg. 17. Luc. 18. Sæpe fit, vt qui ad Deũ nos deducere deberent, ab eo nos auocent,

Amos 4. 1. Peccatum graue eſt, Secundo Amos capite ſcriptum hunc graphum, aut potius intricatum vaticinium legere eſt: *Super tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quartum non conuertam eum, eo quod diſſecuerit prægnantes Galaad*, Galaaditides prægnantes vere appellari queũt animæ, quæ ſancta proponunt, vitæq; emendationẽ & ſancta deſideria intrinſecus concipiunt; quas qui diſſecare aut opprimere geſtiũt, næ illi grauiſſimi ſe coram Deo criminis reos conſtituunt. Id eſt qui comminando affligẽdo, perſequendo, adulandoq; aut alia quapiam arte aut techna pios impediunt ne pergant vlterius, & ſancta eorũ propoſita infringunt, eoſq; à vita ſalutis, diabolico quodam conatu, auertere machinantur; difficillime à Deo delicti veniam conſequuntur, quos ſimiles eſſe cenſeo Euangelii huius hominibus, cæcum hunc, oculorum vſum poſtulantem, obtundere, clamantique obſtrepere conantibus. Sãcta piorum deſideria impedire.

*Turba pratereuntium impediebat eum ne clamaret.* Luc. 18.

Peſſimum profecto conſilium, dum impedire conantur ne ſalutem poſtulet ſibique medicamen petendo conſulat: prauorum conſiliariorum hi imago ſunt, qui tum in oculis regum, tum vnicuiq; noſtrum quotidie adhærent. Quicumque enim aliis conſulere præſumit, bene conſulat neceſſe eſt, ſincereque incedat & genuinũ animi candorem omnibus in rebus præferat. Princeps ille Apocalypſeos regio inſidere throno viſus viginti quatuor ſeniores, velut conſiliarios & conſultores: in circuitu habebat, veſtimentis albis circumamictos. Duo autem eorum ſchema notanda includit. Primum quod ſeniores eſſent & ætate prouecti; ſenectus enim ſapientiæ ſchola. Secundo quod candidas induti veſtes, quas Ambroſius puritatis ſymbolum putat eſſe. Conſiliarius n. candide & puro corde vtilia, rebuſq; publicis ſalutaria conſulat oportet. Hic itidem candor pacis ſignum eſt, & concordiæ argumentum quã prudens ſemper cõſulere debet conſiliarius, non autem bella, diſcordiam, ſanguinisque profuſionem. Abac 4.

Hoc ipſum veteres olim etiam indicarũt, cum templum Conſilii ſubterraneum, vt quidam prodidere, eſſe voluerunt. neceſſe eſt enim conſilia terra velut obrui & ſepeliri, ac celari, donec effectum ſortiantur. Erat Hen. Fam. lib. 1. de ſimp. reip.

Consiliarii regibus pacē suadeant.

eodem in fano candida quædam aquila, cristam gallinaceam diuersicolorem habēs; denotabat hæc, consiliarios regibus & principibus, (quorum aquilæ imago sunt,) quamuis gallis omnium auium pugnacissimis pugnaciores forent, pacem potius & concordiam; quam bellum aut seditiones, suadere debere.

Victoria pacis tēpore gloriosior, quam belli.

Erat etiam apud eosdem gentiles victoria, pacis tempore relata, aut pacifice non fuso sanguine, parta, gloriosior, maiorique triumpho digna, quam quæ multo parata sanguine, armorumque viribus erat. Hinc Lacedæmonii, stratagemate aliquo, aut arte, aut industria victoriam adepti, nullo effuso cruore, hostique parcendo, bouem Marti in gratiarum actionem immolarunt; cruentam vero consecuti, & cum aliqua sanguinis effusione, solum ei gallum gallinaceum offerebant.

Quicumque passioni expositus bene consulere nequit. *Ierem. 29. In var.*

Qui enim fiat, vt, qui nonnisi sanguinem spirat, armis delectatur & conflictibus, cædibus hominum saginatur, atq; humanum cruorem sitit; pacem Principib. suadeat, cōcordiam adhortetur? At quicunq; Consiliarij dignitate præditus, inq; regiū consessum adlectus est, ipsius Dei cogitationes, desideriaque habere debet, de se namq; Deus apud Prophetam ait: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis*, aut belli.

Historia.

Apud Persas, vt quidem Aelianus prodidit, mos erat quotiescunque in rebus perplexis ac dubiis consulendum esset, laminā auream in terra ponit, cui consilium daturus insistebat; quod si salutare & vtile reip. esset, laminam hanc in præmium accipiebat; si vero noxium ac perniciosum, magna cum infamia plateatim virgarum supplicium luebat.

*Ezech. 1.*

Animalia illa mystica, de quibus Ezechiel vaticinatur, quæq; magnum illum currum ducebant, plātam pedum habebant similem vitulinæ; *Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli.* Hieroglyphicās hic denotatur, Consiliarios qui regni currum & habenas moderantur, præcipites Principum animos, & efferuescentes eorum motus, consiliorum suorum pondere prudentiq; lentitudine & tergiuersatione sistere ac retinere oportere. Quod Imperatores nonnulli, & imprimis Augustus: egregio hoc emblemate designarunt, cum Delphinum natatorem illum celerrimum, graui ancoræ affixere inscribendo, *Festina lente.*

Heliopolitæ bouē adorabāt. *Lib. de animal. natura.*

Atq; adeo forsitan Heliopolitæ bouem vt Deum adorarunt; quod bos consilii imago & symbolum esset. Huc etiam facere videtur, quod de boue refert Aristoteles: tradit enim, bouem, si cornua oleo vngantur, numquam defatigandum, quamuis grauissimos labores subeat. Quod vt proposito nostro adaptemus, dicendum, si consilia, quæ in vertice, & capite aliquo reip. habitant, pauxillo oleo vngantur, id est, si odio, passione praua, omni inordinato affectu vacent, si priuatum non intueantur commodum, si crudelitatem non spirent, sed solam pacem & misericoriam, (cuius oliua symbolum est,) respiciant; subditos, qui reip. pedes quodammodo sunt, nunquam opprimendos, vel defatigandos, quamuis fortunæ aduersitate exagitentur. Hæc de consilio consiliariisque ideo potissimum dicta sunt, quod videam turbas has pessime cæco huic consulere, & omni studio impedire ne Christum inclamet, oculorumque vsum postulet; & quod longe deterius, increpare vt taceat.

Qui garrulitate sua impediunt, ne alii concionatorē audiant, reprehendēdi sunt.

Vt cætera quæ huc referri queant, omittamus, non sine iniuria videntur turbæ cæcum hunc increpasse vt taceret, cum eos & clamando obtunderet, & impedire quo minus Dominum per viam docentem verbaque vitæ proponentem, audirent. Merito igitur reprehendendi sunt illi, qui grauissima cæcitate percussi, inque salutis via cæcutientes, hodie per plateas, & in templis clamātes, impediunt, quo minus pii verbū Dei audiant. Hinc sponsus in Canticis filias Ierusalem coniurat, ne dilectam somno detentam euigilent, *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Per animalia bruta & rationis vsu priuata easdem coniurat, vt bestiis illos deteriores esse innuat; qui vociferando aliis impedimento sunt: à quo animalia ipsa nimium quantum abhorrent; ipsa enim si clament,

*Cant. 3.*

ment, nonnisi per desertum & in montibus clamare & boatum edere solent, vbi nemini clamando aures obtundunt. Cæcus tamen hic excusandus, quod in via sanitatem & oculorum vsum, quæ inprimis ei necessaria sunt, rogans, vociferetur: quin & illo nomine commendandus, quod recuperato lumine, & sanitate recepta, medicatorem suum quamprimum sequatur, eiusque potentiam & artem magnificiat, oculos recuperatos ad demirandum, & linguam ad præconia illius decantanda impendens. *Et confestim vidit & sequebatur illum magnificans DEVM.*

Luc. 18.

Quod nõ nisi gratuitò & miraculose nobis datus, Deo debetur.

Insignis & vere laudabilis cæce, qui ab oculis tibi restitutis occasionem sumis, in diuinas laudes excurrendi! notat quippe Lucas, non elementa, non camporum pulchritudinem, non vrbes & castella eum curiosè intuitum esse, sed Christum attentius consideraſſe, illumq; per omnem viam esse secutum. Et profecto vitam hanc quam viuimus, sanitatem qua fruimur, soli Deo impendere, eiusq; vsibus, & obsequio dedicare par est: atq; illam imprimis, & iure meritissimo, quæ gratuito nobis & miraculo aliquo donata est, ob hanc quippe nihil naturæ, sed Deo plurimum, debemus; nec terræ, sed cœlo, ea ipsa accepta ferenda est.

4. Reg. 5.

Naaman Syrus cum se diuinitus & miraculo à lepra mundatum cerneret, sanctissime in Elisæi manus iurauit, nulli alij quam Deo Israel & vero, quem omnia elementa venerantur, holocausta se oblaturum: Verba voti sunt hæc, *Non enim faciet vltra seruus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis nisi Domino.* Et merito, cum enim sanitatem & lepræ mundationem cœlitus obtinuisset, & per Elisæi consilium miraculosè pristinæ valetudini restitutus esset; ingratus profecto audisset, si alterius quam solius datoris restitutorisque obsequio, corporis membra impendisset.

1. Reg 20.

Quanta religione, quamque pie, credendum est, Ezechiam regem quindecim vitæ annos, à Domino in prolongationem, obstupescente natura & rerum ordine demirante, datos, impendisse? cum tamen hodie plerosque contrarium facere videamus: qui mox vt sanitati restituti sunt, & à graui periculo præseruati, quæ eorum ingratitudo & peruersitas est, in benefactorem ingrati longe grauius quam prius eum ad iracundiam prouocant. In quo se Sauli Regi persimiles demonstrant, qui Philisthæorum manibus receptus, & ab hostili incursu immunis, Dauidem innocuum bello lacessiuit & prosecutus est. Sed ingens hæc & infamis ingratitudinis nota declinanda, & cæci huius gratitudo potius imitanda.

Cõclusio.

Ad quam vos omnes hodie, Auditores, adhortor, simulque amice moneo, passionis Dominicæ vt assidue recordemini, eam animo iugiter voluatis, omni loco & tempore de eadem loquamini, & præsertim interea dum vitæ huius iter decurritis: plorate, hic hoc tempore & hisce diebus cum Domino de morte eius & cruce agite; nolite sequi filios mundi huius, nolite per vicos & plateas discurrere lymphantes & bacchantes, nolite ineptire & lasciuire, fugite ineptas delicias voluptatesque sæculi. Quis enim rideat, cum filium Dei lachrymantem & suspirantem videat, quis voluptatibus indulgeat, cum Christum Iesum de morte subeunda & quidem atrociſſima, loquentem audiat? Absit, absit, inquam, huiusmodi in vobis ineptiam reperiri. At vos cœci peccatores, qui hoc in mundo stipem quodammodo poscitis, cum hodie Christum transeuntem auditis, cum eius mortem, & crucem & passionem annuntiari, cum illũ ob peccata vestra cruci affixum intelligitis; oculorum vsum ab eodem petite, clamate, per agros & vrbes vociferemini, orate visum vt restituat, gratiamque elargiatur, quo peccatorum turpitudinem ac sordes aspicere & intueri valeatis.

Hoc nimirum hodie, omnipotens & misericors Pater, enixe à te postulamus, hoc vnice deposcimus: hæc sunt vota nostra & preces. Gratiam igitur præsta tuæ vt passionis semper recordemur, crux tua & amara mors perpetuo nobis ob oculos versentur: sumus enim omnes hìc mendici, & gratiæ tuæ stipem secus viam tentationum, tribulationum, miseriarum, flagitiorumque, quæ confragosæ & lapidosæ mundi huius viæ

sunt, postulamus; omnes oculis capti sumus & excæcati, hic quidem à prauo suo affectu, ille à voluntatibus & delicijs carnalibus; alter denique à prauo rerum terrenarum amore. Hem Iesu fili Dauid, miserere nostri, sana nos & misericordiam ostende. Mundus quidem interea dum ad te clamamus, dum opem tuam postulamus, dum auxilium deposcimus, ne clamemus, impedit, indignatur, & increpat: sed, quæ nostra importunitas est, ideo clamare non desinemus, aut à postulãdo desistemus, at si oculos restituas, si caliginem & tenebras, in quib. versamur, dispellas, in æternum te prædicabimus, tuaque præconia nullo non tempore decantabimus; exspectantes interim, donec in altero te mundo, vbi vera beatitudo est, ad quam nos S. Trinitas deducere dignetur, laudare & benedicere valeamus.

Amen.

CONCE-

# CONCEPTVS QVADRAGESIMALES PETRI BESSÆI.

# LECTORI.

COmmode visum fuit hic inserere Quadragesimales Conciones integrè, sicuti tomo separato antehac editæ fuêre, quò eas coniunctim suo loco reperias, tum etiam illam in Dominicam Quasimodo aut primam postPascha duplicatam.

# IN DIE CINERVM.

## PARTITIO.

*I. De vi & efficacia Pœnitentiæ.*
*II. De cinere ac puluere.*
*III. De hominis fragilitate, ac mortis memoria.*
*IV. De ieiunio & carnis maceratione.*

*Memento homo quod cinis es, & in cinerem reuerteris.*

## FIGVRA.

*Herodot. 2. Plut. in cõuiuio sept. sapient.*

SOLEBANT Ægyptij, licet alioquin immanitate barbari, vt modestiam sobrietatemq; conuiuis commẽdarent, ac gulæ pariter occurrerent, cranium & caluariam carne nudatam, medias inter epulas mensæ inferre, vt eâ conspectâ cõuiuæ mortem in memoriam reducerent, vitæque fragilitatis admonerentur, hisce additis verbis: Aspicite tristem hanc & lugubrem mortis imaginem, ac memores estote, huic vos aliquando similes futuros. Et sane, longo ante tempore, ab ipso scilicet mundi exordio, summis ille Deus, primos mundi incolas pellibus mortuorum animalium conuestiuit, exuuijsque & mortis insignibus circumdedit, vt ita sese busto & tumulo destinatos viuere meminissent. Eandem hodie, Auditores, Ecclesia seruat consuetudinem, quæ vt post tot conuiuia, post tot epulas, post ipsa Bacchanalia, mortis nobis memoriam refricaret, vitæque fragilis & caducæ commoneret, animarum nostrarum mensis mortis infert insignia, coloribus nos cineritijs & pullis induit, dicens: *Memento homo quia cinis es:* Desine iam ineptire ô homo, iam satis per plateas petulanter & lasciue discurristi, iam satis ac plusquã satis vitijs indormisti, aperi nunc tandem oculos, reclude palpebras, & vide qui sis, & vnde veneris; iam satis superq; teipsum iactasti, memineris obsecro, iam te cinerem esse, & in cinerẽ conuertendum. Hæc vox est pœnitentiæ, hisce verbis animo nostro cinis ipsius memoria ingeritur, verum vt ipse, qui nisi cinis sum, digne de cineribus loqui valeam; ad te confugio sancta Dei genitrix, ac tibi cum paranympho Gabriele pronuntio.

### AVE MARIA.

I. Quemadmodum rerum omnium creatrix atq; educatrix natura, septem in firmamento Planetas constituit, qui in res hasce inferiores tantum roboris ac virium habẽt, vt, quidquid hic in terra sit, ab eorum fluxu penitus dependeat: ad eundem plane modum, ipsius naturæ auctor gratiæ Deus, septem in Ecclesia sua Sacramenta instituit, quæ tantum in hominũ animis roboris obtinent, vt omnis nostra salus in eorum potentia virtuteq; sita esse videatur. De vnica Pœnitentia hodierna die locuturus, de reliquis

quis tacebo; neque enim aut Mars aut Mercurius, aut Venus, aut vllus denique Planetarum, adeo rebus hisce inferioribus, ac sacramentum hoc hominum saluti necessarium est.

*Plutarch. in Romulo.* Romulus olim, in ipsis vrbis suæ primordiis asylum instituit, ad quod quicunque facinoris alicuius reus confugisset, omnium statim criminum indemnitatem consequebatur: ita Iesus Christus, verus noster Romulus, in ipso Ecclesiæ suæ principio, Sacramentum Pœnitentiæ, velut asylum & locum immunitatis instituit, ad quod quicunque peccatores confugissent, ab omnibus inquinamentis vitiisque liberarentur; hic quippe incæstus purgatur: sacrilegia eluuntur, auaritia deletur, adeo vt nullum peccatum sit, quod hac pœnitentia non emundetur. *Gen...* Cuius insignis figura fuit diluuium illud vniuersale, quod, vt in Genesi legitur, totam terræ superficiem aquis cooperuit, quo edocemur, ipsam pœnitentiam diluuiū gratiarum fore, quod omnia animæ nostræ vitia sub vndis lacrymarum demergat. *Exod. 14.* Eluit siquidem omnia & emundat pœnitentia, omniaq; in integrum restituit. Anne meministis cladis illius, quam in mari rubro Ægyptij perpessi sunt? Refert enim historia, quod *ne vnus quidem superfuerit ex eis*, aut, vt ait *Psal. 150.* Dauid, *vnus ex eis non remanserit*, qui cladis nuntium in Ægyptum deferret. Mare hoc rubrum, Auditores, ipsa est pœnitentia, sanguine, inquam, & meritis Iesu Christi rubicundum, quod vndis contritionis, omnia peccata nostra, quæ sunt veluti idololatræ Ægyptij, immergit. *4. Reg. 17.* Ipsa est funda illa Dauidica, tribus saxis, Contritione, scilicet, Confessione & Satisfactione, armata, ad Goliath Philistæum, id est, peccatum ipsum, qui animæ nostræ insultat, prosternendum. Ipsa est scala Iacob, per quam fideles animæ, instar Angelorum, tendunt ad cœlestia. *4. Reg. 5.* Ipsa est Iordanis, qui Naamanem à lepra emundat. *Ioan. 5.* Ipsa est piscina illa probatica, quæ omni morborum generi medetur. Ipsa est vastus ille cetus in mari lacrymarum natitans, qui miseros Ionas naufragio eripit, & in littus integros & sospites eiicit, solemque gratiæ iterum concedit intueri. *Ion. 2.* Ipsa quoque

Figuræ quib. pœnitentia denotatur.

est virga illa Mosis, quæ Ægyptiorum serpẽtes, deuorabat. Quid porro denotas ô virga nisi pœnitentiam? quæ peccata nostra, quæ nihil nisi serpentes, dracones & viperæ sunt, deuoras & digeris. Ipsa pœnitentia est, quam vobis, auxiliante Omnipotentis gratia, toto hoc Quadragesimæ tempore annũtiabo, quæ nisi pullis & tristibus induitur, & nonnisi ieiuniis pascitur. Ipsa est cœli filia, virtutum tutela, humilitatis mater, vanitatis hostis, ac meritorum conseruatrix. Ipsa est filia honoraria, & domicella, noua quadam ratione induta, quæ cineres loco auri, cilicia loco deliciarum, & flagra loco insignium gestat. Loquamur prius de eius insignibus, ac deinde de epulis loquemur.

II.

Quamobrem quod ad primum attinet, fuere cineres semper notæ, & veræ pœnitentiæ insignia; ipsi sunt portus, in quem sese animæ ad declinanda fulgura cœlestia & tempestates huius mundi, velut in tutum recipiunt. *Ion. 3.* Niniuitæ ad prædicationem Ionæ in cineribus salutem inuenerunt. *G. n. 18.* Abraham prius cinerum meminit, quam Deum alloqui auderet, dicens: *Ego puluis & cinis loquar ad Dominum?* *3. Reg. 21.* Achab rex Israel, Dei numen reueritus, in cineribus sese occultauit. *Iob. 10.* Verum patientiæ exemplar Iob nullum nisi in cineribus solatium quærit dicens: *Memento, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.* q.d. Anne in cineres Domine iustitiam tuam exercebis? & aduersus puluerem ostendes potentiam tuam? An non meministi Domine, è puluere me à te compactum, & in puluerem ac cinerem aliquando à te conuertendum?

Merito igitur exclamem, O sacros & vere sanctos cineres! ô cineres vere diuinos! vos, vos, inquam, sopitos deuotionis ignes conseruatis, vos pios affectus excitatis, vos prauos motus refrenatis, vos deniq; omnes animæ sordes eluitis: atq; vt de cineribus lixiuium colatur, ita vos vere spirituale lixiuiū è lacrymis colatū facitis, quod omnia mundat, quodq; animas nostras super niuem dealbat, vt vere in Psalmis vates regius cecinerit: *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* *Psal. 50.*

Sed audite rem magis adhuc mirandam: Daniel sparsis cineribus fraudes & technas

facer-

sacerdotum Babyloniorum, qui regi & populo imponebant, detexit, quo quid aliud
Dan.14. significatur, ô homo, quam memoriam te tuam mortis cineribus aspergente, impostu-
ras carnis, fraudes diaboli, & fallaces mundi insidias confestim detectum iri: quæ omnia,
non secus ac falsi illi prophetæ, & sacrificuli idoli Babylonici, animæ tuæ imponunt. Li-
ceat ergo mihi iterum exclamare: ô vere regios cineres! hoc enim vos titulo decorabo,
quod tres vobis reges & monarchæ eximiũ decorem addiderint. Primus in scenam pro-
Ion.3. deat Rex ille Niniuitarum, qui ad Ionæ prædicationem, publica præconis voce, pœni-
tentiam omnibus suis indixit, sacco indutus
3.Reg 21. est, atque in cinere consedit. Alter sit Achab rex Israël, qui manum Dei sibi imminẽtem,
& vestigia eius iam prementem declinans, in cineribus salutem quæsiuit. Tertius vero
ipse Dauid, qui nonnisi cinericio se perfun-
debat odoramento, nonnisi in cineribus so-
mnum capiebat, nullaque re præterquam ci-
Psal.101. neribus pascebatur, ait enim: *& cinerem tanquam panem manducabam* O Reges vere re-
ges, ô diuinos, sapientes, & vere prudentes
Principes! *& nunc, ô Reges intelligite*, cur non
præ pudore erubescitis? Vos nonnisi ludicra,
delicias, & tripudia somniatis, & ecce hi ante-
cessores vestri nil nisi pœnitentiam decan-
tabant. Vos gemmis & pretiosis monilibus
inceditis rutilantes, & hi cineribus conspergũtur. Vos vero Dominæ & Principes, quos-
nam colores, quænam hodie gestatis insi-
gnia? an non vos omnes hodie cineribus cõ-
spersas intueor? Non est autem, quod hoc-
ce vobis vlli pudori sit, fecerunt id olim
matronæ, heroinæ, reginæque, vobis specie
Esth.14. & venustate similes, dignitate haud inferio-
res, nobilitate sane superiores. An nõ Esther,
quæ propter venustatem suam, à Rege As-
suero in coniugem adoptata fuit (quippe in-
ter omnes Hebraicas puellas pulchritudine
Iudith 9. eminens:) cineribus sese, veluti aromatibus,
perfudit? An non Iudith vidua, inter omnes
viduas speciosissima, propter egregiam ve-
nustatem, Oculus Israël appellata, loco sti-
Thren.3. bij, & cerussæ, cineres adhibuit, & cilicio
lumbos strinxit? An non Israëlitides & filiæ
Ierusalem, transmigrationis Babylonicæ tẽ-



pore, pompis & fuco repudiatis, capita in
terram abiecerunt, cinereo sese nimbo per-
fundentes? vos vero virgines & mulieres, cur
non eisdem insigniri vultis insignibus? cum
tempus ipsum id à vobis iam postulet, & ip-
sa ad faciendum inuitet Ecclesia; omnia e-
nim iam vndique cineribus conspersa sunt,
nihil præter pœnitentiam omnes cathedræ
suggestusque iam reboant. Audite quæso,
quonam modo vobis inclament: *Memento homo, quia cinis es.*

O cinerem, ô mortem! tu porro homo III.
cineres, & mortem in memoriam reuoca:
qui sis, vide, vnde venias, & quo tendas. Re-
cordare originis tuæ, & noli obliuisci disso-
lutionis tuæ, terra es, de terra ortus, & in ter-
ram dissolueris. Verum itaque iam esse fa-
teor vestrum axioma & enuntiatum, ô Phy-
sici, *Ex quibus vnumquodq; componitur, in eadem & resoluitur.* Conditus es è terra, ô ho-
mo, ideo quoque in terram resolueris; me-
mento ergo quod puluis sis, ecce *terminus* tuus *à quo*, & quod in puluerem reuerteris,
ecce *terminus ad quem.*

Mathematici quoque hic me non parum Euclides.
iuuare videntur: hoc enim vnum è præclaris
eorum principiis est, *Omnes lineas à centro ad circumferentiam ductas, æquales esse.* Audite,
audite paradoxon hoc Reges, Principes, &
Orbis Monarchæ, audite. Similes igitur vos
estis nobis, *Memento homo quia cinis es*, ab eo-
dem quippe centro venientes; *& in cinerem reuerteris*, etiam ad eandem circumferẽtiam
tendimus. Eidem igitur fato subiecti estis
cui nos; non nisi exteriora quædam acci-
dentia sunt, quibus nobis superiores esse vi-
demini. Vos quidem nobis honoribus, glo-
ria & diuitiis antecellitis; at vt, nobis mori-
entibus, vos hic superstites remaneatis, fieri
omnino non potest.

*Memento* igitur *homo, quia cinis es*, memi- *Matth.7.*
neris te domum illam esse, de qua in Euan-
gelio, super arenas ædificatam, quæ mini-
mo Aquilonis turbine ad terram prosternit-
tur. Certum est, & certo certius omne no-
strum Esse, non nisi arenam, cinerem ac
terram esse, & ad minimum fortunæ fla-
brum ad terram deijci & prosterni. Quem-
admodum enim domus Iob ad primam ven- *Iob 2.*

si processam corruit, & omnes eius liberos oppressit; ita quoque & tu mundi amator, domum tuam, id est, corpus ac vitam, eidem scias fato esse subiecta. prima quæ te inuadit fortunæ procella, eadem te perdit, & omnes conceptus voluntatesque in momento euertit. Ac veluti Philistinorum domus, statim ac Sampson columnas inferne complexus est, in terram concidit, omnesq; principes eadem ruina inuoluit; ita quoque vita tua: res tuæ, diuitiæ tuæ ô homo, eandem fortunæ varietatem vicissitudinemque patiuntur. Omnia namque hæc pereunt, & omnes tuæ cogitationes, sublimesque conceptus ad nihilum deducuntur. Quare, paucis vt concludam, omnia super arenam & cinerem ædificata sunt.

*Iudic. 16.*

*Dan. 2.*

Depingit nobis Daniel statuam grandem nimis, cuius caput ex auro optimo, pectus autem & brachia argentea, venter & femora, ærea, pedes vero lutei ac fictiles: ait quoque lapillum quendam de monte descendisse, qui statuam in pedibus percussit, & minutim confractam in cinerem redegit. Contemplare hic, homo, veram vitæ tuæ imaginem: caput hoc aureum, pectus hoc argenteum, ærea illa femora, quid quæso aliud sunt, quam imago honoris, diuitiarum, ac roboris tui? at sita sunt hæc in basi terrea, habes pedes luteos, ita, vt, minimo de fortunæ montibus lapillo ingruente, & cogitationum tuarum pedibus aduoluente, in cinerem & puluerem euanescas. An non tibi carere iudicio ac ratione penitus destitutus videretur, qui sublime aliquod palatium super arenam ædificaret? maior sane, mihi crede, tua, ô homo, est dementia, si domum fortunarum tuarum in arenario vitæ huius stabilire moliaris, minimus enim exsurgat turbo, leuis aliquis ingruat morbus, aut alia quædam aliunde incidat calamitas; omnia ecce concident, inque puluerem redigentur. *Memento* igitur *quia cinis es, &c.*

Humanæ naturę encomia ex veteribus Philosophis.

Erratis, ac multum erratis, Philosophi, frustraque in hominis natura indaganda, eaque laudanda, tempus laboremq; insumitis: tam præclaris enim verborum præconijs de re nihili locuti estis, de musca Elephantem fecistis, tu porro Hermes Termaxime, cur hominem *miraculum magnum* ausus es appellare, eoque nihil in mundo dixisti esse præstantius? anne ignorabas præter cinerem nihil esse? Cur tu Pythagora *Deum eum at mortalem* esse dixisti? at si melius & penitius naturam eius indagasses, vidisses forsitan fundamentum eius esse puluerem, medium cinerem; & finem, vermem corruptionemque. Et tu Philosophorum princeps Plato non recte de homine philosophatus es, *diuinum* eum *genus* appellando, itane stirpem & genus condis deorum? Maior adhuc tua est Plotine audacia, cum eum *quoddam vniuersum*, epitomē, ac veluti omnium rerum repositorium appellare non erubescis.

*Trismeg. in Pimandr.*

*Pythag. sententia.*

*Plato in Timæo.*

*Plotinus.*

Ante omnia vero te miror beate Pontifex Gregori, summe Ecclesiæ vertex, te maiori adhuc hominem encomio, Gentilium vestigijs insistendo, condecorasse, cum eum à nobilitate & eminentia, singulari nomine *creaturam* nominari voluisti: explicans enim illud Euangelij; *Prædicate Euangelium omni creaturæ* per hæc verba, *omni creaturæ*, ipsum hominem intelligis, cum in ipso vno omnes omnium creaturarum nobilitates & eminētiæ cōtineantur. Esse namq; ipsum commune habet cum lapidibus, vitam cum plantis & arboribus, sensus cum bestijs, intelligentiam cum ipsis Angelis; adeo vt, paucis omnia comprehendendo *omnis creatura* merito homo queat appellari.

*Greg. hom. 26. in Euang.*

At solus Dauid bene & pro rei dignitate de homine locutus est, cum ait: *Tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Non es aliud ô homo, quam venti ludibrium: *memento* igitur *quod cinis es*: memento te nihil esse, & originem tuam vilem esse & abiectam. Agathocles, figuli filius, Siciliæ iam rex creatus, veritus fortasse, ne regia dignitate insolescceret; vt prioris sui generis semper meminisset, figulina sibi vasa, vna cum aureis & argenteis ad mensam quotidie voluit inferri. Tu vero, ô homo, etiam figuli filius es; suggerit hoc tibi Iob Propheta dicens: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me.* quare licet deinde te Deus ad sceptra prouexerit, diadema capiti imposuerit, ne forsitan in tantis dignitatibus constitutus, super-

*Psal. 1.*

*Plutarch. apophth. Rom.*

*Iob. 10.*

superbia insolescas, vtque vilis tuæ originis semper memor viuas, pone tibi ante oculos vas hocce luteum, & inter aurum & gemmas, nobilitatem & diuitias, viles hosce cineres interseras.

Memento quid fueris, quid modo sis, & quid mox futurus sis; memento quod è cinere factus sis, nil nisi cinis sis, & in cinerem aliquando conuertendus sis, vel vt Ieremias loquitur, *terra ante partum, terra in partu, & terra post partum*, siue vt melius adhuc philosophemur, *Terra in esse, terra in fieri, & terra in conseruari.* Hunc in modum philosophatus est Salomon, & superbos sui temporis alloquens, his eos verbis aggressus est: *Quid superbit terra & cinis?* q.d. Nolite adeo efferri aut insolescere vos tumidi, nolite altum sapere: quænam quæso ratio est, vos vt tantopere efferatis, cum præter cinerem, præter purum nihil, vanitatemque ipsam, nihil sitis.

Pauo dimittit plumas visa pedũ deformitate.

Non est vlla auis, Auditores, quæ pulchritudine & superbia cum pauone comparetur; vidistis, credo, aliquando, vt plumas explicet, & caudæ pulchritudinem expandens examinet: in qua eximiam pulchritudinem contemplata, sibi ipsi applaudens, & superbo incedens passu, gloriatur: verum vbi oculos ad terram deiicit, & pedes, quos turpiculos ei natura dedit, respicit, totus confunditur, & confestim plumeos illos fastus exuit. Hic tua sit lectio, ô homo, hic discas oportet. Dum enim in vanitatum tuarum officina plumas honorum venales exponis & ostentas, quando magnitudinem tuam contemplaris; quando longa seruorum caterua te stipatum vides; inflaris, & in te ipso factus elatior, pauonem imitaris; adeo vt cor angustis pectoris tui spatiis concludi, & aër spiritum pulmonibus tuis nequeat subministrare: At si oculis in terram deiectis pedes contempleris, (*sordes enim in pedibus eius*) ita sordidos, turpes & deformes inuenies, vt quamprimum plumas sis collecturus, deque propria vilitate factus certior, teipsum humiliaturus.

*Ierem.*

Xerxis Regis factum præclarum.

An non meministis, quod de Xerxe Rege tradunt historici? licet enim hic honorum gloriæque studiosus fuerit, vt qui maximę; tamen cum quadam tempestate innumerabiles militum copias collegisset, & eas in aciem constitutas videre magnopere desideraret, summum montis verticem conscendit: è quo cum totum Hellespontum stratum nauibus & terram quaqua pateret, militibus coopertam videret, vbertim illacrymatus est. Mirabantur ad tam insolitum spectaculum duces, tamque inusitati casus causam petentes, dixere; vnde hæ lacrymæ, ô Rex? vnde hic eiulatus? anne iam animum contrahis, & ante tubam pauor occupat artus? tantam hactenus virtutem, tantum animi virilisque pectoris ostendisti & ita modo in lacrymas, veluti parui animi resolueris? An fortasse Græcorum robur & audacia tibi metum incutiunt? Quibus importune lacrymarum causam postulantibus tandem ait: Non ita viri, non ita, nunquam me animus defecit, nec vlla me vnquam formido inuasit; aliud quid mente voluo, quod mihi lacrymas excutiat. Videō hic tot hominum myriades, tot militum millia, quæ hic in aciem produxi, & eheu, post centum annos nullus omnino superstes erit, omnes in cineres conuertentur; atque hæc est causa fletus & lacrymarum mearum, & *Plutarch. in Xer.*

*quis talia fando*
*Temperet à lacrymis?* *1. Æneid.*

In tantum, ô cinerum memoria, superbos animos & altum spirantes, deiicis & prosternis.

Factum Saladini instante iã morte.

Nec minus admiratione dignũ est, quod olim Saladinus, Ægyptiorum regum maximus, fecit: qui cum totum Orientem subiugasset, Occidentẽ terruisset, Asiam domuisset, totum denique orbem concussisset, vt morti se iam vicinum vidit, in hos ipsos cineres oculos coniecit. Quid eum fecisse arbitramini? audite, rem narrabo; Indusium suum à præcone per omnes ciuitatis vicos in hasta voluit circumferri, & alta voce inclamari: Magnus ille Saladinus, Orientis flagellum, Asiæ domitor, omnium populorum terror, vnicum hoc indusium ex omnibus suis trophæis victoriisque secum post mortem defert. ô rem admirandam, & stupore dignam in Rege barbaro! ô vere cineres deprædicandos! *Platina in Cælestino III. Beuario magn. Chronic. Anno 1493*

Hoc notes oportet, Christiane, & ad eius imitationem mores tibi vitaque componenda est. An non ad exemplum barbari huius tyranni conspectis cineribus tuis, & propria vilitate, humilitatem indues? Itaque memento te non exigne conditum esse, vt stellæ; neue ex aere, vt venti sed tantum è terra omnium elementorum infimo & vilissimo; adeo, vt totus vilis sis & ignobilis. *Memento* igitur *quia cinis es* non sufficit: *& in cinerem reuerteris*. Montes quidem complanabis, valles complebis, in fine tamen moriere. Ostenta te quantum volueris, iacta te quàtum potueris, fortitudine sis Hercules, deliciis Lucullus, Babylonias turres ædifices; memento tamen te nihil esse præter cineres & in cineres aliquando reuersurum.

Vos quoque mulieres, quæ instar nympharum inceditis ornatæ, instar reginarum luxu diffluitis, instar dearum nectarea verba eloquimini, exiguæ huius tesseræ, quæ hodie vestris auribus ingeritur, nolim obliuiscì, *Cinis es, & in cinerem reuerteris*. Cadent aliquando turrita illa, & mitellata crinium fastigia, peribit ementitus hic & fucatus color, putrescent delicata illa membra, & comptulum hoc corpusculum in vilissimos cineres conuertetur. Mementote igitur quia cinis estis. Non est autem cur ab hoc faciendo deterreamini, ipsi nobis Ethnici hac in re præluceant, qui cinerum semper memores fuere.

*Aelian. lib. 3, Var. c. 35.* Refert Ælianus memorabilem sane de Philippo Macedoniæ rege historiam: quem ait, vt mortis & cinerum perpetuo recordaretur, puerum habuisse, qui hac cum quotidie mane salutatione exciperet, & cinerum mentione facta mortis ei memoriam refricaret: Memento mori Rex, vel vt alii, Memento te hominem esse, ô rex, ac si diceret: Expergiscere Philippe, noli sceptris illis indormiscere, mortem cogita: memento te cinerem esse, & in cineres reuersurum. Vos, ô Principes Christiani, symphonia & in omni instrumentorum genere è somno excitamini; at gentilem illum regem mortis memoria excitabat.

*Matul. li. 5. cap. 9.* S. Ioannes Eleemosynarius, Patriarcha Alexandrinus, vt semper horum cinerum reminiscereretur, sepulchrum suum fieri mandauit, ac nunquam id perfici passus est; voluitque, vt quotidie eum aliquis interrogaturus accederet, quando sepulchrum tuum Domine perfici iubebis? Quin & ad veterum Imperatorum coronationem, inter tot pompas, tot festiuitates, tot faustas vulgi acclamationes, multi marmorarii & latomi accedere solebant multa marmorum genera portantes, qui alta voce inclamarent; E quo marmorum genere sua sibi Maiestas tumulum parari vult, vt hac ratione conditionis suæ coronandus admoneretur. Quid amplius? Inter ceteras leges suas hanc quoque vnam esse voluit Laconum ille legislator Lycurgus vt mortuorum bustuaria & cœmiteria in ciuitatis meditullio constituerentur; Vt hoc modo iuuentus lasciuiens, & omnes omnino mortales, mortis memoriam semper in animo haberent. Confundunt me, ô Christiani, ethnicæ illæ nationes, & cum hos cineres maiore ab ijs honore affici, & amore foueri video, quam explicare ipse dicendo queam, erubesco. Iam igitur valete ô benedicti cineres, hac tamen lege, vt vos ego semper ante oculos habeam & infixos in animo geram, semper in corde semper in mente.

*Sur. tom. 1 Leon. epis. Neapol. in vita S. Ioan. Eleemos.*

*Plutarch. in Lycurg.*

Explicauimus hactenus pœnitentiæ indumentum, expandimus vestes illas pullas & cinericias, & colores depinximus, quibus pœnitentes animæ effulgere solent: iam ad epulas eius accingamur. O sacra ieiunia! ô diuinam abstinentiam, ô sanctam Quadragesimam: Vos estis pœnitentiæ nostræ delitiæ: imo vero ipsa ieiunia sunt epulæ dignæ Regibus, dignæ Angelis, dignæ Christo Iesu: pretiosiores longe epulis Cleopatræ, splendidiores Lucullianis, magnificentiores conuiuio Assueri. Epulæ in quibus ipsa mensæ ablatio loco mensæ est; rupes, mapparum; radices, missuum; conchæ, vasorum; montana, sedilium vicem occupant; & torrentes potum subministrant. Epulæ, quas Moses in planitie Sinai inchoauit, Elias in monte Horeb prosecutus est, & ambo quadraginta diebus; epulæ quas in diffuetudine abeuntes, Iesus Christus in deserto Palæstinę iterum in cõsuetudinẽ reuocauit. Vides hic vbique

IV. Ieiunia pœnitentiæ epulæ.

*Plutarch. in Lucullo Esth. 1.*

*Exod. 34. 3. Reg. 19.*

vbique quadraginta dies hæretice tam in desertis, quam in montibus, tam in nouo, quam veteri Testamento? quibus nos nostram Quadragesimã repræsentari putamus.

Ion. 3. SICVT olim Deus Niniuitis quadraginta dierum spatium concessit, intra quos pœnitentiam agerent, ita & nobis eadem sua benignitate quadraginta hosce dies ad peccata nostra deploranda elargitus est. Expergiscere igitur Lætetia, *adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*, nisi hisce quadraginta diebus *pœnitentiam egeritis omnes simul, eribitis.* Etrauit olim populus Israeliticus quadraginta annis per vastam solicitudinem, antequam ad terram promissionis perueniret, modo siti exhaustus, modo fame enecatus, semper in ærumnis, semper in angustiis degens. Quo quid aliud edocemur, quã prius in beatitudinem, quæ vere terra promissionis est, nos peruenire non posse; quam quadraginta dies, in deserto mundi huius, insiti, in fame, in ieiunijs, & asperitatibus, & veræ sanctæque pœnitentiæ actibus traduxerimus. Pertulit Noe quadraginta diebus in arca, iniurias cœli, procellas maris & rabiem diluuij; deinde vero post emensos labores, atque ærumnas magno cum gaudio in montibus Armeniæ conquieuit. Ita quoque, ô anima mea, si in æternis illis cælorum montibus gloriosa, & exultans aliquando cupis conquiescere, in arca pœnitentiæ recluſa, quadraginta his dieb. diluuium quoddam pœnarum, ærumnarum, flagrorum, asperitatum, austeritatumque prius perferas necesse est.

Num. 11.

Gen. 8.

Anne igitur nobis figuræ desunt, ad sacrum hoc quadragesimæ ieiunium confirmandum & stabiliendum? Tunc igitur hæretice, inimice ieiunij, amice ingluuiei, Epicuri de grege porce nouum hoc & confictũ existimas? anne tibi recenter videtur ingestum & intrusum? perperamne factum arbitraris! anne abusum putas? anne superstitiosum ducis, hac ratione pœnitentiam agere? anne nos tuo erramus iudicio? anne fallimur? peccamusne facientes, quod ante nos Moses & Elias vsurparunt, Christus stabiliuit, Apostoli denique Apostoliciq; viri perpetua & pia obseruatione custodierunt.

Inualuit iã à tot seculis sancta hæc Quadragesima iam ab annis mille sexcentis eius vsus in Ecclesia viguit. Testatur id omnis antiquitas, confirmat id sanctorum Patrum veterumque omnium consensus. Inter ceteros loquentem hic audiamus Hieronymum: *Nos vnam Quadragesimam secundum traditionem Apostolicam, anni tempore nobis congruo obseruamus.* Eadem omnino scribit ad Philippenses Ignatius, Apostolorum æqualis: eundem secuti sunt magnus Mediolanensium antistes *a* Ambrosius, doctus ille Afer *b* Augustinus, Basilius, *d* Theophylactus Græciæ lumina, præ cæteris vero *e* Origenes. Quam ampla & quam præclara de Quadragesima nostra testimonia!

a Homil. 2. ad pop. b epist. 86. & 213. c Orat. de ieiunio. d In Canon. Apost. e Homil. 10. in Leuit. Tom. 2. ep. contr. Mõtan. & in Osee c. 18.

O castam & sanctam Quadragesimam! nullum esse sani iudicij reor, qui te non amplectatur: quippe quæ nos in paradisum restituis, è quo gula & ingluuies nos extulerat: quæ vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia: ô bellicum & martium ieiunium! qua carnem edomas, mundum expugnas, & dæmones, teste in Euangelijs Domino, fugas, *hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & ieiunio.* O felix & triũphans ieiuniũ! maior adhuc tua vis est & potentia: vtpote quæ ciuitates & oppida vna cum ciuibus periculis eripis, quæ obsessos liberas, & pacem cõcilias. Video nãque vastam illam Ninivem te amplexari, ac publica præconis voce indicere, vt & bestiæ ieiunarent; video diuinæ vindictæ iacula in muros illius vrbis vibranda per te auerti. Per te quoque populos conseruatos considero, vt præ cæteris Hebræos, qui monitu Estheris triduo ieiunantes Amanum qui sanguinem eorum ardentissime sitiebat, ad laqueũ, coegerunt, & cruenti decreti sententiam, quod in perniciem omnium, qui in regis Assueri regno versabantur, conditum erat, reuocarunt. O potens ieiunium, Tanta porro in cælis est potentia, tantaque tua in supernis authoritas, vt si quando antiqui illi Patriarchæ & prophetæ aliquid à Deo obtinere cupiebant, vt S. August. testatur, ad te vnum velũti ad singulare remedium confugerent, & vnicam abstinentiam mediatricis loco adhiberent.

Effectus ieiunij ad mirabiles.

Matt. 19.

Ion. 3.

Esth. 4.

Quare institura Quadragesima.

Si vero causam instituti ieiunij, & Quadragesimalis abstinentiæ, scire desideres, scias eam ad corpus castigandum, edomandum, & macerandum potissimum esse institutam. Corpus hoc, Auditores; tyrannus est, qui perpetuum cum ratione atq; intellectu bellum gerit: vorax Esau est, qui propter rem nullius momenti, propter minimum gulæ irritamentum, ius omne quod ad gloriam sempiternam consequendam habebat, sacrilege vendit, misere prodigit, ac nequiter disperdit, atque ideo furore percitum intellectum & rationem, velut germanum suum Iacob, semper prosequitur.

*Gen. 3.* Caro hæc nostra altera Eua est, quæ rationem non secus atque illa Adamum, pomo illi voluptatis proposito, tendat & diuexat. Ipsa est subdola illa atque versuta Dalila, quæ mentem, vti illa Sampsonem, in voluptatem sinu reclinatam, in soporem inducit, soporatam hostibus prodit, ac vendit, & peccatis, id est, Philisthæis, vinctum tradit.

*Iud. 16.*

*Gen. 39.* Ipsa est pellax illa & scelerata vxor Putiphar is, quæ rationem, sicut illa castum Iosephi adolescentis animum, tentat, & ad peccandum pellicit: quæ cum voti compos fieri nequit, amore in odium & rabiem conuerso, carceri eam, hoc est, molestiis & inquieti mancipat. Edomanda est igitur, & subiugãda ieiunijs, verberibus ac flagris coercenda,

*2. Cor. 6.* & vt Paulus ait, *in laboribus, in vigiliis, in ieiunijs*, exercitanda.

*Tob. 6.* Piscis ille immanis, in mari natitans Tobiam deuorare conabatur, sed Angeli monitu in siccum extractus palpitare cœpit, &

Allegoria. exspirauit. Piscis hic ingens, nostra est caro, quæ per mare voluptatum euagata, animam in magnum discrimen adducit: verum vbi in littus & siccitatem pœnitentiæ proiecta est; quamprimum comprehensa superatur, nam, *Luxuriat raro, non bene pasta caro.*

Ad ieiunia; ad lacrymas, ad suspiria, ad pœnitentiam igitur recurrendum est, Auditores, armaque aduersus hoc nostrum corpus, hostem hunc domesticum sumenda sunt. Audiamus animantem Paulum: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.*

*Tom. 1 ep. in vita Hilarionis.* Imitemur veterum Anachoretarum exempla; Audiamus Hilarionem (teste Hieronymo) aduersus corporis petulantiam & proteruiam, insurgentem, & hisce id verbis alloquentem: *Ego asselle faciam, vt non calcitres, nec te hordeo alam, sed paleis; fame te conficiam & siti; graui onerabo te pondere, vt cibum potius cogites quam lasciuiam.* Consideremus quid egerit sanctus ille Euagrius, qui multos annos in summa asperitate, in deserto Thebaidis vitam traduxit: hic cum quodam tempore ita in corpus suũ sæuiret, vt ad sonitum verberum & flagrorum rupes atque vasta solitudo resonaret, & à quopiam admoneretur, ne ita in seipsum efferasceret, ac tergo dilaniato parceret; magna animi constantia respondit, *Quiescat ille, & quiescam ego*: desinat me bellua hæc oppugnare, equidem desinam expugnare.

Euagrij vitæ austeritas.

O fortes & generosos athelatas! ô pugnaces animas! Sumite & vos iam animos, mundani, in membra vestra sæuite, corpus hoc vestrum per ieiunia & pœnitentias castigate, refractarium est, fateor, & petulans; at refrenandum est. Imitemini illos solitudinis incolas, aut potius reges clamantes, *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Obedite voci Dei, *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu*, reuertere igitur peccator, reuertere conuertere ad me ex toto corde tuo, ieiuniis, suspiriis, gemitibus, singultibus, & planctu gratiã meam impetrato.

*Psal. 34.*

*Ioel. 2.*

Paratum cor nostru Domine, paratum est, decreuimus te iam per deserta vsque ad Caluariæ montem sequi; cruces & clauos tolerare, parati sumus sanctificare ieiunia, celebrare Quadragesimam, corpora castigare, atque omni pœnitentiarum genere te nobis placabilem & propitium reddere. Sed heu! quid iuuat proposuisse & decreuisse, si ipse non disponas, & benedictionem superaddas; tu igitur qui gratiam dedisti, qua sancta hæc Quadragesimæ ieiunia inchoauimus, eandem nobis conserua, vt ad finem vsque fideliter perseueremus. Concede igitur Domine vt te per ieiunia, per sudores & ærumnas, per labores & discrimina, vsque ad passionem, imo ad mortem vsque in hoc mundo sequentes, ad te in altera vita sequendum resurgere mereamur.

Amen.

FERIA

# FERIA V. POST CINERES.

## Partitio.

I. *De iustificatione militaris animæ.*
II. *Quis Centurio appellandus?*
III. *Qui milites Centurionis?*
IV. *Quis paralyticus seruus Centurionis?*

*Cum intrasset Iesus Capharnaum accessit ad eum Centurio.* Matth. 8.

## FIGVRA.

MAGNVS ille bellator, summus item Rex, ac non minor Propheta, Dauid, cum quodam tempore seruum viri Amalecitæ, in agro semianimem, & extremos præ ægritudine vix trahentem spiritus, ab omnibus destitutum reperisset; commiseratione interius commotus, necessaria ei suppeditari, ac diligentem eius valetudinis rationem haberi præcepit. At videas hodie non regem, sed Centurionem in scenam prodeuntem, qui cum seruum paralysi diuexatum videret, misericordia motus, magnum amoris erga eum sui signum declarat, Iesu Christo pro sanitate eiusdem supplicat, & magno animi affectu pro salute eius pium Dominum deprecatur. Ac quemadmodum Dauid rex, Amalecita sanitati restituto, egregiam de hostibus victoriam consecutus est; ita quoque Centurio hic, propter insignem quem in serui inualetudine declarauit charitatis affectum, Dominum tecto suo meruit accipere, præclarumque de vitiis suis triumphum referre. Hæc sunt, quæ hodiernum nobis Euangelium denuntiat, quæ vobis, salutata prius simpliciter gloriosa Virgine, ac Deipara Maria, enarrare decreuimus.

## AVE MARIA.

I. Inter omnia, quæ digna sunt quibus in admirationem rapiamur, quæque præter communem rerum ordinem videntur accidere, principē merito sibi locū vindicat ipsa peccatorū destructio, atq; animarum à vijs iniquitatis ad Deum conuersio: id enim maximum est, & omnium, quæ è cœlo proficiscuntur operum longe præstātissimum, quo nihil aut maius aut admirabilius infinita illa virtus, atque infinite potens, in hoc mūdo potis est producere. Ita nempe id asserit Doctorum omnium Princeps, ac Principum Doctor D. Thomas, dicens: *Maximum opus Dei est iustificatio & peccatorum remissio.* 1.2.q.112. docuerat quippe eum Propheta regius, *miserationes eius super omnia opera eius.* Psal.144. Ipsa quoque mater Ecclesia, vt egregij huiusce documenti nobis memoriam reficaret, in Officio suo quotidiano his Dominum verbis deprecatur, *Deus qui parcendo & miserendo potentiam tuam maxime manifestas.* Ita profecto res agitur, ô numen æternum miserendo, scilicet infinitam tuam potentiam demonstras. Notate paradoxon, attēdite prophetias, at, quis credet auditui nostro? ita tamen sese res habet. Ipsa quidem mundi creatio vere mirabilis extitit, peccatorum iustificatio, mihi credite, longe est admirabilior. Vnico momento Deus, mundum condidisti, vnico momento ex nihilo omnes omnino creaturas velut in aciem produxisti; at vt vnam originalis peccati turpitudinem aboleres, quinque ipsis annorum millibus distulisti, ac triginta tres annos, vt ad effectum opus perduceres, desudasti. Illic vnicum tantum verbum dixisse oportuit; *Dixit, & facta sunt*; hic pati & mori necesse fuit, nam *oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Psal.148. Luc.24. Hic opus, hic labor est.

Militum conuersio difficilis.

Sit itaque fixum & indubitatum, Auditores, nihil esse in mundo, peccatorum conuersione admirabilius, at conuersionem militum ante omnia esse admirandam. Deus bone, quanti hoc laboris opus, quantæ difficultatis! quam inaudita metamorphosis est, ex truculento ac feroci leone humilem & mansuetum agnum, ex diabolo Angelum, ex barbaro & idololatra Christianum, ex mundi milite, athletam & pugilem facere Iesu Christi? Attendite quid in hunc sensum propheta Daniel de magno illo & superbo Nabuchodonosore scripserit, quod scil. in bestiam prius commutatus sit, quam Dan.4.

ad

ad prædicationem Prophetæ conuerteretur. Mandauerat quoque Dominus Mosi, petræ tantum præcipere, vt aquam effunderet; ipse vero adiunxit ictus, atque virga eam percussit, & vix adhuc credebat, aquam ex ea posse scaturire. Ad eundem plane modum, vt militaris & bellatrix anima, quæ petræ instar in peccatis obduruit, conuertatur, non verba, nec demulcens aut blandus concionantis sermo sufficiunt, at baculo opus est, addendæ minæ, & omnes Euangelicæ machinæ in vnum violenter conglobandæ, & vix dum ad pœnitentiam permouebitur. Quantæ, Deus, molis est, piratam in mari liberratis plenis velis euagantem, ad pœnitentiæ littora deducere, vbi quietus dormiat & quiescat. Hic desudandum est, hic, non secus ac Mathematici in quadratura circuli inuestiganda, toris viribus elaborandum est.

Ingens profecto miraculum fuit aquam è petra Sinai profluxisse, at vero multo maius, admirabilisque est, aquas deuotionis lacrymarumque, è rupibus martijs, id est, animis militum profluentes intueri. Iuuabunt nos hac in parte non parum Philosophi naturales: docent illi namq; Elementa in sibi similem qualitatem facile posse transmutari; verum in dissimilia, nihilque inter se commune habentia difficulter admodum transmigrationem contingere. Ignis enim & aer, cum simul in aliqua qualitate reperiuntur, facile inter se consentiunt; at aqua & ignis, qui omnium dominiũ rerum inter se partita sunt, & perpetuum inter se bellum gerunt, se mutuo enecant potius & perimunt, quam consentiant. Hinc non adeo mirum est, inflammari aerem, & igneas fauillas eiacular; verum vndam exæstuantem videre, & ignem instar aquæ molliter diffluentem, omne miraculum excedit. Ad eundem quoque modum, nõ tanta admiratione dignum est, vulgarem quempiam peccatorem, qui pietate aliquatenus adhuc afficitur, quique remorsum semper aliquem intrinsecus sentit, conuerti, & tandem vitam in melius commutare, flagitiaque sua lacrymis eluere; quam hæc omnia in milite contemplari, quem Poeta suis coloribus depingit, dicens:

*Nulla fides, pietasque viris, qui castra sequũtur.*

Vos autem milites, qui pro Principũ vestrorum salute arma geritis, qui prouincias furtis & latrocinijs non exhauritis, quiq; Ecclesiam vestris armis ac sanguine tuemini, non hic sugillo, sed potius deprædico: at prædones illos modo alloquor, peruersos illos raptores iam tãgo, hos mea solum ferit reprehensio, tales namque difficulter admodũ ad bonam frugem reuertuntur. An non Petrus inter milites Dominum negauit? an non Iudas cum militibus familiarius agens magistrum suum prodere didicit? an non omnia Passionis Dominicæ tormenta milites excogitarunt, & eorum pars prima extiterunt? Ipsi tibi milites, bone Iesu, vincula iniecere, te flagellauerunt milites, milites faciem tuã conspuerũt, ijdem ipsi milites super vestem tuam miserunt sortem, alapas tibi impegerunt, cruci te confixerunt, lancea latus tuũ perforarunt, ad crucem te compulerunt, ipsi denique milites blasphemijs & contumelijs te impetiuerunt, & sepulchrum tuum valido præsidio custodierunt. Horresco referens. Ab his igitur hominum monstris, impijs & sacrilegis quid speres boni, quid honesti exspectes?

Audite me milites. Video crudeli illo & plusquam tragico passionis tempore monumenta aperiri, elementa plangere, rupes findi, solem deliquium pati, cælum horrendum in modum detonare, totam mundi machinam obstupescere, terram tremere, & denique quidquid in rerum natura est, lugubrem & funebrem habitum induere; & vos solos sine vlla formidine aut metu, in summitate montis Caluariæ, sub cruce, aleis video tempus fallere. An non igitur merito in conuersione militis obstupescimus? an nõ etiam vos Auditores stupebitis, cum vnum vobis hodierna die vere ad Dominum conuersum in scenam produxero? Centurionem inquam, tanta ad Deum humilitate animique dimissione accedentem, vt nihil vnquã vidisse simile Dominus ipse testatus sit. Rem gestam describit Matth. & mirabilem eius conuersionem ob oculos ponit, dicens: *Cum intrasset Iesus Capharnaum accessit ad eũ Centurio.*

Pero

Peto igitur à vobis Auditores, vt me conuersionem eius, seruique ægritudinem in tabella Euangelica verbis depingentem benigne pro vestra consuetudine audiatis.

II. Centurio hic, quantum ex historiæ serie intelligere fas est, Gentilis fuit, ac centum militum caput, qui audita miraculorũ quæ Messias per Iudæam factitabat, fama, & simul cognito, seruum suum paralysi grauiter distineri, in Israel descẽdit, remedium morbo eius quæsiturus; & accedẽs ad Iesum, oculos lacrymis suffusus, interius miseratione commotus, ac genu in terram prostratus, hac eum oratione aggressus: Dignitates miraculorum tuorum Domine, oraculorum tuorum fama, & fides quam in animo concepi, te verum Messiam esse; meam me prouinciam relinquere, ad te supplicem venire coegerunt. Cerne obsecro, Domine, miserrimum & infortunatissimum omnium, qui vnquam vixere, mortalium. Vnicus mihi seruus erat, fidelis, quemque vt fratrem complectebar, & qui fidum hactenus mihi ministerium exhibuit; & hunc, nescio quonam meo fato, domi meæ paralysis lecto affixit, ac miserum in modum discrutiat. Eius ego causa langueo, & eum morientem doloribusq; exhaustum videns, ipse emorior. Itaque Domine laboranti nec non & mihi eius domino, propter eum supplicanti, benigne succurre.

Oratio Centurionis ad Christũ.

O charitatem humilitatemque prædicandam: ô admirabilem, ac plenum fide, commiseratione, & virtutibus militem! Potes iam hic sapiens, intueri, q̃ tantopere in heris erga seruos suos videre desiderabas: *Si est tibi*, inquit, *seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem tuum tracta*. Audite quæso domini, documentum hoc sapientis: si vobis sint serui, nolite in eos excandescere, aut cũ ijs insolentius agere; vt fratres illos habetote, imitemini egregium hunc & benignissimum Centurionem, Centurionem, inquam, vere admirandum.

Eccles. 33.

Petra in India sem per ardẽs.

Magnus ille naturæ indagator Plinius in India, non procul à promontorio, cui nomen Nymphæum, petram esse ait, quæ semper exæstuet, ac flammas continuo eiaculetur: quod singulari quodam naturæ miraculo contingere arbitramur. At contemplemini hic miraculum longe admirabilius, videbitis vtique ad Iesu Christi pedes, in terra Israel, petram Martiam prostratam animam, vt sic dicam, loricatam, flammas pietatis eiaculãtem, & charitate penitus exæstuantem Moses stupet ad visionem rubi in solitudine Sinai ardentis, & eam visionem magnam appellauit. Ad nos potius ô Moses, iam descẽde, & ad maius spectaculum conspiciendum è cælo ad nos aduola; videbis hic militẽ, aspicies centurionem, contemplaberis rubũ, in medio deserti & solitudine gentilitia, ardentissima charitate flagrantem.

*Exod. 3.*

Hic adeo benignus & cõmiseratione plenus actus alium mihi haud multum dissimilẽ, quem S. Lucas in quadam Parabola depingit, reuocat in memoriam. Illic namque misericordem Samaritanum, in hominẽ grauiter sauciatum incidentem atque ex equo descendentem, vulneraque eius obligantem intueor, hic vero non Samaritanum, sed Paganum, sed Centurionem ethnicum, qui cognoscens seruum grauiter à paralysi torqueri, ad Christum confugit, vt humili deprecatione sanitatem eius obtineat.

*Luc. 10.*

Adsis huc, ô pie Centurio, eleua pauliſper cassidem, exue loricam, arma sepone, & edisſere nobis quamnam personam sub titulo & nomine Centurionis geras. An non, depositis militaribus insignibus, animam nostram exprimes; quæ quia centum & amplius donis locupletata, est, & gratijs dotata, Centurionis nomine merito poterit appellari? Hic igitur sensus est allegoricus. Humilis hic Centurio animam nostram denotat, quæ cẽtum potentijs imperans, præter innumeras alias facultates, quæ seruorum in ea locum obtinent, cum vel minimum affectum inordinatum paralysi spirituali viderit torqueri, ad Christum refugium habet fide armata eum aggreditur, & simul scuto fidei, gladioque orationis munita impetrat, quod postulat.

Anima nostra Cẽturio est. *Gen. 12.*

An non iucundissimum oculis spectaculum fuit, Iacob in ripa Iordanis tota nocte cum Deo luctantem videre, & penes hominẽ victoriam stare? at multo iucundius nobis hodierna die spectaculum proponit Euange-

lium, Centurionem videlicet noſtrum, qui animæ noſtræ typum gerit, cum eodem Deo verum carne circumdato, luctantem, & victorem ſumma cum gloria recedentem, & à victo hocce virtutis teſtimonium audientem, *Non vidi tantam fidem in Irael*, videte gloriam: *fiat tibi ſicut vis*, ecce victoriam.

1. Reg. 17. Miratus ſum non raro vbi a puero illo & abiecto opilione Dauid, monſtroſum illum Goliath vnicæ fundæ iactu vidi proſterni, proſtratumque armis & exuuijs expoliari. Ignoſcas, porro mihi Domine Ieſu, ſi demiſſius, quam tuæ dignitatis ratio poſtulat, de tua maieſtate ſentiens, cum Goliate audeam conferre; quippe qui te ab humili hoc milite, vnico orationis & obſecrationis ictu, magis miter, quam à Dauide gigantem, proſterni & expugnari, ô vere generoſum Centurionem, ô vires & efficaciam orationis!

Et ſane Centurio hic noſtra eſt anima, ipſa eſt hic miles, quã iam inde ab incunabulis, iam inde à primo ortus ſui tempore, bellantem & luctantem videtis; cum teſte Iob, *vita hominis militia ſit, ſuper terram* Quis ille loquendi modus eſt? nũ enim ait hominem, militem eſſe, ſed vt euidẽtius miſeriam noſtrã detegeret, calamitateſq; vitæ huius exaggeraret, totam hominis vitã in hoc mundo, non niſi militiam eſſe teſtatur. Sanctus autem Apoſtolus Paulus inter arma & bella educatus, certaminibus & pugnis aſſuetus, quam aperte, nobis præliandũ eſſe, demonſtrat? *Non eſt*, inquit, *nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem*. ac ſi diceret; Excuba & vigila ô anima, omnem in partem circũſpice: non eſt tibi cum ſolo corpore digladiandũ, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus rectores mundi tenebrarum harum, dæmones ſcilicet infernales. Itaque noli pauore conſternari, aut metu exalbeſcere; neque enim de numero gregario es, ſed Centurio *& puer tuus*, id eſt, affectus tuus, *iacet in domo paralyticus*.

Iob. 7.

Ephes. 6.

Solent Arithmetici & Mathematici numerum centeſimum ceteris anteferre, ac magnas in numero rotundo vires cõſtituere: ſcater namque prodigis, vt ait Hieronymus: hic numerus diuinitatem redolet, vt Beda & Origenes: anima quoq; noſtra centum dotib. & facultatibus decorata eſt Ipſa enim totius naturæ veluti repoſitorium eſt, quod in ſummi apud Iudæos ſacerdotis veſte exprimi videmus. nam quemadmodum in illa diuerſæ rerum imagines efformatæ erant; ita & in anima ſummi illius hominis, omnis eius eſſentia, omnes dotes, & omnes omnium creaturarum perfectiones comprehenſæ ſunt. Quemadmodum etiam in arca Noe omnia animantium genera continebantur; ita & anima, tanquam in grandi quadam arca, omnes perfectiones, donaque gratiarum concluſa ſunt.

*Hieron. in parab. Bus. 16.*

*Beda & Origen. in parab. de 100. ambu. Exod. 28 Geneſ. 7.*

III. Ipſe quoque Ariſtoteles dicet, Plato aſſeret, atq; adeo omnis Philoſophorum chorus vna voce affirmabit, animam noſtram Centurionem, & centuplicem eſſe, mille ſcilicet aut amplius facultatibus inſignitam: dicent, eam Monarcham eſſe quæ regnum quoddam perfectionũ moderetur, quæ tres vicarios habeat generales, Memoriam, Intellectum & Voluntatem: quin etiam tres his ſubiectos, Potentiam nempe Vegetatiuam, Senſitiuã & Intelligibilem; quæ inſtar trium ſunt Chiliarcharum, mille legiones, mille cẽturias, mille cohortes ſub ſe habentium. Et quamuis earum prima in plantis, altera in animalibus, tertia vero in ſolo homine reperiatur; non tamen tres diuerſas in homine animas conſtituunt; at vnam in eſſentia & tres facultatibus ac potentiis. Ipſa iterum Vegetatiua, tres nouos actus ex ſeſe producit: Gignit enim ad perpetuam cõſeruationẽ ſui, Adaugetad cõmodũ indiuidui, & Nutrit ad perfectionẽ ſubiecti. Quot vero ſub earum ſingulis pedites, quot milites & gregarii numerantur? Nutritiua potentia quatuor duces habet; vnum ſcilicet ad cibũ ingerendum, alterum ad digerendum, tertium ad retinendum, quartum ad egerendũ. Nondum autem hic finis. Senſitiua quoq; decem potentiis veluti decem militũ tribunis cincta eſt, qui ordines dirigãt, qui imperent, & ſummo cũ imperio in caſtris verſentur: quinq; ſunt intra regni limites cõſtituti, & quinque extra prouinciam: foris quidem ſenſus quinque exteriores: viſus, auditus, odoratus, guſtus, tactus; interius vero quinque ſenſus interiores, ſenſus communis,

*Animæ ſpecies metaphoricæ.*

vis

vis imaginatiua, æstimatiua, phantastica, & memoria. An non hi centesimum numerum excedunt? an non vere cum Iob dicere poterimus, *Non est numerus militum eius?* Iob 3.

Anima dominatur infinitis locis.

Verum alia quadam ratione rem inuestigemus: an non anima plusquam centum locis regnat & ijs dominatur? nunquid tota est in toto, & tota in qualibet corporis parte constituta? Sensus regit in capite, neruos in cerebro, medullam in ossibus & sanguinem in venis. Dentes facit masticare, linguã hoqui, stomachum digerere; arteriis pulsum, pulmonibus spiritum, hepati calorem, cordi vitam, atque omnibus denique membris motum elargitur. Omnia ossa innumera, cunctas compages, venas, arterias, musculos, cartilagines, examina, & centena millenaque inuenies, in quæ Centurio hic dominatur. *Homo sum*, inquit Centurio, *sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic; Vade, & vadit: & alii, veni, & venit; & seruo meo, Fac hoc, & facit.* Hæc in te quadrant, anima mea: centum virtutum genera in te contines & totidem pœne peccata eis aduersantia; tu primum ad te vocas, & aliud à te dimittis, atq; ita semper tibi obtemperatur: tu quippe es turris illa Dauidica, de qua in Canticis scribitur, quod *mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Cant. 4. Tu es pastor ille Euangelicus, centum oues, centum scilicet dotes & gratias, in pratis corporeæ huius massæ pascens, de quo in Euangelio dicitur, *Quis ex vobis homo qui centum habet oues, & si perdiderit vnam ex eis, &c.* Luc. 15. Tu quoque villicus es, centum olei cados domino tuo debens: centum quippe à Deo, domino & magistro tuo, gratiarum dona in villicationem accepisti, quarum tibi apud illum reddenda est ratio. Tu denique seruus ille es centum debitor denariorum. Sed notis hisce & vulgaribus relictis noua, & non audita afferamus. Moses indicto concilio, communi populi suffragio, Centuriones & tribunos constituit, qui eundem & regerent, & suum vnicuique ius, vt par erat, redderent. An non hinc edocemur, anima, in te primo quod Deus in mundo habuit concilio, ab eodem Centurionem Matt. 18.

esse constituram, vt tantas copias quas in hoc tuo corpore collocauit, regeres, & oẽs gratias potentiasq; diiudicares.

Spiritualis acies animæ virtutibus constans.

Dubitabitne igitur aliquis, animam Centurionis dignitate effulgere? non quidem existimo. Videat porro ille eã hic spirituales suas copias, quibus instar Centurionis imperat, præter eas etiam, quas in terra proprię originis conscripsit, recensentem: egregium ille proculdubio agmen videbit, & validum vndecunque contractum exercitum. Paulus producit in aciem tres fortissimos Principes, qui virtutes Theologicæ appellantur; Fidem scilicet, Spem & Charitatem, eosque in Corinthiorum finibus ostentat. 1. Cor. 13. Salomon è terra Sapientiæ quatuor insignes magnates profert, qui virtutum Cardinalium nomine decorantur, Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem & Temperantiam. Sap. 8. Isaias armat & instruit Spiritus sancti dona, milites scilicet selectissimos & bellatores fortissimos. Ecclesia quoque octo beatitudines velut primipilos emittit. S. Paulus adhuc duodecim legiones, velut auxiliares copias, duodecim nempe Spiritus sancti fructus, idque Galatarum nomine conscribit: quinque etiam sensus spirituales sub titulo Philippensium. Videon insuper duas alas & turmas aduentare, vnam scilicet duodecim fidei articulos, quam Apostoli simul omnes conducunt; alteram vero, decem Decalogi præcepta, quam Moses è longinquis adducere regionibus videtur. An non hic ingens militum numerus, & copiosum agmen bellantium? an non anima igitur verus Centurio est, verus miles, verus dux, cum tot legiones, & agmina suo vnius regi videt imperio? Ipsa est, hic Centurio, qui tanta fiducia, tanta humilitate, tantaque charitate, totque dotibus ornatus ad Christum accedit, quem ipsi Iudæi laudant, cuius causæ Apostoli patrocinantur, quem denique Saluator noster demiratur. Aiunt Iudæi. *Diligit gentem nostram, ipse nobis Synagogam ædificauit*, æquum igitur est Domine, vt supplicantem exaudias, addunt Apostoli, *Dignus est, vt hoc illi præstes*: non est sacrilegus, templi expilator, calicũ direptor, cãpaniliũ demo-

Isa. 11. Matt. 3. Gal. 5. Philipp. 2.

litor, altarium profanator, sacerdotum iugulator. Non est, Domine, iconoclasta, peregrinationum exsibilator, aut Quadragesimæ, carnes illicite comedendo, cõemptor: licet namque gentilis sit, erga religionem afficitur, pietatẽ demonstrat, Synagogas ædificat. Ad quæ omnia tandem velut concludens ipse Dominus subiicit. *Non inueni tantam fidem in Israel.* Hem quæ laus quantaque gloria est, ô miles, à principe suo laudari, sed quanta ab eo qui simul & Deus sit, nam

Horat. *Principibus placuisse viris nõ infima laus est.* Nunquid inanis gloriolæ vento extolleris Centurio? non equidem timeo. Satis namq; humilitatem tuam video, cum te clamantẽ audio. *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Quo plus extolleris, eo te plus deprimis; quo magis laudaris, eo te ipsum viliorem ducis: ô vere igitur dignum militem, militem qualem me vix memini vidisse! militem omni virtutum genere armatum!

IV. Quid seruus Centurionis mystice denotet.

Ignosce quæso Centurio, si diutius quam par sit, hîc te morer, iam tempus est, vt te dimittens ad seruum tuum orationem conuertam, qui in domo paralyticus iacet, & male torquetur: iam namque tempus foret, vt & tu eius sanitatis rationẽ haberes, & ego nomen eius indagarem. Quis vobis hic seruus paralyticus fuisse videtur, Auditores? Cum dixerim Centurionis nomine animam nostram quam scitissime designari, ratio ipsa & rei series postulare videtur, vt hunc ipsum seruum paralysi distentum, corruptã nostram esse dicam concupiscentiam: illa namque vere seruus est, vt diuinæ nobis litteræ insinuant; *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: seruus inquam à primo ortus sui die ægrotans, toto vitæ tempore languescens, & nisi eum liberet, ad finem vsq; vitæ, paralyticus futurus, hoc quippe illi malum, peccatum originale peperit. Hem miserum appetitum! quam fractus es, & languidus, quam elumbis ab ipsis ortus tui initijs; *ices in domo paralyticus*, in animæ tuæ penetralibus; *& male torqueris*, ieiunare non vales, cilicio ferendo non sufficis, pœnitentia non afficeris. Quænam hæc ægritudo, q̃ grauis paralysis? Denique appetitus iste pessime habet, & dire excruciatur, sanarique haud quaquam potest nisi dominus eius & magister, nisi Centurio, quem animam diximus Christum accedat, proque eius sanitate deprecetur dicens, *Domine, puer meus iacet paralyticus.*

Gen. 4.

Attendite quæso mysticas significationes; & ponite vobis ob oculos hominem illum, de quo in Euangelio, ab Ierosolymis in Iericho descendentem, & incidentem in latrones, qui despoliantes eum, & plagis impositis, semiuiuo relicto, recessere. Videte quoq; Samaritanum misericordia commotum, accedentẽ, vulnera alligantem, & curam eius haberi mandantem. Hæc porro deprædatio & iugulatio in paradiso terrestri contigit; cum scilicet infelix eius incola Adam, ab Hierusalem in Iericho descendens, è gratia scilicet in peccati exitium (proh infelicem & infaustum descensum!) in horrendas dæmonum, atrocium, inquam, latronum, manus incidit, qui omnibus eum gratijs denudarunt; atq; ita plagis nostram appetitricem vim confecerunt, vt moribundam & grauiter adusq; mortem sauciatam reliquerint: cuius si Christus, verus ille Samaritanus, non misereretur, nunquam ab ægritudine sua sanaretur, & perpetua paralysi cruciaretur.

Luc. 10.

Quid porro tu denotabas ô mulier, quæ sanguinis fluxum duodecim annis passa es, quæ in medicos omnem substantiam erogaueras, & à nemine nisi à Messia potuisti curari? aliud nihil, vt equidem credo, quam ægram nostram concupiscentiam, quæ à nemine, nisi Christi Iesu manib. iuuari potest. Tuque ô paralytice ad piscinam aquæ motum exspectans, qui iam triginta octo ipsos annos infirmitate laboraueras, an non misera illa & corrupta concupiscentia nostra es, quæ iam à quinque annorum millibus infecta est, quotidie exspectans donec Christus Iesus descendat, & benedicta gratiæ eius aqua commoueatur? Exclama ergitur peccator, & audacter Christo medico vulnus detege, ac morbum tuum aperi, dicito confidenter; *Puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur.* Vere *male*, quia malum,

Matth.

lum paralysis est; vere inquam *male*, quia iã malum longa inualuit mora & nisi supernaturali quadam ratione, ac nisi miracula adhibeantur, sanari nequit.

Vos vero ô animæ deuotæ, Centuriones inquam, animosi & masculi, an non in vobis ipsis paralysin hanc aliquando experimini? An non aliquando intestinum hoc bellum animum vestrum diuexat? cum nimirum Spiritus aduersus carnem armatur, & caro aduersus Spiritum concupiscit. Anne adeo in vobis ipse sensus obstupuit, vt nihil penitus persentiatis? Audite quomodo ipse Paulus his assuetus bellis exclamet, *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Erant olim in familia ac domo Abraham duæ mulieres, Sara videlicet hera & Agar ancilla; numquam inter eas conuenit, numquam illæ pacem inter se habuere, sed continuæ rixæ, ac perpetuum inter eas fuit dissidium. Vna quippe vxor erat materfamilias, altera solum concubina, atque ideo semper inter se rixabantur; dicebat enim Sara, *Eiice ancillam & filium eius.* Duæ illæ mulieres litigiosæ rationem & cõcupiscentiam denotant, quæ in domo & familia hominis semper inter se digladiãtur: *caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Vna hera est, scilicet ratio; altera serua, nempe concupiscentia: vna casta est & legitima; altera pellex & concubina peccatis implicita: ac semper inter se belligerantes; & *Eiice ancillam* (id est, concupiscentiam) *et filium eius* (id est, appetitũ) exclamat Sara, quâ Ratio designatur.

Pastores Abrahæ & Lothi qui fratres inter se erãt, de pascuis quotidie rixabantur, & perpetuo in agris litigabant: *Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abraham & Loth.* Quibus edocemur, facultates animi & appetitu sensitiui, qui veluti duo fratres vterini sunt, numquam in pace & quiete sed perpetuo in dissidio & iurgio versari.

Iacob & Esau, itidẽ fratres, etiam in ventre matris Rebeccæ, inter se collidebantur: quo quid aliud quã certamina & prælia, quæ spiritus, per Iacob designatus, & cõcupiscẽtia, per Esau denotata, inter se gerunt, significatur? Sunt enim instar fratrum, qui inter se semper digladiantur, & se mutuo in ventre hominis collidunt. Hem quæ certamina, quæ paralyses! Respice igitur anima seruum tuum, *qui iacet in domo paralyticus, & male torquetur.*

Relinquamus porro has figuras, & ab ipsa natura documentum requiramus: Ecquæ vero certamina, ecquæ dissidia sunt inter solem & terram? Videmus solẽ à terra, quæ terros semper vapores exhalat, oppugnari, vt hac ratione eius lumen obfuscet: illinc vero solem fulgura aduersus eamdem eiaculari, ingentique fragore ac tonitru eamdẽ percellere. Eheu! idipsum quod in rerũ natura contingere videmus, & in anima nostra accidere certissimum est. Quot enim hinc passiones & tentationes aduersus spiritum terrena hæc & infima pars excitat; tot illinc ieiunia, tot pœnitentias, tot austeritates aduersus carnem cœlestis illa pars, ad eius motus retundendos ac reprimendos opponit. Simile.

Audite rem, Auditores, notatu dignissimam. Vix ecce mundus creatus erat, & en tibi in ipso rerũ primordio statim inter Cain & Abel bellum crudelissimum, ecce tibi duellum, & iniusta oppressio. Quid porro aliud, vos ô fratres infelices, quam diram illam concupiscẽtiam denotatis, quæ instar Caini iam à sui ortus principio arma aduersus spiritum corripit, vt eum de medio tollat? Insignis figura. *Gen.* 41.

Finem porro iam allegoriarum faciamus? & vos mirari desinite, si pius hic Centurio magna animi demissione ac supplex Christum oraturus accedat, si oculis ploret, si corde gemat, si ore singultiat, denique si lingua ad sanitatem seruo suo petendam lamẽtetur. Docet ille, Auditores, omnibus nobis de paralyticæ concupiscentiæ sanitate esse quam maximè laborandum, vt ea persanata maiestati diuinæ libere obsequi possimus.

Quemadmodum enim socrus Petri lecto affixa, & ardenti febri exæstuans (*tenebatur enim magnis febribus.*) vix sanitati fuit restituta, quin Christo, qui eam sanauerat, sedulo Allegoria. *Luc.* 4.

miniſtraret, *& ſurgens miniſtrabat ei.* Ita quoque in animo fieri videmus: quamprimum enim atque impia illa nouerca, appetitus ſcilicet, iam ab initio, protoplaſti Adami peccati paralyſi diuexata, & ardentibus febribus diſtenta, ad integram ſanitatem redijt; ſtatim lecto ſurgens, omne nobis obſequium defert, ac nobiſcum in Deo, qui ei medelam contulit, laudando collaborat. Ita namque Regius vates, qui id reipſa expertus erat, teſtatur, *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum: inſuper & vſque ad mortem increpuerunt me renes mei,* quo loco per renes appetitum intelligit, qui vbi à ratione dirigitur, non parum ad odium aduerſus peccata concipiendum iuuat; ac nobis veluti calcar ſubdit, memoriamque præteritarum vanitatum refricat. Quamobrem expergiſcimini animæ piæ, ac Deo, pro ſanitate miſeri huius ſerui ſine vlla intermiſſione ſupplicate. Agite Chriſtiani, curam ſeruorũ veſtrorum, vbi morbo detinentur, ſuſcipite, nolite eos deſerere, aut ad noſocomium ablegare, ſed miſericordiam ſeduli huius Centurionis exemplo illis demonſtrate: ſi vero paralytici ſunt h.e. hæretici, obſequium eorum ne admittatis, at Deum pro ſalute eorum deprecemini.

*Pſal. 15.*

Vos porro milites, ad quos iam ab initio mea collimauit oratio, iterum iam ad finem alloquar neceſſe eſt. Diſcite, obſecro, ab hoc inſigni Centurione ad Deum in neceſſitatibus confugere; diſcite huius exemplo feritatem exuere, & blaſphemiis, quas in Deum & Sanctos euomitis, valedicere, diſcite ab hoc bellatore fidem, humilitatem, charitatem, atque omnium virtutum exercitia; diſcite ab hoc milite, proximi neceſſitatibus ſuccurrere, compilationes, rapinas ac prædas relinquere & laudabilem ſine vlla reprehenſione vitam traducere.

Vos autem Chriſtiani, hinc diſcatis oportet, quotieſcunque ad ſacram Communionem accedendum eſt, cum pio hoc Centurione præ animi demiſſione exclamare, *Domine, non ſum dignus, vt intres ſub tectum meũ,* vt te ſcilicet anima mea hoſpitio recipiat: *Haud equidem tali me dignor honore.* Merito quidem patri filius ille prodigus dicere poterat, *Pater, iam non ſum dignus vocari filius tuus:* me vero, quo magis prodigus in mundo nemo vnquam exſtitit, maiori profecto iure; cum lacrymis ac ſuſpirijs, gemitibuſq; inenarrabilibus clamare par eſt: Quid te, ô Pater æterne, ad me dicis venire, me inquã, qui creaturæ nomine, nedum filij, prorſus indignus exiſto? Obſtupuit non parum B. Virginis cognata Elizabeth vbi Meſſiæ matrem ad ædes ſuas veniſſe vidit & præ ſtupore & admiratione exclamauit: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Eheu, Domine, cum te in domum meam audio velle deſcendere, vltro quin etiam ad te inuitare, obſtupeſco, & præ admiratione non poſſum quin exclamem: *Vnde mihi hoc, vt veniat Dominus meus ad me,* qui penitus indignus ſum?

*Luc. 15.*

*Luc. 1.*

Vere, inquam, hac tanta tua beneuolentia ac gratitudine indignus; hoc quippe Angelorum eſt: *Sed tantum de verbo*, effare modo, impera tantum, & animam hanc paralyticam perſanabis. Sana igitur illam Domine, & hic artis tuæ ſpecimen præbe; ſana pariter omnes facultates eius. Omnia namque membra eius languent, omnia paralyſi diſtenta iacent: memoria quippe tui penitus oblita eſt, volũtas ad te diligendum torpet, intellectus in beneficiorum tuorum recognitione penitus excæcatus eſt; ſana igitur omnia, reſtaura vniuerſa; cõfirma hunc paralyticum, & Centurionis huius precibus & ſuſpiriis victus, poſtulatis annue; vt tibi herus iuxta ac ſeruus, anima inquam, ſimul & appetitus, fidum in hac vita obſequium exhibeant; exſpectantes hic interim, donec ambo te medicum & veluti Æſculapium ſuum, in altera celebrent & glorificent. Amen.

FERIA

# FERIA VI. POST CINERES.

## Partitio.

I. *De peste odii.*
II. *De dilectione inimicorum.*
III. *De odio proximi.*
IV. *De Amnistia, & vindicta cupiditate.*
V. *De duellis perduellium.*

*Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum, & odio habebis inimicum: Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.* Matth. 5.

## FIGVRA.

2. Paral. 9. IN vestibulo ac primo porticu splendidi illius Salomonici templi, omnia sanguine stillasse, securium ictibus perstrepuisse, & sacrificiorum nidore redoluisse, Sacris litteris proditum est, Auditores: at introrsum omnia splendore ac maiestate plena exstitisse, nihilque interius repertum quia animum simul & oculos mirum in modum recrearet; illic quippe manna, & mensa panibus propositionis semper instructa visebatur. Templum autem hoc Ecclesiæ nostræ typus fuit: cuius introitus & quodammodo vestibulum, Iudæorum fuit Synagoga, in qua præter secures iustitiæ, sanguinem vindictæ, & holocausta castigationis nihil audire aut videre fuit; interius autē, per quod Ecclesiam Euangelicam notari putamus, præter pulchritudinem, salutem, & misericordiam, nihil reperitur. Manna quippe gratiæ illic semper custoditur, & mensa charitatis ferculis semper instructa, panib. amoris, pacis, indulgentiæ, reconciliationis, misericordiæque ditata. Docet hoc Euangelium hodiernum; *Audistis, quia dictum est antiquis: Diliges proximum, & odio habebis inimicum.* Ecce introitum & initium, ecce Synagogam; videte secures, videte sanguinem. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Ecce interius atrium, & adyton, ecce pacem Euangelicam, videte manna, videte panes charitatis: Verum vt pro dignitate rem tam præclaram & sublimem dicendo explicare possimus, ad Spiritum sanctum accedendum est, ac glorioſissimæ Virginis, quam verbis Angeli salutabimus, ei intercessio offerenda.

### Ave Maria.

I. Tradit in Apophthegmatis militaribus Plutarchus, fulmen illud Africæ Scipionem iam deuicta Numantia, à Rege Tiresia, quē captiuum in vinculis apud se habebat, petisse, quanam fieri ratione potuisset, vt vrbs illa, quæ tanto tempore Romanorum viribus restitisset, tantillo tempore, & tam facili negotio modo fuerit expugnata: ac miserū illum regem cum lacrymis respondisse: Non est quod mireris, ô Scipio, nam *Concordia nobis victoriam, discordia exitium peperit.* Quod autem captiuus ille Rex olim de vrbibus dixit, maiori equidem ratione æquiorique jure de animab. id nostris dicere potero; Concordiam, scilicet, charitatem dilectionemq; fraternam ijs victoriam conferre; discordiā vero, inimicitias, odium & vindictæ appetitum, exitium. quod etiam longe verissimum est: nihil est enim, quod illas aut citius perdat, aut truculentius opprimat, aut denique crudelius in eas sæuiat, quam odium & inimicitiæ inter fratres & proximos concepræ. *Apophthegma.*

Hæc porro Sallust. Romanæ primæ historiæ sententia est: *Concordia res paruæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Pace tua Crispe liceat mihi Christiana phrasi, verba tua paululum conuertere, & meo loquendi modo dicere: *Dilectione animæ paruæ crescunt, odio maximæ dilabuntur, imo moriuntur.* Dilectio namq; proximi pusillas animas promouet, perficit, atque immortales reddit; at inimicitiæ & odium easdem retrahit, conficit, iisq; exitium & mortē adfert. Odium nempe letale venenum est, quod res etiam morti nescias morti subiicit. *Sallustius.*

Tradunt naturæ indagatores, veneni quoddam genus adeo letiferum & noxium esse, vt omnia prius quibus continetur vasa exedat, q̄ eum, in cuius pernitiē paratur, offendat. huic nō absimilis rancor est, quin & multo

multo pestilentior: prius enim animam necat & occidit a qua concipitur, quam proximi, in quem concipitur.

Vipera nascens matrem interimit.

Iidem ipsi naturalium rerum scriptores scripsere, viperam matrem nascendo enecare, & crudeli parricidio natalem suum commaculare. Odium, serpens vipera longe venenosior est, quod vbi erumpit & nascitur, animæ, quæ in infelici omine concepit, mortem adfert. Proferam vobis ex veteri Testamento figuras. Superbus ille Aman, Mardochæi hostis infensissimus, præ rabie spumans, rancore crepans, odio exardescens, cædis & minarum spirans, furcam erigi iubet, in qua inimicum infami laqueo suspendat; sed odium in auctorem redit fabamque necis quam alteri machinabatur, in caput suum cudit: *Esth. 1.* *suspensus est itaq; Aman in patibulo quod parauerat Mardochæo.* Idem quippe *Iudic. 16.* penitus in anima mortalium pestis hæc facit, quod olim Samson in Philistinorum atrio; cupiens enim iniurias simili iniuria vlcisci, seipsum vna cum cæteris ruina inuoluit. O infelix anima, putas te inimicis exitium parare, & (prô dolor!) teipsam enecas, ac tibi ipsi perniciem causaris.

Quando oculos, Auditores, in monstrum illud, quod D. Ioannes in Apocalypsi graphice depingit, conijcio. *Apoc. 6.* *Ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequebatur eum*, videre mihi odium & rancorem videor; monstrum, inquam, illud horrendum, informe, ingens: vere enim equus pallidus est, luridus, ac macie confectus suprema; cuius sessor mors est, & quem infernus perpetuo stipat. Semper enim odium mortem secum trahit, animasque suppliciis sempiternis inuoluit. Videte, obsecro, truculentissimi & sanguinis sitientissimi, qui præter vindictam nihil spiratis, ac mortiferum interius odium occultatis, mala & exitia, quibus vos ipsos inuoluitis & immergitis. Idem plane vobis contingit quod apibus, quæ vbi incaute hominem aculeo fixerunt, aculeum simul & vitam amittunt; vnde hinc olim vates ille Regius cecinit, *Psal. 107.* *Circumdederunt me sicut apes.* Idem quod olim tortoribus Chaldæis, qui cum iussu Regis Nabuchodonosor fornacem accenderent, in qua tres pueros incendio consumere cogitabant, flammâ ipsimet prius consumpti sunt: *Torro viros illos qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.* O infelices animæ, veri satanæ carnifices, ipsis illis ignibus & fornacibus, quibus inimicos vestros consumere satagitis, sæpe vos ipsos consumitis. Eadem vobis fors est quæ olim Ægyptiis, qui cum odio *Exod. 14.* & rancore Hebræos prosequerentur, eos perdere parantes, seipsos prius vndis maris perdiderunt: *Reuerse sunt aquæ & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis.* Et vos odio inflatæ & præ iracundia tumentes, persequendo iniurias, cum inimicis vos vestris mortem afferre arbitramini vos ipsas sæpenumero fluctibus maris, iustitia ipsa rubentis, immergitis. O odium! ô nimis infelix odiũ, quomodo in miseras quas dementasti animas, sæuitiam exerces!

Impia illa & infernalis pellex Herodias, Allegoria. aduersus vocem illam clamantis in deserto, aduersus Anachoretarum illum principem, Ioannem Baptistam odio exæstuans, prætulit caput eiusdem dimidio regni Iudaici, quod Herodes saltanti puellæ obtulerat; *Marc. 6.* *Rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi, & iurauit illi, quia quidquid petieris dabo tibi licet dimidium regni mei*: illa vero odio rabida, statim postpositis omnibus, in disco caput Ioannis Baptistæ postulauit. At longe grauiora tua sunt opera in anima quam inuadis, infernale odium: cogis enim illam, vt appetitum vindicandæ iniuriæ regno cœlesti præferat. Eadem tu, ô rancor abominande, cum animabus vindictæ cupidis agis, quæ olim crudelis ille Ammonitarum *1. Reg. 2.* Rex Naas cum viris Iabes Galaad: prius enim ille pacem aut fœdus inire velle se negauit, quam omnium oculos eruisset: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros.* Ad eundem modum & tu, in hoc enim conniteris, vt prius animæ non reconcilientur, quã passionũ suarũ crudelitatem exersuerint. Narrabo aliam huic rei peridoneam historiam. Crudelis ille & barbarus Ammonitarum Rex Hanon missos

à popu-

à populo Israel legatos in morte patris eum consolaturos, tanta ignominia excepit, vt dimidiam barbæ partem iis raserit, & vestes eorum ad medias vsque nates præscinderit, atque ita ludibrio habitos ac deformatos domum remiserit. O crudelitatem inauditam! ô infamiam & ignominiam intolerabilem! Audire, hæc illa beneuolentia est quam odium, vel Satan auus eius, crudelis ille Hanon, quotidie legatis Iesu Christi, id est, animabus Catholicis demonstrat: vestimenta earum charitas est & amor, duabus constans partibus amore scilicet erga Deum, & amore erga proximum. Quando igitur Satan amorem proximi euellit, & semina odii eius loco inserit, dimidiam barbam abradit, præscindit vestem illam nuptialem, atque animas ita deformatas ad Deum remittit. Dauid porro noster, Christus inquam, ignominia hac exacerbatus, vt errorem hunc corrigeret & vindicaret, clamat in Euangelio hodierno, *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* quasi dicat. Nolite amplius de iniuriæ vindicatione agere ô homines, ignoscite delinquentibus, diligite inimicos vestros; ego enim præcipio vobis inimicos vestros diligere. Magna quidem tua pulchritudo est, ô charitas, at maior tamen tua necessitas: tu es enim gemma & sol ille mundi, sine quo viuere non possumus. Magnus ille orator Cicero, de amicitia, quam ciues ipsi inter se colere debent, sermonem instituens, adeo eam mundo necessariam dicebat, vt solis lumine potius quam ea carendum putaret; *Solem*, inquit, *è mundo tollunt, qui amicitiam ab hominibus tollunt.* Quid enim totus orbis esset, clara hac face orbatus: quid vero essent homines hac præclara virtute destituti? Philosophus etiam Empedocles dicere solebat, pacem & amicitiam principium esse naturæ, & fundamentum rerum omnium. Non inueniet hoc fortassis locum in rebus naturalibus, assueuerare tamen ausim amicitiam & charitatem Christianam principium & fundamentum omnis esse pietatis; adstipulatur mihi hic D. Paulus, qui charitatem *vinculum perfectionis*, & omnium virtutum ligamen vocat.

II. Locus cõmunis de Charitate.

Cic. lib. de amicitia.

Col. 3.

Matt. 13. Reuocate in memoriam parabolam illam Euangelicam de fermento, *quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus donec fermentatum est totum.* quod nihil est aliud quã ipsa charitas quæ amorem DEI, amorem proximi, & amorem sui facit exsurgere; an non hic tria farinarum sata? Charitas deniq; est regina virtutum, meritorum radix, fidei fundamentum, ac bonorum operum principium. Quærite igitur virtutem hanc, & inimicos vestros diligite.

Parua quidem hæc, quæ dicta sunt hactenus: audite maiora: nõ est iam amplius more viuendum Iudaico, non est nobis illa sanguinis auida Synagoga imitanda: obediendum est legi Euangelicæ, diligendi sunt inimici. Obstupuit olim Moyses videns rubum ardentem, & tamen incombustum: sed designabat hoc prodigium, aliquando fore, vt ignis charitatis in corde inimici, quod verus inimicitiarum rubus est, & in quo sentes & spinæ vindictæ succrescunt, exæstuaret. *Exod. 3.*

Magnum profecto miraculum fuit ad preces Eliæ ignem descẽdisse, & omnem lignorum struem, tam humidorum quam aridorum subito incendisse: *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, ligna & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aqua ductu, lambens.* Denotabat hoc ad nostri Eliæ, Domini scil. Iesu Christi, aduentum, ignem charitatis è cœlestib habitaculis descensurum, qui amicos simul & inimicos ambureret, vnum per humiditatem, alterum per siccitatem designatum. Hinc igitur apparet, quam verum sit illud, *Diligite inimicos vestros.* *3. Reg. 18.* *Leuit. 6.*

Præceperat olim in Leuitico Deus, vt perpetuus in altari ignis colluceret *Ignis autem in altari semper ardebit.* Denotatur hoc mysterio, sacrum amoris ignem perpetuo in altari cordis nostri ardere debere: verum adeo luculentum, vt nec ventus passionum, nec frigus inimicitiarum, nec aqua iniuriarum eum valeant extinguere. Talis erat ille ignis quo ardebat cor sponsæ in Canticis, *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam.* O vere igitur laudabilem charitatem, qua inimici diligũtur!

Nolite vero, ô vos odio obdurati, & vin-

dictæ cupidi, putare, hæc ipsa quæ dico, præter rem, aut prorsus absurda esse: cum ipsa ratio, & natura; omnes denique qui in mundo reperiuntur homines, mihi suffragaturi sint, attendite diligenter, & circumspicite rem accuratius. Videbitis quippe ab anima regi, gubernari, nutriri, conseruari, moueri, animari, non solum partes illas nobiles, quæque ipsi obsequium præstant; verum & eas quæ ipsi aduersantur, & in eam perpetuo coniurant. an non enim illa conseruat & nutrit humores qui in interitum eius conspirant. Dicetis fortasse Philosophi, sanguinem haud animatum esse; concedo: à sua tamen inimica conseruatur. Tu vero ô anima, præceptum Domini adimplere gestis? *Diligite inimicos vestros*, Natura nutrix omnium, amat, fouet, & conseruat omnia; cuius amicitia, si qua in ea reperiatur, se etiam ad inimicos extendit; ad quatuor scilicet Elementa, quæ non secus ac quatuor latrones, totum orbem expilant, perdunt, & deprædantur, & perpetuo aduersus naturæ potentiam conspirant; eius tamen beneficio viuunt, sub eaque stipendia merent, quia Domini illa præcepto & monitioni obsequi conatur, quod est, *Diligite inimicos vestros.*

Anima quatuor humores corporis humani conseruat, licet eam oppugnēt.

Natura conseruat 4. Elementa, quæ ei aduersantur.

An non mundi oculus sol absque vllo discrimine radios & lumen in bonos simul & improbos emittit? Noe nonne custodiebat, nutriebat, & seruabat animalia tam munda quam immunda; coruos æque ac columbas? Sagena quoque Euangelica concludit bonos pisces simul & malos. Dominus ille in Euangelio bonum frumentum crescere finit in agro vna cum zizaniis. Anne igitur sacræ allegoriæ desunt, quibus efficiamus & probemus inimicos æque atque amicos esse diligendos? anne desunt præcepta, *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros. Ego* inquit, perinde ac si dixisset: Non est modo Moses qui vos docet, non sunt iam Prophetæ qui futura aperiunt, non Scribæ qui Scripturas prælegunt, nō Angeli qui annūtiant, vobis inimicos esse diligendos Ast ego ipse, Deus scilicet vester, iudex vester, creator vester hoc vobis præceptū trado. *Ego autem dico vobis.*

*Matt 13.*

Fierine igitur poterit; ô Domine, neminem voci tuæ obedire; fierine inquam potuerit, præcepta tua ab omnibus negligi? Ad clangorem buccinarum sacerdotalium corruerunt muri Iericho; & corda illa ferrea, animæ illæ obstinatæ & obduratæ non concident, nec ad sonum verborum tuorum emollientur? *Quasi tuba exalta vocem tuam*, Domine, iube verba tua à toto mundo percipi, auribus surdorum illorum vindictam sitientium intona. Quid tergiuersaris ô homo? omnes creaturæ *faciunt verbum eius*, & tu solus voluntatem eius implere negligis? Imitare potius promptam illam obedientiam Angelorum. Flagellare Assyrios constituerat Deus, & ecce tibi ad minimum eius nutum Angelum obsequentissimum; qui vna nocte centum octoginta quinque hominū millia in medio castrorū gladio vindice percussit. Imperat leonib. vt feritate exuta, Danieli in lacum Babylonicum coniecto parcant; & ecce tibi septē leones, omnium quos mundus tulit ferocissimi, septem iam dies ieiuni, feritatem deponunt, & pedibus eius aduoluti instar catellorum mansuescunt, & adblandiuntur. Iubet vt ignis deuorans Sodomā consumat; & ecce tibi ignem statim è loco suo prosilientē, atq; vnico momēto quinque ciuitates potentissimas incendio inuoluentem. Decreuerat iam Deus vniuersam terræ superficiem aquis supernatantib. cooperire, & ecce diluuium & continua illa pluuia statim sese tibi offert, vt iussis tuis obsecūdet; quæ quadraginta dierū spatio totam terræ faciem vndis cooperuit. Furit ecce in mari tempestas, fluctus nubiū tonus eleuantur, vndæ intumescunt, venti ac procellæ omnia in diuersa rapiunt; & vnico iterū verbulo cuncta compescis, & malaciam inducis. *Quu est hic, quia mare & venti obediunt ei?* Tu hos Æoli cursores sistis, cumque visum fuerit, liberos dimittis; tu frenum omnibus æqualiter creaturis contrahis, & quotiescunque libuerit, laxas. Et interea hic alta voce inclamas, *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, &* nemo voci tuæ aut iussis obtemperat.

*4. Reg. 19.*

*Dan. 4.*

*Gen. 19.*

*Gen. 7.*

*Marc. 4.*

*Nonne Deo subiecta erit anima mea?* An nō tuo principi obedire teneris anima? eiusue voluntati refragari audebis? atque etiamnū de inimicis tuis vindictam desideras? *Diligite inimi-*

*Psal. 61.*

*inimicos tuos.* Infelix homo, si peccatum, cuius te reum vindictæ cupiditate constituis, perspiceres; timore credo quodam ac metu perculsus à peccando abstineres. Docetis vos Theologi, & vere quidem, odium Dei, esse omnium, quæ committi ab homine possunt, peccatorum grauissimum; ego vero vos securus, odium proximi proximũ occupare locum assero. Multis enim interuallis peccatum hoc incestum, latrocinia, adulteria, & homicidia superat. Atque hoc tibi imprimis persuasum velim, infelix peccator, omnia quæ in proximum peccata committuntur, in Deum ipsum etiam committi. Furoris tui rabies in pectore proximi non subsistit, sed pergit vlterius, & diuinam quoque essentiam ferit: & dum hominem solum lædere proponis, æternam Dei maiestatem inscius percutis, si modo his vulnerari posset. *Proximus enim non propter se, sed propter Deum diligendus est.* Deniq; odium, inimicitiæ & vindictæ, Deum, & non hominem respiciunt, telaque hominum in hominem vibrata, hominem transeunt, & ad diuinitatem vsque progrediuntur.

Odiũ Dei omnium peccatorum maximum.

III. An non demens & insensatus dicendus foret, qui inimicum letaliter vulnerando, eodem simul ictu Regem suum interficeret; Maior adhuc tua est vesania vindictæ sitiens, cum enim in proximum sæuire paras, sæuis pariter in Regem tuum, Deum tuum, & Creatorem. Iudæi hominem solum se necare putabant, sed eodem ictu & interitu Deum è medio auferebant. Nondũ hic finis; sed & odio proximi omnis lex pessundatur, omnisque religio violatur. Lex quippe duobus quodammodo fundamentis, amore scilicet Dei, & amore proximi innititur, *Ex his duobus præceptis vniuersa lex pendet & prophetæ*: adeo vt quicunq; vnum ex eis cõuellit & destruit, totũ legis ædificium labefactet.

*Matt.* 27.

Qui proximum odit, totam legem subuertit.

*Matt.* 22.

Nunquid constat, vniuersam hanc mundi machinam duobus polis inniti, quorum alterum si quis auferat, an non omnia quæ in mundo sunt inuertet? Cum igitur Religio & tota Euangelica Lex duobus hisce amoribus veluti duabus basibus & fundamentis innixa sit, vnum auferendo; totam ædificii molẽ destruas necesse est. Testis est Iacobus Apost. dicens: *Quicunque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus*: qui peccat in vnum charitatis præceptum, vt explicat D. August. factus est omnium reus. *Diligite* igitur *inimicos vestros.* *Iacob.* 6.

Videte iam, vindictæ cupidi, tertium quod vos vrget malum, si enim vobis inuicem non remittitis, omnẽ vobis veniæ viam præcluditis & omni vos misericordia penitus indignos redditis, *Si non dimiseritis hominibus nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* iniit hoc pactum nobiscũ Deus, quod quotidie orationem Dominicam recitantes iteramus, *Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Audite porro huiusce rei exordium; magna olim naturæ humanæ cum Deo, in materia criminali, quoad peccatũ originale, lis fuit & contẽtio, in qua de vniuerso eius honore, de ipsa vita & omnibus denique, quas possidebat, facultatibus agebatur. Misericordia vltro citroque pro nostra parte cursitabat, Angeli nobis patrocinabantur, omnes Patriarchæ & Prophetæ causam humani generis susceperant: iustitia vero aduersaria nostra omnibus nos viribus oppugnabat: iam quinis annorum millibus lis indecisa pependerat, donec ipse Dei filius, humana natura assumpta, in terram delapsus, vltro rem arbitrio committi volens, nimiam illam amarulentiam exuit, litem terminauit Patrique nos suo, mediator factus, recõciliauit; ea tamen lege, vt cum proximo pacem iniremus, amicitiã mutuam inter nos ipsos coleremus. Si igitur pactum hoc, quod cum Deo iniisti, firmum & integrum permanere desideras, promissis satisfacito, vt ameris, ama; vt tibi ignoscatur, ignosce. Quanto tuo commodo & vtilitate ille cõtractus, ô homo, peractus est! Promisit se Deus iniuriarum sibi toties à te factarum immemorem fore, modo tu earum, quas tibi factas arbitraris, memoriam deponas. Quid autem? Deus mille tibi peccata ignoscit, mille te mortis generibus & casibus eripit, ab infernalibus te suppliciis liberat; tu vero paruo delicto, quod tibi factum autumas, non ignoscis?

*Matt.* 6.

Egregius conceptus. Lis inter Deum & homines.

Narrat Matthæus parabolam sane horrendam, quæ non parum hic ad rẽ facere vi- *Matth.* 18. Parabola

de seruo ingrato.

deatur, Remiserat cuidam seruo dominus mille quæ ei debebat talenta; ille vero tanti beneficii immemor, obuium vnum de conseruis suis, qui ei nonnisi centum denarios debebat, habens, obtorto eum collo, sine vllo pietatis intuitu, in vincula conIecit. Dominus porro tanta eius seueritate audita, & tantam impietatem ingratitudinemque demiratus his eum verbis increpauit: *Matt. 18.* *Seruе nequam omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me, nonne ergo oportuit & te misereri conserui tui sicut & ego tui misertus sum?* Quin & in tantæ ingratitudinis detestatione in tenebras exteriores illum detrusit, donec vltimum quadrantem persoluisset. Audiant illi rabulæ & blatherones forēses audiant qui de nugis & lana caprina proximo diem dicunt, & litem intentant: meminerint obsecro quantis à Deo beneficiis affecti sint, quibus hic eos in terris vicissim respondere consentaneum est: timeant ne ad querelas tantæ crudelitatis & ingratitudinis summus ille Dominus irascatur, eadem in eos castigatione animaduertat. Hinc bene D Augustin. cum homine vindictæ cupido agens, hac eum ratione aggressus est. *Serm. 2. ad Fratr. in eremo.* *Si pacem non diligis, si proximum odisti, quo iure, quo pacto, qua fronte tibi petis dimitti, qui in proximum rancorem non dimittis?*

O pectora ferrea, ô corda ad omnem crudelitatem obdurata; ieiuniis, per me quidem licet, membra macerate, oculos lachrymis & fletibus consumite, opes vestras in eleemosynas prodigite, Angeli omnes Deo pro vobis supplices fiant, ipsa denique Deipara Maria genibus flexis pro vestra salute apud filium continuis precibus intercedat; nunquam, nisi prius proximo iniuriam ex animo remittatis, misericordiam consequemini. Miratur tantam hanc hominum impudentiam Salomon, & ait, *Eccl. 28.* *Homo homini reseruat iram, & à Deo petit medelam*, quasi diceret: Tantane tua est impudentia ô homo, vt veniam à Deo postules? vt ipsi tibi velis ignosci, qui interea de proximo vindictam sumere proponas? quænam illa agendi est ratio, quodnam ius, aut quænam æquitas, à Deo gratiam postulare, & aduersus fratrem rancorem & odium intrinsecus fouere.

Mirabantur olim filii Israel, post plurimas in solitudine Sinai exhaustas molestias & mille in deserto exantlatos labores, post suspiria & preces se à Deo non respici, sed despici; negligi quoque & ærumnis confici? atque præ animi amaritudine hac cum eo ratione expostulabant: *Ieiunauimus Isa. 58. & non aspexisti*, quasi dicerent: Quonam nostro fato fieri putamus, Domine, vt ad preces & gemitus nostros adeo obsurdescas? effuderunt iam oculi nostri lacrymarum pelagus, suspirando cor nostrum exaruit, & lingua nostra precando clamandoque ad te, fatigata est. Toties, eheu, ieiunauimus, & nondum tamen idcirco nostri misertus es? Respondeat ad hæc pro me Propheta, & dicat: *Ecce in die ieiunij vestri debitores vestros repetitis; ecce ad lites & contentiones ieiunatis.* *Isa. 58.* Non mirum est, inquit DEVS, vos de mea ad vestras preces surditate conqueri: putatisne ieiuniis me vestris ad misericordiam posse flecti, cum tantis ea sceleribus commaculetis? ieiunatis quippe litigantes, & litigatis ieiunantes, & debita vestra cum intolerabili seueritate ac rigore exposcitis. Quamobrem finem hisce rigoribus imponite, lites exscindite: qui non maiorem erga proximum commiserationem, quam erga brutum aliquod animal, ostenditis. O rupes! ô marmora! ô ferrea pectora! quæ vos lupa nutriuit, quis Caucasus aut scopulus genuit, quæ vos Hyrcana tygris educauit; *patientiam igitur habetote*, pacem diligite, lites & contentiones fugite, inimicis denique vestris beneuolentiæ & amoris signa demonstrate.

*Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.* Hic mihi velim, Domino, vocem confirmari, pulmones corroborari, ac latera distendi, vt de hodiernæ diei hominum seueritate & intolerabili duritie digna conquerar & expostulem, & creaturarum tuarum rebellionem, inobedientiam & contemptum erga te describam; vt rigorem, vindictam, & crudelitatem Christianorum erga se mutuo, auditoribus ob oculos proponam. Hic oculis lacrymæ oboriuntur, hic pudor vultum inficit cum clementiam iniuria-

iuriarum obliuionem, ἀμνησίαν, quam ipſi ethnici totiẽs demonſtrarunt, mecum reuoluo O tempora! ô mores! Video namque eos ſæpius iniurias remiſiſſe, pacem cum inimicis frequentius iniiſſe, crebrius rancorem exuiſſe, quam Chriſtianos.

*Apophthegma Æſchinis. Plutarch. in Phocione.*

Hinc in oratione ſua olim ad Athenienſes dixit Æſchines: Τὸ κάλλιστον ῥῆμα μὴ μνησικακεῖν; *Nullum eſt in mundo verbum elegantius: aut homine ingenuo dignius, quam iniuriarum obliuiſci.* Phocion, omnium qui ad reipubl. gubernacula Athenis ſederunt, facile princeps, iam ad cicutam condemnatus, cum filium in hoc tam acerbo patris caſu illacrymantem videret, diligenter cauit ne iniuriæ huius, quam ſibi ingrata illa ciuitas irrogabat, vllo vnquam tempore recordaretur, aut ob eam indignum quid in patriam committeret. Quis vobis hic pudor eſt Chriſtiani? veſtrum potius eſt, hoc præceptum, *Diligite inimicos veſtros*, adimplere.

*Plutar. in vita Ariſtidis.*

Ariſtides qui propter vitam præclare & ſincere tranſactam, Iuſti cognomentum inuenit, cum inique in exilium pulſus, iam ingrata vrbe egrederetur, oculos & manus ad cælum extulit, Deos precatus, vt tam indignum facinus ignoſcerent, ac nihil propter acerbum, aut grauius in ciuitatem decernerent. An non hoc eſt præceptum ſeruare *Diligite inimicos veſtros.*

IV.

*Iuſtin lib. 5. Val Max. li. 4. c. 3.*

Iuſtinus & Valerius Maximus præclari ambo ſcriptores huius occaſione referunt. Traſibulum poſt xxx tyrannos republica exactos, & populum in ciuitatem, eorum cauſa profugum, reuocatum; plebiſcitum interpoſuiſſe, ne qua præteritarum rerum mentio fieret: quod τὸ ψήφισμα τῆς ἀμνησίας ἐπὶ τῶν τριάκοντα vocabatur, quo cauebatur, vt omnium calamitatum aut iniuriarum ſub xxx. tyrannis illatarum memoria aboleretur, Catholicum vero ſtatutum, & diuinum decretum; ſimile huic Chriſti, *Diligite inimicos veſtros.*

*Cic. pro Ligario.*

Reducite vobis in memoriam, litterati, præclaram illam ſententiam M. Marci Tullii, qui in oratione pro Q. Ligario ad Iulium Cæſarem hoc eum elogio decorauit: *Obliniſci nil ſoles niſi iniurias*, q. d. O inuicte & inſuperabilis princeps, ipſa quidem animorum virtus, & fortitudo, incomparabilem tibi gloriæ ſegetem ſubminiſtrarunt; at clementiæ tuæ fama, ac laudabilis illa conſuetudo, qua obliuiſci iniuriarum facile ſoles, maiorem tibi gloriæ materiam attulerunt; adeo vt omnes iam perſpectum habeant, nil te niſi iniurias obliuiſci ſolere.

*Cic. lib. 4. Academ.*

Aliud priori non abſimile alio loco agens de Themiſtocle habet, cui fo. taſſe parem aut rerum geſtarum gloria aut virtute Græcia vix tulit. Ad quem cum Simonides acceſſiſſet, eique artem memoriæ, quæ tum primum proferebatur, pollicitus eſſet ſe traditurum, vt ſcilicet omnium rerum meminiſſet. Reſpondit Themiſtocles, gratius ſibi fore, ſi ſe obliuiſci quæ vellet, quam meminiſſe docuiſſet.

Tu vero Chriſtiane, cum hos è ſterili gentilitatis ſolo ſurculos germinantes vides, an non obſtupeſcis, & pudore confunderis? nunquid rerum tuarum ſatagis? cum tanta ante oculos tuos humanitas verſatur, an non crudelitatem exues? ſemperne diabolo locum dabis? vlteriuſne iam iniurias proſequeris? an non DEVM timere incipies? O rem deplorandam! in Dei etiam ille iura inuolat, qui iniurias in proximo vlciſcitur: ſibi equidem hoc præ ceteris Deus reſeruauit, *Mihi vindictam, & ego retribuam:* quin & ſemper puniuit, & quidem grauiter, quicunque locum eius inuadentes iniurias vlciſci præſumpſerunt. Ecce vobis exempla. *Hebr. 10.*

Deſperationis vorticibus immerſum video Cain, quod in fratrem innoxium ſæuiſſet, propter vindictæ propoſitum, quod iniique admodum in Ioſeph filii Iacob fratrem ſtatuerant, in eius poſtea manus inciderunt, qui iniuſque fures comprehenſi ſunt, atq; ab eo in carcerem coniecti; imo ad mortem damnandi ſunt, ni benignior in eos ipſe Ioſeph exſtitiſſet. *Gen. 4. Gen. 44.* Punitiones eorum vlti rias

Achab & Ieſabel iracundia inflati & vindictam crudeliter ſpirantes, innocente Naboth oppreſſos à canibus diſcerpti ſunt, & inhumati ſub dio relicti. Expertus es, credo, Aman, quid paſſiones effrenes pariant; quidnam inimicitiæ & rancor mali afferat, *1. Reg. 21. Eſther 7.*

quid vindicta profit: erectum enim hosti tuo capitali Mardochæo patibulum, tibi ipsi vitam eripuit, & dignam vindictę cupido mortem rependit.

Nondum hic finis, Auditores, ecce vobis flagella & pœnæ longe terribiliores, quibus Deus crudelitates hominum castigauit. Depingitur insignis quidam tyrannus in libris Iudicũ, nomine Adonibezeth; qui postquam septuaginta reges sub imperium redegisset, & extremitatibus manuum ac pedum amputatis, eos sub mensa instar catellorum micis & ciborum reliquiis nutriuisset (ô factũ vetè barbarum) à filiis Israel deinde superatus ac regno exutus est, dignam factis suis mercedem recipiens; qui prioris sæuitiæ memor, ac casum miseratus iniquum, fortunam suam sæpius deinde deplorauit, dicens: *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita & retribuit mihi Dominus.* O infelicem, inquit, vindictam! ô tartareas inimicitias, cur vos vnquam in animam meam recepi? cur non pacem amaui, & offensas remisi?

*Iudic. 1.*

*Iudic. 1.*

Merces eorum qui inimicos suos dilexerunt, & iniurias remiserunt

*Gen. 45.*

*2. Reg. 2.*

Hæc igitur mala, castigationes, & afflictiones sunt eorum, qui aut inimicos diligere noluerunt, aut iniuriarũ sibi factarum obliuisci. Iam vero beneficia, honores, & mercedes eorum, qui iniuriarum obliti sunt, attendite. Humilis Ioseph iniuriã passus, si quis alius, præteritorũ omnium immemor, & fratrum in se iniquitati ignoscens, adeo exaltatur, vt primus à Rege in terra Ægypti dominetur. Dauid Sauli ignoscens, nec vindictam desiderans, honorem, felicitatẽ, ac regnum Iuda consequitur. Gloriosus martyr Stephanus lapidibus vndique petitus, pro lapidantibus tamẽ orans, videt cælos apertos, in quib. paratã sibi coronã contemplatur. An plura desideratis? Daniel post tot ærumnas, tã atroces iniurias, tantas calũnias æquo animo in aula regis Babylonici toleratas, tandẽ sup omnes regni optimates euectus est. *Diligite* igitur *inimicos vestros*, & iniuriarum obliuiscimini.

*Act. 6.*

Iniuriarũ obliuio signum prędestinationis.

Quamobrem omnium Sanctorũ & Christi Domini exẽplo, ignoscite, ignoscite inq̃, omnibus, qui in vos peccauerunt; signum est enim prædestinationis ignoscere, quemadmodũ vindicare reprobationis. Narrabo huius occasione præclarã quã legere in Surio memini de duobus fratribus Antiochenis historiam, quorum vni nomẽ Sapricius, qui Sacerdotali dignitate erat insignitus, & alteri Nicephorus, & ille laicus. Cum quædam discordiæ & iurgia inter eos essent orta, qualia inter fratres sæpenumero solent (fratrum quippe gratia rara est) conabatur Nicephorus omni ratione cum fratre in gratiam redire, qui nihil præter vindictam cogitans, ab ea prorsus abhorrebat. Accidit, vt Sapricius in persecutionis, quam Valerianus excitarat, turbine, in vincula coniiceretur, qui eculeo deinde tortus, libere se profitebatur Christianum, ac proinde cõdemnatus, ad mortem alacri animo se accingebat. Cum iam è carcere exeundum foret ecce tibi aduolantem fratrem, orantemque, sibi vt priores iniurias ignoscat: rapitur interea ad supplicium, fratre sequente, & veniã ad singulos passus expostulante. Obsurdescit ad preces vindictæ sitiens animus cumq; ille locum supplicii conscenderet; hic adhuc obnoxius & instantius illum rogat; Ignosce quæso, mi frater, omnia obliuiscere, in gratiam redi; fac mecum misericordiam, & noli in extema hac lucta à tam obstinata peruicacia superari: memento, olim eodẽ, quo tu es loco, Christum crucifigentib. se ignouisse. Peruicax interea Sapricius nullis precibus flectitur, & in hac vindictæ cupiditate hinc mauult excedere. Quis horum, putatis, finis erit & exitus? Ecce tibi eodem, quo carnifex ad caput eius præcidendum momento gladium strinxerat, exclamat amens ille: *Desiste, Imperatorum monitis obsecundabo.* Nicephorus vero his auditis, locum supplicii conscendit, fratri animum additurus, & sordidam mentis vecordiam castigaturus: Quid agis, mi frater, an hisce suppliciis perterritus animo concidis? aut mori formidas; illo bene monentem despiciente, atq; ab eius adhortatione aures continente, Nicephorus se Christianum profitetur, inq; eius locum, simul & Martyrii coronam, vnde alter tanto suo damno & exitio deciderat, successit, ita peruicax ille vltor factus est apostata; & insignis hic iniuriarum condonator, martyr;

Historia de duobus fratrib. ad inuicem inimicis.

martyr ; vnus electus, alter vero reiectus. Discat igitur hinc crudeles & ferrei, iniurias remittere, & inimicos diligere.

*Inuectio in duella.*

An vero vos aulici, feræ inquam belluæ, corda truculenta, pectora barbara, vestris duellis & monomachiis Deo, Regi, & iustitiæ rebelles semper eritis? vos anthropophagi, Scythæ, Geloni, homines, inquam, immites, Christiani sine fide, sine pietate, sine timore, sine vlla religione; an honorem & nobilitatem in cæde & sanguine, in crudelitate & strage sitam arbitramini? anne virtus & robur sanguine metiendum est, & inter peccata locus ei assignandus? Videte, quæso, & dispicite vobiscum, an illa vera demũ gloria, fortitudo, aut nobilitas sit, occidere, iugulare, & humanum sanguinem extra bellum profundere. Consulite magnum illum Philosophum Aristotelem, ipse testabitur. Moderari iram veræ demum esse generositatis indiciũ. Reuoluite quoq; quid dicat Horatius: *Latius regnes auidum domando*

*Spiritum, quam si Libyam remotis*
*Gadibus iungas, & vterque Pœnus*
*Seruiat vni.*

*Arist. art. 1.*

Si fortassis Ethnicis non credis consule antiquitatem, Patres veteres interroga, audies Salomonem dicentem; *Fortior est qui dominatur animæ suæ, expugnatore vrbium.* Pluris Dauidem faciunt Ambrosius & Chrysostomus, Græcus vnus, Latinus alter, eumq; generosiorem putant, Sauli inimico suo parcentem, quam Goliam ad terram prosternentem. Quid ad hæc vos vindictam spirantes, vos inglorij sine virtute, sine honore, sine nobilitate nobiles duella consectantes. In hos vos ô Legislatores & Iudices, rigorem ostendite, in hos edicta vestra vibrate, in hos vitæ suæ prodigos, digna castigatione animaduertite; vos autem Ecclesiarum pastores, si modo Ecclesiæ vobis vestræ dignitas cordi est, hos à vestris cœmiteriis excludite, procul ab Ecclesiis vestris sanguinaria hæc cadauera, hos homicidas, hos excommunicatos, ac proinde æternis suppliciis condemnatos, repellite: *Sepeliantur sepultura asini putrefacti & proiecti extra portas Ierusalem: Viri sanguinum declinate à me.*

*Prou. 16. Chrysost. hom. de Dauid.*

*Ier. 22.*

*Psal. 133.*

Procul hinc ab Ecclesiis nostris vos prophani sicarii, & gladiatores, procul hinc absce dant manus illæ humano fœdatæ sanguine Hoc tamen vobis adhuc dictum velim. Repetite, quæso, memoria, quid Dauidi Regi, vnico tantum patrato homicidio, contigerit; noluit ab eo sibi Deus, quod multum sanguinis effudisset, templum ædificari: *Non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Tribus etiam annis cœlum non pluit, nec terra fructus effudit, Domino aduersus Israel, propter innoxium Gabaonitarum sanguinem, quem perfidus Saul effuderat, ad iracundiam concitato.

*2. Reg. 11.*

*2. Reg. 2.*

Ad eundem plane modum Deus hos atroces, hos inquam Sicarios castigat, & gratiarum suarum pluuiam denegat: quin & aduersus ipsas familias, non per triennium, sed ad tertiam vsque generationem, propter effusum sanguinem, propter duella & cædes, quas olim maiores patrarunt, vindictam exercet. Vnum adhuc addam, & finem faciam. Prohibuit olim in veteri lege Deus, ne accipitres & miluum, ac vulturem iuxta genus, populus Iudaicus velut immunda manducaret: quo quid aliud præsignatum est, quam in Lege noua omnes illos accipitres, ad prædam natos, sanguini & cædibus inhiantes, nihil præter duella, præter discordias, præter pugnas, & vindictas meditantes, Deum reiicere ac repudiare?

*Leuit. 1.*

Igitur cum tu Domine penitus contraria præcipias, præsta, obsecro, fides præceptis tuis habeatur, superbiam hanc deprime, hos scopulos tuæ misericordiæ vndis concute: producant rupes aquas, aquas inquam pacis, aquas reconciliationis, aquas misericordiæ. Suffoca, quæso, qui verus es Samson, leones illos crudelitate & ira tumentes, effice vt ex iis mel suauitatis, patientiæ, charitatis, quod viuẽs hic docuisti, & fieri præcepisti, quin moriens exemplo & facto confirmasti, prodeat, cum te in crucem sublatum, clauis transfixum, lancea latus perforatum, spinis caput coronatum, & plagis omnia membra exhausta contemplor, pro inimicis tamen tuis deprecantem & patri pro illorum ignorantia supplicantem. *Pater agnosce illis.*

Quis nũc adeo barbarus & immitis futu-

rus

rus est Iesu bone, qui perspecto amore & misericordia tua infinita, inimicis suis exemplo tuo nolit ignoscere; præsertim cum te videat tanta, sine vllo crimine aut delicto, mala, iniuriasque toleraſſe, & à quibus ea acceperas inimicis ignouisse. Ignoscimus, Pater æterne, ignoscimus iam ex hac hora inimicis nostris, atq; eos ex animo complectimur, *Dimitte* igitur *nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; dimitte, inquã, per merita filii tui, per sanguinem, mortem, ac passionem eius, ad eum plane modum, quo nos omnibus qui in mundo sunt ignoscimus. Atque vbi omnium semel delictorum nobis veniam concesseris, fidelius in hac vita tibi obsequium exhibebimus, exspectãtes interim donec te in altera glorificemus.

## POST CINERES SABBATO.

Partitio.

*I. De iactata naui Ecclesia.*
*II. De mari mundi.*
*III. De Ecclesia naui.*
*IV. De ventis turbulentis eam impetentibus.*

*Cum sero esset factum, erat nauis in medio mari, & Iesus solus in terra.* Marc. 6.

### FIGVRA.

Gen. 7. MAGNA quidem illa fuit tempestas, qua quadraginta dierum spatio, Arca Noe in aquis diluuii hinc inde iactata, ac mille periculis, licet absque vllo naufragii timore, exposita fuit: donec columba, oliuæ ramum virentibus vernantem foliis deferens, ad Arcam rediret: quo tandem signo cognouit Noe Deum iam reconciliatum, & aquas diluuii esse imminutas; tunc enim primo venti poni, vndæ cessare, procellæ quiescere, tempestates desinere cœperũt, vt deinde Arca in montibus Armeniæ fixa hæserit. At non minor hodierna die nobis tempestas in Euangelio proponitur. videas hic namque cymbam, quæ Apostolos, veluti Noachum cum filiis, vehebat, non quidem in aquis diluuii, sed in medio maris procellosi, tumentis, atque vndique mortem & extremum periculum minitantis fluctuantem: quæ licet iamiam fluctibus haurienda videatur, salua tamen & incolumis eluctatur: nam vix illam Christus, qui vera columba est, quę egregium illum ramum, pacis inter nos & patrem suum initæ symbolum attulit, intrauit; cum statim omnis illa tempestas conticuit, venti quieuerunt, vndæ detumuerunt, & fluctus malaciam induerunt. De hoc mari, de naui hac, de hac denique tempestate nobis hodie sermo est; at salutata prius illa stella maris ad quam velut Cynosuram nostrum cursum dirigemus.

### AVE MARIA.

Ab eo tempore, quo sanguis innoxius Abelis effusus est, in quo, secundum August. Ecclesia cœpit exordium, nunquam in ea fratricidæ Cain, profani Esau, persecutores Pharaones, fornicatrices Iesabeles, proditores Iudæ, aut falsi & improbi ministri defuerunt. Repetamus licet ab ipsa mundi origine memoriam vltimam; repetamus omnia sæcula, reuoluamus omnia antiquitatis monumẽta, totis illis quinq; annorum millibus sæculum non inuenies, quo Ecclesia & ciuitas Dei persecutiones non sustinuerit. Video enim tot falsos Prophetas in Israel aduersus vnum Eliam conspirantes: video tot vbique in Caldæa fornaces aduersus tres pueros Hebræos accensas: tot lacus, tot speluncas, tot cauernas leonibus refertas in vnum Danielem in Babylone præparatas: tot tormenta, tot crudelitates in Ægypto aduersus Hebræos conceptas: tot Philistæos, Amorrhæos, Iebuzæos, Chananæos, Madianitas, Amalecitas aduersus Israel conspirantes: tantos deniq; vlulatus, tanta lamenta, tantos in Rama in infanticidio audio ploratus. Quæ omnia Dauid coaceruãs, Ecclesiæ victorias iure merito decantat: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea etenim non potuerunt mihi.* Ac si diceret, Audaciter ô Israel, Catholica inquam Ecclesia, proloquere & confitere, sæpe à iuuentute inimici me mei oppugnauerunt, ab incunabulis me meis obsederunt, sed semper in vanum

I. August. de Ciuit. Dei. 3. Reg. 18. Dan. 3. Dan. 14. Exod. 1 & 12. Matth. 2. Psal. 128. Insignis figura Ecclesiæ.

vanum eorum conatus cecidit, semper victrix euasit. Profecto, Auditores, Ecclesia nostra Bethulia est, quæ quidem ab inimicis circumuallata fuit, nunquam tamen capta; toties quidem oppugnata & vndique impetita, at nunquam expugnata, nũquam expilata. Ipsa casta illa Susanna est, quæ falsos accusatores non perhorrescit. Pulchra illa Iudith, quæ Holofernem prosternit, iugulat, ac integros exercitus in fugam versos profligat. Lapis ille est in petra fundatus qui è cœlestibus illis montibus præcisus statuas sine manibus comminuit, ac in cinerem redigit. Arca illa fœderis est, tabulas Legis, & virgam prodigiorum operatricem in se continens, quæ idola euertit, hæreses subiugat, iudaismos profligat. Illa est Salamandra quę in mediis flammis viuit, & per flammas persecutionum incrementa sumit. Sacra illa laurus est, semper virens, fulmina non formidans. Pulchra illa rosa est, quæ inter spinas non suffocatur. Denique illa palma dici potest, quæ quo magis deprimitur, eò magis in sublime sustollitur. Quid amplius? est mirabilis illa arca Noe, quæ, quo fluctus afflictionum vehementius insurgunt, eo maius incrementum sumit, & amplius efflorescit, imo quemadmodum aquis diluuii omnia palatia, & quidquid in mundo excelsum fuit, obruebatur, sola Arca Noe in montibus Armeniæ conseruata: ita quoque omnia Regna mundi & Monarchiæ fluctibus, & armorum procellis immersæ & inuolutæ perierunt; vnica autem Arca Noe, sancta scilicet Ecclesia, Monarchia, inquam, Christi Iesu, quæ in æternum non dissipabitur, & quæ si fractus illabatur orbis, infracta permanebit, incolumis superenatabit. Et quod de potente illo Ponti Rege Mithridate, qui quadraginta annorum spatio popul. Romanum bello terra marique fatigauit, traditum est nullo scilicet vnquã veneno, quod à prima ætate eidem assueuisset, necari potuisse: idem ipsum de Ecclesia nostra ausim asserere, quæ quod à primo ætatis suæ die veneno persecutionum assueuerit, nunquam persecutionibus potuit succumbere: vt præclare nescio quis dixerit:

*Iudith.5.*

*Dan.13.*

*Iudith 10.*

*Dan.2.*

*2.Reg.5.*

Mithridates veneno necari non potest. *Plutar. in Lucull.*

*Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine creuit: Sanguine nutritur, sanguine finis erit.*

Nam quemadmodum fraterno primum maduerunt sanguine Romæ muri, ita fundamẽta Ecclesiæ Christianæ sanguine Christi Iesu. Sanguis Martyrum eidem incrementum dedit, vt Cyprian. recte scripserit: *Sanguis martyrum est semen Christianorum.* Sanguine etiam & resurgentium afflictionum rabie fouetur: quin & in sanguine & cæde, quam Antichristus exercebit, desinet & sepelietur, denique est illa nauis, quæ hactenus semper fluctibus maris agitata est, & etiamnum agitatur, vt hodiernum Euangelium declarat. *Cum sero esset, erat nauis in medio mari.* Verum, ne hæc nos tempestas è cursu orationis alio abripiat, primo de mari, deinde de cymba, & postremo de ventis orationem instituemus.

II. Mundus instar maris est,

Quod ad primũ; nihil est omnino, quod aut melius, aut accommodatius Oceanum ventis agitatum, & tempestatibus æstuantem exprimat, quam hic mundus. Et profecto ita est, neq; enim tot in mari naues naufragio demerguntur, quot in mundo animæ ad tentationum scopulos illisæ ad infernalem voraginem & barathrum deuoluuntur: non Euripus tot agitationes, aut mare commotiones experitur, quot ipse mundus inquietudines: non tot Syrtes, & Charybdes in mari reperire est, quot discrimina & pericula in hoc orbe calamitosissimo. Sicut enim mare omnium ventorum officina est, ita mundus calamitatum theatrum, & veluti omnium malorum colluuies. Demum *Non mare tot guttas, quot mala mundus habet.* Mundus scilicet mare est, in quo infelix Adam cum omni posteritate, propter vnum peccatum originis, naufragium passus est. O naufragium deplorandum! in quo omnes illæ pretiosæ gratiarum merces in Paradiso terrestri possessæ, vno momento; atq; inter cæteras pretiosa illa gemma, iustitia inquam originalis, pessum iuere. Est mare illud vndosũ, in quo à primo natiuitatis die submersi sumus, & quidẽ sine vlla emergendi spe, nisi sol nobis Baptismi radiis suis emicantib. affulgeret: Adeo vt quemadmodum nihil periculosius est, quam in mari nauiga-

re; ita nihil etiam cum maiori coniunctum discrimine, quam in hoc mundo & viuere & agere. Quanto namq; nauigantes sese exponant periculo optime Menander Poeta innuit, *Satius est pauperem in terra viuere, quam diuitem nauigare.* Quin & tria per omnem vitam sibi accidisse dixit Cato, quorum postea pœnituisset; primum, si quid arcani fœminæ credidisset; secundum, si quopiam naui gio vectus esset, quo pedestri itinere peruenire licuisset; tertium, si quis dies ipsi per negligentiam absque fructu effluxisset. O vere dignam Romano sententiam! Magna quidem hæc, at quanto maiora in vasto hoc & ventoso mundi salo pericula occurrunt? omnibus quippe qui id pernauigarunt non secus male cessit, quam cymbæ huic Apostolorum, quæ in altum prouecta naufragii periculum subiuit; *Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus.* Hinc Ionas quoque in plenum mare prouectus, ingens vitæ discrimen adiit: *Et facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur.* Quare nihil aut tutius, aut securius est, quam in terra ambulare, hoc est, humilitatem consectari, de qua & verum illud est:

*Qui iacet in terra non habet vnde cadat.*

Summus ille oratorum Græciæ, Isocrates, de Athenienfi repub. quondam dicere solebat, Athenas quidem esse ad peregrinandum iucundissimas, verum ad inhabitandũ non adeo securas. Verum cur tale patriæ tribuis elogium, Isocrates? Merito quidem: neque enim vlla fuit in toto orbe respub. quæ cum illius ingratitudine sit comparanda, nam quos aliquando ad aliquod culmen honoris, aut dignitatis fastigium euexit, eos celeriter ad infimum infamiæ gradum deturbauit: hos magna cum ignominia in exilium pellẽs, illos autem iniquis iudiciis ad mortẽ & cicutam condemnans: testes mihi sunt Phociones, Pericles, testes Demosth. & Socrates. Idẽ ipsum mihi de mari huius mundi liceat dicere, quod ad peregrinandum & deambulãdum quidem iucundissimum est, ad inhabitandum a plenum periculis; vt nihil omnino in rerum natura sit, quod cum huius ingratitudine sit conferendum: omnes namq; quos ad honorum culmen sublimes euehit, mox ad imum infamiæ gradum deturbat. Exemplis rem confirmabo. Aman tam felici fortunæ aura afflatus, vt primus à Rege inter Satrapas fuerit, totius regni habenas moderaretur, & ad eius vocem omnes contremiscerent, sequenti die laqueo vitam finit. Holofernes princeps militiæ Regis Nabuchodonosor in obsessione Bethuliæ, eũ Iudith frui amoribus, & vrbe potiri sese sperat, capite simul & vita priuatur: *Ecce caput Holofernis princ. pis militiæ Assyriorum, & ecce conopæum illius in quo recumbebat in ebrietate sua, vbi per manum femina percussit illum Dominus Deus noster.*

Descendam ad historias profanas, & demonstrabo quam multi fluctibus & vorticibus huiusce maris absorpti sint. Alexãder ille Macedo, cui semper fortuna læto arrisit vultu, qui totum terrę orbem nominis sui terrore impleuit, imperiũ per omnes mũdi terminos extendit, cui vnus orbis non suffecit; eo superbiæ arrogantiæq; deuenit, vt non amplius Philippi, sed Iouis filius appellari voluerit. Quas adhuc ipsi tragœdias mundo excitabis? ecce tibi eũdem post tot victorias, tot trophæa, tot inanes honorum titulos & deliramenta, in medio vitæ cursu violenta morte abreptũ, & triginta dies inhumatũ bestiis & volucribus in prędam relinqui, regnum quoque eius diuisum est, fastus & superbia ad nihilum redacta, corpus ludibrio omnium expositum, & anima infernalib. mancipata tormentis. Anne hæc ingrate tuis cultoribus reddis præmia? An non est Iulius Cæsar, qui per nostras hasce Gallias toties Romanas aquilas victor circumtulit, cum quintũ Dictator & triennio Imperator fuisset, quinquagies cũ hoste congressus semper victor rediisset? Roma victoriis inflatus reuersus, in Senatu in conspectu populi Romani, viginti & amplius vulnerib. confossus, ludibrium fortunæ demonstrauit. O tragicam immanitatem! nunc, & mundo securus confide, & in infido hoc mari fiduciæ anchoram fige. Mundus scilicet scæna fortunæ est & theatrum, in quo lugubres ipsa tragœdias exhibet; atroces sc. Thyestes, Atreos, Agamemnonas, dramata Regia & imperatoria; vtpote quæ in summis solũ ludit, & solos magnates spectãdos proponit.

*Apophth. Menandr.* Trium rerum Catonẽ pœnitebat.

*Ioan. 2.* *Matt. 14.*

*Ion. 1.*

*Apophth. Isocratis.* *Ælian. l. 12*

*Esther. 7.* Exempla ingratitudinis mundus ostendit.

*Iudith. 13.*

Alexand. necatus triginta dies iacet insepultus.

*Plutarch. in Iulio.* Iulius Cæsar post 50. victorias 20. vulneribus confossus est.

ponit. proh quãtos fluxus & refluxus in hoc mari glaciali cernere est, quot fortunarum mutationes, quot superborum euersiones, & quantam, prõ Deus! rerum vicissitudinem?

Comparatur mundus mari.

Adsis igitur huc Aulice, qui securus in hoc Euripo nauigas, libero cursu, vndas, procellas, & naufragia non pertimescens, euagaris; adsis inquam huc mecum, & in littore maris considentes pauliſper philosophemur. quaqua æquor patet, circunferas oculos, & vide num in vasto Oceano, locum vnum, aut angulum, aut minimum recessum reperire sit qui à naufragio tutus sit. indica mihi, si potis es, & locum in mundo, qui periculum aut fortunæ iacula & ludibria, in tuto positus nõ perhorrescat. Penetra iterum, si lubet, intimos Oceani sinus, & si potes, vnicam quæ careat salsugine guttam exhibe; venias deinde ad mundum, & vel vnam voluptatem eius demonstra quę amaritudine non sit permixta. Non reperies vllam; nam *extrema gaudij luctus occupat.* Premit voluptatem cito pede tristitia, gaudium luctus; mel felle permixtum est, & dulcedo myrrha. Denique ipsa viscera & intima penetralia maris perscrutare, ad imas abyssos descende; & superius præter inconstantiam, in medio præter salsuginẽ, inferius præter arenas, nil reperies: idem de mundo hoc esto iudicium, tenta eum & metire quotiescunq; volueris, fundum eius, nihil præter arenam, cineres, & meram vanitatem esse perspicies.

*Prou. 14.*

At satis iam in mundi hoc pelago fluctuauimus, ad littora nauiculam propellamus. Nauicula porro in qua Apostoli tempestate quatiuntur, Ecclesiam nobis repræsentat: atq; ita eam intel igit B. Clemens; *similis est*, inquit, *status Ecclesiæ magnæ naui, quæ ex diuersis regionibus viros portat per vndosum pelagus in securum portum & magnam ciuitatem.* Vere quidem: Ecclesia quippe est nauis bellica, pro fide Iesu Christi decertans, nauis vinci nescia, inexpugnabilis; nauis quæ oppugnari potest, at non expugnari; quæ quidem fluctibus & procellis impetitur, sed nunquam immergitur,

*Clem. in ep. ad Iacobum.*

*Fluctuat, at nunquam mergitur illa ratis.*

Lapis integer in aquã proiectus natat.

Tradunt Naturalium rerum scriptores, in Scyro insula lapidem reperiri, qui integer quidẽ in aquam proiectus natet, at comminutus mergatur. Super huiusmodi petram ædificata est Ecclesia, quâ petrâ integrâ & indiuisa permanẽte, illa in aquis mundi huius semper fluctuat; at hæresibus & schismatibus in diuersas diuisa partes, mergitur, & fundum petit. Ecclesia denique est nauis regia, quo eam Salomon nomine nuncupauit, *terribilis vt castrorum acies ordinata*: nauis sane terribilis, dæmonibus extimescenda, ad præliandum peridonea, in qua Iesus Christus nauclerus est, crux malus, virtutes vela, charitas funes, sacramenta bombardæ, gratię propugnacula & munimenta, & S. Spiritus dulce Zephyri flabrum: teste Dauide: *Spiritus tuus bonus deducet me in terrã rectam.* In hac quoq; naui copiæ nauales sunt in tres turmas diuisæ: vna Ecclesiasticorũ & sacerdotum, altera Laicorum, tertia Religiosorũ.

*Plin. lib. 36. cap. 17.*

*Cant. 6.*

*Psal. 142.*

Quamuis autem summa potestas penes Christum sit, qui summus Gubernator & Imp. huius exercitus est; tamen quoniam maiores adhuc & potentiores exercitus habet scil. Angelorum in cælis, Dæmonũ apud inferos, & omnium creaturarum in hoc mundo: & quoniam necesse non est omnibus, præterquam animabus Beatorum in cælo visibilem se exhibere; ideo S. Petrum & omnes eius successores, veluti vicarios generales in hac militanti Ecclesia, summa in eos translata potestate, reliquit, vt quidquid in exercitu Reges deesse viderint, libere decernant ac statuant. *Constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ?* Imprimis autem vt veluti dux & chiliarcha foret cum plenaria potestate.

*Psal. 104.*

III. Delineatio exercitus Ecclesiastici.

Ecce tibi in hac prima turma, veluti in prima acie sub summo illo Põtifice, Iesu Christi vicario, Episcopos, veluti Tribunos militares, nõ quidem cum absoluta potestate constitutos; sed veluti in sortem solicitudinis vocatos, vt diœcesium suarum veluti legionũ quarundam cõmodis salutiq; inuigilent. Pone eos sequuntur Pastores Ecclesiarũ, veluti Centuriones aut primipili. In secundam vero turmam nobilitas, populus atq; omnes laici coniecti sunt, mediam & confertã aciem ex hac naui decertãtium constituentes; omnes enim in Baptismo in hunc exercitum nomi-

na dederunt; omnes in Confirmatione luſtrati ſunt, & arma acceperunt; omnes demum ſtipenda meruerunt, & annorum acceperunt in Sacramẽto Euchariſtiæ. In tertia vero turma velut in vltima triariorum acie, Religioſos diuerſis muniis & officiis deſtinatos occupatosque contemplor. Horum nonnulli in vallis vigilias agunt, & in propugnaculis locisque eminentioribus veluti in ſpecula excubant, vt videant, ne quid Reſp. Chriſtiana detrimenti capiat; vt ſunt Conuentuales & Mendicantes in vita actiua vt plurimum occupati. alii ceu vitæ prodigi, & omnino voluntarii, extra caſtra ſe ſubiiciunt, hoſtem inuadunt, velitationes aſſiduas cõmittunt, magna inimico damna inferentes; Anachoretæ ſ. & Sedentarii. Alii etiam, veluti in certum ſeſe periculum coniicientes, in montibus quodammodo excubant, in deſertis figunt tentoria, inimicum inuadunt, inſidias & fraudes eius detegunt, & aperto eum Marte aggrediuntur, nempe eremicolæ.

An non illa vere excellens nauis eſt probe armata, egregie inſtructa, atque ad omnem impetum propulſandum paratiſſima: quæ nihil ſane eſt aliud, quam valida illa turris Dauid, mille armis & clypeis circumdata: *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* Eſt nempe *nauis* illa *inſtitoris de longe portans panem.* Pater æternus diues ille inſtitor eſt: Ieſus Chriſtus, ſacer panis: Eccleſia, nauis quæ illum vehit, & quidem de longe, hoc eſt, à cœleſtibus ſedibus *à ſummo cœlo* nempè *egreſſio eius.* Vere inquam panis de longe veniens, panis tanto tẽpore exſpectatus, panis quo totus terrarum orbis enutritus eſt. Notate rẽ Auditores: panis nauticus, qui in nautas diſtribuitur, ſolet eſſe bis coctus, qualis profecto Ieſus Chriſtus eſt, bis ſ. genitus, ſemel quidẽ in ſinu Patris æterni: iterum vero in ſacro Virginis vtero. Vere igitur nauis Eccleſia dici ac nominari poteſt.

*Cant. 4.* *Pro. 31.* *Pſal. 28.*

Proponite vobis ob oculos Auditores, nauem quam Salomon tertio quoque anno in Tharſis mittere ſolebat, *deferentem inde aurum & argentum, & dentes elephantorũ, & ſimias, & pauos.* Quid putatis hiſce deſignari, Auditores? Aliud nihil quam nauim Eccleſiæ, quæ non in mari Tharſico, ſed in mundi huius oceano nauigat, aurum fidei, ebur charitatis, & argentum ſpei ſemper deferes; adhæc pauos & ſimias, id eſt, bonos & malos. Eccleſia deniq; eſt, nauis ſalutis extra quã nulla eſt ſalus; cuius figuram Arcã Noe fuiſſe arbitror: omnes namq; qui extra Arcã tempore diluuii erant, naufragio cõſumpti ſunt; ad eundẽ plane modum, omnes qui in agris ſunt, & extra nauim Ieſu Chriſti, periculo expoſiti ſunt, & in extremo ſalutis diſcrimine verſantur. Tu inquã vere nauis es, ô Eccleſia, & quæ ſola, ingentes illos theſauros, Sacras nimirum litteras, Sacramentorum gratiam, & miracula cõtines. Tu ſola es triremis illa Prætoria, quæ præclaro hoc Catholicæ nomine diceris: cæteræ quæ in mundi huius mari feruntur, nihil ſunt aliud quam myoparones & cymbæ piraticæ, mare hoc vndecumq; infeſtum reddentes; nauigiola prædonum, & falſariorum, pſeudoprophetarum, & miniſtrorum Satanæ. Tu ſola totum orbem circumluſtraſti, & ab vno populo ad alterum vſq; ad alterum vela tua extendiſti. Cymbæ Mahometicæ, Neſtorianæ, Eutychianæ peſtiferis infectæ hæreſibus, qui Orientem tantum luſtrarunt, nunquam ad Occidentem pertingere, aut noſtros limites infeſtare potuerunt. Myoparones Lutherani aut Caluiniſtici nunquã mare Mediterraneum tranſiere, vt Africa, Aſiã, Ægyptum deniq; perluſtrent, ne ipſam quidem Græciam: nihil vmquã tale trans mare, cuiuſmodi tu doces, auditum eſt Luthere. At tu, ô nauis prætoria omnia circumnauigaſti, omnes terras, omnia regna clãgore & ſonitu tubarum tuarũ excitaſti; nam Proph. teſte, *in omnem terram exiuit ſonus eorum*: curſitaſti à polo Arctico vſq; ad Antarcticum: quin & etiamnum hodie in Oriente vſq; ad Indias enauigas, in Occidente vſq; in Americam, in Septemtrione ad vſq; Iapones, in meridie ad vſq; Braſiliam: per omnia denique mundi climata ad ipſos vſq; Antipodes pertendis. At audire mihi frementes hic video ventos, videamus quid poſtulent.

Eccleſia totum ſola orbem pernauigauit.

Hæreſes paruo alio quo mundi angulo contineantur.

*Pſal. 18.*

IV.

Porro venti, qui tanto impetu nauem hanc cõcutiunt & percellunt, perſecutiones ſunt & minæ tyrannorum. Quot porro venti, &

Venti qui nauem hanc im-

petunt per- secutionẽ denotant.

ti, & quam validi è Iudaica cauea prodeuntes nauem hanc impetierint, & quæ qualesque tempestates hinc aduersus eam excitatæ sint, vix dici potest, Auditores. Ipse quippe gubernator & Palinurus noster in crucem actus est, S. Steph. lapidatus, S. Iacob. è pinnaculo præceps datus, omnes deniq; Apost. dispersi & in fugam acti sunt. Quantos crudelitatis immanitatisque Aquilones excitauit Paganismus & gentilitas? quantas tempestates, portenta illa Imperatorum, Neroues, Decii, Domitiani, Valeriani, Maximini, Traiani, Iuliani, Diocletiani, aliique innumeri? Quantis, proh Deum immortalem tempestatibus, quantis procellis, quantis denique turbinibus conquassatae ô Ecclesia! Decumani omnino fluctus te concusserunt, at non excusserunt.

Damasus Papa multis cum lachrymis & suspiriis narrat mala, quibus Diocletianus Ecclesiam impetiuit, quibusq; septendecim Christianorum millia, diuersis tormentorũ generibus, è medio sustulit. Quin & Eusebius, qui ea tempestate viuebat, historiarum monumentis prodidit, omnes Romanos carceres & ergastula ita Christianis oppleta fuisse, vt locus nõ esset iis qui in eadem propter delicta capitalia essent coniecti. Addit insuper, eundem ipsum tyrannum, verum Christianorum flagelliũ, eo immanitatis processisse, vt omnes quotquot de Religione Christiana tractarent, libros, publico edicto etemandos iusserit: quo hac ratione omnem penitus Religionis Christianæ memoriam è mentibus hominum euelleret. O barbariem inauditam! Quis obsecro, inquit Eusebius, interius animo non commoueretur, cum quod hisce nos oculis aspeximus, tot sacra volumina, tot diuinas scripturas in rogum medio foro cõiici videret? quis quæso hæc intuens sibi temperet à lacrymis? Vere enim tunc *factus est motus magnus in mari, ita vt nauis operiretur fluctibus.* Distraxit hæc tempestas triginta continua serie Romanos Pontifices, omnes martyrio inclytos: exterminauit hæc eadem vno turbine ex Oriente & finibus Africæ ducentos viginti Episcopos, quos Symmachus Papa profugos, & in Sardiniam profectos liberaliter fouit, quibusq; vitæ necessaria subministrauit. Hem quæ tempestates, hem quinam turbines!

Damasus in vita Marcelli. *Eusebius hist. Eccl. l. 8. c. 2.*

Immanis crudelitas Diocletiani aduersus Christianos.

30. Papæ martyrio affecti.

At nondum hic subsistimus, turbines & aquilones hæreseon hanc itidem nauim mirum in modum conquassarunt, vt *facta sit tempestas magna.* Hem! quęnam rabies ab Arianis excitata est? ita vt totus pœne terrarũ orbis mergeretur, & præ angustia cordis clamaret, *Domine perimus*, & vt B. Hieronymus testatur, *ingemisceret, & se Arianum esse miraretur.* Totus pene mundi ambitus ab hac hæresi dementatus fuit: multi eam Reges & Principes fouerunt, plurimi eam Episcopi amplexati sunt, eamdem Constantius, Valens Imp. Reges Gothorum in regno Italiæ, Vandali in Africa, deinde Iconomachi, Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, Philippus, Armenii, & plurimi alii, & lingua, & armis defendendam susceperẽ. Quin & traditin Chronicis suis Sigebertus, quod notatu dignum, impium illum & infandum Copronymum plures è medio Catholico, quam vllum vmquam tyrannum, sustulisse.

Crudelitas Arianorũ. *Dial. contra Lucifer. Ventus hareseos.*

Quas deinde turbas, quæ prælia, quos turbines, quas tempestates, vnicum illud monstrum, in Saxoniæ cauernis natum Lutherus, anno Domini M. D. XVII temporibus Leonis Papæ & Imperatoris Maximiliani, in Germania excitauit? Indulgentias Põtificias oppugnat, Purgatorium penitus negat: aduersus Episcoporum potestatem debacchatur, deniq; contra vniuersam Ecclesiam arma mouet & prælia. Quos porro turbines persensisti ô Gallia? quibus tẽpestatibus cõquassata es propter nefandum nefandi illius Caluini furorem? tempestatibus, inquam quæ tua campanilia destruxerunt, altaria tua euerterunt, templa tua prostrauerunt: tempestatibus, quæ sacerdotes tuos excruciarunt, monasteria tua confregerunt, imagines tuas demolitæ sunt: tempestatibus, quæ sacros tuos calices eliquarunt, beneficia inuaserunt, & omnia tua sancta conculcarunt, prostrauerunt, profanarunt. *Horresco referens.* Vide etiamnum hodie euaporantes fumos ô Gallia, & illa tua cruenta vulnera nõdum obdúctasunt, *Nũc cinis est vbi Troia fuit.* Verum tandem aliquando clemens ille Pater, *imperauit mari & ventis.* Cohibuit

*Rabies Lutheri.*

Castigationes in eos qui Ecclesiã persecuti sunt.

*Exod.14. Num.17.* hic Æolus emissos carcere ventos, turbines sedauit, & seren tatem superinduxit Pharao, primus Ecclesiæ persecutor, in Rubro mari sepultus est. Terra dehiscens primos Schismaticos Core, Dathan, & Abiron viuos ad infetni barathrum transmisit: Iudæi mille calamitatib. vbiq; terrarum circumuallati, omnium ludibrio & sannis sunt expositi. omnes illos Imperatores Romanos, Christianorũ carnifices: omnes quoq; illos Ecclesiæ inimicos, inaudita & calamitosa morte vltor Deus puniuit. Nero namque sibi ipsi tortor fuit, Decius à Gothis superatus, & castris exutus, misere in vndis suffocatus est: Traianum paralysis ad mortem vsque excruciauit. Maximinus graui oculorũ dolore oppressus, sibi ipsi sperans succurrere, mortẽ potius accersiuit: Valerianus à Rege Persarum in captiuitatem ductus ephippiarii munus exercuit, stapedem tenens barbaro Rege equum conscendente. O vindictam diuinam! ô meritas punitiones! Iulianus quoq; vt D. Greg. Nazianz. tradit, miraculoso ictu lanceæ è medio sublatus. sepultura caruit Valens Arianorum partes fouens, Arianus & ipse viuus, teste Rufin. conflagrauit. Hæc sc. pœna fuit eorũ, qui hæreticos & hæreses fouerunt.

*Grat. 2. in Iulian.*

*Lib.11.*

Videamus modo tragicum finem & lugubrem catastrophen Hæresiarcharum. Arius dysenteria vexatus, & internis cruciatus torminibus, in latrinis animam emisit, vt D. Athanasius & Rufinus testantur. Manichæo viuo Rex Persarum, vti Epiphanius hæresi LXVI. scribit, pellem detraxit. Nestorii impiam linguam vermes blasphemiæ vindices corrodentes, mori coegerunt. At suauius multò Lutherus vitam finiit. benè namq; potus, & cibis distentus, absq; vllo externo pietatis signo, cubitum secedens, apud inferos pernoctauit. Zuing. Coch'æo teste, agmen aduers. Catholicos ducens, armatus in acie interfectus est. Carolstadius, Ministrorum Basilien sium relatione à diabolo suffocatus interiit. Atnõ tu omnium scelestissime Caluine, infelici & pœnè tragico exitu vitam finisti? à vermibus sextipedibus, velut Herodes, velut Antiochus, & velut Maximinus fuit consumptus: quin & inuocatis dæmonibus, furibundus & desperans miserabili catastropha animam emisit.

*Athanas. orat. cont. Arian. Rufin. lib. 20. hist.*

Colchæus in vita Lutheri.

Bolsetus in eius vita.

*Discere* igitur *iustitiam moniti & non temnere diuos.* Hac ratione turbines isti quieuerunt, hoc modo mare pacatum, *& facta est tranquillitas magna*, pax quidem reddita Ecclesiæ, quies fidelibus, & nauiculæ securitas. *Virgil. 6. Æneid.*

Tu vero Deus æterne, qui ventis & mari imperas, verus protector & defensor Ecclesiæ, animarum nostrarum zelator, qui post tempestatem, tranquillum: post imbres, serenitatem superinducis: quiq; non permittis continuo terram diluuio tegi, nec semper in cœlis tonas, aut tempestatem continuam cies: defende obsecro, Ecclesiam tuam, concede pacem, hæreses omnes extingue, & turbines hos, qui tẽpestates procreare gestiunt, longe dispelle. Ante omnia autem ô Pater æterne, & omnipotens, miseras nostras animas, quæ in huius carnis passionibus non secus ac nauis in medio Oceano, fluctuant, conserua: tu eas dirige, tu earum gubernator sis, tu cynosura, tu eis omnia, quæ vbi ventus cessauerit, & tranquillitas magna facta fuerit, fidele tibi & nunquam deficiens hic in terris obsequium, & sempiternum in cœlo præstabunt. Amen.

## DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA.

### Partitio.

*I. Quis tentator hostis?*
*II. Quodnam desertum tentatoris?*
*III. Quod desertum tentati?*
*IV. De Duellibus ipsis, trinoq; duello.*
*V. Cur trina fuerit tentatio?*

### *Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Matth. 4.

### FIGVRA.

IVCVNDVM sanè spectaculum fuit, Auditores, pusillum illum adolescentem Dauid, in campis Iudæę, exigua armatum funda, aduersus magnum illum Goliadam Principem Philistiim, qui quadraginta diebus agminibus Israel exprobrauerat, procedentem videre: iucundum quoq; fuit, vnico fundæ ictu in fronte, illam molem carneam cõcidentem, honore simul & vita priuatam, intueri. *1. Reg. 17.*

tueri. At longe iucundius spectaculum est, hodierna die in desertis Palæstinæ paruum & humilem Iesum, sola humanitatis nostræ funda armatum, aduersus magnum illum Satanam, Principem tenebrarum, qui toti mundo iam à quinque annorum millibus & amplius exprobrauerat, procidētem videre, & vnico ictu lapidis ita illum prosternētem, vt in monte Caluariæ tādem sit emoriturus. Non potuit Dauid regalibus exuuiis, quas Saul offerebat, indutus, ad certamen procedere, verum in habitu pastoritio in arenam descendit: Christus quoq; noster regalibus diuinitatis suę vestimentis indutus, in certamen descendere nequiuit: opus scilicet erat, vt in habitu viatoris veniret, & humanam naturam assumeret. Hac eum forma, & schemate hodie contemplemini, Auditores: hoc habitu indutus pugnat, hoc in habitu victoriam consequitur, quam vobis hodierna oratione describam: prius tamen glorioſam eius matrem & Virginem Mariam salutemus: & genu flexo dicamus.

## Ave Maria.

I. Aiebat Plinius, naturam homini nouercā fuisse.

Merito nonnulli mea quidem sententia, de natura conquesti sunt, quod cum sese vt matrem charissimam erga cætera animalia exhibeat, erga solos homines nouercam sese declaret. Si enim attentius consideremus, qua ratione in hunc mundum ingrediamur, quomodo in eo degamus, & hinc abeamus, mille nobis lacrymarum occasiones, amplissimaque miseræ nostræ conditionis deplorandæ materia suppeditabitur. Plorantes nascimur, in laboribus viuimus, & cum dolore lamentisque hinc emigramus. Mox enim in auras atque vitales nos natura producit, duplici carceri includit: animam quidem corpori, & mundo corpus: è quo nunquam nisi ipsa morte liberandi sumus. Huiusce rei egregiam nobis Exodus figuram ostendit. Vix enim Moyses natus erat, & ecce in fiscellam scirpea expositus, in profluentem deiicitur, vt quocūque vnda detulerit, eodem appellat: quo quid aliud, ô homo, declaratur, nisi te vix natum, statim mundi hisce fluctibus expositum, ludibrio fortunæ agitari.

*Exod. 2.*

Hinc factum est, vt Democritus considerata mundi vanitate & insania, semper riserit, subsannans, & exsibilans eos qui mundi se voluptatibus oblectarent: Heraclitus vero miseriis calamitatibusque humanis ob oculos positis semper plorauerit. Quin etiam Iob, hæc considerans attentius, plenus dolore & gemens, lamentatur, exclamans: *Quare de vulua eduxisti me? qui vtinā consumptus essem, ne oculus me videret, fuissem quasi non essem de vtero translatus ad tumulum.* Perinde ac si diceret, Cur ô Deus æterne me è vētre matris eduxisti? quare mihi vitam cōcessisti? quare me lumen solis fecisti intueri, vt tot malorum calamitatumq; hæres fierem? exspirasse satius fuisset, & natali mortē coniunxisse. Ne quid nimis ô Iob, nolim tantum doloribus indulgere, fidem habes, qua erhnici fuere destituti, quæ magnam mercedem æquo animo aduersa sustinentibus promittit.

Duo Philosophi, quorum alter perpetuo ridebat, alter plorabat. Iob deplorat calamitates huius vitæ. *Iob. 10.*

Diuinus ille Plato de mortali hac vita agens, & post eum M. Tullius, dicere solebant: *Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partem sibi amici vendicant.* Egregiam & vere auream sententiam! at vestra liceat mihi venia verba hæc conuertere, & Christiano more dicere: *Non solum nobis nati sumus, sed vitæ nostræ partem caro, partem mundus, partem sibi diabolus vendicat.* Mundus enim diuitiis nos suis fascinat & eludit, caro deliciis voluptatibusque illaqueat & inescat: diabolus technis & fraudibus decipit & irretit. Mundus se vult diligi, caro foueri, diabolus porro adorari.

*Apophth. Platonis & Ciceronis. Cic. lib. 1. Offic.*

Considerate naturam hanc rerum, Auditores. An non terra, in medio mundi, velut sphæra quædam pendula, à tribus elementis, veluti tribus inimicis circumuallatur, qui eam impetant, diuexent, & perpetuo oppugnent. Ignis suis eam ardoribus aduret, aer vaporibus corrumpit, aqua vero vndis submergere satagit. Imaginem hæc gerit vitæ nostræ, qui inter tres sc. inimicos fortissimos collocata est, carnem nimirum, mundum, & Satanam, qui perpetuo cum ea, inuadendo, oppugnando, diuexandoq; decertant: mundus quidē opib. & concupiscentia, caro deliciis, diabolus v. ambitione instructa. Atq; in hūc sensū loquitur S. Hier. *Inde me persequitur luxu-*

Insignis cōceptus. Terra in medio triū elementorum quæ eam semper impetunt, vitā hanc nostram desiignat. *Epist. ad Heliod.*

*luxuria, inde auaritia conatur irrumpere, inde venter meus vult mihi pro Deo esse, prosequitur me inquam hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes.* Hæc sunt bella, hæc certamina, hæc prælia, hæc duella, quæ nobis in hodierni diei campo repræsentantur: Ecce enim apud Matthæum, *Ductus est Iesus à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Primum autem vobis certaminis locum & arenã depingam, deinde pugiles qui in eo decertaturi sunt. Audite igitur & tuba belli signum auribus insonet:

II. Mundus instar deserti est. *Cant.* 8.

*Ductus est Iesus à spiritu in desertum.* Desertum hoc ad pugnam delectum, nobis mundum repræsentat: ita hunc namque Angeli in Canticis nuncuparunt, dicentes, *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens.* Vere namque desertum appellatur, in quo prêter ventos tentationum, tempestates persecutionum, & procellas concupiscentiarum nihil auditur, desertum inquam, in quo nihil aliud quam montes, Athos, Tauros, & Caucasos est conspicere: desertum in quo exsurgunt rupes pertinaciæ, cedri ambitionis, monstraque omnium peccatorum gignuntur. Hoc est illud desertum, quod naturæ humanæ in punitionem peccati consignatum est, de quo dicitur, *Maledicta terra in opere tuo spinas & tribulos germinabit tibi.* Dicere volebat Deus, Dic mihi, Adam, vnde in hoc peccatum prolapsus sis? tantane tua fuit audacia, vt aduersus me insurgeres, qui tantis te beneficiis cumulaueram, inque paradiso voluptatis collocaueram: sed eheu, felicitatem tuam infelix non agnouisti: vade igitur nunc in desertum sed maledictam illam terram, quæ spinas & tribulos tibi germinabit, in ea vitæ tuæ tempus trãsigito, nec ipse modo, sed & omnis tua posteritas, & longa filiorum series. Mundus quoq; est desertum illud Gelboe, cui Dauid, accepto tristi illo nuntio de morte Saul, totiusque roboris exercitus Israel, qui in montibus Gelboe ceciderant, maledixit, dicens: *Montes Gelboe, nec ros nec pluuia descendant super vos*: quod in vobis virorum fortium sanguis tam copiosè effusus sit: cœlum vobis pluuiam & rorem deneget: tempestatibus autem & fulminibus perpetuis obnoxii manete, in quib. tam cruentum prælium commissum est. An nõ potiori iure hæc in te maledictio quadrabit, ô munde? quam non tibi Dauid, sed Deus imprecatur, dicens: *Maledicta terra in opere tuo.* Tu itaque es desertum illud Gelboe, in quo tot cædes, tot inuasiones, tot homicidia perpetrata sunt: noster Saul in eo cecidit, Adam in eo periit atque adeo omnis in eo posteritatis eius exercitus periculum incurrit: duodecim Apostoli in eo sunt interfecti, XXXIII. Põtifices Romani interempti, atque infinita hominum millia martyrio è medio sublata: quin & ipse Christus Iesus, filius Dei vnigenitus, mortis hic periculũ incurrit. Maledicti igitur montes Gelboe, super quos occisi sunt fortissimi Israel: maledictus mundus, & in æternum maledictus: perpetuis dignum castigationibus desertum, quod theatrum fuit, in quo tam immanes tragœdiæ sunt exhibitæ.

Mundus montibus Gelboe cõparatur.

An non videtur, Auditores, mundus hic optime cũ deserto illo Caluariæ monte posse comparari? nam quemadmodum ille fœtidus fuit, suppliciis sceleratorum destinatus, sentina quodammodo putoris, mephitim circumquaq; exhalans, crucibus, patibulis, ossibusq; mortuorũ oppletus: ita plane & mundus. An non ipse, Caluariæ locus est, suppliciis Adami omniumque eius posterorũ ab æterna iustitia destinatus. Quid enim aliud hic sentimus præter putorem intolerabilem, fœtorem abominabilem, & tetram exhalationem? quid aliud hic videre est quam mortuos, enecatos, tortos & suspensos. Hic igitur vere ille mons Caluariæ est, in quo Iesus Christus crucifixus, in quo crux eius erecta fuit, & in quo tandem exspirauit? an non enim in mundo mortuus est? Mundus est Caluariæ mons. *Matt.* 27.

Meminit Lucas deserti cuiusdam, quod haud procul à Iericho distabat, in quo *homo quidam descendens ab Ierusalem in Iericho incidit in latrones, qui despoliauerunt eum, & plagis impositis eo semiuiuo relicto abierunt.* Audistis historiæ seriem: an non statim, etiam me tacente mundum hic designatum creditis? Eheu! Adam homo ille fuit qui ab Ierusalem in Iericho descendit, à gratia in peccatũ: qui in deserto mundi huius omnib. gratiarũ donis beneficiisq; quæ à Deo acceperat, fuit exutus: *Luc.* 10. Mundus similis est deserto Ierichuntino.

exutus: ac misere à latronibus, peccatis scil. & diabolis sauciatus. Mundus hic, Auditores, hocce desertum est, in quo Philistæi, i.e. diaboli, plusquam quinq; annorum millibus grassati, omnes dispoliabant, miserias animas ad digladiandum inuitantes: donec tandem noster Dauid cum iis præliaturus descēdit. O infelix desertum, in quo à primo natiuitatis exordio includimur, & in quo totum vitæ cursum, non secus atq; erimicolæ, transigimus: desertum in quo nihil nisi pugnę videntur, præter consuetam illam tentationē, *Mitte te deorsum* pro ambitiosis, & *Hæc omnia tibi dabo* pro auaris, audire est. Desertum denique monomachiis & certaminibus nobile ac fuso rubens sanguine, vbi caro aduersus spiritum, peccatum contra gratiam, fides contra hæresim digladiatur. An non auditis Caluinistam Catholico obiicientem verbis Satanæ, *Si filius Dei es*, O Catholice, si tua vera est Religio, si legitima penes te Ecclesia, *dic vt lapides isti panes fiant*, declara miraculis, demonstra ad oculum, quanā ratione panis in corp. Christi transsubstantietur. *Vade Satana*: tace hæretice, & audi quotidianum Hoc est. Idem ipse qui olim vxorem Loth in statuam salis, rupem in stagnum aquarum profluentem in sanguinem, virgam in serpētem commutauit, quotidie & panem in veram corporis sui substantiam conuertit. *Gen. 9.*

III. Pœnitētia instar deserti est.

Est & aliud deserti genus, sancta nimirum pœnitentia, desertum verè amœnū, nec amplius desertum, sertum iucundum, & in quo sese Angeli oblectant. desertum, inquam, in quo miro quodam modo animæ iustificantur, in quo manna cōsolationum cœlestium pluit, in quo lachrimarum torrentes fluunt, Desertum vere regium; vbi petræ, cubicula sunt: antra, atria, cauernæ, aulæ. Desertum, omnia mundi loca iucunditate amœnitateque superans: vbi saxa pauimētum sunt: terra stratum: montes ceruical: vmbræ, aulæa, spelæa, cimelia: feræ, socii, & spinæ, flores & aromata. Desertum plenū voluptatis, in quo orationes, cōfabulationes: ieiunia, cōuiuia: radices herbarum, bellaria: suspiria, musicā: & flagra virgæque, tripudia repræsentant. Delineatio deserti pœnitentiæ.

*Exod. 14.* Filii Israel iam à captiuitate Ægyptiaca liberati, vastam illam solitudinem intrarūt, atque per eam ad terram promissionis peruenerunt. quo nihil denotatur aliud, quā filios Dei, iam semel ex Ægypto peccati eductos, desertum pœnitētiæ intrare oportere, vt per hoc ad terram beatitudinis perueniant. Christus quoque Seruator noster, statim post baptismum desertum petit, vt nos edoceret, statim à baptismo desertum pœnitentiæ esse adeundum. O vere diuinum desertum! desertum amœnitate refertum, virtutibus excellēs & meritis locupletatum, exhibere mihi montem illum Thabor videris, in quo animæ ex terrenis factæ cœlestes, ex diabolicis in angelicas transmutatæ, transfigurantur. In te, in te, inquam, audio clamantes animas pœnitentiam agentes, *Bonum est nos hic esse*, bonum est pœnitentiam agere. *Matt. 17.* Similis est pœnitētia deserto Sinai.

Quemadmodum in deserto quoque Sinai legem suam tulit Deus, in quo audita tonitrua, emicarunt fulgura, clangoriq; buccinæ perstrepuit, ita vt omnis populus, qui in castris ad montis radicem erat, vehemēter expaueſceret: ita quoque in pœnitentiæ desertis eodem modo lex Dei in animis hominū figitur: hic namque animæ pœnitentiam agentes Deum timere, eumque super omnia diligere discunt: ita vt vere te desertum desiderabile, & votis omnibus exoptandum mihi liceat appellare. *Exod. 19.*

Tanto porro amore insignis ille sui castigator S. Hieron. hæc deserta complexus est, vt ergastula se videre diceret, si quando vrbes forent adeundæ, & omnem voluptatem & delicias in cauernis & petris solitudinis collocaret. Reliquit S. Ioan. Bapt aulas, & splendida Zachariæ patris sui atria, vt deserta incoleret: quin & Seruator noster Christus, in desertis hisce locis habitaturus, cœlos deseruit: *Ductus* quippe *est Iesus in desertum*. *Luc. 1.*

Vnde porro bone Iesu, amantissime animarum redemptor, tanta tibi deserti & solitudinis dilectio? In duplici deserto nasceris, in præsepi scil. & in stabulo. Hodie ieiunas in deserto Palæstinæ & propediem in deserto Caluariæ morieris. Desinite igitur, ô Philosophi, Deum in cœlo empyreo indagare, nolite eū amplius in locis imaginariis quærere, nolite eum in omnib & vbiq; perscrutari, nusq; nisi in desertis modo reperitur. Vos vero

vero piæ animæ ne quæratis amplius sponsum vestrum in mundo: non inuenitur amplius in compitis & vicis ciuitatum: nam, vt in Canticis dicitur, *non iacet in terra suauiter viuentium*: multo vero minus in deliciis & voluptatibus. at in posterum in solitudine gestit inueniri.

*Cant. 3.*

*Leuit. 10.* Figura hirci emissarii.

Præcepit in Leuitico Deus, vt hircus peccatis totius populi grauatus in desertum emitteretur Ecce tibi hanc hodie figuram adimpletam; videas enim hic Iesum Christum, non quidem hircum, sed agnum absq; macula, qui in desertũ totius mundi peccatis grauatus emissus est Audiuistis iam ab aliquot dieb. vocem clamantis in deserto: audite iam hic vocem plorantis in deserto: audite vocem & lamenta nostri Heraclitι, ecce tibi hic eum qui peccata totius orbis deplorat & lacrymis eluit. Plorauit olim Isaias peccata Babylonis, Ieremias iniquitatem filiæ Sion, Ezechiel scelera abominationesq; Ægypti & Tyri, Osee & Amos flagitia Samariæ. videas porro hic longe alium Heraclitum, Iesum scilicet, pro omnibus totius mundi peccatis illacrymantem. Non deplorat modo, ô Theologi, peccatum originis, verum & mortalia & venialia, culpam & pœnam, peccata præterita & futura. Audio solitudinem gemitibus resonantem, suspiriis vndiquè omnia perstrepentia, & ad vocem lacrymarum petras reboantes. Accede anima & solitudinem hanc profundius ingredere, & audies illum die noctuque exclamantem, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte?* Hic magnum illum ploratorem inuenies, ô anima, cuius figuram Dauid gerebat dicens, *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo.* Ac si dicat, Si me semel contingat deserti compotem fieri, dies fletui lacrymisque non sufficient, noctes integras flendo traducam, rupes stratum mihi suppeditantes, lacrymis assidue rigabo, daboque operam vt antra, campique patentes, habitacula mea, lacrymis pernatent.

*Ierem. 8.*

*Psalm. 9.*

Orem nouam & inauditam, vereq; admirandam! videre scilicet filium Dei lacrymis deserta humectantẽ atq; procul à cælo procul ab Angelorum hominumq; consortio, in solitudine sese recolligentem. Vti olim nouum fuit & admirabile, Deum tunc Isaiæ præcipere, vt in plateas nudis procedat, & pœnitentiam agat, cum populus Iudaicus byssо purpuraq; superbiens incederet. *Vade & solue saccũ de lumbis & calceamẽta tua tolle de pedibus tuis: & fecit sic vadens nudus & discalceatus.*

*Isaiæ 20.*

Prodigii quoq; loco habitũ fuit, Ieremiã, tum cum Iudæi in conuiuiis & epulis, festisque publicis celebritatem agerent, Dei iussu prodeuntẽ & catenis grauatum per plateas ingredientẽ videre: *Hæc dicit Dominus ad me, fac tibi vincula & catenas & pones eas in collo tuo.* Lugubre etiam fuit, Deũ, tum potissimũ, cum iuuentus Ierosolymitana non nisi de festis iudicris tripudiisq; loqueretur, audire Ezechieli præcipientẽ vt in domum ingrederetur parietem foderet seseq; ab hominum turbis ad agendam pœnitentiam segregaret.

*Ierem. 27.*

*Ezech. 8.*

Nihil porro admirandum magis reperiri queat, quã videre patrem illum æternum & quidẽ iam cum mundus in delicias dissoluitur, & voluptates ambit Filium suum in solitudinem Palestinæ recludere, vt in eadem ieiunet, plangat, & pœnitentiam agat. Videmus igitur hic iam verum Eliam solitudinis incolam sub densis arborum reclinatum vmbris, peccataque populi lacrymis eluentẽ. Videmus hic miserum Ismaelem filium Agar Ægyptiæ; filium inquam hominis, nõ siti sed fame, in vasta illa solitudine morientem. Plus dicam: videmus hic filium prodigum illum, quam relicta domo paterna in regionem longinqua mundi scilicet, profectus, dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè, & irretitus scilicet amoribus animarum perdite viuentium gratias suas iis elargitus est, merita prodegit, sanguinem effudit, vitam denique impendit, atque hodie præ fame in deserto Iudææ clamat An non hæc præclara sunt? sequitur: *Ductus est Iesus in desertum.* Tu porro Spiritus S. Domini mei conductor, an non & animam meam in desertum conduces? vos vero Christiani, an non ducem vestrum sequemini Seruorum & Principũ Dauid exemplo, qui eum exutum throno & diademate, nudis pedi-

*3. Reg. 8.*

*Gen. 21.*

pedibus & capite nudato, Ierosolymis profugam, per loca confragosa & abruptos scopulos serpentem secuti sunt eiusque doloris socii exstitere.

Vos autem magni illius Dei serui videte hic principem & ducem vestrum, qui relicto regno cœlesti gemens & plangens solitudinem incolit, & eum sequi tardabitis? ille pœnitentiam agit, & vos eam facere negligetis? Ieiunat ille, pœnitentiam agit, & vos eam facere negligetis? Ieiunat ille Quadragesimam, & vos eam imitari detrectabitis: oportet tamen, quare agite vnanimi oēs cōsensu desertum petite, omnes ad pœnitētiam accingamini: seruiant iam pugni non nisi tunsionibus pectoris, oculi lacrimis, vox & lingua solis lamentis & planctui.

*Lucan.* Bene & sapienter olim dixit poeta, *Exeat aula Qui vult esse pius*: at hoc non sufficit. Equidem addo & dico: *Exeat mundo qui vult esse tutus*, & ad desertum velut ad asylū confugiat. Filii Israel tyrannidem Pharaonis euitantes in solitudinem velut ad securitatis præsidium, confugerunt. Elias, Iezabelis rabiem furoremq; declinans, in deserto delituit. Mulier illa Apocalypseos: quam septiceps draco prosequebatur, vt se in tuto collocaret desertum petiit. Non desunt profecto nobis exempla. Si igitur à Pharaone, id est, mundo: à Iezabele, id est, carne, & dracone, qui diabolus est, tueri animas nostras velimus, ad desertum confugiamus, ad desertum inquam pœnitentiæ. Merito itaque exclamat D. B. *Fugite de medio Babylonis, fugite, saluate animas vestras.* Et quare subnectit, *Periclitatur enim castitas in deliciis, humilitas in diuitiis, pietas in negotio, veritas in multiloquio, charitas in hoc nequam seculo.* Egredimini igitur, & mundum hunc derelinquite nisi harum virtutum perdendarum periculum subire velitis.

*Exod.14.* *3.Reg.18.* *Apoc. 12.* *Bernard. 10. Epist.*

IV. Duella quæ in hoc mundo acciderunt.

At audire mihi iam videor ictus certaminis, video iam arma vibrari, gladios stringi, tubæ incipiunt perstrepere. Accedamus, & pugnam, ad secundam concionis partem progrediendo, spectemus, sedeamus arbitri, exspectantes in quem victoria inclinatura sit, nunquam quidem huiusmodi me certamen vidisse vel audisse memini: licet non ignorem atrocia aliquando duella tam in mundo quam extra mundum extitisse. Video in cœlis draconem cum Michaele Archangelo decertantem: Euam cum serpente in paradiso terrestri: Iob cum Satana in medio Chaldææ: Iudith cum Holoferne sub mœnibus Bethuliæ: Aman cum Mardochæo in Perside. at similis conflictus aut certamen nullo vmquam tempore, & nusquam gentiū auditum est: cernas hic duos veteranos, duos peritissimos duces in aciem descendentes: quibus nulla insidiarum stratagematumq; pars est incognita, sed qui propter diuturnum vsum, rerum omnium experientiam habent. Ecce namq; tibi hic magnum Satanam, omnis mali fontem, cum omnis boni auctore Deo depræliantem: cuius quidem duelli vmbram in monomachia illa Dauidis & Goliæ expressam videbimus. Descendunt hic itaq; in certamen duo Principes, multis victoriis, trophæisq; vtrimque nobiles: hinc verbum Dei, quod vniuersum orbem terrarum vniuersali cataclysmo perdidit & edomuit: quod toties ignem è cœlo eiaculatum est: quod vna die quatuordecim hominum millia igne incendioque absumpsit: quod omne robur exercitus Pharaonis, & principes eius in maris Rubri gurgite conclusit: quod vna nocte omnes Ægypti primogenitos vindice gladio interfecit: quod vno temporis momento Pentapolim, hoc est, Sodomam, Gomorrham, & conterminas ciuitates, sulphure & flammis è cœlo erumpentibus euertit: quod terra dehiscente, Core, Dathan, & Abiron viuos ad inferos, cum tabernaculis transmisit. ille denique descendit, de quo canitur: *Magnus Dominus & magna virtus eius & qui fecit mirabilia magna solus.*

*Gen. 10.* *Iudith. 13.* *Esther.* *1.Reg. 7.* *Gen. 7.* *Num. 16.* *Exod. 14.* *Exod. 12.* *Gen. 19.* *Num. 16.*

Illinc vero cernas prodeuntem Satanam, magnum illum bellatorē & veteranum, illum effrenatum & indomitum, angelum illum peruicacem, qui seditione olim in cœlis excitata, plusquā tertiam Angelorum partē aduersus diuinam maiestatem cōmouit, & in partes suas traxit; illum inquam qui per draconem Apocalypseos, cauda tertiam stellarum cæli partem secum trahentem, significatur: qui primos mundi incolas in Pa-

*Apoc. 12.* *Iob. 3.*

radiſo terreſtri expugnauit, quibus expugnatis omnem eorum poſteritatem eadem calamitate inuoluit: immanem illum tortorem, qui tam immitis in Iob virum ſanctiſſimum exſtitit; qui Dauidem adulterii & homicidii infandi reum conſtituit, atq; totum pœne regnum Iuda in extremum ideo diſcrimen coniecit; crudelem illum animarum ſicarium & inuaſorem qui ſeptem Saræ maritos interemit qui tot innoxios infantes ſuadente Herode interfecit; qui Iudam ad deſperationem, & ex deſperatione ad laqueum coegit: qui Cain ad parricidium ſtimulauit: deniq; immanem illum tyrannum, qui pluſquam quinis annorũ millibus totius mundi imperium tenuit: quo nullus eſt in mundo aut extra mundum confidentior, *qui* (vt ait Iob) *factus eſt vt neminem timeret*, cum quo ſi Herculum comparemus, Therſites videbitur; ſi gigantem, pygmæus; ſi rudentem, funiculus.

*Gen.3.* *Iob.2.* 1.*Reg* 11. *Tob.9.* *Matt.2.* *Matt.27.* *Gen.4.*

Audiuiſtis pugiles & bellatores, audite iam verba, ictus, & ſtratagemata. Eone procedes audaciæ, improbe Satan, eone impudentiæ, aut inſolentiæ, vt cum Deo tuo decertare præſumas? anne oblitus es prioris tuæ conſpirationis, quam tibi illa infeliciter ſucceſſerit? Percellor, & horrore ſanguinem ſentio congelaſcere, cum te in Deum meum arma video ſtringentẽ Si tantum in Deum audeas, quid in nos miſeras creaturas non audebis? Sed nihil ô ſanguinolenta beſtia intactum relinquis, vbiq; incendiũ excitas, omnia turbis & tumultibus miſces: aduerſus Angelos in cœlo, homines in paradiſo, Dauidem in regno, Iudam in Apoſtolatu, & hodierna die aduerſus Ieſum Chriſtum in deſerto inſurgis. Hæc quidem hactenus: videbamus modo verbera.

Prima tentatio diaboli aduerſus Chriſtum.

Primus, quem ſceleratus ille ſicarius infligit ictus, procedit à gula, *Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant*. perinde ac ſi hoc eum argumento fuiſſet aggreſſus: Quid hic in deſerto tẽpus perdis? Omnis de te Iudæa loquitur, vita tua ſupra humanam quid continere videtur, omnes te filium Dei arbitrantur; & ipſe, conſideratis operibus quæ facis, non omnino ab hac opinione abhorreo. quam ſi penitus in me cupias confirmari, ſignum aliquod exhibe, quod humanam potentiam tranſcendat; dic ſc. vt lapides iſti panes fiant. Si filius Dei es; ſimilis ei es potentia, & par illi eſſentia, ac proinde omnia operari potes; *dic ergo vt lapides iſti panes fiant*. Meminerat hoc ſe olim gladio Adamũ iugulaſſe; atq; hac quoq; fraude Eſau in caſſes ſuos attraxiſſe; adeo vt primogenita ſua vendiderit; haud diſſimili etiam ictu diuitem epulonem ad terram proſtrauiſſe. *Gen.3.* *Gen.25.*

Sed hic operam & oleum perdis Satan, fruſtra hac via conaris irrumpere: non enim inueniſti hic guloſum illum Adam; ille quidem comedendo nos perdidit, hic vero ieiunando nos ſaluos faciet. Muta locum & arma; ad ſecundum ictum deſcende admouetitaq; iam baliſtam ambitionis & cupiditatis: & ſuſtollens eum in montem excelſum, omnia illi regna mundi & gloriam eorum oſtentat, atque his eum verbis affatus eſt: Contemplare quatuor mundi plagas; ecce tibi hic Orientem, illic vide Occidentem, hinc Meridiem, illinc vero Septentrionem. An non vniuerſam hanc mundi machinam in duobus polis vides circumferri, hic quidem Arcticum, apud Antipodes reperire eſt Antarcticum Quatuor conſtat mundus partibus, Aſia, Africa, Europa, & America: an non cernis etiam quatuor potentes Monarchias, Græcorum primam, in qua Philippi & Alexandri Macedones dominati ſunt: ſecundam Perſarum, quæ Reges habuit Cyros, Xerxes, Artaxerxes, Darios: tertiam Aſſyriorum, in qua imperarunt Nini, Nabuchodonoſores. & Balthaſari: vltimam vero Romanorum, ſuos iactantem Cæſares, Auguſtos & Tiberios? hæc omnia mea ſunt, hæc ad meum imperium contremiſcunt, ego vtrumq; hemiſphærium nutu meo percello, & *Hæc omnia tibi dabo*; ſi me Regem & ſuperiorem tuum velis agnoſcere: & totam hanc tibi mundi machinam daturum me polliceor. *ſi cadens adorauueris me*. Ecquæ nam illa tua eſt impudẽs audacia & nefanda arrogãtia? tene mundi tibi imperium aſſumere? *Domini eſt terra & plenitudo eius*. tua ſunt tartara, tu ianitor aulæ Plutoniæ, tu cuſtos infernalis nigredinis. *Hæc omnia dabo tibi*, quaſi vero. Conſidera hic verſutias & frau- *Luc.16.* Secunda tentatio per ambitionem. *Pſal.23.*

& fraudes Satanæ, Christiane superbiens, quibus te conatur irretire: vide montes in quos te subleuat, & è quibus mundi tibi potentiam ostendit, vt quando ei visum fuerit deorsum te præcipitet ac deturbet. Quemadmodum enim Aquila, si quando testudinem rapuerit, vnguibus eam cõprehendens in aera librat, vt testam deiectam ad rupem collidat: ad eumdem modum Satan, qui verus gryps est, & ad prædam natus, superbos & arrogantes in altum sustollit, vt tanto deinde grauiore casu ad fortunæ petram deiectos collidat, vt optime olim Poeta cecinerit:

Aquila testudinem in aera subleuat, vt postea eã ad rupes collidat.

*tolluntur in altum,*
*Vt lapsu grauiore ruant.*

Claud. in Ruffino.

Non errauero si te, ô ambitio, saxum illud Tarpeium esse dixero, è quo Romę sontes & rei præcipitabantur: tu sc. es rupes in medio mundi sita, è cuius vertice diabolus superbientes animas deorsum iacit. Cũ mecum ipse patibulum illud perpendo, in quo superbus Aman vitam infami laqueo finiuit, veram mihi videre videor ambitionis figuram: in qua ambitione, veluti in patibulo, superbi magna cum infamia exspirant. Refert Plutarchus historiam, quæ huic rei optime quadrabit: Theseus regno exutus, cum se ad Regem Lycomedem, ad impetrandum pro regni recuperatione auxilium contulisset; in excelsum à perfido Rege omnes regni sui prouincias ei ostentaturo ducitur montem, è quo deturbatus vitam miserrime finiuit. Idem penitus tecum agit diabolus, ô superbe, cum ad eum tamquam ad amicum confugis; nam quando eum tibi propitium putas, & votis tuis, ad turres & montes ambitionis te eleuando, ex animo annuere, tum te seorsum deiicit, & extremã animæ perniciem adfert. O furia! ô Megæra! nihil inde efficies, incassum laboras, nec ideo aduersarium tuum expugnaueris.

Esther 7.

Refert Plutarch. in Thes.

Tertia diaboli tentatio.

Consideremus iam extremum insultum, & maximum impetum; cum enim iam videret se nec ambitione nec gula effringere aut aditum patefacere potuisse, validam illam & fortissimam superbiæ baliſtam in manus sumit, & aiunt: *Mitte te deorsũ, si filius Dei es: nã Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* O quot perdidisti animas, superbia? Angelos cœlo, homines paradiso voluptatis, Amanum aula Regis Assueri exegisti: & filium etiam Dei audes inuadere dicens, *Mitte te deorsum.* Quid est cruenta bestia? quænam, inquam, illa tua dementia est? an non satis tibi descendisse & humiliasse se Saluator videtur? Nunquid *à summo cælo egressio eius?* Insignis profecto descensus. è cælo namque descendit in terram, è terra in præsepium & inde in desertum, an non profunde satis est descendisse? videbis adhuc eum descendentem, & humiliantem se vsq; ad crucem, è cruce deinde ad mortem, è morte ad sepulchrum, è sepulchro descendentem ad inferos: hic centrum terræ est, vlterius non datur descendere.

Esth. 7.

Psal. 18.

Meministisne Auditores, quid olim in gratiam Ezechiæ Regis sol fecerit? recessit nimirum retrorsum decem gradibus, & reduxit vmbram per lineas quibus iam descenderat in horologio. Ecce idem hodie hic cõtingere videmus: cernas hic solem illum iustitiæ in humanæ naturæ, quæ ægra decumbit, gratiam, decem gradibus retrocedentem: nimirum infra ipsos Seraphinos, Cherubinos, & Thronos, ecce tibi tres gradus: infra Virtutes, Principatus, & Potestates, ecce sex: infra Dominationes, Archangelos, denique infra ipsos Angelos: ecce tibi nouem: *Et* deinde *homo factus est.* an non hic decem gradꝰ enumerãtur? Hic cecinit olim Regius ille vates: *Minuisti eũ paulo minus ab Angelis.* An non igitur profunde satis descensum est? Audiuistis iam auditores cruentum & sanguinolentum hoc duellum, vidistis pugiles & bellatores, vidistis etiam cruentos illos ictus, quibus grauiores Tartarus non valet infligere. Dubitabat quippe vicarius ille de arcano incarnationis mysterio quod in trib. naturis in vna tamen persona subsistentibus perfectum erat: hinc etiã tribus tentaminib. eum euertere conatus est: per gulã impetiit corpus: per ambitionẽ; animam: per vanam gloriam, diuinitatem. Sunt hæc namq; tres fontes, vnde omne in hũc mundum malum deriuatur. Nam quemadmodũ Physici tria esse rerum naturalium principia docent, vnde omnia efformantur, materiam, formam, & priuationẽ: ita quoq; dicendum est, à tri-

4. Reg. 20.

Psal. 8.

plici radice, ambitione. sc. gula & superbia, omnia peccata pullulascere & germinare, atq; in hunc modum etiam Ioannes Apost. scripsit: *Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.*

1. Ioan. 2.

Tres cœlorum motus cum anima cõparati.

Contemplemini mihi cælos, orbiumque cælestium motum: triplici namq; illi motu agitantur, scilicet naturali, & violento, qui *motus raptus* appellatur; & tertio *Trepidationis*. Ad eundem quoq; modum anima nostra mouetur & agitatur; primo ambitione, quæ est instar motus violenti, q̃ illam ab Oriente gratiæ ad Occidentem vsq; peccati subito pellit, trahit, & quodammodo inuitam rapit: mouetur deinde à superbia, quæ est quasi motus naturalis communis omnibus, per quam ab occasu humilitatis ad ortum vanæ gloriæ repellimur & retrahimur: tertius vero motus est Trepidationis & concussionis; gulosis & vinosis proprius.

Procedamus longius, & rem penitus enucleemus. Ferox ille Ioab tribus hastis cor Absalonis ex quercu pendentis traiecit: per quæ sanguinolentus ille sicarius, & homicida ab initio, Ioab scilicet ille tartareus, Satan significari videtur; qui nimirum peruicaces illos peccatores ex sterili huius mundi quercu pendentes contemplatus, tribus letalibus passionibus, nõ secus ac tribus hastis venenatis, cor & animam eorum transfigit.

Verum enim vero validæ huic trium balistarum oppugnationi, longe validius & fortius trium virtutum propugnaculum Iesus Christus opponit: aduersus gulam ieiunium dirigit, humilitatem contra superbiã, & paupertatem ex aduerso ambitionis collocat: & trib⁹ hisce lapillis Dauid noster Goliam ad terrã, psternit; exspectans, donec eũ in monte Caluariæ crucis suæ pedo, & quinq; vulnerũ saxis, penitus debellet & regno exuat.

Sumito igitur animos plebs Christiana; & vide Iesum, caput omnium nostrum, victoriam referentem, vide hic inimicum debellatum. Philisthæum ad terram prostratum, Holofernem capite truncatum, omnes in libertatem assertos, vincula captiuitatis cõtrita. Iam superbus ille Aman, qui aduersus miserum Mardochæum conspirauerat, suspensus in patibulo, & magnus ille Rex Assuerus decretum quod de omnibus nobis morte dirissima afficiendis & penitus delendis tulerat, iam aboleuit.

Quamobrem agite, animæ fideles, deponite iam omnẽ, si quam fortitudinem habuistis; & tanto maiori iam gaudio, tartareum illum draconem prostratum videntes exultate quanta prius formidine, illum aduersus Dei filium arma mouentem cernentes, estis cõcussi. Dispicite porro stratagemata & insidias belli huius: videte quomodo Satan ad nos oppugnandos templorum pinnacula, montium cacumina, & omnia loca eminentiora semper sibi deligat, quo tanto nos inde commodius & maiori opportunitate oppugnet: Christus vero redemptor noster valles, deserta, antra & solitudinem ad sese defendendum quærat. Tantum enim nobis hæc loca opportunitatis, quantum alia discriminis afferre solent. Communite vos igitur in solitudine, ab scondite vos in cauernis, lociscq; desertis, deniq; pœnitentiam, si victoriam consequi velitis, instanter agite. Renuntiate ambitioni, resistite gulæ, fugite vanam gloriam, sanctificate ieiunia & hisce armis pugnantes victoriam proculdubio consequemini.

Tu autem Iesu Christe victor, & redemptor noster fili Dei vnigenite, qui nostri ergo hodierna die certamen subiisti; atq; inimicum nostrum deuictum longius ablegasti; suppedita nobis animos, elargire robur & fortitudinem, vt ad tui exemplum nos in hoc prælio geramus, te scil. in deserto sequamur; & sanctum Quadragesimæ ieiunium, te præeunte, frendente scilicet Satana, & conatibus nostris aduersante, obseruemus; nequaquam enim intactos ille nos relinquet. Si enim tibi bellũ mouere non timuerit, nos procul dubio non præteribit, aut immunes quiete frui permittet. Parat ille quidem arma, tot tela in nos exacuit, tantis nos ille viribus aggredi conatur: at tu gratiam & robur submini stra, vt nostris illum ieiuniis, nostræ carnis emacerationibus nostraque pœnitentia, ad tui exemplum, prosternere & debellare valeamus, atque tibi omnem victoriæ laudem & gloriam adscribentes, fideli-

fidelius in hoc mundo nomini tuo obsequium præstemus, exspectantes hic interim, donec in altera te vita laudare contingat. Amen.

## FERIA II. POST DOMIN. I. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De triduo Dei ac nostro.*
*II. De horrore & furore iudicii extremi, manuumque Dei.*
*III. De ipso iudicio.*
*IV. De Iudice.*
*V. De his, qui erunt iudicandi.*

*Cum venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo.* Math. 25.

### FIGVRA.

*Esth. 3.* MAGNA quidem omnium Iudæorũ fuit consternatio, & tremor, quando Amanum primum Regis Assueri purpuratum licentiam à Rege impetrasse inaudiuere, qua omnes, quotquot per vniuersas regni prouincias dispersi erant, Iudæos à puero vsque ad senem, paruulos simul & mulieres, à minimo vsque ad maximum, occideret & deleret. At maior sane vniuersalis Ecclesiæ est cõsternatio, cum hodierna die Iesum Christum, omnium principum maximum, & primum cœlorum Satrapam, à Patre æterno totius mundi iudicandi potestatem videt accepisse *Cum venerit filius hominis in maiestate sua*, ecce magnum principem: *tunc congregabuntur ante illum omnes gentes*: ecce potestatem actionis intentandæ: O tristem & lugubrem nuntium! ô dies vere formidabiles! Vt autem furorem iudicis huius, & iudicii illius terrorem digne queam explicare, procidamus in genua coram gloriosa Virgine Maria, & eam salutatione qua Angeli eandem salutare consueuerunt, salutemus.

AVE MARIA.

I. *Crinit. l. 1. de honest. disc. ca. 1.* FERUNT magnum illum Tamberlanem, omnium quos Scythæ & Turcæ vnquam habuere, regum crudelissimum & immanissimum, in obsidione vrbium primo die alba tentoria explicare consueuisse: quò obsessi clementiæ sibi ianuam, si eadem die victoris potestati sese dedissent, patere intelligerent. Postera autem die animum vnà cum tentoriis commutare solitum, & pro albis nigra extendisse: vt hinc inclusi cognoscerent, nisi se suaque omnia traderent, mortem certissimam imminere? at tertia omnia rubicunda in castris & sanguinei coloris fuisse, vt hoc signum esset obsessis, nullum misericordiæ aut clementiæ locum relictum, at omnia ferro & igni euertenda. Immanitas Tamberlanis in obsidendis vrbib.

Verum relicta hac Barbari crudelitate, quis scit, an tyrannico hoc stratagemate indicare voluerit Deus, diuina illa & admirabilia stratagemata, quibus ipse nobiscum vtetur? His enim modis & stratagematis ad animas nostras rebelles & effrenes expugnandas vteris, ô Princeps æterne. Tres namque dies concedis: quarum prima, qua animas nostras obsides, id est, ipso natiuitatis initio, alba omnia demonstras, clementiam reseras, & Sacramentorum omnium thesaurus & gratiarum archiua recludis. Secunda vero, id est, ipsa mortis die, signa doloris explicantur, terrores congeruntur, & certamina constipantur: semper tamen misericordiæ locus patet. Verum tertia, id est, ipsa iudicii die: omnia cruenta, omnia rubicunda sunt sanguine: rigor vndique, furor vbique & iustitia; misericordia autem & clementia penitus exulant.

Refert Ludouicus Granatensis pium & sanctæ vitæ monachum, toto vitæ suæ tempore nullum alium librum legisse, quam quendam trium foliorum, quem ipse sibi confecerat; quorum primum totum erat candidum, secundum nigrum, & tertium rubrum. Primum repræsentabat ei pulchritudinem beatitudinis æternæ; alterum, terrorem & horrorem mortis; tertium, rigorem & seueritatem iudicii. & cum totum vitæ suæ tempus huic vni studio impendisset, vix tamen hæc potuit comprehendere. Hic liber est, Auditores, qui nobis hodie euoluẽdus est, hæc sunt folia quæ hodierna lectione percurrenda sunt, ac præsertim folium extremi iudicii: h. e. Alphabetum, quod Dauid Propheta toties se legisse Religiosus quidam toto vitæ tempore nulli alii libro legendo se dederat, quam libro trium foliorum.

Psal 16. Psal.83. Psal. 41. Psal 114. Psal.142. Psal.118.

giſſe exclamet, dicens: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*: & deinde, *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*: & alibi: *Quēadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*, hæc ad primum folium. *Præoccupauerunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me*, hæc ad ſecundum; *Memor ero dierum antiquorum*, & deinde; *A iudicijs enim tuis timui*, hæc ad tertium ſpectant folium. Dicere vult Propheta, gaudium quidem felicitatis æternæ me ſemper in admirationem ſui & amorem traxit: ſed quando mortis horrorem memoria repeto, terrore percellor; in primis vero horrendus ipſe iudiciorum tuorum dies me conſternat & concutit, quem ſuper omnia ſemper timui. O diem vere terribilem & omnibus pertimeſcendum! Triſte quidem & lugubre eſt, fateor, audire mala & damna, quibus mundus tempore cataclyſmi fuit involutus, audire, vt cœlum terris iratū quadraginta dierum & noctium ſpatio, abyſſis & cataractis aquarum reſeratis, vniuerſam terræ ſuperficiem vndis contexerit? quiſnam, obſecro, hæc audiendo temperet à lacrymis? At ludiera ſunt hæc, ſi cum iis, quæ extremi iudicii tempore euentura ſunt, conferantur; quando ſc. elementum ignis, quod infinitis partibus eſt aqua truculentius, totum terrarum orbem in cineres & fauillas redacturum eſt; *montium* quippe *fundamenta comburet*. An non hoc longe erit horribilius?

Gen.7.

Gen.19.

Triſte quidem incendium, & communis illa cōflagratio Pentapoleos fuit, qua Sodoma & Gomorrha ciuitatesque circumiacentes perierunt: at multo triſtior & miſerabilior conflagratio illa totius mundi erit; in quam ſi oculos coniiciamus, maiorem haud dubie ingemiſcendi materiam reperiemus. Conclamabitur ad incendium in Oriente, conclamabitur in Occidente, ignis erit ſub polo Arctico, erit & ſub Antarctico: Africa fumabit, America in cineres redigetur, omnia flagrabunt in Aſia, omnia incendio peribunt in Europa, quin, & ipſi Antipodes igne inuoluentur; & in cineres redigentur. Vere igitur mihi dicere liceat, ô dies iræ, dies calamitatis & miſeriæ!

Vere, inquam, miſeriæ: quando cœlum horribili boatu tonitrua emittet, aer vndiq; fumabit, terra concuſſa tremet, & mare præardore exæſtuabit. Hic eſt tertius ille dies Tamberlanis, ô homo, hoc eſt tertium libelli folium: dies ſine clementia, dies ſine vlla indulgentia & miſericordia, dies cuius memoria nunquam ex hominum mentibus debeat excidere. Ad hoc nempe nos omnes Salomon hortatur, dicens: *Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Si enim vel ſemel, toto vitæ tempore viuam huius terribilis diei memoriam haberemus, nunquam animum ad peccādum applicaremus. Quin & Dauid pater eius, totum mundum, quod ratiò iudicii extremi meminiſſet, in interitū ruere, & peſſum ire arbitrabatur: Hei Domine, mundus quotidie in peius ruit, mores eius peruerſi, & vita diſſoluta; & quia *non eſt Deus in conſpectu eius*, hinc *inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.* & vnde quæſo hoc, ô Propheta? quia *Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Cauſa videlicet omnis mali calamitatisque, & peruerſæ eius vitæ ratio eſt, quia iudicia tua irreuocabilia, iudicia tua horrenda & formidanda præ oculis non habet, aut reformidat.

Psal.9.

Merito itaque Moyſes lacrymans & gemens exclamat: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia, vtinam ſaperent, & intelligerēt, ac nouiſſima prouiderent.* Apoſtolus etiam Paulus terribilis huiuſce diei terrore perculſus, ſcribens Hebræis, ait: *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* q. d. Rerum tuarum ſatage, ô homo, recordare iudicii, & cogita horribile eſſe, in manus Dei, tempore iudicii incidere. Quare autem, ô beate Apoſtole, dicis, *In manus*, numero plurali?

Deut 32.

Heb.10.

Hem quodnam hic oſtium reſeratur egregiis conceptibus? Solet hoc in mundo Deus percutere & caſtigare, ſed tantum vna manu, verum in die iudicii vtraque peccatores ipſos caſtigabit. In hac vita vna tantum vtitur manu, altera quodāmodo colligata eſt, verum in altera vtraque erit ſoluta ac libera. Caſtigatio illa per diluuium, per incēdia, per primogenitorum ſtragem, per exercitus demerſionem, caſtigatio fuit vna tantum manu inflicta; verum in die iudicii vtraque manu

Deus in hoc mundo nō punit nisi vna manu, verum in die iudicii vtraque. Gen.7.

Gen. 7. Exod. 12. Exod. 14. manu castigabit. Quantus erit tunc terror! quid igitur erit, in vtranque Dei manum incidere, duab. eius manibus castigari, percuti, & condemnari?

Iob. 19. IOB harum manuum vnam in seipso sentiens, omnes tam homines quam Angelos, & totum denique mundum ad auxilium sibi ferendum inuitauit, dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Quid ita omnes ad tibi succurrendum inuitas? quænam est illa tua calamitas? quod malum pateris, ô Propheta? *Quia manus Domini tetigit me:* illa vindex diuinæ iustitiæ manus, illa mihi mortem interminatur. Si tantum vna manu tactus ita plangit, quid tu peccator facies, cum vtramque dissolutam & in te vibratam senties? *Horrendum* ergo *est incidere in manus Dei viuentis.*

ALIVM adhuc è verbis tuis conceptum excludo, ô Paule, cum mihi magni illius iudicis manus tũ liberas & dissolutas fore ait, ac tum vel maxime sæuituras: quam erit igitur terribile in earum iudicium incidere? iam enim quodammodo cruci confixæ sunt, & vinculis eidem alligatæ, ita vt iis ad homines castigandos vti non queat. Audite & aliam figuram. Tam graues Moysis in monte Sinai orantis manus erant, vt à duobus necesse habuerint sustentari, Aarone nimirum & Hur. Exod. 19. Exod. 17. Hinc ait Scriptura, *Manus Moysi erant graues: Aaron autem & Hur sustentabant eas ex vtraq; parte: cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Israel, si autem paululum remisisset, superabat Amalec.*

In die iudicii manus Dei erunt dissolutæ & liberæ. O mysteria admiranda! Quam diu Deus noster velut alter Moyses, iustitiæ suæ manus grauatas habens, in summo mõtis illius cœlestis manet vertice: grauitas manuum eius à duobus sustẽtatur, patientia sc. & misericordia: quæ quãdiu ita corã Patre cælesti eleuatæ sunt, & Moyses noster pro nobis intercedit: nos miseri, qui hic in Ecclesia militante pugnamus, vincimus & hostẽ sternimus verum in terribili illo iudicii die, cum vtraque eius manus dissoluta erit, angustiẽ erunt vndiq; & turbatio: totus mũdus in ruina erit & confusione. Ecquæ igitur tua temeritas est & negligentia, peccator, illius diei nunq; recordari? cum multa peccatorẽ flagella maneant.

Ita porro D. Hieronymus horribilem hũc diem reformidabat, vt omni vitæ suæ tempore terribilem illum tubarum angelicarum sonitum per omnes terræ angulos reboantium, *Surgite mortui, venite ad iudicium*, sibi audire visus sit, tubarum inquam, quæ totum mundum à mortuis excitabunt. nam,

S. Hieron. semper sibi videbatur tubam iudicii exaudire. dire.

*Tuba mirum spargens sonum,*
*Per sepulchra regionum,*
*Coget omnes ante thronum.*

Tuba scilicet, quæ hos ad gloriam & felicitatem æternam, illos vero ad supplicia & tormenta sempiterna euocabit. Tuba quæ tanto horrore personabit, vt omnes, vsque ad imum terræ centrum, sono eius excitandi sint: & tanta vehemẽtia & furore, vt pisces è mari, serpẽtes è cauernis, mortuos è sepulchris, dæmones ex infernali sit barathro excitura.

Legimus in Sacris literis, ad sonitum tubarum sacerdotalium, muros Ierichuntinos corruisse. quam vero erit terribile ad sonitum tubarum Angelicarum, videre turres, pinnacula, tentoria, arces, vrbes, atq; omnia sublimia deorsum ferri, & in cinerem redigi? An nõ hodie tubam illam in auribus vestris, per Euangelij nostri campum reboantem & clangentem auditis? *Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabũtur ante eum omnes gentes*, &c. Circa quæ primum quidem de die iudicii, deinde de iudice, & demum de iis qui erunt iudicandi, agemus. *Ios. 6 & 7.*

III. Demonstratur rationibus iudicium generale esse oportere.

Principio igitur haud necessarium puto, rationibus quod verissimum, & luce meridiana clarius existimo, confirmare: iudiciũ aliquod generale futurum, nam prẽterquam quod ipsa fides id adserat, Euangelium teste tur, Iesus Christus doceat: ipsa sane ratio nos ad ipsum credendum cogeret. & plane conuinceret. Cum enim corpus & anima, in vnam societatem compacta, & simul habitantia, tum in bono tum in malo perpetrando, veluti simul elaborauerint: præter priuatum illud iudicium, in quo anima hinc discedens sola mercedem aut supplicium recipit, necesse est & aliud iudiciũ generale sequi, in quo omnes animæ simul & corpora

damnanda sint, aut mercede donanda. Deinde necesse est & iudicium creationi respondere: sicut igitur creationem quamdam generalem, præter omnes singulares, fuisse certum est, ita quoq; constat & iudiciũ aliquod generale, præter illa particularia, futurum. Tum vero, præter rationes iam dictas, certo certius est, quãdoquidem multi vitalicet cũ virtute transacta, absq; aliqua bonorum operum mercede: & multi è contra flagitiosi, nõ accepta iusta delictorũ castigatione, ex hoc mundo egrediuntur: diuinæ prouidentiæ esse, magnum quendã iuris dicundi diem constituere, & generale aliquod iudicium exercere, tum ad hos puniẽdos, tum vero ad illos, in totius mundi conspectu, secundum opera sua remunerandos.

Solus Deus nouit tempus & diẽ iudicii. *Apoc. 5.*

Tempus vero, quo hoc iudicium exercẽdum est, eiusque certitudo, vnus ex articulis magni illius libri est, cuius Ioannes in Apocalypsi meminit septem signaculis signati, quem nemo neq; in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire poterat, ne dicam legere ea, quæ in eo descripta essent: solus namq; nouit Deus. Vos igitur tacete Apostoli, cesset indagare humana curiositas, *non est vestrum nosse tempora neq; momenta.* Verum tamẽ vtrum noctu an interdiu iudicium futurum sit, inter Theologos cõtrouersum est: dicunt alii noctu fore, verbis parabolæ illius de sponso noctu veniente inducti, *Matt. 25.* *Media nocte clamor factus est*, *Marc. 4.* & verbis illis Euangelicis, de tempore tempestatis, quę circa vesperum, & crepusculum noctis contingit: *Cum sero factum esset, erat nauis in medio mari* 1. *Thess. 5.* deniq; verbis illis Paulinis, vbi scribit iudicem venturum tanquam furem in nocte, vt homines incautos stertẽtes, nec operantes dispoliet & trucidet. Verũ repugnent alii quantum velint, equidem in eam potius cum Doctoribus sanctis Patribus sententiam concedam, vt de die futurum existimem.

Iudicium interdiu continget.

Quod ad locum spectat, consignarunt eũ olim ante multa annorum millia Prophetæ in valle Iosaphat, teste Ioele: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis.* Optime porro quadrat locus iste, tum quia in meditullio orbis est, tum vero, vt eo loci Christus homines iudicaturus veniret, in quo olim ab hominibus ipse inique fuit iudicatus & condemnatus. Examen ipsum & scrutinium fiet intrinsecus in animo, & sententia verbis exprimetur, vt ab omnibus exaudiri queat.

Vallis Iosaphat ad radicem montis Oliueti sita, erit locus iudicii. *Ioel. 3.*

Sed missas faciam curiosas has & parui momenti scrutationes: vt terrorem & horrorem magni illius diei eo melius ob oculos ponam. Ipsa quidem sacra Scriptura, quo eũ nomine appellet, ignorat: & Prophetæ, quomodo eum nuncupant, nesciunt. Hui! quibus eum nominibus, quib. cognominibus, quibus titulis, quibus argumentis, quib. epithetis eum indigitãt? Iob nominat diem furoris: Dauid diem iræ, in quo & ipsos Reges iudicandos ait: *Confregit in die ira sua Reges.* Salomõ, diem vindictæ & vltionis. Ezechiel, diem plenum horroris: Sophonias, diem calamitatis & miseriæ. O nomina admiranda! ô proprietates nõ vsitatas! ô titulos & characteres incognitos.

Nomina magni diei iudicii. *Iob. 14.* *Psal. 109.* *Prou. 6.* *Ezech. 6.* *Sophon. 1.*

Non est porro quod nouitatem horum epithetorum miremini, Auditores: cum sit illa dies, in qua sol deliquium passurus, & stellæ de cælo casuræ sint, cum terra tremet, mõtes fumigabunt, bestiæ vlulabunt, & omnia elementa in se mutuo insurgent: cum sit illa dies, in qua præter tonitrua nihil exaudietur, præter ignem nihil videbitur, præter fumosam caliginem nihil palpabitur: cum sit illa dies, in qua tygrides & leones, qui hactenus vastas solitudines & reconditos recessus incoluerunt, in vrbes sese recipient, & è contra homines qui vrbes inhabitarunt, deserta petent & cauernas: cum sit illa dies in qua dæmones in perpetuum carcerem recludendi sunt, peccatores æternis suppliciis addicendi, & corpora nouis tormentis adiudicanda: cum sit illa dies, in qua torrentes exsiccabũtur, flores marcescent, herbæ congelascent, & viror campi emorietur. Cum sit denique illa dies, in qua petræ scindentur, arbores denudabuntur, aues conticescent, pisces extinguentur: & in qua demum, vt coaceruationem hanc missam faciam, mundus pessum ibit, & in nihilum redigetur.

Quid in die iudicij euentura sit.

Vos vero cælestes orbes, qui iam à quinq; annorum millibus tam recto, tamque æquabili motu veluti ad numerum saltitantes circum-

Cœli post iudicium non amplius mouebuntur.

eumuoluimini, post horribilem illum diem moueri desinetis, & veluti pondere quodam librati, loco fixi quiescetis: non amplius videbimus vos ab Oriente in Occidentem, nec ab Occasu ad Ortum citato cursu ferri. Tu autem Sol, ocule mundi, & lucida orbis fax, cursum tuum toties repetitū intermittes: nec vllas ex tunc, ô Luna, eclipses perhorrescas.

Post diem illum non erit amplius memoria influxuum, quorum vos Philosophi toties meministis: Meteora tunc è scholis exulabunt, tonitrua cessabunt, venti quiescēt, pluuiæ dissipabūtur, nec amplius fulgura montium ferient cacumina. Nullus erit sermo de fluxu & refluxu maris. Tu quoque terra non amplius generabis aut corrumpes. Tu vero mare ab enutriendis tot clientibus & parasitis tutum eris: non habebis amplius pisces, aut Tritones aut cetos: nec amplius coarctatum eris ergastulis abyssorum: effluesque libere, & omnem terram inundabis.

Mare omnē terram cooperiet, post iudicium ad locū suum redeturū.

Tū quoque fiet generalis omnium peccatorum, quæ vnquam in mundo facta sunt confessio: ibi penetralia cōscientiarum referabuntur, ibi libri aperti erūt: *Tunc illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Tunc, tunc inquam, quasi plena die, ac meridiana luce clarius nefanda opera videbuntur, verba inhonesta & spurca intelligentur, & intimæ animorum cogitationes reuelabuntur: nihil quippe tunc occultum remanebit. Illic de sacrilegiis erit sermo, illic adulteria arcana & secreta detegentur, illic incestus aperientur, illic ad oculum furta occultissima videbuntur, illic hypocrises reuelabuntur, illic simoniaci & auari condemnabuntur, atq; omnia, etiam tenebris & nocte obsita, in lucem prodibunt. I nunc, & pecca quantumlibet occultissime, abde te in abstrusos angulos, & in quælibet penetralia descende, fac quidquid libuerit: hic tamen omnia opera palam patebunt.

1. Cor. 4. Confessio generalis in extremo iudicio.

2. Reg. 12. Quidquid hic in abscondito fit, illic publice apparebit.

Hinc olim ita ad Dauidem Nathan Propheta: *Tu fecisti in abscondito, ego autē faciam hoc in conspectu solis.* Tu, ait Nathan, domine Rex adulterium in abscondito commisisti, ac vulgari id noluisti: at frustratus es. Deus enim hæc omnia reuelabit, & quod ipse in abscondito & clam commisisti, Deus toti mundo deteget & manifestabit: quod priuatim commissum est, publice videbitur. Pecces igitur quoties quantumque volueris, fuge lucem & euita testes, vita tandem tua reuelabitur. Audi & aliam comminationem: *Reuelabo pudenda tua in faciem tuam, & ostendam gētibus nuditatem tuam, & regnis ignominiā tuam.* Hodie quidem, ô peccator vafre agis & versute, iam quidem peccata occultas & abscondis: at veniet aliquando dies, quā toti ego mundo ignominiā tuam reuelem: tuas spurcitias, sordes, abominationes, non quidem vrbi alicui, aut vni prouinciæ, verum regnis integris, atq; adeo vniuerso orbi patefaciam. Quibusnam regnis Domine? Regnis scilicet Angelorum & dęmonum, damnatorum, & omnium adeo hominum. Hem quænam regna! omnia tamen illa, peccata tua ad oculum videbunt. *Nahum 3.*

Verum & alia in verbis Propheticis, *Ostendam gētibus nuditatem tuam*, latent acumina, quæ aperiam. Mirum sane est, quomodo sæculi nostri mulieres constrictæ iam & quodammodo loricatæ incedant: quam ementitos colores & fallacia pigmenta faciei & oculis illinant, quam exoticis sese pulueribus conspergant, & oculos intuentium fallant: adeo vt vix quæ gibbo deformes sunt, quarū frontem rugæ arant, & Æthiope sunt furuiores, dignosci queant. Verum si omnia illa instrumenta & loricæ auferrentur, ac quales reuera sunt, videre liceret, tunc facile, quæcunque gibbo, aut rugis, aut fuligine deformes essent, appareret.

Quin & aliud Propheta declarat: Vos, ô peceatrices animę, iam quidem dissimulatis, & scenicos mimos imitamini, tanta quoque iam vestra est hypocrisis, vt gibbi vestri, aut cicatrices, aut nævi vix appareant: at in extrema illa die vos omnes penitus denudabo, & auferam vestimenta illa quibus vestram deformitatem cooperitis, ita vt nudas vos & apertas totus orbis sit conspecturus. quare apposite dictum, *Ostendam gentibus nuditatem tuam.*

Erit, erit illa dies, quando magnus ille Iudex expergiscetur, qui hactenus sopore quodā grauatus, in iniquitatibus vestris dissimulādo, ac veluti veterno quodā sepultus fuisse

ó paratur Noacho à Chāilluſo. *Gen. 6,*

viſus eſt. Sed reuocate in memoriā impium illum Cham, cum quo vos meritiſſimo comparem. detexerat ille verēda patris ſui Noe, ac deriſerat vino inebriatum: cui Noe euigilans maledixit, atq; iratus ſceleſtum è familia ſua proſcripſit: *Euigilans autē Noe ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat filius ſuus minor, ait: Maledictus puer Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* O filios ingratos, vos inquam peccatores, hodie quidem Chriſtus in cælis amore veſtri & longanimitate inebriatus dormit: & vos interea nuditatem eius detegitis, crucem eius ſubſannatis, eius ieiuniis illuditis, & humilitatem eius exploditis. Sed illa, illa inquam die excitabitur, *tanquam potens crapulatus à vino*, ac maledictionē ſuam in vos euibrans, in æternum à ſuo contubernio & ſocietate excludet. *Pſal. 77.*

Cōceptus inſignis à medicis petitus.

An non igitur, obfirmate & peruicax peccator, horrorem, terrorem, & calamitatem illius diei perhorreſcis? præuiis tonitruis auditis, fulmina non times? Habent medici dies quoſdam criticos, quos accurate & diligenter ſolent attēdere: quibus, ſi in ægris vis morbi ſeſe non remittat aut ingraueſcat, male ominari conſueuerunt, ac quodammodo de recuperanda valetudine deſperare. O vos animæ peccatrices, quæ ad mortem vſq; ægræ decumbitis, videte quæſo hic diem veſtrum criticum, videte horrendum illum iudicii diem: ſane niſi euidens quædam in moribus veſtris veniat emendatio, aut ſaltem in melius commutatio, male de veſtra ſalute ominandum eſt, concutrentia illa mali ominis eſt, ac verum perditionis argumentum.

Quid? anne fieri poſſe putamus, vt furor diei huius vos non percellat? pallorē animis non iniiciat: aut comę præ horrore nō ſtent: Sane, quamuis aut ferrei, lapidei, marmorei, aut denique ænei eſſetis: ſola diei huius memoria ad vos emolliendos, percellendos, adque pœnitentiam conuer endos, ſufficeret. Solent bombyces, cum adhuc teneri ſunt, ad ſonitum tonitrui ita percelli, vt confeſtim emoriantur: & tu viliſſimus terrę vermiculus, de quo in Pſal. ſcribitur, *Ego ſum vermis, & non homo*, hiſce minis, fragoribus, & procellis diuini iudicii auditis nō commoueberis, aut percelleris? fieri ne poſſe credimus, totam terræ machinam contremiſcere, & puluerem eius immotum permanere? *vidit & commota eſt terra.* Ipſi montes contremiſcent & pauebunt, & ſaccus cinericeus intrepidus perſtabit? *montes ſicut cera fluxerunt.* *Pſal. 103.* *Ibid.*

Apertis igitur oculis, ó anima, conſidera attentius, quid tibi in ſeuero illo tribunali, coram iudice adeo rigido, futurum ſit, tibi inquam peccatis, ſceleribuſque grauatæ. *Vix iuſtus*, ait S. Petr⁹, *ſaluabitur*, & ego miſer vbi apparebo? *Quid in Babylone tutum, ſi in Ieruſalem manet ſcrutinium?* dicebat olim Bernardus. Quid cōfidere poterit peccator, per Babylonem deſignatus, cum anima iuſti ſub Ieruſalē nomine expreſſa, adeo rigide examinabitur? *Quid facient tabulæ quando tremunt columnæ.* Id eſt, quid animæ nullis virtutum meritis inſignitæ facient, ſi ipſæ columnæ grandiores, quibus Sanctorum animæ denotantur, coram iudice tremant, & concutiantur? *Quid facient virgulta deſerti, cum cedrus percutitur?* ait D. Gregor. At nōdum hic finis admirandi eſt, Auditores, noua admiratione modo opus eſt: ſubiiciam enim ea, quibus nihil magis inauditum, incredibilius, inſolentius nihil dici aut fingi poſſit. Si enim ipſa dies terribilis & pertimeſcēda eſt: Ipſe Iudex, qui præſidebit, & cuncta diſquiret, multo eſt terribilior: Contemplor hic ignem: qui viam ei parabit: eumq; antecedet: *Ignis ante ipſum præcedit & inflāmabit in circuitu inimicos eius.* Videor Angelorum millia eum ſtipantia, & circum vndiq; adſtātia, *& omnes Angeli eius cum eo.* Videor eum ſublimem in tribunali cum maieſtate magna, in aeris medio conſidentem, in ſede maieſtatis ſuæ. Videor eum ſententiam illam fixam, quæque reuocari non poſſit: aduerſus omnes omnino homines proferentem, *Congregabuntur ante eum omnes gentes.* Et paucis vt comprehēdam, ipſe Chriſtus Ieſus iudex erit: videor namq; crucem, quæ in monte Caluariæ ſtetit: ante eum geſtari, videor adhuc illum ſanguine madentem & vulneribus quinque, quæ velut iudicia ſuæ in nos ſunt charitatis, inſignitum. *Bern. ſerm. 55. in Cant.* *Pſal. 96.*

Figuræ, quibus Ieſus Chriſtus in tri-

O ſubitam rerum permutationē! hem nouam metamorphoſin! Vidiſtis Danielē paucis ante diebus in medio leonum, ab iniquis conſtitutum: at videte eundem modo omnibus *Bern. ibid. Gregor. lib. Moral. 17. cap. 19.*

bunali sedens denotatur. *Dan. 6.*

bus Babyloniis imperitantem. Vidistis non ita pridem adolescentem Ioseph à fratribus diuenditũ, ab iniqua pellice accusatum, carceribus à Pharaone iniquissime mancipatũ: *Gen. 37. 38. & 41.* at conspicite modo quantũ mutatus ab illo. Iesum Christum intelligo, à Iudæis, qui fratres eius secundum carnem erant, diuenditũ, ab adultera synagoga iniq; accusatum, & infeliciter in sepulchri angustias coniectum: qui modo dominatur in tota terra Ægypti, cuiq; totius mundi iudicium Pater demandauit: *Matth. 28.* *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Eum ipsum, quem paulo ante despectũ & humilatum vidistis, contemplemini modo in summa maiestate constitutum. Respice iam ipsum ô Satan quem in deserto ausus es impetere: & vos Iudæi eum, quem crucifixistis, intuere iam hic Iuda, quem nefarie triginta argenteis vendidisti: vide iam eum Pilate, quem iniq; condemnasti: tu vero peccator eum, quem toties adeo nequiter & scelerate offendisti, & ad iram prouocasti. Quid dices ad hæc omnia miser, quid dices? quonam modo te geres? quid ad te purgandum afferes? aut quomodo saluaberis?

Fratres Iosephi, videntes eum, quem antea vendiderant, dominari in tota terra Ægypti, simulq; peccati in eum commissi recordantes, cum illis dixisset, *Ego sum Ioseph frater vester quem vẽdidistis in Ægyptum*: adeo consternati & terrore perterriti fuere, vt ne verbum quidem loqui possent. Vos porro peccatores quid hic dicetis? quid agetis, cum eum ipsum quem toties tantisq; peccatis offendistis, ad iudicium venire conspicietis? cum eum, ira & furore aduersus peccatores concitatum, inque eosdem detonantem audietis, dicentemque, Ego sum Deus quem vos offendistis in Ægypto, quem in mundo toties ad iram cõcitastis, quem indigne toties habuistis, in quem toties blasphemiæ virus euomuistis: Quid ad hæc respondere poteritis? imo vero anne vel hiscere audebitis!

*Gen. 45.*

Figura. Quibus anima ad iudicii timorem excitatur.

Ah misera anima mea, mille & amplius peccatorum grauaminibus depressa, vbinam te tum abscondes? quænam antra, quænam deserta, quasnã speluncas adibis? quos mõtes petes, in quibus tuto posses delitescere? Si reginam Saba coram Salomone vox & spiritus defecit, si Esther Reg'na regis Assueri maiestatem verita ad eum accedere non est ausa: si Daniel conspecto Angelo emarcuit, & omni sentiendi vi amissa in terram concidit: quid tibi euenturum putas sceleribus inquinate, cum ante mundi arbitrum, Deum ipsum, iudicemque omnium omnino hominum apparebis? si Dominici sepulchri custodes in resurrectione eius præ timore exterriti, & consternati sunt, ita vt mortui esse viderentur: si cohortes & milites Iudæorũ, qui ad Iesum comprehendendum venerant, ad verbum, *Ego sum*, supini in terram ecciderunt: quid tu facies, ô anima, vbi summum hunc iudicem, omnium iudicum primum, super pennas vẽtorum ambulantem, à Cherubin subuectum, magna potestate, in sede maiestatis, videris considere? Hinc in stuporem raptus clamat Isaias: *Ingredere in petram, & abscondere in fossa homo à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius.*

*3. Reg. 10.* *Esth 4.* *Dan. 10.* *Matt. 28.* *Ioan. 18.* *Isai. 3.*

Legimus in Exodo, Deo tabulas legis in monte Sinai Mosi tradente, audita tonitrua, emicuisse fulgura, fumos & flammas apparuisse, magnoq; ventorũ impetu, & clangore buccinarum totum circumquaque montem reboasse: vnde tãta Israelitas, qui vltra sexcẽta hominũ millia erant, formido inuasit, vt Centuriones ipsi ducesq; populi Moysi dicerent: *non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur*: Quare si tantillũ tantam hominum multitudinẽ potuit percellere & terrere: quonam modo peccatorẽ consternatũ iri existimamus, ũ cælos sursum audiet fulgurantes, inferne barathrũ auernale viderit exæstuans: hinc & illinc Elementa minantia, ante se iudicem iratũ, à tergo diabolos prædę inhiãtes, atq; vndiquaq; mille se periculis expositum perspexerit? Sãctus ille Propheta Iob hæc omnia spiritu Prophetico præuidens, exclamat: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, donec pertranseat furor tuus* Idipsum quoque sanctissimus vates Dauid exoptat dicens: *Quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum ades.*

Insignes figuræ. *Exod. 19.* *Iob. 14.* *Psal. 138.*

Primus mundi inquilinus, ac primus præuaricator Adam, vnius tãtum peccati reus, à Deo in iudicium citatus, nunquam iudici sese sistere ausus fuit: at sub arboribus latitans,

*Gen. 3.*

offensi cõditoris vindictam declinauit: nam, vt ait Sacra historia, *abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei, in medio ligni paradisi.* Quid vero vos peccatores, mille flagitiis cooperti, innumeris criminibus onerati, agetis? audebitis ne coram iudice comparere? vbinam quæso à vultu Domini fugientes latitabitis, cum omnes iam arbores incẽdio fuerint absumptæ. Hic pauebit auarus & tenax cum viderit iudicem vnica paupertate delectari: hic ambitiosus & arrogans deficiet, cũ habiturus sit iudicem, qui omnes honores penitus despexit. hic angetur & timebit superbus, lasciuus atque impurus, cum eum se viderint iudicem nactos, qui castitatem humilitatẽq; perfectissime amplexus sit. Gloriã tuam atq; maiestatem, summe iudex, perferre nescio, ferit oculos meos maiestatis tuæ splendor: iram tuam faciemque iratam non fero. itaque vt recedam, satius est.

V. Qui iudicio inter futuri sint. *Gen.* 18.

Vt vero aliquid de iis dicamus, Auditores, qui vltimo huic & generali iudicio interfuturi sunt, sciendũ est sanctissimam Trinitatẽ imprimis illic affuturam: cuius egregium in Genesi exẽplum legimus, vt scribitur, *Descenderunt tres viri ad spectandum Sodomorum incẽdium.* quo quid aliud designari putamus, quam tres sanctissimæ Trinitatis personas aliquãdo è cælo venturas, vt casum, exitium, mundiq; destructionem spectẽt? Solus tamẽ Iesus Christus auctoritate quadam singulari iudicio præerit Ipsa quin etiã cœlestis Angelorum militia, tribus distincta ordinibus, id est, in tres hierarchias diuisa, illic apparebit: vnaquæq; hierarchia in tres iterum choros dispartita erit, & vnusquisq; chorus infinitos Angelos complectetur, quorum illi quidem ministrabunt, hi vero spectabunt: omnes tamẽ in æternũ beatitudine cælesti fruituri. Omnes itaq; interetunt, nõ quidem iudicaturi, at solũ ad iudicis iussa quã promptissime excipienda. Sanctorum quoque innumerabilis caterua, cuius Ioannes numerum subducere nõ poterat, dicens. *Vidi turbam magnã, quam dinumerare nemo poterat,* iudicio astabit, aderunt quoq; omnes qui ad inferorũ pœnas cõdemnati sunt, aderunt dęmones, atq; omnes infernales cohortes: aderunt deniq; omnes qui vmquã nati, imo vero & ipsi infantes, qui non suscepto baptismate hinc discesserunt: *non congregabuntur ante eum omnes gentes.* *Exech.* 11.

Angeli quoq; iudicio intererunt.

*Apoc.* 7.

Quid, summe Iudex ac Saluator, anne in innocuas illas animulas, quæ numquam solem hunc intuitæ sunt, & quæ nullum, ne minimum quidem, voluntate sua peccatũ commisere, quæq; numquam ratione aut arbitrio vsæ sunt, sententiæ tuæ fulmina vibrabis? Anne æquum est, iudex seueriſſime, verũ & clementissime, anne rationi cõsentaneum, puniri eos qui in nullo deliquere? non enim videtur ipsis imputandum, si peccauit Adam. Cur namque per Prophetam tuum dixisti: *filius non portabit iniquitatem patris sui?*

Deinde, ô iudex æquissime, & seuerissime, æquũ ne videtur, creaturas tuas, propter quatuor, aut quinque, vel etiã tria peccata mortalia, imo vero propter vnicum, vno momẽto perpetratum, citius quoq; factum quã conceptum, æternis supplicijs damnationiq; perpetuæ tradi? an non sufficiat, Cain quatuor aut quinq; annorum millibus iam infernales flammas toleraſſe? Core, Dathan, & Abiron plusquam à tribus annorum millibus iã fuisse condemnatos? diuitem epulonem, Iudã traditorem, & infinitos alios duobus propemodum annorum millibus in auernali abysso demersos, & voracibus flammis excruciatos? An non eorum telacrymæ, suspiria, eiulatus, tormenta ac supplicia, ad miserationẽ commouebũt, rigoremq; iustitiæ tuæ emollient? Nequaquã: dicet enim: *Ite maledicti in ignem æternum,* cruciatus æternos & perpetuos, nulloque vmquam æuo finẽdos. *Matt.* 25.

O Iesu clemẽtissime: viuorũ simul & mortuorum, Angelorum quoq;, dæmonum, hominum & totius mundi iudex, ne intres nobiscum in iudicium, neue extremũ rigorem aduersum nos exerceas: Si n. *iniquitates obseruaueris, Domine Domine quis sustinebit?* si omnia scrutari, & examinare volueris, si omnes cõscientiæ angulos & recessus excutere: quis quæso saluabitur? quis dignus erit, in gloriã tuam admitti? Si adeo rigide nobiscum agere decreueris, & pro iustitia omnes iudicare: paradisum claudas necesse est, atq; omnes adeo in tartara præcipites? nullos enim vsquam iustos reperies. Sed ô dulcis animarũ redemptor, furorem exue, aut saltem minue, misericor- *Psal.* 129.

ricordiam habe nobiſcum, neq; in furore tuo nos arguas: &, mitis illius Ioſephi exemplo (qui Princeps in tota regione Ægypti, & primus à Pharaone factus, fratribus veterem iniuriam remittens, eoſdem exoſculatus eſt, atq; iiſdem theſauros ſuos aperuit) iam iudex totius mundi conſtitutus, ac toti mũdo imperans, fratrib. tuis ignoſce: ignoſce quæſo hominib. benigno eos oculo reſpice, eoſque glorię tuæ viſione locupletes redde. Imitare Domine Dauidem, qui vix ad regnum euectus fuit, quin ſtatim omnib. qui de ſtirpe & cognatione Saulis erant, præteritam iniuriam remiſerit. O radix Dauid, cum ad iudicandum veneris, cum regnũ hoc adieris, ignoſce omni poſteritati Saulis, generi Adã, ipſis inquam hominib. Redeat tibi quæſo in memoriam noſtri te cauſa è cælo in terram deſcendiſſe, noſtri te cauſa cruci affixum, & in eadem mortuum, noſtri te denique cauſa ad inferos vſq; penetraſſe: poſt tot igitur labores, poſt tot ærumnas & moleſtias, nos perdes & abiicies?

*Gen. 49.*

*Recordare Ieſu pie,*
*Quod ſimus cauſa tuæ viæ*
*Ne nos perdas illa die.*

Fac igitur nobiſcum miſericordiam tuam, noſq; gloriæ tuæ participes effice. Amen.

## FERIA III. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

I. *De Ambitione & auaritia.*
II. *De templo.*
III. *De ementibus ac vendentibus.*

*Intrauit Ieſus in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes.* Matth. 8.

### FIGVRA.

*Exod 19.*

MAGNVS ille Prophera, & Hebræorum legislator Moyſes, cum de Monte Sinai deſcendens, filios Iſrael Deum offendere, & illius cultu neglecto vitulum aureum, peſſimo ſane exemplo, adorare conſpiceret: adeo ira commotus eſt, vt, idolo euerſo, cõfracto, inque cineres redacto, ad expiationẽ delicti pluſquã tria hominum millia internecione deleuerit. Fuit hoc, Auditores, figura; aut præſagium potius eiuſce rei, quæ in hodierno Euangelio nobis ab Eccleſia proponitur. Videas. n. hic verum illum Moſem, Ieſum Chriſtum: qui non de monte Sinai, ſed montibus cęleſtibus deſcendens, cũ Iudæos, illorum Iſraelitarũ poſteros, Deum in tẽplo offendere, domumq; ſuam, vitulum autem auaritiæ adorando, prophanare, ibidemq; in omnium nationum exterarum ſcandalum, vendere & emere conſpiceret: in tantum indignatus eſt, vt idolo illo ambitionis euerſo & derecto, vendentes & emẽtes è templo exterminarit, indignumque hoc facinus merita vltione caſtigarit. Vt porro vobis rem deductius & latius dicendo queam explicare, glorioſiſſimæ Virginis interceſſione, *Aue Maria*, in hunc ei finem recitando, opem Spiritus Sancti poſtulemus.

Philoſophus Timon, qui ab odio quo in mortale genus homineſq; ferebatur μισάνθρωπος eſt appellatus, cũ de malorum principiis ageret, dicere ſolebat, auaritiam ambitionemq; omnium malorum & vitiorum radices eſſe ac propagines. De ambitione res notior eſt, quam dicere poſſemus: illa n. primã mundo perniciem inuexit, Angelos è cælo ad tartara præcipitauit, homines perdidit, cælũ corrupit, paradiſumq; cœleſtẽ ſtatim à mundi primordio inanem ac vacuum reddidit. De auaritia vero quid dicam? illa, illa eſt, quæ Iudam ad laqueum coegit, diuitẽ Epulonem ad inferos detruſit, adeo vt nihil rebus publicis perniciоſius, ac nihil Eccleſiis tetrius aut ſceleſtius reperiri poſſe videatur. I. Timonis Philoſophi Apophth.

Per duos illos exploratores in domo meretricis Rahab latitantes Iericho & direpta & deſtructa eſt: ita quoq; auaritia & ambitio ſunt veluti duo Satanæ exploratores, qui in pellacis huius mundi domo clam delitescentes, orbem pœne vniuerſum in exitium ruinamq; deduxerũt. Duo ſcelerati illi ac laſciui iudices & ſeniores, in Suſannæ pomario ſeſe occultantes, honeſtiſſimæ feminæ pudicitiam expugnare conati ſunt: ad eumdem quoq; modũ auaritia & ambitio duo veterani ſunt, ſceleſti ac tetri: antiqua ſc flagitia, quæ Figura. *Ioſue 2.* Figura. *Dan. 14.*

quæ clam in animæ hortum voluntatemque ingressa, eam in extremum discrimen adducunt, & ad supplicium rapere conantur.

Sunt quippe duæ illæ pestes, quæ tot simonias pariunt, tantam impietatem iniquitatēque inducunt, tot animarum damnationem moliuntur, tātam denique morum vitæque perniciem, ac tanta Ecclesiæ damna adferūt. *Matt. 4.* Nā quemadmodū Satan Christū ad pinnaculum tēpli euexit, vt inde eū præcipitē daret: ita quoq; ambitio instar Satanę animas ad sublimia euehit, ad Episcopat⁹ inq̄ dignitates q; Ecclesiasticas: vt inde casu grauiore ruant & præcipitēt. Agrippina Neronis mater, tāta, teste Suetonio ambitione fuit, vt cognito per oraculū filiū, Imperatorē fore, sed matrē in Imperio necaturū, sitiens honoris & gloriæ dixerit, *Occidat modo imperet.* Hæc porro mulier animā ambitione plenā ad vsum exprimit, illa namq; dānari nō metuit, modo imperet, mō in Ecclesia pedū gestet.

Agrippinæ matris Neronis ingens malitia.

Infelix amma, quæ te pessimis hisce cogitationibus adeo immergis, quin tibi ob oculos ponis egregiam illam sententiam, *Matt. 10.* *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur animæ vero suæ detrimentū patiatur.* Sed quid? sunt nempe duæ pernicioſæ illæ passiones, quæ animas ita discruciant & exagitant.

Legimus in libris Iudicum, Philisthæos *Iudic. 10.* Sampsonē perdere conantes, cum iam excæcatum nouis funib. cōstrinxisse. Dæmones vero Philisthæi illi infernales vnicam hominis perniciem molientes, cum semel eum iā excæcarūt, ambitione & auaritia, veluti duobus funibus, constringunt. Iudæi quoq; Redemptorem nostrum Iesum medium inter duos latrones in monte Caluariæ crucifixerunt: diaboli vero animam inter duo hæc vitia cōstitutam, veluti inter duos latrones, in montibus mundi huius crucifigunt, ac mori cogunt. Duo deniq; illa monstra sunt, quæ hodie Saluator noster, indignās & fremens, è templo suo eliminant. *Eiecit ementes*, sambitionē: & *vendentes*, ecce auaritiā. Colūbos expellit, hoc est ambitiosos: columbas eiecit, h. e auatos. Primo de domo hac loquemur, ac deinde ad mercatores veniemus. *Matt 17,*

Quod igitur ad primum attinet, sciēdum est vocem Templum, & domus in sacris lit- Vocabulū templum

teris, sine discrimine pro Ecclesia capi. Scio quoq; vtramq; esse æquiuocam, ac diuersis reb. applicari posse. Videbis namq; vocabulum Templum interdum pro tēplo illo splēdido & magnifico sumi, quod septem ipsis à Salomone annis exædificatum est: atq; ita vsurpauit Dauid Propheta, *Adorabo ad tē templum sanctum tuum.* Interdum vero pro cælo, aliquādo etiam pro sacro Christi Iesu corpore, vt, *Possum destruere templum hoc, & in triduo ædificare illud.* & alibi: *Soluite templū hoc.* Hinc factum est, vt ii qui in passione falsum testimonium daturi accesserant, dicerent, *Hic dixit, Possum destruere templū Dei, & post triduū reædificare illud.* Imperiti & falsi testes, nō intelligitis vocem æquiuocam: ipse de corpore suo loquitur, vos de templo Salomonis eum loqui existimatis. Vox namq; Tēplum plures notiones habet, at plerumq; loca denotat, in quib. Deum adoramus, vt in hodierno Euangelio, *Ingressus in templum.* æquiuocum est. *Psalm. 5. & 37.* *Math. 26. Ioan. 2.* Falsorum testium error in passione propter æquiuocam vocis significationem. *Matt. 21.*

Vox illa domus æque late patens est: videoq; namq; ex verbis Dauidis illā pro cælo capi. *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domū Domini ibimus,* id est, in cælū subleuabimur. per eamdem quoq; sacratissimam Virginem Deiparam denotat, dicens, *Domū tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Verum relictis amphiboliis illis & æquiuocationibus, dico voces illas Templum & Domus, vt plurimum pro loco adorationis capi. est illud nāq; tēplum, vnde Saluator hodierna die vendentes & emētes eiicit, & vbi mēsas nūmulariorū euertit est illa domus q̄ domū orationis & adorationis appellat. Vere n. Ecclesia domus est, cuius ostium fides est: cuius fundamentum, Christus: cuius parietes, fideles omnes. cuius cæmētum, charitas: cuius lapides ipsi Sancti: cui possessores, præsules: cuius custodes, Cōfessionatores: & cuius domestici, omnis populus Christianus. Vox domus etiam æquiuocа est, ac diuersimode intelligenda est. *Psalm. 121.* *Psalm. 64.* Ecclesia domus est optime cōstituta, ac disposita.

Hæc est splendida & superba illa domus, quā sibi ædificare decreuit æterna Sapientia: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Quænam, vestra quidē sententia, illa domus est, nisi Ecclesia, ab ipsa sapientia constructa? septem illæ columnæ & fulcra, septē Sacramēta sunt, quæ Ecclesiā sustinēt, & in quæ omnis nostra Religio recumbit. *Prou. 9.*

Hinc

Hinc ô infelices hæretici, animæ errantes, colligere datur, vos huius domus mẽbra non esse, cũ domus vestra nõ septẽ, at binis tantũ columnis fulciatur: duo n. vos tãtum Sacramenta ad summũ tria esse fatemini: nõ igitur bene domus vestra fulta est, ruinã minatur.

3. *Reg.* 10. Construxit Salomon thronum de ebore grandem: & vestiuit eum auro fuluo nimis: & duodecim leunculi in sex gradibus hinc atque inde constituti totum hunc humeris sustinebant, cui teste scriptura, par opus nullo vmquam tempore visum fuit. Cum vero penitius te ô splendide throne cõsidero, Ecclesiæ nostræ splendorem in te ad viuum expressum mihi videor cõtemplari. Illa namq; thronus est Salomonis nostri, Iesu Christi: constat totus ex ebore mundissimo, id est, sanctitate, auro charitatis circũundiq; fulget: duodecim eam fulciunt leones, ipsi scilicet Apostoli cui nihil vmquam hactenus par exstitit aut aliquando existet. Atque vt veteres dixere, humeris Atlantis fulciri cœlum: ita hic nouum fulcrum, duodecim leones, duodecim Atlantes, duodecim scilicet Apostolos, qui vniuersam Ecclesiæ machinam sustentant & fulciunt licet contemplari. Dauid porro Rex eum tabernaculum vocat, vbi ait, *In sole posuit tabernaculum suum*, in oculis scilicet omnium hominum Ecclesiam constituit, vt ab omnibus conspici posset: qui eã inuisibilem & dicunt & faciunt.

Vt cælum Atlante ita Ecclesia duodecim Apostolis fulcitur.

*Psalm.* 18.

Est scilicet Ecclesia, domus illa voluptatis instar propugnaculi, instar turris, instar conopæi ædificata, q̃ Salomon in Canticis his verbis describit. *Turris Dauid ædificata cũ propugnaculis, mille clypei pẽdẽt ex ea, & omnis armatura fortiũ* Tu scilicet, ô Ecclesia, spissa illa es turris, inexpugnabilis, procul ab hostibus, procul à proditorib sita, quæ suffodi nequit, circũundiq; vallata, propugnaculis circũdata, atq; omni armaturæ genere cõmunita, cui similem in mũdo nullã reperire est. denique turris, super petram exædificata, *Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Ecclesia est turris Dauid.

*Cant.* 4.

*Math.* 16.

Contemplamini, Auditores, pulchritudinem, splendorem, magnitudinemque huius domus. dimetimini eam circumquaq;: cœlo tenus extenditur, & caput inter nubila cõditi: filii eius, qui ipsi sunt Angeli in supernis, homines vero in infernis habitaculis cõmorantur. Et quemadmodum in arca Noe mũda animalia superne, immunda vero inferne habitant: ita plane in Ecclesia fieri certissimũ est: video namq; spiritus illos puriores, atq; ab omni mortali contagio liberos, in summis arcę huius locis: homines velut immunda, bruta & stupida animalia, in locis inferioribus commorari.

Eius dimensio.

Angeli sunt filii domus huius.

*Gen.* 7. Allegoria.

Tanta porro eius latitudo est, vt ab vno populo vsq; ad alterum extendatur, ab ortu solis vsq; ad occasum pertingat, ac totũ terrarũ orbem compleat. Hinc canit in Psalmis Dauid, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Fundamenta vero eius adeo depressa & profunda, vt ad cẽtrum vsq; terræ perueniant, vt quæ inferno proxima & contermina sit, animæ namq; in purgatorio detentæ eius membra sunt & filii. Ante euidens argumentũ postulatis: Respondeo pro me Paule, & dicas, *In nomine Iesu omne genu flectatur* (in hac scilicet domo) *cœlestiũ*, hoc est Angelorũ, *terrestriũ*, hoc est hominũ, *& infernorũ* i. e. purgatorii incolarum:

*Psalm.* 2. Animæ in purgatorio Ecclesiæ membra sunt.

*Philip.* 2.

Coniicite modo oculos in loci huius pinnas, ac mille hinc inde pendentes gladios videbitis, mille clypeos, mille loricas, mille balistas: tres scilicet virtutes Theologicas, & quatuor Cardinales, septem S. Spiritꝰ dona, septem Sacramenta, octo Beatitudines, decẽ decalogi præcepta, duodecim denique fidei articulos; Quis similem vnquam, ne dicam fortiorem, domum conspexit? Illa nempe est domus super petram ædificata & in rupe cõstructa: quã Propheta *montem in vertice montium* nominat: Dauid vero locum *in montib. sanctis fundatũ*: est deniq; domus, quam Adã exstruere cœpit, Christus vero Iesus compleuit, cuius rei figuram nunc audite.

Armamẽta & munimenta Ecclesiæ.

*Isa.* 7.

*Psalm.* 88.

Quẽadmodũ Dauid magni illius tẽpli fundamenta posuit, & materiã cõparauit (quippe à Deo propter cædes & sanguinem perficere prohibitus) verum filius eius Salomon ad fastigiũ perduxit: ita quoq; Adam Ecclesiæ quidem in paradiso terrestri fundamenta posuit, sed propter peccata à Deo ne vlterius procederet, inhibitus fuit: verũ Iesus secundum humanam naturam filius eius, ipsam perfecit, ac splendidissime cõsummauit. Cũ igitur

*3. Reg.* 5. Adam Ecclesiæ fundamenta posuit, sed Christus perfecit.

igitur egregia illa domus ſuper petram ædificata ſit, non eſt quod hæreſum hæreticorũque rabiem, aut tyrannorum feritatem pertimeſcat: perſecutiones quippe eam examinant & probant, perque eaſdem adaugetur.

Cõceptus inſignes.

Euoluta iam ſunt quatuor annorũ millia, ex quo quatuor elementa, quę inſtar prædonum aprorumq; totam naturã perdere, corrumpere & euertere conantur, cum cœlo illo Lunari, orbibuſq; cœleſtibus bellum gerũt: ignis calore, aer euaporatione & exhalatione, terra mephiti, aqua exhalatione, eos diuexant: verũ fruſtra, cœlũ namq; cedere neſcium omnes illas minas velut inanes euanidaſq; irridet. Ita quoq; iam à tot ſæculis, totque annorũ millibus, domus hæc à quatuor feris tyrannis, mundo ſcil carne, & diabolo: adiũgamus ad hæc hæreſim, oppugnata fuit, at numquã ne minimum quidem detrimentum paſſa Hinc bene Dauid *Sæpe expugnauerũt me à iuuentute mea: etenim nõ potuerũt mihi.* Subitæ ventorũ procellæ & turbines domũ Iob euerterũt, ac omnes eius domeſticos horrẽda ruina oppreſſere: at domus hæc noſtra nulli eſt penetrabilis hoſti, ventorũ minas ridet, cœliq; rabiẽ, ipſi quidẽ diluuii vortices, aquarumq; inũdatio magnã illam Noe arcam voluere ſubmergere, verum ſecura & omnẽ cœli iniuriam exſibilans, ſine vllo periculo in mediis fluctib. enatauit. *Factũ eſt*, inquit Scriptura, *diluuium, & multiplicata ſunt aqua & eleuauerunt arcam in ſublime à terra, vehementer. n. inundauerunt, & omnia repleuerũt in ſuperficie terræ: porro arca ferebatur ſuper aquas* Vnde quoq; perſecutionum locũ hunc expugnare & euertere conatæ ſunt, venti & procellæ afflictionum ſemper nauim hãc impetiuere, verũ omnib. facta ſuperior, victrix in hoc vſq; æuum perdurauit. Ipſa quidẽ Dominicæ paſſionis tempeſtas magno eam impetu concuſſit, ſummaq; vi cõtendit, vt eam infringeret, aut ſaltẽ elumbaret: cum ipſi etiã cuſtodes duceſq; eã deſeruiſſent: verũ ipſum caput Chriſtus, eiuſq; genitrix Maria, cũ aliis quibuſdam ſtrenuis bellatorib totis ſeſe virib. opponẽtes, ac de ſtatione ne latum quidẽ vnguem diſcedẽtes, locum ſuum tenuerunt.

Pſal 128.

Iob. 2.

Gen. 7.

Tu itaq; ſancta Eccleſia fortis hæc domus es, ſuperbum hoc palatiũ, arx illa regia, ſplẽdida & inſignis illa ara, in qua Ieſus Chriſtus cõmoratur, & vbi reipſa, in propria perſona, ac vere licet non videatur, habitat. In cœlis quidẽ Angelis ſeſe videndum ac contẽplandum præbet, at in terra homines eum in Sacramento Euchariſtiæ nonniſi ſub ſpeciebus latitantẽ conſpiciunt. Tu ſc. domus hæc es, plena ſanctitatis, quam idcirco D Athanaſ. in ſymbolo *ſanctam Eccleſiã* nuncupauit: domus illa orationis, vt te in hodierno Euangelio Dominus appellat, *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Tu deniq; templum es, in quod iam Ieſus redemptor noſter ingreditur: quid ibidem acturus, nunc diſpiciamus.

Eccleſia domus eſt in qua Deus vere cõmoratur, licet non videatur.

III. Nuſquam Dominus iratus ſe dicitur, niſi hodie in templo.

*Eiecit ementes & vendentes.* Ecce in ipſo tẽpli veſtibulo nouum quid & inſolitum hic contemplor Auditores, ſaluatorem ſc. Chriſtum ira cõmotum. In tota vitæ eius ſerie, ne minimam quidẽ, licet omnia ſcripturę verba minutatim indagauero, bilis, cholerę aut vehementis alicuius paſſionis ſcintillam inuenio, niſi hanc ipſam quam hodierna die templum ingrediens demõſtrauit. Scio, ſcio clementiſſime Domine, ab omnib. te paſſionib. & affectionibus immunem eſſe, nihil. n ſunt aliud in te paſſiones quam propaſſiones quędam: neſcio tamẽ vnde hæc tam ſubita & repẽtina inciderit indignatio & motus ad iram vehementior? Si peccata ipſa & ſcelera hunc tibi ſtomachum mouerunt, iam alia, credo, Domine, vidiſti, & ſane haud minora, in Samaria, in Iudæa, & in ipſa ſancta ciuitate Ieruſalẽ, toties in maieſtatẽ tuam cõmitti. At vidit hic peccatũ ſimoniæ: q̃ cum alia peccata extra Eccleſiam fieri conſueuerint, ſolum intra Eccleſiæ parietes & penetralia cõmittitur: atq; hinc factum, vt Dominus irretorto id oculo minime potuerit intueri. Fuit zelus quidam honoris diuini, qui eum ad id faciẽdum permouit, de quo Dauid cecinit, *Zelus domus tuæ comedit me.* Ponite vobis ob oculos zelum illum Moſis, quo tot hominum millia vitulo aureo victimas immolantia, trucidata ſunt: reuocate in memoriam Eliæ Prophetæ zelum, quo quadringẽtos Prophetas Baal, eo quod populũ ad idololatriam, vero Dei numine contempto, incitarent, gladio interfici iuſſit. Si quis hæc omnia in mentẽ reduxerit, æquiſſimum profecto Domini factũ iudicabit,

Pſal. 68.

Exod. 32.

4. Reg. 10.

bit, cum eum ira exæstuantem è templo viderit ementes & vendẽtes exterminare. Discant hinc ipsi Ecclesiæ rectores & Præsules simonias has, hæc peccata publica & in omnium oculis posita, inq; tẽplis vt plurimum cõmitti solita, digna castigatione multare.

Quinam negotiatores hi sint quos Dominus è templo exegit.

Videamus modo quinam hi vendẽtes sint & ementes, quinã hi negotiatores, aut quinã potius hi prædones, qui in templis sua venalia velut in officinis exponunt. Vos Episcopi & Ecclesię Antistites, cum sacros Ordines diuenditis, cum Sacramenta ipsa precio cõfertis, estis vendentes. Vos beneficiarii cũ beneficia vestra distrahitis, aut noua coemitis, estis negotiatores. Vos Ecclesiastici, cũ bona Ecclesiæ dilapidatis, eum loco pauperum & egentium, canes alitis, & clancularios concubitus fouetis, prędones estis & direptores.

O tempora! ô mores! referta est hodierna die huiusmodi negotiatoribus & prædonib. Ecclesia Dei: nam cõmunes iam sunt & coculis omnium ipsæ simoniæ, beneficiorum distractiones & emptiones, ac nefandę hę direptiones. Quanta porro vestra hæc gloria foret ô Episcopi, si omnes venditionum emptionumq; contractus probe examinaretis! plurimi enim hoc nostro æuo Indę imitatores reperiuntur, qui vbiq; clamãt, *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradã?* Ecclesia quoq; non amplius locus sanctus dicendus est, sed officina, locus rationum, peristyliũ, mensa nummularia, aut asinorum nundinæ.

Matt. 26.

Refricant mihi in memoriã asini hi, quod dicere solebat Macedonũ ille rex Philippus: Nullam esse arcem adeo munitam, nullũ locum adeo inexpugnabilẽ, & imperuiũ quin expugnetur, modo asinus auro onustus subire posset: Quo quid aliud significare magne rex voluisti, quam nihil auro esse imperuiũ, nihil quod pecunia non expugnet. Idem ipse de Ecclesia iure meritoq; dixero: nullum hodierna die Episcopatum, nullum Prioratum, nullum denique in Ecclesiis beneficium reperiri, ad quod asini aliiq; minus idonei auro muneribusq; viam & aditum sibi nõ parent.

Apophthegma Philippi Macedonis.

Virg. 5. Æneid.

——— *Quid non mortalia pectora cogis*
*Auri sacra fames?*

Quamobrẽ optime mihi rem ille visus est tetigisse, qui iocans aliquãdo dixit: Beneficia equos currendo petere, ac promereri sed asinis ea conferri. Miseri vos igitur magistri artium, aut gradus in scientiis adepti, vosq; doctores frustra ad beneficia cõtenditis, itaque parcite labori; neque enim amplius merita aut doctrina, sed pecunia spectatur: meritis itaque frustra nitimini, cum pecuniæ iam obediant omnia. Docent Theologi, prædestinationem in cœlis sine vlla meritorũ præuisione à Deo fieri: equidẽ, ne minimũ diuinæ maiestati in hoc derogando, dico hodierna die beneficiorum collationem sine vllo meritorũ respectu in Ecclesia fieri. Non est ergo vobis ô Theologi amplꝰ in meritis spes collocanda, de iis nemo loquatur. tot n. iam aulicis ea in compensationem facti alicuius cõferuntur, tot indulta cõplenda sunt, regia ita gratia præcedat necesse est, vt virtus in postremis habeatur & dicere liceat, omnia nihil quãmeram venditionẽ & simoniam esse.

Beneficia nõ amplꝰ merentibus conferuntur.

An non, ô infelices mercatores, ô negotiatores detestandi, Dei numẽ pertimescitis? an non diuina iudicia formidatis? an non videtis æternæ vos damnationi animas mãcipare & ad restitutionem obligare? Nonne intelligitis, vos vobis ipsis infamiam ignominiamq; adferre, incapaces & minime idoneos vos ad Ecclesiastica munia obeunda reddere? quando nimirum opus sancti Spiritus, cuius vnius est beneficia bene meritis cõferre, vobis ipsis arrogatis, an non perspicitis, ô Simoniaci, rerumq; Sacrarum nũdinatores, quanam ratione Deus hodierna die peccata vestra castiget? Ipsemet flagello in manꝰ sumpto ira feruescens vindictã sumit, alia quippe peccata per alios, per Angelos, per creaturas ipsas castigauit: hoc vnum ipse puniuit. Audiãt itaq; animę illę honoris cupidę, auaritia deprauatę, Zacharię Prophetę interminantis verba: *Non erit negotiator in domo Domini.* *Zach. 14.*

S. Spiritus est beneficia cõferre.

Vultisne vobis ob oculos ponã, quonam olim modo Deus horrendũ hocce flagitium castigarit? Balthasar Nabuchodonosoris successor, postquã sacra vasa, quæ è tẽplo Salomonis in Babylonẽ asportata erãt, pfanasset, breui tẽporis momento vitã & imperiũ amisit? Quid tibi igitur futurũ speras nefande Simoniace, q nõ modo sacra tẽpli vasa, sed ipsa Ecclesię beneficia perdis, destruis & pfanas?

Vt fuerint puniti qui res sacras profanarunt.

*Daniel. 5.*

4. *Reg.* 5. *Actor.* 8. Giezi Elizæi prophetæ puer cũ res sacras vẽdidisset, lepra in castigationem peccati percussus fuit. Simon ille Magus, à quo tu nomẽ mutuatus es, & cuius sub insignibus militas, eum gratiam patrandorum miraculorũ auro ab Apostolis redimere vellet: vitã infeliciter perdidit. Et eum traditorum ille princeps Iudas, ac Simoniacorum coryphęus, postquam Dominum suum Iesum: quo nihil in mundo reperiri poterat pretiosius: Iudæis vendidisset: in extremam desperationem inciderit, & infami laqueo vitam finierit: tu q Ecclesiam vendis, qui beneficia distrahis, an meliorem felicioremq; mortem exspectas?

1. *Reg.* 13. Eo quod Ieroboam summũ Sacerdotiũ profanasset, & ineptos ad sublimem illam dignitatẽ subleuasset: omnis eius posteritas cognatioque deleta fuit, & ipsius memoria in perpetuum abolita. Et nunc Reges intelligite, qui è cincinnatis & calamistratis aulæ mancipiis Episcopos efformatis. Attendite, quæso, Antistites, qui in seruos & coquinæ ministros beneficia sacra confertis: si hoc eos stipendio pro præstito seruitio ornatis, diuinam quoque vindictam extimescite.

*Niceph. li. 1. Eccl. hist. c. 33.* At nondum hic finis. Narrat insignis ille historicus Nicephorus, Constantinũ Iuniorem Imp. Romanorum: eo quod sacerdotii dignitatem vendidisset, sensibus priuatum in miserrimam phrenesim incidisse: dignũ profecto huiusmodi flagitio supplicium. Narrat in vita Leonis IX. Pontificis Martinus Polonus, Hildebrandum Cardinalem (qui factus deinde Pontifex Gregorius VII. est appellatus) legatũ Apostolicum in Gallias missum, vt simonias, si quas reperisset, aboleret, & iudicio prosequeretur, in Episcopum simoniacum incidisse: quem huius criminis conuictum in iudicium vocauit, eiq; litem intendit. Verum cum Episcopus falsos testes produxisset, & ipse Cardinalis vlterius eum cõuincere non posset, hac eum tandem oratione aggressus est: Eia relinquamus humanũ iudicium, rem Deo potius committamus: nã ad Spiritum sanctũ hæc ptinet disceptatio, eius hic honos agitur, ad eum beneficia potissimum Ecclesiastica spectant. Quare age, si legitime ad Episcopatum te putas peruenisse, si à Spiritu sancto electus es canta nobis clara voce, *Gloria Patri, & filio, & Spiritui sancto.* Quod cum nefarius ille Episcopus præ metu pœne exanimatus facere præsumpsisset: versiculũ quidem inchoauit, dicens: *Gloria Patri & Filio*: ac diuino cõuictus iudicio, nunquã potuit perficere: adeo vt eũ ipsum Spiritũ sanctum in quem nefarie peccauerat, & in quem impudenter mentiebatur, nominare haudquaquam potuerit.

Horrenda de Episco. simoniaco historia.

O infelices simoniacos, ô infortunatos sacrilegos! Vos estis impius ille & barbatus Esau, qui sua primogenita, quibus ipsa sacerdotalis dignitas annexa erat, misere diuendidit. Respicite igitur, & horũ exemplo tandẽ aliquando sapite, ac similes vobis impendere calamitates certissime credite. *Gen. 25.*

Refert Herodotus Persarum Regẽ Cambysem, vni è iudicibus suis, falsitatis conuicto pellem viuo detrahere iussisse, ac eadem tribunal eius cõuestisse, quo filius eius Otanes Patri in eo munere succedens, hac ratione admoneretur, æquitatem vt in iudicando coleret, nisi simili quo pater supplicio vellet enecari. Respicite, vos beneficiorum nundinatores templorum vestrorum choros, videte sedilia quæ ascenditis, cathedras in quibus vos ipsos venditatis pellibus conuestitas & corio, sanguine etiamnum madentes, & suppliciis damnationibusq; eorum insignes, qui beneficia eo quo vos modo, & emerunt & vendiderunt. Vos vero impii, ac nefarii custodini, qui nomina vestra in rem alienã mutua datis, qui propter rem exigui momenti animas vestras, simul & aliorum æternæ damnationi inuoluitis, quo digni supplicio esse videmini? An non Iudæ proditoris vos esse dicam imitatores? ille namq; Dominum suum Iudæis tradidit, vos vero matrem vestram: ille Iesum Christum, vos templum & Ecclesiam: ille æternis est cruciatibus addictus, vos haud dissimiles, nisi resipiscatis, manebunt. Vos igitur prædones illi estis, qui domum Domini nostri speluncã facitis latronum, vitiorum receptaculum ac nefariam lanienam. Hoc tantum vobis solatio sit, non solos vos in Ecclesiis negotiari, verum & alios. Video namque hic etiam columbas. *Herod. li.*

Quarum vero vos columbæ, malum designatis? & sane nisi peccassetis, vos hodierna die

die Dominus procul à templo suo non eliminaret: at tempus non patitur, Auditores, quid per animalia hæc denotetur, ostendere: quod mihi velim ignoſci, verum hoc saltem dixero, in templis (ô impietatem non tolerãdam) diem condici, locum designari, nutus impuros volitare, quibus animi voluntas explicatur. O peccatum & impietatem detestãdam! ô mille abominationem tormentis infernalibus puniendam! An non hoc est, domum orationis facere speluncam latronum?

Iterum igitur Domine prædones hos, sacrilegos hos, simoniacos hos è domo tua expelle, nam quemadmodũ magnus ille Abraham è propriis ædibus idololatram Ismaelem exegit: ita quoq; tu summe Abraham Ismaeles hos, proxenetas hos ab Ecclesia tua remoue. Iacob fratri Esau benedictionẽ prẽripuit: ita etiam tu Pater æterne, Pater Abraham, Isaac & Iacob, impios hos Esau, beneficiorum inquam Ecclesiasticorum mercatores, gratia tua & gloria priua; & vtrumq; nobis omnibusq;, qui in templo sancto tuo nomen tuum adorant, nec negotiationes exercent, concede, gratiam inquam hac in vita & gloria post mortem, Amen.

## FERIA IV. POST DOMINICAM I. QVADRAgesimæ.

### Partitio.

*I. De signis Dei seu miraculis.*
*II. De signo Ionæ, quod sit.*
*III. De signis Catholicorum.*
*IV. De signis Nouatorum.*

### FIGVRA.

*Generatio praua & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi Ionæ Prophetæ.* Matth. 12.

Exod. 7. CVM Israelitarum ille terror Pharao, & tyrannorum omnium facile princeps, experiri vellet; num vere Moyses à Deo missus, ac cœlitus destinatus esset, qui populum Iudaicum è duro seruitutis ergastulo eriperet; statim ab eodem signa & prodigia postulauit, dicens: *Ostende signa.* At videas hodierna die in hocce nostro Euãgelio nouos Pharaones, Scribas sc. ac Pharisæos, qui cum tentare vellent ac certo scire, num Iesus, ille pauperculus Nazarenus, vere Dei filius esset, verus illorum rex, & in lege promissus Messias, accedentes miracula ab eo fieri postulãt. *Volumus à te signum videre.* Ecce postulata eorum reliquam porro rei seriem adiuhgam, mox vt Virginem Deiparam salutauerimus cum Angelo dicentes:

### AVE MARIA.

I. Nihil est in rerum natura, Auditores, quo vicinius ad æterni illius & infiniti esse, quod Deum nominamus, cognitionẽ accedimus, quam ipsa prodigiorum rerumq; præter cõmunem naturæ ordinem accidentiũ, & miraculorum patratio. Illa quippe sunt veluti riui, per quos animæ nostræ ad diuinitatis vsq; abyssos conducuntur: illa sunt igniculi & scintillæ, per quas micantem illum Deitatis solẽ oculi nostri contemplantur. Vix viderat Sareptana illa vidua rediuiuum filium & statim Heliam Prophetę loco habet, ac veluti à Deo ad salutem domus suę missum veneratur; vnde ait: *Nunc in isto cognoui, quoniã vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo verũ est.* Quamobrem hoc certum sit, ipsa miracula, quotiescunq; contingunt, vera esse diuinitatis indicia: quando n. audio solem ad Iosue imperium stetisse, matrem post partum virginẽ perseueransse, corpus solidũ vndis inambulasse, fornacẽ Babylonicam, igne succensam, minime nocuisse, statim mihi supernaturalis cuiusdã virtutis ac potentiæ, ab infinito illo Esse procedentis, in mentem venit. Cognouit id Dauid cum ait, *Qui facit mirabilia magna solus.* Vocẽ *Solus* addit, vt cæteræ creaturæ excludantur, ad quas nulla ratione spectat huiusmodi opera præstare, vt quæ à manu quæ infinite semper moueatur, quæq; virtute quadam omnipotente prædita sit, proficiscí & fieri cõueniat, cum hoc ad solum Deum spectet, & nulli alteri sit concessum.

4. Reg. 17. Ioſ. 10. Marc. 6. Dan. 3. Psal. 135. Solius est Dei miracula patrare.

Tu solus scilicet es Domine, cuius est miracula patrare: tu solus es, qui sũmus naturæ

princeps & artifex cum sis, & rebus, quæ in rerum natura non existunt ita imperes, ac si reuera existerent & eas velut in aciem ex nihilo creando produeas, denique totius mũdi Dominus cũ sies: θαυματοῦργος merito appellaris & diceris. Natura quidem ipsa solis deliquia in cęlo, in aere tonitrua, flammas & fulgura, in mari Euripos, in terra monstra, atque alias res mirabiles potest producere: verum vlium vel minimum patrare miraculum nulla ratione potis est.

Natura & diabolus edere queunt mirabilia at nũquam miracula.

Potestis quidem, vos dæmones, elementa in aëre concitare, vt inter se digladiari videantur, tempestates sũscitare, ventos & turbines agitare, Oceani vndas exciere, montes denique ipsos transferre aut concutere: at vbi receditis & omnia pacata sunt, non miracula, at solum mirabilia fuisse dicenda sunt. Non vestrum est mortuos ad vitam reuocare, visum conferre cæcis, gressum claudis, paralysin dissoluere, morbos deniq; ipsos nullo remedio naturali, aut secreto aliquo humorum corporis humani motu, sanare: ita vt vere dicere possimus, nullum à vobis supernaturali quadam ratione, pristinæ valetudini posse restitui.

Fixum itaq; sit ac certum ipsa miracula à solo Deo proficisci, & illa ipsa supernaturales quosdã influxus esse, ac velut aquas à prima veritate promanantes, propagines fidei, & religionis vincula. Testẽ huiusce rei habeo D. Augustin. hic enim lib. 4. de vtilitate credendi, c. 17. in libro contra Epistolam fundamenti apertissime confitetur, se vinculis miraculorum in Ecclesia detineri. Post illum quoq; Richardus à S. Victore. lib. 1. de Trinitate c. 2. exclamat: *Domine si error est quod credimus, à te decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus quæ non nisi per te fieri possunt.*

Miracula in sola Christi Ecclesia esse testatur Aug.

Egregia Ricardi à S. Victore sententia.

At quid est miraculum? est noua quędam & præter ordinem probatio virtutis & potentiæ diuinæ, opus quoddam supernaturale, à diuinitate descẽdens, ac veluti testimonium quoddam altissimi. est signum & nota suprem ę cuiusdam auctoritatis, actus supremi naturę artificis, præter communem naturæ ordinem, & vulgarem operandi modum longe excellẽs, ad glorię diuinę manifestationem, Ecclesiæq; vtilitatem productus. Deniq; est illud signum quod Iudęi hodierna die in Euangelio videre desiderant, dicentes, *Magister volumus à te signum videre.*

Quid sit miraculũ.

II.

Verum, antequam in altum vlterius proue hamur, & longius in contextus arenam descendamus, consideremus oportet, duo esse hominum genera, qui nullo non tempore ac loco Deum tentant, noua ab eo miracula quotidie impudenter & importune quęrentes: obdurati scilicet peccatores, & non credentes hęretici: *gens mala*, intelligendi sunt peccatores, *& adultera*, intellige hęreticos, illos scilicet Ismaeles, degeneres, & adulterinos, qui postquam matrimonium in baptismo cum casta illa Susanna, Ecclesia sc. inierunt, solennibus illis votis & promissionibus pessundatis, hæresi velut pellici, sese magna cum sui ignominia impudentiaque, nec non magno lasciuię signo, coniunxere. At primo de peccatoribus verba faciamus.

Duo hominũ genera à Deo miracula exigunt.

Hæretici veluti adulteri sunt.

Obduratus peccator, qui ad salutem adspirat, & infernalia se tormenta euasurum existimat, tacita quadam ratione à Deo miracula videtur expetere. Hunc igitur nõ absre cum bono illo latrone cõferre posse videor, qui cum toto vitę tempore latrocinia exercuisset, in vltimo vitę articulo cõstitutus, idque in ligno crucis, miraculum iustificationis à Domino postulauit. Ita porro fieri videm⁹, Auditores, vt anima in peccatorum volutabro immersa, & in iisdem quodãmodo sepulta, miracula à Deo semper cõtendat: neque enim fieri vlla ratione potest, vt quis tergiuersans ac moras nectens ex profundo peccati emergat, nisi suam Deus infinitis, prope modum miraculis opem intermisceat, ac cooperetur. Admirandum plane opus ipsa Lazari fuit resurrectio, imo vero plurimorũ miraculorũ instar, videre sc. mortuum iam quadriduo corruptum, iam & fœtidum è sepulchro prodeuntem: videre lapidem reuolui, instilas & funes dissolui, animam in corpus redire, & idipsum viuum inter homines conspici. Sed hoc ipsum est, quod in peccatoris conuersione videmus contingere, qui cõfractis inferni foribus, semiputridus prodit, lapidẽ & duritiem peccati deuoluit, vincula captiuitatis effringit, cui gratia redit, &

Peccator ad iustitiã sine multis miraculis peruenire nequit.

In peccatoris conuersione nõ minus miraculũ latet, quã in Lazari resurrectione. *Ioan. 11.*

pec-

peccata dimittuntur. an non hęc infinita miracula sunt!

*Ios. 8.*

Iustificatio & conuersio peccatorum cum ruina murorum Ierichuntinorum comparatur.

Quartum porro miraculum fuit, muros ciuitatis Ierichuntinæ, (quæ sexcentis aliquãdo hominum millibus valide restiterat) ad clangorem buccinæ sacerdotalis corruere? an vestra sententia, minus esse miraculum videtur, peruicaciam peccatorum, quæ non ipsi Ierichunti, verum peccatrici animæ instar murorum est, quæ Dei præcepto, legi naturæ, rationique toti mũdo communi resistit: ad vocem Sacerdotum, ad sonum verborum Sacramẽtalium, quæ instar tubarum Euangelicarum sunt, concidere, ac pœnitentiæ viam sternere? Quænam miracula, ecquę prodigia in Ægypto facta sunt ad vnicum Pharaonem conuertendum? Hem qui labores, quænam inspirationes, quænam admonitiones, quænam signa, quænam miracula requiruntur, vnus vt peccator ad bonam frugem redeat, vt relicto peccato in viam virtutis redeat.

Similitudo.

*Exod. 14.*

Israelitæ cum in Ægyptum famis tempore descendissent, existimantes ibi se quatuor aut quinque ad summum annis mansuros, donec ipsa fames transiisset: quadringentis annis in eadem hæserunt, & mortui sunt, ac posteri eorum nunquam nisi per prodigia & miracula egredi potuerunt. Et vero non aliud denotat, Auditores, quam peccatorem, cum in Ægyptum peccati descendit, nunquam redire aut reuerti in patriam posse, nisi Deus prodigia & miracula magno numero edat. *Gens prauа signum petit.* Sunt mihi credite, impii, sunt peccatores, qui miracula à Deo efflagitant, quoniam iis necessaria sunt, vt ad vitam & gratiam reuertantur. Verum his non est adeo firmiter inhærendum, aut noua signa expectanda: aliud quippe vobis non dabitur, nisi signum Ionæ Prophetæ: agite pœnitentiam, hoc namque verum Ionæ signum est, & omnium miraculorum miraculum maximum: quamobrem aliud non est quod exspectetis: Neque enim aliud Niniuitæ habuere, non aliud S. Maria Magdalena, non Dauid: non denique Petrus Apostolus: aliud quoque vos non habebitis. nam *signum non dabitur vobis nisi Ionæ Prophetæ.* O tempora! ô mores! Totus hodie terrarum orbis in miracula inclamat, miracula postulat, & absq; miraculis vix credere posse videtur. Et interea quot in mundo homines reperire est, Deus immortalis, qui vix semel cogitant esse Deum, *esse aliquos manes & subterranea regna*, quiq; nullum putent post hanc vitam locum supereſse, in quo animæ præmiũ accipiant, aut quidquam credant à morte nobis in altero esse mundo exspectãdum? Quod non à meipso, sed Dauide mihi præeunte assero, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Vere *in corde suo*: si enim ore & lingua hoc proferre ausus fuisset, omnes eũ creaturæ mendacii conuicissent, quæ te confitentes, te prædicantes, per vniuersi mundi climata exclamant. *Ipse fecit nos & nõ ipsi nos.* Taceant impii, taceant Athei: est Deus, nos eum agnoscimus, nos nostrum ei esse asscribimus, quidquid sumus aut habemus, ab ipso profectum est: nihil nostrum est. Quam multos pro dolor, videre est, qui miracula huiusmodi exigant, qui cum fidem ore confiteantur, in corde tamẽ eam negant, atq; ita contingit eos hasce blasphemias euomere.

*Psal. 13.*

*Psal. 94.*

Omnes creaturæ aduersum impios, Deum esse testantur.

Anne fieri potest, Deum aliquẽ esse, eumque ita rigidum & seuerum, vt in se delinquẽtes perpetuis apud inferos torqueat supplicijs? anne credendum est, in terræ medio ac centro, inferorum locum esse, perpetuis ignibus exæstuantem, in quo damnati & dæmones inauditis cruciatibus castigẽtur? *Magister*, ô doctor Sorbonice, *volumus à te signũ videre*, credere non possumus, ostende, miraculo rem declara, athee, fiat, audi Isaiam regi Achaz loquentem, *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum inferi, siue in excelsum supra*: id ipsum & ego tibi inclamem. Superne namque videas Angelos cælo depulsos, ac beata Dei visione priuatos, in maximã infelicitatem prolapsos. at quonam prolapsos? in infernalẽ abyssum, ac flammarũ locum. Magnũ id profecto signum est. Deiice oculos, & audies eiulatũ, lamenta, ac desperatione plenam vocem illam Epulonis, *Crucior in hac flamma.* Intuere Dathan, Core, & Abiron cum tabernaculis suis, terrã dehiscẽte, voragine absorberi: contemplare incendium, & deuastationem Pentapoleos, & dicito nobis, vbinam hæc omnia contingãt, quo in loco

Inferos esse.

*Isa. 7.*

*Luca 16.*

*Num. 16.*

*Gen. 19.*

in loco lugubris illa tragædia peragatur? ac signa quam plurima videbis.

III. Qui de diuina dubitant prouidentia

Est & aliud genus eorum qui diuinã prouidentiam in dubium vocant, itaq; vt hanc esse credat, miracula efflagitant: multi dicũt, *Qui ostendit nobis bona?* fierine potest, vt Deus qui in cœlestib. illis, & aereis fornicibus habitat, qui nutu suo atq; imperio tot regna & prouincias moderatur: Angelorum scilicet in cœlo, hominum in terra, auium in aere, piscium in aquis, animarum in purgatorio, dæmonum in locis inferis; Deus inquam, hominum curam suscipiat, & erga eos prouidẽtiam suam singularem declaret? adeo vt nihil circa ipsos fiat, quod non Deus sciat, & perfectum habeat. *Domine, volumus à te signũ videre.* O gens praua & adultera, impii, inquam, & athei: *Interroga patres tuos, & dicẽt tibi.* Repete priorũ temporum memoriam, sciscitare à maioribus, vetus testamentum perscrutare, ac plurima signa reperies: Corui Eliæ in deserto panem suppeditant: Angelus Prophetam è Iudæa in Babylonem capillis arreptum transfert, vt captiuo qui in lacum leonum coniectus erat, prandium deferat, Cœlum pistoris vice fungitur, ac quadraginta ipsis annis sexcenta hominum millia in deserto manna pascit. Exclamem igitur, ô prodigia immensa! ô prouidentiã Dei singularem! an non hinc satis colligi potest, singularem hominum curam Deum gerere.

*Psal. 4.* *Deut. 32.* *3. Reg. 17.* *Dan. 14.* *Exod. 16.*

*Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione, secundũ diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri.* Aliud signum non quærite, nisi signum Ionæ Prophetæ, nec maius miraculum è cœlo importune efflagitate. Vnum hoc sufficit, vt in aduersis solamen, in dubiis animum, in angustiis spem suggerat. Ionas duplici angustia conclusus, ventre scilicet ceti, & ceto in ipsis aquis, nunquam sperare destitit. *Et ego dixi, Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Daniel in medio leonum constitutus animum non contraxit, Ioseph in captiuitate positus non dimisit, Ionas in ventre ceti sustinet, & auxilium Domini exspectabat. In hoc signo vinces ô anima mea, hoc sufficiet, & plusquam sufficiet, vt inter fortunæ procellas constituta non desperes, at *spera in Deo & fac bonitatem.* Deum time, & in eum confide: *ipse enim deducit ad inferos & reducit*, per tristia & aduersa deducens, & per læta ac prospera reducens.

*Psal. 94.* *Ion. 2.* *Dan. 14.* *Gen. 39.* *Ion. 2.* *Psal. 36.* *1. Reg. 2.*

Reuocate hic in memoriam, quod circa Christum quondam gestum, afflictis solatio est. Ille namque cruci affixus, crudele supplicium pertulit, ac mortem durissimam sustinuit, verum magna cum gloria deinde post triduum à mortuis resurrexit. Ad eundem plane modum, ô homo, si crux tibi angustiarum toleranda est, si calamitatib. premeris, spera resurgere, & idem ipsum signum quod in Iona peractum fuit, in te peractum iri spera; noli dicere, q̃ dixit olim filia Sion, *Dereliquit me Dominus, Dominus oblitus est mei:* statim enim subiungeret Dominus: *Nũquid potest mulier obliuisci infantem suum? & si oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.* O animarũ nostrarum zelator Deus! fatemur & scimus, nunquã te nostri obliuisci posse, nimis enim profunde nos pectori tuo infixos & quodãmodo insculptos habes, idque clauis quibus in cruce confixus es.

*Matt. 27.* *Isa. 49.*

Deinde ipsi sunt hæretici, qui semper miracula efflagitant, & nunquam non signa quærunt. An non auditis, qui semper inclament, Vos Papistæ, vos Romani Iesum in Sacramento Eucharistiæ præsentem adesse dicitis; *non credam nisi videro.* neque enim vlla rei verisimilitudo est, volumus à te signum videre. Idipsum fecit & Herodes, qui à Domino tempore Passionis signũ aliquod videre cupidus erat. Fecerunt idipsum & Iudæi, qui eundem Dei filium cruci affigentes, clamarunt, *si filius Dei est, descendat de cruce, & credemus ei.* Verũ hi Domino nõ amplius cruci affixo, sed sub speciebus Sacramentalibus latitanti plenis buccis conuitiantur, & clamant, *Si filius Dei est*, dc. hoc est: Si corpus eius in Eucharistica adsit, efficiat vt videmus, & credemus & adorabimus. Eximie magister noster, doctor Sorbonice, *volumus à te signũ videre.* Tu porro minister Caluinista adsis, & sexcẽta tibi signa producã. In Exodo manna; eius Sacramẽti signũ videbis, & Agnũ Paschalem item alterũ, in Genesi vero sacrificium Melchisedech. an non vera tibi illa videntur esse

Hæretici miracula quoque postulant. *Luc. 23.* *Matt. 27.* *Exod. 16.* *Exod. 12.* *Gen. 14.*

esse signa? Vis videre miracula: aperi oculos, & caliginem ac velamen cæcitatis ab iis remoue, ac cũ Propheta regio dicito, *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Pertinaciam exue, fidem humilitatemq; amplexus, & videbis hic substantiam vnam in aliam conuerti, accidens sine subiecto subsistere, quantitatẽ sine loco esse, ac corpus plurimis locis existere, nullum tamẽ locum occupare, corpus inquam glorioſum non demonstrans gloriam, an non hæc vere miracula dicenda sunt? an non tibi hæc signa certissima esse videntur? nihil tu horum omniũ credis, at credit Dauid dicens, *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Quamobrem qui omnia miracula, quæ è cælo proficisci possunt, in vnum conglobata, ac veluti in compendium redacta videre desiderat, ad Sacramentum hoc accedat: Deus enim, cum corpus hic suũ nobis in cibum elargitus sit, omnia profecto miraculorum genera simul veluti in scenam produxisse videtur.

*Psal.118.*

*Psal.110.*

Obiicit hæreticus nullum amplius in Ecclesia miraculũ patrari.

Ne vlterius procedatis, ô Romani, inclamant etiam ministri, dicitis virtutem & potentiam miraculorum in vestra Ecclesia reperiri, atq; hanc de Babylone vestra opinionem diffunditis: Sed ipsum falsissimum est. nihil enim adeo ab ea alienum. iam enim à longo tempore fons ille miraculorum exaruit: cum fide vbiq; gentium diffusa, & stabilita, amplius iam necessaria non sunt. Erras insensate ministelle, erras, & quidem crasse, & ignoranter. Si enim Centuriatorũ vestrorum centurias, eorumq; annales legisses, vidisses proculdubio, vt vbiq; ad singulos annos, ad singula sæcula, miracula, vsq; ad vndecimum sæculum enucleate enumerent, ac nil nisi miracula concrepent. Si temporis ratio permitteret: equidem te per omnes veterum annalium memorias, perque historiarũ omnium campum exspatiaturus deducerẽ, simulq; tibi ad oculum ostenderem, miracula ad nostra vsque tempora, & in hodiernam vsque diem in Ecclesia vigere ac permanere.

Centuriatores miracula enumerarunt, quæ in vnoquoque sæculo cõtigerunt, idque vsq; ad sæculũ vndecimũ.

Nostin vero in quo miraculorum operatio consistat, aut quam ob causam Deus eadẽ fieri permittat? ipse tibi per transennam dicã, non tam ea ad confirmationẽ aut stabilimẽtũ fidei: quã ad gloriæ diuinæ manifestationem fieri: quin & aperte te docebo, etiam hodierna die & quotidie, in Ecclesia miracula patrari. At non tibi ipsa Ecclesiæ Sacramenta vera esse miracula videntur? An nõ vere miraculum videri queat, aquam quæ corpus in Baptismatis Sacramento lauat, animã simul à peccato abluere? an non miraculorum omnium maximũ sit, peccatorum ad gratiã reditus, & iustificatio, quã quotidie in Ecclesia fieri cõspicimus? Sane, vt vere doctor Angelicus. Scholasticorum facile princeps; Sorbonicorum columẽ, ac religioſorum decus, D. Thomas ait, *Iustificatio & remissio peccatorum est maximum opus Dei*, quotidie tamen eam in Ecclesia contingere videmus. Quin etiam ignis ille infernalis; qui in damnatorũ animas, & in dæmones agit, qui spiritus sunt huiusmodi actionum incapaces (cum purgatorium ipsum denegetis) an non cum miraculo illic agit & operatur? Quamobrem gens prava & adultera, nolite amplius signũ quærere, aliud non habebitis quã Ionæ Prophetæ; & nisi eodem quo Niniuitæ modo pœnitentiam egeritis, simili flagello castigabimini, ac simile periculum incurretis.

per eadem Dei gloria manifesta reddatur.

Quotidie adhuc in Ecclesia miracula fiunt.

*D. Thom. 1. 2. q. 113.*

IV.

Verum iam satis superq; vos è nobis signa postulastis Caluinistæ, iam nos è contra à vobis signa postulamus & miracula: *Magister volumus à te signa videre*, qui sitis, vnde missi, quãdo veneritis, & quid inter nos agatis? Ad eundem plane modum olim Tertullianus Valentinum & Apellem vtrunq; hæreticum interrogauit: *Qui estis vos, quando venistis & vnde venistis, quid facitis inter nos?* declarate nobis qui sitis, ostendite nobis miracula. Caluine volumus à te signum videre, cum nimirum te missum extra ordinẽ iactas: Alcoranus tuus recens est; nuper inuẽtus, bibliis nostris penitus repugnans: cum tua reformata Religio scateat paradoxis, plena sit prodigiosis doctrinis, cum omni antiquitate pugnãs, blasphemiis, sacrilegiis, cõtradictionibus, priuationibus, negationibus, reb. nullius momenti, & apinis tricisq; ac germanis gerris sit refertissima: interea tamen immediate à Deo te missum iactitas; profer igitur tua miracula, produc tuæ auctoritatis testimonia, pmas quib. tibi credere possimus lit-

*Lib. de præscrip. hæret.*

Ostendant hæretici miraculis, à quo missi sint.

teras, profer tabulas, *Volumus à te signum videre.*

Quemadmodum enim in omni bene instituta republ. læsæ maiestatis crimẽ habiti cõsueuit, si quis absq; plena Principis auctoritate milites cõscribere, & exercitũ in regno aliquo colligere conetur. Ita quoq; tu Caluine, (proh rem indignissimã!) tympana pulsare, & tubam inflare in omni Ecclesię domi nio ausus es: ac milites cauponarios, leuis armaturæ equites, Lurcones & helluones & homines insensatos conscribere, non exhibitis litteris quib. te missum ostenderes auctoritatem stabilires, nõ exhibito breui aliquo, aut decreto magni illius EcclesiæMonarchę. Vere igitur vos læsæ maiestatis reitum diuinæ tum humanæ: vos rebelles, vos turbulenti: vos deniq; seditiosi estis, ita vt vere Pontifex dixerit Innocẽtius: *Non sufficit, quod quisque dicat se esse missum à Deo, hoc enim omnes hæretici iactitant, sed oportet suam missionem probare per miracula.*

*Innoc. III. de hæret. c. Cum ex iniuncto.*

Hinc igitur discatis oportet, ô Catholici, & vos imprimis, qui seducti & errore excæcati estis: omnes hosce ministros pseudoprophetas esse, cum nunquã opere aliquo supra communem naturæ ordinem edito, vt ipsa miracula sunt: vnde missi & à quo commonstrare potuerint: & cum summus ille Deus nunquam legem aliquam promulgauerit, quam non simul & miraculis confirmarit: & cum nullum vnquam in mũdum ad nouam aliquam doctrinam docendam miserit: quẽ non pariter & miraculorum dono decoraue rit, vt ii ad quos missi erant, & quib. prædicaturi venerant, hinc crederent illos à Deo vere esse destinatos. Videó Eliam in legẽ Moysis cum Propheus Baal disputantem ad miraculorum patrationem descendere. Lex ipsa in monte Sinai dabatur cum sonitu tubarum & fulgurũ, *& ecce cœperunt audiri tonitrua, micare fulgura & nubes densissima operire montem, clangorq; buccinæ vehemẽtius perstrepebat.*

Omnes quotquot à Deo missi fuere ad nostram doctrinam docendã, semper donum miraculorum patrandorum habuere.

3. *Reg.* 18.

*Exod.* 18.

Quo quid aliud edocemur, quam legem & doctrinam à Deo missam, & mittendam, semper miraculis stabiliendam, vt iis quibus annuntiaretur, de eius veritate cõstaret. Moses à Deo electus & missus, vt in Ægypto populi rebus patrocinaretur, & Pharaoni, quo Heb æos captiuitate solueret, suggereret, virgam habuit miraculis insignẽ, quæ in testimonium esset eum vere & legitime à Deo missum Daniel Propheta ab eodem, & ad idem omnino negotium in regnum Babylonicum missus miraculorum donũ habuit, vt somnia explicaret, cogitationes internas aperiret, & intimos animi recessus declararet, leonum feritatẽ compesceret, instar agnorũ eos mansuetos redderet, vt senes impios & peruersos conuinceret, innoxias Susannas defenderet, Regum deniq; cogitationes interpretaretur. An non vere nobis illa miracula videntur? Ipse quoque Dei filius Iesus Christus, à Deo ipso sine vllo medio in hunc mundum missus, vt legem gratię hominibus promulgaret, miraculorum virtutem cunctipotentem secum attulit, *Opera quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* ipse quoque Satan tenebrarum princeps, scire desiderans num austerus ille ieiunator in deserto, vere Dei filius esset, petiit vt miraculum aliquod ederet: *si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Diceris quidem inquit oppugnator, Messias esse, ac nouus Hebræorum legislator: at ipse mihi persuadere vix possum, nisi miracula à te videam patrari, *dic ergo vt lapides isti panes fiant*: hinc ostende missionem tuam. An non meministis legationis illius quam Ioãnes Baptista ad Christum destinauit? in qua cum legati à Christo petiissent, *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?* Tune Messias es? tune Filius Dei es? tune ille legislator quẽ in lege promissum præstolamur? Christus aliud nõ respondit, quã quæ patrabat miracula, dicens: *Ite dicite Ioanni, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, & pauperes euangelizantur.* Ac si dicere voluisset: Ite: ne amplius dubitetis, miraculis enim me esse demonstro, cum cæcis visum, claudis gressum, leprosis sanitatem conferam, mortuos deniq; ad vitam reuocem. Atque hęc missionis meæ sunt insignia, ac literæ patentes.

*Exod.* 4.

*Dan.* 4.

Christus nouam doctrinam promulgaturus miraculorum donum habuit.

*Ioan.* 10. *Matth.* 4.

*Matt.* 11.

Hinc igitur manifestum euadit, eos qui à Deo sese ad nouum Euangelium prædicandum missos gloriantur, litteras extraordinariæ suæ missionis in promptu habere debere, donum scilicet miraculorum. Quamobrem

cum

cum vos Caluinistæ hac de re gloriemini,& huiusmodi vos esse iactitetis: exhibete nobis sigilla vestra, tabellas, paragraphos, ac signa litterarum vestrarum. Hoc ipsum quoque olim à Gnosticis testis ille antiquitatis requirebat Tertullianus, *Probent*, inquit, *se nouos Apostolos esse. Volo virtutẽ eorum proferri: agnosco vero maximam virtutem eorum, qua Apostolos in peruersum æmulantur. Illi enim de mortuis suscitabant, isti de viuis mortuos faciunt.* O diuinam & omni laude dignissimam sententiam! irridet ille hæreticos ac quodammodo nefaria Caluini miracula præsagit, quibus hominem, quem viuum ad vitam reuocare putabat, mortuum reddidit, vt multi auctoritate graues scriptores, ac cum primis Surius & Bolsecus commemorant.

*Lib. de præscript.* Irridet sui temporis hæreticos Tertullianus, quod miracula edere non possent.

Ipse quoq; Des. Erasmus, licet non vsque adeo boni in fide Catholica nominis, Lutheranos semper exagitabat, ac miracula ab iis efflagitabat: atq; hoc inter cætera: *Non credebatur Apostolis, nisi miraculis fidem astruxissent doctrinæ: nunc quilibet sibi postulat credi quod affirmat, se habere spiritum Euangelicum. Apostoli quoniam excutiebãt viperas, sanabant ægrotos, excitabãt mortuos, ita demum creditum est, & vix creditum est paradoxa docentibus. Nunc cum iuxta communem opinionem adsint pœne παραδοξότεροι nullus adhuc illorum exstitit, qui vel equum claudum sanare potuerit.* O verba omni præconio dignissima? & quam bene hæc scripsisti Erasme?

*Erasmus in diatriba sua de lib. arbitr.*

Lutherus porro auerno oriunda pestis, quæ totam Germaniam contagio suo infecit, impudenti sane & arroganti respõso hoc à se auertere conabatur: ita namq; in comment. in Psal. 44. *Eructauit*, scripsit, *Obiiciunt*, inquit, *Papistæ fidem me meam, & doctrinã miraculis non confirmasse. Quibus respondeo, hoc maximũ esse miraculũ, & maius miraculũ vnquã factũ, quod doctrina mea in tam breui tẽpore sine vllo miraculo se dilatauerit.* Notate quæso perfrictam hominis frontẽ & supercilium. *tãtum hoc* namq; *miraculi habet, quantũ lapides deorsum tendere.* aiebat magnus ille Angliæ Cãcellarius Thomas Mor. ipsa etenim morũ libertas, ipsa voluptatis concessio, & conniuentia in sceleribus, ipsa coquina ac taberna, homo scelestissime, tãtam tibi hominum multitudinem adiunxerunt, vt mirum non fuerit, doctrinam illam ad vulgi aures & palatum accommodatam, in tantum tantillo tempore inualescere ac propagari potuisse.

Lutheri arrogans respõsum.

Audite egregium, huicq; rei maxime quadrans Callistę meretricis apophthegma: quę cum Athenis, vbi corpus suum vulgabat, plurimorum adolescentum animos, qui Philosophię operam dabant, voluptatibus inescaret, atq; à scholis auerteret, quadã die Socrati iocans dicebat: Qui fieri dicã doctissime Socrates, vt doctrina & philosophia tua neminẽ amasiorum ad te queas adducere, quando tot ipsa ludo tuo adolescentes amoribus meis irretitos, abduco. Cui Socrates quam promptissime respondit: *Tu ad voluptatis declivia, ego ad virtutis arduа traho*: atq; ita nõ est mirum plures tibi adhærescere, teq; sequi. Orientis ille Antichristus Mahometus, dicere solebat, Christum quidem miraculis fidem suam cõfirmasse, armis vero & gladio se suã: at vos Luthere & Caluine merito vos vestrã libertate voluptateq; astruxisse, dicere poteritis. Porro, hæretici nolite amplius signum quærere, nolite miracula efflagitare: constat quippe vos pseudoprophetas esse, ingestos ac quodammodo intrusos lupos, ac ministros Satanæ. Missionem enim non ostenditis, auctoritatis datæ decretum vobis non est, patentes denique non exhibetis. Quamobrem Catholici hos veluti pestes & orbis perniciem remis velisque fugite, ac furias hasce infernales cauti pertimescite.

Callistæ meretricis dictũ Socrati.

Mahometus aiebat se doctrinam armis stabiliuisse.

Tu porro fidelium omnium caput, Ecclesiæ princeps, hæresum exstirpator, qui facis mirabilia magna solus, quiq; miracula in Ecclesia cum necesse, & visum fuerit, operari nõ cessas: hodierna, quæso, die ea in peccatorum gratiam declares, *gens praua* namq; *signũ quærit.* Operare quæso magnũ hoc miraculum, iustificationẽ sc. eorũ, peccatis eorũ ignosce, vincula quib⁹ captiui detinẽtur disrumpe, atq; è peccatis, in queis veluti sepulti & obruti iacent, educito. Genti a. huic adulteræ, hæreticis. sc. ac Nouatoribus aliud signũ dare noli, quã vt, ô Domine, qui *non vis mortẽ peccatoris*, ad te conuertantur: aperi igitur & reuela oculos eorum vt errore agnito ad te reuertantur, volũtates eorũ immuta, animos

*Ezech. 33.*

peruicaces emolli, ac misericordiam ad te reuersis exhibe.

Feciſti, ô Domine, tot in Ægypto prodigia, tot miracula ad vnius Pharaonis animũ emolliendum feciſti: idipſum quoq; in tot animarum obduratarum ſalutem præſta: reduc ad Eccleſiæ tuæ caulam oues errantes, ô paſtor benigniſſime: vt tam ipſi quam nos, ſub eodẽ Deo, ſub eodem Redemptore, eodem paſtore, & in vna eademque Eccleſia viuentes humiles tibi hac in vita gratias, & laudem in altera reddamus. Amen.

## FERIA V. POST DOMINICAM I. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. Quanta vis inſit orationi.*
*II. Quæ ſint partes orationis & orantis.*
*III. Quæ voces Chananææ, quæ Chriſti.*

*Domine fili Dauid miſerere mei, filia mea male à dæmonio vexatur.* Matth. 15.

### FIGVRA.

2. *Reg.* 14. CVm vidua illa Thecuitis vnicum qui ſibi reſtabat filium, quemq; illa ſingulari amore proſequebatur, ad mortem poſtulari, ſuppliciiſque iam iam à cognatis ſubiiciendum videret: gemens atque oculos lachrymis ſuffuſa Regi Dauid principi ſuo ad pedes ſupplex procidit, humiliq; obſecratione ne ſe ſemenq; ſuum deleri & familiæ nomen extingui ſineret, ac filio vitam hanc & communem ſpiritum concederet, poſtulauit. Idipſum mihi hodierna die videre hic videor Auditores. Ecce enim hic mulierem Chananæam in ſcenam prodeuntem; quæ cum filiam ſibi chariſſimam, quam illa, vti oculos diligebat, ab ęterna iuſtitia ad necem poſtulari videret, vt de ea tartarei illi Carnifices, id eſt, diaboli, ſupplicũ, miſere eam torquendo, ſumerent, Redemptori Ieſu Chriſto, Domino ſuo naturali ſupplex ad genua aduoluta eſt, & lachrymans ac ſuſpirans filiæ ſanitatem ſuique conſeruationem efflagitauit. Inſigne argumentum eſt, Auditores, latius id vobis deducendo explicabo, ſi Virgini prius ſalutationem impetrauerimus: dicamus igitur cuncti.

### AVE MARIA.

I. Influxus cæleſtes maxime admirantur Philoſophi.

Sublime illud ingenium Ariſtoteles, & omnis quotquot à duobus aut tribus annorũ millibus exſtitere, Philoſophorũ turba, nihil adeo in rerum natura, quam occultas illas qualitates in cælis latitantes, quas influxus vocamus, admirati ſunt. Magna quippe eorum vis & potẽtia: adeo vt omnia, quæ ſupra communem naturæ curſum in elementorum diſpoſitione cõtingunt, eiſdem velut cauſæ primariæ, ac ſingulari aſcribi queant & imputari. Si enim ab iis cauſam fluxus & refluxus in mari, & quid Euripum reciprocare faciat, quid metalla ſub terra ſita excoquat ac ſublimet: quid in oſſibus medulla exſiccet, ac redire cogat: cur magnes ferrum, ac ſuccinũ paleas & feſtucas ad ſe trahat, inquiras: nulla alia ratione data, ad influxus cæleſtes & operationes occultas ſtatim deſcendent.

Influxus orationis ſunt longe præſtãtiores influxibus cæleſtibus. *Cõment. in Eph. ſer. 1. Num. 14.*

Influxus porro occulti orationis lõge maiores & præſtantiores ſunt influxu illo cæleſti, eorum que effecta magis admiranda: vires eorum naturam ſuperant, ac longe ſupereminent. Senſit hoc vt præclare omnia, flumen illud aureum eloquentiæ Chryſoſtomus, in homiliis in epiſtol ad Epheſios: *Orationis*, inquit, *vis naturam ſuperat*, vires porro eius iam aperiam.

Fuit ipſa Moyſis & Aaron oratio, quę terram fecit dehiſcere, vt Core, Dathan, & Abiron deuoraret. Fuit oratio, quæ maris Rubri ſinum aperuit, ac ſexcenta hominum millia, præter vxores ac pueros ſicco pede traduxit. Fuit trium puerorum oratio, quæ rabiem camini cohibuit, calorem compreſſit, ardorem & flammã in fornace Babylonica exſtinxit. Fuit Ioſue magni illius Iſraelitarum ducis oratio, quæ ſolem ſtare fecit, & vlterius vetuit procedere: atq; Ezechiæ, vt eiuſdem è cõtra vmbra retrocederet. Quid plura? Eliæ oratio omnẽ cæleſtium influxuum curſum impediuit, atq; omnium Planetarum potentiam virtutemq; ad nihilũ redegit, adeo vt tribus ipſis annis & medio pluuia in ciuitatem Samariæ non deſcenderet. Oratio ignem cælo

*Num.* 16. *Exod.* 14. *Dan.* 3. *Ioſ.* 10. *Iſai.* 38. 3 *Reg.* 17.

fecit.

3 Reg. 18. 3. Reg. 16. 4. Reg. 4. Mirabiles orationis effectus.

fecit descendere, & hunc ita vehementem, vt etiam lapides & saxa consumeret. Oratio denique mortuos resuscitauit, farinam multiplicauit, oleum per Prophetarum manus fecit in immensum excrescere.

Exod. 34. 3 Reg. 19. Matt. 4.

Anne vnquam de huiusmodi influxibus loqui audiuistis ô Philosophi? Anne potest corpus, quadraginta dierum spatio, sine cibo, solo naturæ auxilio, integrum permanere? Præstitit id oratio, primo quidē in Moyse super montem Sinai: deinde in Elia, in solitudine Horeb: ac longo deinde post tempore, in desertis Palestinæ locis, in Seruatore nostro Christo Iesu. Anne natura efficere potest, vt corpus solidum, ferrum quoque & quidquid graue est, super aquas instar pluuiæ supernatet? Efficit oratio. Video namq; Petrum super mare veluti in terra ambulātem, & in aquis non secus ac in pauimento incedentem: *& descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam.* Video ad Helisæi iussa ferri frustum velut leue & plumeum in flumine natitare. Vere igitur, ô admirandam orationis vim! exclamem.

Matt. 14. 4 Reg. 6.

Piscis remora cū oratione collatus. Arist. l. 2. de hist. anim. cap. 14.

Tradunt naturalium rerum scriptores in mari piscem esse, Græcis quidem Echineida, Latinis vero Remoram dictum, cuius hanc esse vim aiunt, vt etiam in medio Oceano plenis expatiantes velis, ac ventis tumentes naues sistat: huic si orationē piscis similem dixero, haud multū mihi erraturus videbor: ipsa namq; est piscis in lachrymarū mari natitās: Ipsa est Remora, quæ maximas licet naues in mari mundi huius fluctuantes vnico momēto sistit ac moratur. Euagentur & discurrant maxime tentationum infernalium naues, prout lubitum fuerit, ventorum procellæ, quantum potuerint, insurgant: minimus ille piscis oratio, impietatis vndis euagatus, potis est illas sistere, atque tranquillitatem superinducere.

Plut. in cōuiuio sept. Sapien.

Aone meministis disceptationis illius & disputationis, in docto illo septem Sapientū conuiuio habitæ, inter Philosophos & Reges, vt quid in mundo fortissimum foret, hac ratione inquirerent & intelligerent. In quo cum Æthiopiæ Rex sententiā dixisset ipsam rerum dominam Fortunam omnibus fortitudine antecedere: eius opinione Thales cōfutata esse dixit Necessitatē, quippe quæ omnia & perfringeret ac domaret. O miseri ethnici! adhuc aliquis vestrū ad veritatem peruenit, vestra mihi venia in hāc liceat disputationē descēdere, sinite me meum quoq; symbolū cōferre, ac libere quid sentiā exponere: nullus adhuc vestrum veritatis scopum tetigit, quare ego pro meo symbolo dico, omnium rerum fortissimā esse orationem. Illa namq; dæmones fugat. *Hoc genus dæmoniorū non eiicitur nisi in oratione & ieiunio.* Illa siquidem de Angelis triumphat Iacob Patriarcha tota nocte cum Angelo luctatus, adeo eum defatigauit, & orando obsecrandoq; molestus existitit, vt cum benedictione ab illo dimissus sit. Hic Iacob ipsa est oratio, quæ cælo quodammodo importuna existēs, ac precibus veluti fatigās, impetrat quod postulat, victoriamq; insignem consequitur: *regnum* quidem *cælorū vim patitur, & violenti rapiūt illud*, ante omnia vero ipsæ preces & oratio.

Gen. 23.

Potens ille Monarcha Assuerus, centum ac viginti septē prouinciis imperitans, ab India nimirum vsq; Æthiopiam, in tantum venustate ac pulchritudine humilis Estheris captus fuit, vt eius sese meritis submittens, vltro ac sponte ei promiserit quidquid illa demū esset postulatura, *Etiamsi dimidiā partē regni petieris, dabitur tibi.* An non tu ô speciosa Esther, adeo regi grata existens, præstantiā & excellentiam orationis declaras? haud dubie oratio est venusta illa regina, tantis meritis gratiisq; decorata, vt summus ille ac cælestis Assuerus, verus totius mundi rex, amore eius fuerit irretitus, vt omnia postulata libentissime cōcedat, *Omnia quæcumq; orantes petitis, credite accipietis, & fiet vobis.* Quā igitur grata & cara oculis diuinę maiestatis existis? tu enim es delitiæ Altissimi, cœlo gratissima, te nihil in mundo aut fortius reperitur aut validius, tu Deum superas, idq; in manu fœminæ, & ipsius quidē peccatricis, imo vero Chananææ. Atq; hæc esto concionis nostræ & Euangelii hodierni materia. *Egressus Iesus secessit in partes Tyri, & Sidonis, & ecce Chananæa.* De Chananæa igitur hac, deque eius obsecratione verba faciamus, ac deinde de responso, quod à Domino accepit.

Esther. 3. Oratio collata cū regina Esther. Marc. 11.

Ac primo quidem, mulier hæc Chananæa

dicta fuit, quod de progenie Cham qui filiorum Noe vnus fuit, vt Lactantius Firmianus ait, orta esset, qui cum maledictus à patre fuisset, in eam mundi partem secessit, quæ hodie Arabia nominatur: & eam nomine suo Chanaan nũcupauit, è qua fœmina hæc progenita fuit, vnde Chananæa nuncupata est. Verum ô animæ piæ ac fideles, si ipsam orationis tabulam ad viuum colorib. suis depictam, ac pulchritudine, feruore, & reliquis suis insignib. ac proprietatibus adumbratã, numquã videre vobis contigit: hæc profecto mulier eam manu sua delineatam apertissime demõstrabit. Nihil sane vnquã huiusmodi vidisse memini. Ostẽdit illa hîc fidẽ, qualem vix quisquam credat, *O mulier magna est fides tua.* Patientia & perseuerantia incredibili sese munit, *Ecce clamat post nos*, aiunt Apostoli: humilitatem præfert admirabilẽ, cum se pauperem catellam vocat: *etiam Domine, nam catelli edunt de micis.* Atque hinc discamus oportet, orationem sine fide nullius penitus esse momenti, sine humilitate deficere, sine perseuerãtia nihil obtinere. Ita vt currus triumphalis orationis, tribus illis insignibus rotis feratur, quibus si quartam, nẽpe charitatẽ, adiunxeris, igneum illum Eliæ currum habueris: ille namque igneo curru in cælum translatus fuit, quemadmodũ sacra scriptura ceu rem admirabilẽ & miraculi plenam ob oculos ponit. at oratio rem lõge mirabiliorem efficit: quippe quę curr⁹ est, qui quatuor rotis fertur, igne charitatis exęstuãs, & animas, nõ p aerẽ, vt currus ille Eliã verũ ad tertiũ vsq; cœlum, vti D. Paulũ, transferens. & subleuãs.

*Lib. 2. c. 14.*

Oratio in curru quatuor rotis inuecto triũphat.

*4. Reg. 2.*

Oratio animas instar S. Pauli vsq; ad tertiũ cœlum rapit.

Chananæa igitur hęc mulier pręclaris hisce virtutib. decorata, *Egressus de finibus illis*, terram Chanaan, id est, maledictionis, relinquens, in Iudæam venit & Christum Dominum accessit. O felicem accessum, ô fortunatum aditum! Iesus ille mitissimus accedit, & humilis illa Chananæa obuiã processit. Quibus in rebus insignia mysteria latitare credendum est. Hinc etenim discatis oportet, peccatores, quantis spatiis Deus è cœlo cum gratiis & benedictionibus descendit, iisdem vos è terra Chanaan, id est, peccato, mũdum relinquẽdo egredi, & quando gratiam suam præuenientem offert, eidem cum gratia cooperante debere obuiam procedere, ita vt quemadmodum Deus à parte sua progreditur, ita vos à vestra similiter progrediamini. Quod insignibus vobis allegoris & similitudinibus declarabo.

Vt Deus gratiã nobis offert, ita quoq; ad eam recipiendam anima prępariãda est.

An non meministis eius, quod in Numerorum libro legitur? quomodo scilicet duo viri in desertum Sinai venerint, botrum è vitibus Chanaan humeris suis in vecte portantes. Qua re edoceris peccator botrum salutis tuæ, quamdiu in deserto mundi huius erras, & habitas, adeo grauem esse, ac tanti ponderis, vt à duobus ferri eum necesse sit à Deo scilicet, hinc tibi bona inspirante, & à te illinc gratiæ datæ cooperante.

Christus Dominus onustus ad montem Caluariæ progrediens, cruci portandæ solus sufficiens præ pœnarum dolorumq; acerbitate, non fuit, opus scil. erat vt Simon Cyrenæus ei succurreret, vnde factũ est, vt duo simul onus hoc portauerint. Quo quid aliud declaratum fuit, quam Deum solum saluti nostræ nõ intendere, verum nostrum quoq; esse manum operi admouere, ac crucem eum eodem ferre. Ipse quidem pro nobis satisfecit, & pro totius mundi salute in cruce mortem passus est: hæ eius partes fuere: verũ nos nobis eius satisfactionem, ac merita passionis & crucis applicemus, hæ erunt nostræ.

*Matt. 27.*

Sol⁹ Deus saluté nostram operari non vult, sine nobis simul cooperetur oportet.

Axioma hoc est Aristotelis, quod huic rei optime visum est quadrare, *homo hominem generat & Sol*, de iustificatione autẽ merito dicere poterimus, *Deus & homo saluãt hominẽ.* An non nouum hoc & insolitũ videtur ô docti? Testem huiusce rei habeo Aug. *Qui fecit te sine te, non potest saluare te sine te.* Deus in molari huius creationis sine vllo tuo labore aut molestia cõtriuit, verum nisi tu ipse cooperis saluare te non valet, esse tibi solus dedit: at salutem solus dare non potest Egregiũ porro & illud est, quod Scala Iacob vna extremitate tangebat cælum & altera terram, ipsique Angeli eidem innitebantur. Scala iustificationis extremitate vna quę Deum gratia sua præuenientem repræsentat, tangit cælũ, altera vero terrã, id est, hominẽ cooperantem, ac in ea animę discurrũt, atq; instar Angelorum saluãtur. An non hę præclaræ figuræ sunt, modo veram historiam declaremus.

*Aristot. 2. Physi.*

*Gen. 28.*

Et ecce

*Et ecce Chananæa egressa de finibus illis.* Eisdem quib. Iesus spatiis è Sidone & Tyro venerat Chananæa è Chanaan, & finibus eius egressa est. O rem notatu dignissimam. Mulier hæc, vt Euangelii verba sonant, non modo maledicta hac terra egreditur, verum etiã omnib. finibus eius. *Egressa est de finibus illis.* Neque enim satis est peccatum relinquere, verum ex omnibus quoque eius finibus nos egredi necesse est, cunctasq; peccati occasiones fugere. Non satis est, ô matronæ, peccata sacerdoti confiteri: nondum finibus eorũ egressæ estis. Video quippe adhuc cineres & puluerem in capitibus vestris, non quales in die cinerum pœnitentiæ loco vsurpastis. Video adhuc tinctas illas genas, ac purpurissatam faciem, video advos nudo pectore lasciuientes, video etiamnum fastigiata illa crinium paramenta, ac calamistratos capillorũ nodos. Verum omnib. hisce occasionibus egrediendum est, huc vos hodie Chananæa illa inuitat, atq; hanc in rem nouas adhuc figuras notate.

Non satis est peccatũ relinquere, verum fugiendæ sunt quoq; peccati occasiones.

Figuræ.

Præceperat olim filiis Israel sub Pharaonis imperio constitutis Deus, vt cũ tota familia, gregibus omni deniq; substantia Ægypto egrederentur. *Cuncti greges pergent vobiscum, non remanebit ex eis vngula.* Quadrat hoc in vos, ô peccatores, qui sub duro infernalis illius Pharaonis imperio & captiuitate detinemini. Egredi vos Ægypto vult Deus, peccata sc. ac nullam in eo occasionẽ relinquere, quæ fortassis iterum ad id vos inuitaret. Loth è Sodoma cum tota sua familia egressus est, nihilq; in ea reliquit, cuius amor eodem illum compelleret. Egredimini igitur vos Lothi, & egredimini peccatores è Sodoma, id est, flagitiis & peccatis vestris, timete fulmina, credite Angelis, cõfugite ad mõtes pœnitentiæ. verum cum tota familia, auferte omnes prorsus occasiones, quę vos, eo dẽ vt rediretis, forsitan inuitarẽt, & cogerẽt.

*Exod.* 10.

*Gen.* 19.

*Exod.* 32.

Non satis fuit Mosi idolum & vitulũ conflatilem cõminuisse: verum eum totũ in cineres redegit, *arripiensq; vitulum quem fecerant, combussit & contriuit vsq; ad puluerem, quẽ sparsit in aquam ac dedit ex eo potum filiis Israel.* Signum hoc est, Auditores nõ sufficere idolum peccati disicere ac comminuere: verum penitus id ex animo euellendum, & cineres eius deuorandos, id est occasiones, quib. iterum ad eõmittẽdum incitaremur: cineres quoq; illius degerendos, vt nulla eorum amplius restet memoria. Saul Rex Israel à Deo mandatum acceperat, vt Amalec exstirparet, omnemq; exercitum eius deleret, quin & ipsa quoq; animalia occideret. *Persequere Amalec & demolire vniuersa eius.* Sub obscuris illis inuolucris latitant eximiæ res. Amalec sc. id est, peccatum esse persequendum & simul omnia quæ ei adhærent, etiam minimas occasiunculas euertendas.

*1. Reg. 15.*

En vobis aliam adhuc allegoriam è Leuitico: quando scil. victima aliqua in sacrificium pro peccato offerenda erat, mandauerat Deus vt omnia extra castra crematentur, donec in fauillam redacta essent. lex autem hæc est: *Cremabitur in altari tota nocte: tolletque sacerdos cineres, quos vorans ignis exussit, & ponens iuxta altare auferet eos extra castra, & vsq; ad fauillam consumi faciet.* An nõ hoc ad nostram doctrinam mandauit Deus, vt quando sc. sacrificiũ peccati nostri facimus, atq; id immolamus, extra mundũ faciamus, vt omnia igne charitatis & contritionis flãma comburantur, nihil vt remaneat reliquũ, nec subiectum, vel occasio, aut minima tentatio in cineres id etiam redigendũ est, nulla vt eius amplius memoria supersit. Anne igitur nobis allegorias deesse putatis? vnam adhuc addam è Genesi productam: Pia illa matrona Sara, Abrahamo marito suo dicebat, *Eijce ancillam & filium eius.* neq; enim illi satis erat Ismaelem expelli, simul quoq; & matrem eiectam volebat. O Sara anima inquam pia, non sufficit te Ismaelem illum peccati à te eiicere, ipsã quoq; eiusdem mater, id est, occasio, eadem opera eiicienda est.

*Gen.* 12.

III. Chananæę oratio ad Christum.

Egrediamur igitur, egrediamur è peccatis hisce nostris, ex hisce occasionib. sequamur Chananæã, iam. n. in campis est & in itinere cõstituta: ecce eam hic ante Iesum audiamus illam loquentẽ *Domine miserere mei, filia mea male à dæmonio vexatur.* Domine si vmquam matrem in angustiis positã, aut mulierẽ afflictã videris, ecce eã hic ante pedes prostratam. Vnica mihi est filia, in qua tota mea spes posita est, vnica mea felicitas ac deliciæ, quę-

que

que miseram solari senectam poterit, & eam pro dolor dæmones mirum in modum torquent, ac vehementer atq; inhumaniter discrutiant. Scio quoq; te Domine dæmonibus imperare, eos expellere, & eiicere quotiescunque lubuerit: misererei gitur mei & filiæ meæ. Quis hoc te docuit ô mulier? quis hac obsecro tibi ratione misericordiã petere suasit? quis te illud *Miserere mei*, quod Dauid rex vsurpare solitus erat, edocuit? Non est profecto dubium, quin aliquis tibi antea dixerit, duob. hisce verbis, Dauid regẽ duorum grauium criminum, adulterii scil. & homicidii, veniam à Deo Opt. Max. esse consecutum.

Morales sensus super hac Chananæa

Quid vero nobis ô mulier noua hac facie & vmbris allegoricis, hac tua fide, obsecratione, humilitate, hac tua deniq; importuna perseuerantia, designas, nisi statum animæ peccatricis? quæ quam primum vt à Deo inspirata gratiam eius præuenientem adepta est: è finibus peccati atq; omnib. peccati occasionib. se debet proripere, & instar Mosis, Pharaonis palatium, id est, peccati, cõfestim deserere, & in deserto pœnitentiæ, in quo Christus reperitur delitescere: atq; ita coram illo, aut eius vicario qui sacerdos est, in genua procidendo, magna contritione, magna fiducia, ac profunda humilitate clamare, *Domine miserere mei filia mea*, sc. anima *male à dæmonio vexatur*, miserum in modũ torquetur à dæmone superbiæ, luxuriæ. Quamobrem *miserere mei*.

Insignis cõceptus Chananææ Magdalenæ, & Hæmorrhoissæ significant tres virtutes Theologicas. *Mar. 9. Iob 12. Mar 14. Luc. 7.*

Alium præterea conceptum prioribus nõ inferiorem in medium adducam, quem è fronte & oculis Chananææ huius elicui. Sacra Euangelii historia tres præclaras nobis mulieres velut in theatrum producit, omnes pœnitentia insignes, atq; omnes à Iesu Christo exauditas. Primam quidẽ Hæmorrhoissam, alteram Magdalenam, postremã Chananæam hanc, cuius hodiernum Euangelium meminit. An non tres hæ mulieres, sub larua quodammodo latitãtes, tres virtutes Theologicæ esse videbuntur? An non enim Hæmorrhoissa illa, cui satis erat vel fimbriam vestimenti Christi contingere, fides sit, cui solis oculis species sacramentales quæ instar fimbriarum ipsius Eucharistiæ sunt, contingere sufficit? Chananæa vero nostra patiens & perseuerans, an non spes est? Quin autem Maria Magdalena ipsa sit charitas, nemo est, qui ambigit, cum nimirum illa sit, quæ dilexit multum & quę amoris & charitatis flammis succensa æstuauit.

Multo autem melius tres illæ pœnitentes fœminæ tres pœnitentiæ partes, & membra significare videntur: vt scilicet Hæmorrhoissa, quæ tanto dolore intus afficiebatur & amaritudine, quæque non nisi intra se loquebatur, Contritionem certissime designet, quæ se, dolore peccati in animo concepto, mirum in modum affligit, peccatum ipsum summopere detestans: Contritio enim est dolor internus de peccato. Nostra vero Chananæa, quæ hic eiulat, lamentatur, & amaritudinem animi exterius declarat, vere confessio dici poterit, quæ suspiriis, lachrymis & summa displicẽtia peccata confitetur. Magdalena autem, quæ plorat, aromata secum portat, crines euellit, quæq; oculos lacrymãdo fatigat, an non satisfactionis typum gerere videntur? Ignoscesne porro nobis ô Chananæa, cum tot tamq; diuersas noua hac tua & insolita facie mulieres designamus: tu quoque Domine, vt ad alterum membrum veniamus, humili orationi annue, ac miseræ huius ac dolentis matris miserere. *Luc. 7.*

Chananæa Apostolos obsecrat.

O rem insolitam! ô tristem & acerbum casum! Dominus mulieri huic non loquitur, aut ne minimum responsionis dat signũ, *non respondit illi verbum*. Non ideo tamẽ illa animum despondet, quærit & parat amicos qui eius causam agant, eiusq; patrocinium suscipiant. Accedit Apostolos, obsecrat, vt pro se orent, ac partes suas agant: qui eius casu ad misericordiam commoti, lacrymis eius inflexi ac precibus victi, Domino Iesu Christo causam eius commendant dicentes, *Dimitte eam quia clamat post nos*. Anne miseræ huius mulieris postulãtis intuere lachrymas, miserere, dolorum acerbitatumq; eius, clamores eius exaudi: aures enim nobis clamando obtundit, & fatigat, eius igitur miserere. Si vero mihi tempus esset, ô Hæretici, vos ego hic penitus, si de inuocatione Sanctorum loqui inciperem, confutarem ac prosternerem: at hoc solum in animo condite, quomodo hic Chananæa Apostolos accedat, qui Christo eius causa supplicent. Domi-

Dominus itaq; Apostolorum intercessione victus tandem respondit: verum non vsque adeo in causæ patrocinium, sed satis aspere: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel*, non vero ad Chananæas: neque enim par est, externos domesticis, & familiaribus, barbaros Iudæis, & Gentiles fidelibus anteponere. Chananæa tamen, licet adeo graui responso accepto, animum non despondet, aut ab obsecrãdo desistit: verum preces precibus superaddens ac importunius quam prius rogitans, ait, *Domine adiuua me*, quidquid lubuerit dicito, Iudææ tuæ quantum volueris patrocinare: me tamen adiuues necesse est, ac miseræ Chananææ miserearis.

Chananęę oratio.

*Adiuua me.* Non prius te deferam quam me adiuues: pedibus tuis aduoluta emoriar, nisi filiam sanaueris. Ah Domine, quid dicerent magnæ illę vrbes Tyrus & Sidon, quid dicerent Babylonii, & Philisthæi, quid omnes externæ nationes dicerent: si is quem omnes vbiq; Seruatorem mundi, & credunt & prędicãt, quiq; se ad peccatores saluandos in hũc mundũ venisse gloriatur, fœminæ vnius miseræ & afflictæ, fœminę inquam peccatricis, preces à se reiiceret? Quid deniq; de me dicerent in terra Chanaan, quid in vniuerso orbe, si te, qui Hæmorrhoissam curasti, qui Mariam Magdalenam ad gratiam reduxisti, ac Samaritanæ postulata concessisti, vnam Chananæam reiicere, & exaudire nolle contingat: At *Dominus* iterum hisce auditis non minus rigide, quam antea respondit: *Non est bonum sumere panem filiorum & dare canibus:* quare longioribus me nolis fatigare precibus: nihil namq; à me impetrabis. Quid enim dicerent Israelitæ, si panem gratiæ, iis merito debitum Iudææ auferrem, vt Chananęis, qui bestiarũ loco habendi sunt, ac canum more, Deo vero neglecto, & idolis seruientes, viuunt, eundem porrigã? Quamobrem recede nec me importunis tuis precibus ac molestis postulationibus amplius diuexa.

Perseuerantia orãti necessaria.

*Etiam Domine.* Eia age, Chananæa, vrge, insta, Messiam sollicita, eumque obsecrare ne desistas: obtinebis tandem, quod postulas: nam *regnum cælorum vim patitur*, non vim armorum modo aut laborum, verum etiam precum. Hinc porro discant, qui sæpius Dominum pro aliqua re impetranda obsecrant, vt in oratione perseuerent: cum externa illa iam tertio repulsam passa, nec tum demum desistens: tandem exaudita fuit.

Verum disquiramus, Auditores, quibus potissimum de causis, Deus, qui nullum orãtem à se reiicit, toties hanc mulierem repulerit. Primum quidem, vt matrem puniret, cuius culpa factum erat, vt filia à dæmonio torqueretur: quod à matribus notatum oportuit. Deinde vero, quod Chananæa esset, hoc est, è maledicta illa Cham progenie orta: quo ostenderet, non se hæreticorum aut infidelium preces exaudire quam magnam animi contritionem & amaritudinem ostenderint, & è terra Chanaan egressi fuerint: paucis nisi hęresim abiurauerint, ac repudiarint. Tertia vero eaque potissima causa est, vt hinc disceremus, preces in statu peccati factas nullius prorsus momenti esse. Ita namque id docuit cæcus ille in Euangelio: *Peccatores*, inquit, *non exaudit Deus.* Qui locus sane difficilis ac salebrosus est, cuius sexcentas interpretationes & explanationes video. Cæco enim huic Iudęi obiiciebant, quod Iesus à quo visum miraculo recepisset, peccator esset. quibus ille hoc minime fieri posse ait, eum Deus eum exaudierit, qui tamẽ peccatores exaudire non consueuit. Quare Chananæa toties repulsam passa sit. *Ioan. 9.*

Quid ais cæce, vere hic cæcutis: nõ videre mihi sublimem hic agere Theologũ. An non enim Publicanus qui & ipse peccator erat, à Deo exauditus fuit? An non Ezechias rex, licet etiam grauiter diuinam maiestatem offendisset, petita à Deo impetrauit. Quid igitur ais? peccatores ad desperationem cogis. S. Augustinus hunc locum explanans ait, cæcum hoc in loco, vt tironem in fide ex proprio magis iudicio quam veritatis arbitrio esse locutum. Cyrillus vero dicit Deum quidem peccatores non exaudire, prout peccatores sunt; alij peccatores induratos & pertinaces à Deo non admitti; quidam etiam melius, non exaudiri illos quantum ad gloriæ meritum & satisfactionem spectat: equidem, vt ex hisce salebris semel egrediar, crediderim, Deum peccatores non tam facile quam iustos, nisi prius aliquam difficultatem senserint, & importunitatem magnamque perse- *Luc. 2.* *4. Reg. 10.*

uerantiam declarauerint, exaudire. Quod viuo hic exemplo in Euangelio discimus. Videas hic namq; peccatricem, magno labore post tertiam repulsam exauditam, suaque perseuerantia & nimia importunitate quod petebat, obtinentem.

Exaudit, exaudit sine dubio tandem peccatores Deus, si modo supplex & humilis sis, in postulando perseueres, ac cõfidenter dicas: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis*: quod Theophylactus, qui late excurrẽs hic luxuriatur, ita explicat: quamuis canis sim & indigna. Verissimum est Domine, catellam me esse fateor, fœminam miseram, desertam & afflictam: at nõ panem filiorum te rogo: neq; enim adeo impudens, effrons aut adeo male sum edocta. Scio, Iudæos esse filios tibi charissimos, atq; eorum te potissimum causa in mundum venisse: non quæro signa & prodigia, qualia olim in Ægypto operatus es, aut in mari Rubro, aut in deserto. Non postulo pluuiam illam cœlestem mannæ, non aquas è petra promanantes, sunt illa namq; panis Israelitarum: verum exiguam quandam micam ex omnipotente tua mensa decidentẽ, sanitatem, s. filiæ meæ quæ à dæmonio cruciatur, supplex obtestor. hæc enim nonnisi mica quædam est, si cum magnis illis miraculis, quæ ipse olim edidisti comparetur. O fidem admirabilem, ô humilitatem imitandam, ô perseuerantiam omnib. sæculis deprædicandam! *O mulier magna est fides tua*: Iam te amplius reiicere non possum, tua me euicit patientia & pertinacia: quodcunq; postulaueris, libens concedo: *fiat tibi sicut vis*. Postulata tua concessa sunt, preces exauditæ, filia sanitati restituta.

*Theoph. in c. 13. Matt.*

O dulcissime Iesu vnice Seruator orbis, misericordiæ ac bonitatis fons exuberantissime, qui perseuerantiam amas, qui precib. importunè quodã modo sollicitari vis: Deus qui initio quidẽ austerus & rigidus, ac peccatores longe à te repellere videris: verum tandẽ in gratiam recipis, ac benigne exaudis. Ecce tibi hic aliam quãdam Chananæã, animam nempe meam, afflictam, & deiectã, quæ tuis sese pedib. prouoluens misericordiã implorat, *Miserere mei, filia mea male à dæmonio vexatur*. Benignissime Deus mihi succurre filia mea, anima nimirum mea torquetur, diuexatur non à dæmonio, sed à dæmoniis sexcentis, innumeris scil. peccatis, auaritia, gula, & luxuria. Heu quam terribiles dæmones! quam grauia peccata! quantaq; in animam crudelitate desæuiunt. Adsis igitur creator eiusdem, Deus ac Redemptor, sana eam: quam gratiam si à te impetrauerit Domine, erit cur misericordiam in hoc mundo, ac gloriam in altero deprædicet ac mireturr. Amen.

## FERIA VI. POST DOMINI QVADRAGESIMÆ.

### Partitio.

*I. Paranesis de misericordia Dei.*
*II. De Probatica piscina.*
*III. De porticibus quinque pauca.*
*IV. De ipso paralytico.*

*Est autem Ierosolymis Probatica piscina.* Ioan. 5.

### FIGVRA.

RE s plane admirabilis communem naturæ ordinem excedens fuit, Naamanẽ illum Syrum lepra infectũ, Iordani sese immergentem, mundatum & adeo integrum exire, nihil vt caro eius à carne pueri paruuli discreparet. At multo maius miraculũ est, hodierna die paralyticum, qui sese loco mouere nõ poterat, imo triginta iam annorum spatio ea iam ægritudine laborauerat, piscinam Probaticam ingressum, mox sanum & integrum, omnibusq; membris confirmatis exeuntem intueri. Illud quidem Elizæus Propheta in media Iudæa, hoc vero Iesus Christus Prophetarum Princeps in medio Ierusalem operatus est. Vt porro vobis omnia quæ ad luculentum hoc miraculum spectare videntur: digne & pro rei pondere explicemus: Spiritus sancti opem, vt ille intellectum illuminet, virginem Mariam ad hoc potissimum, velut patronam & aduocatam adhibendo, recitantes AVE MARIA, inuocemus. 4 Reg. 5

Magnus ille Prophetarũ Rex ac Regum Propheta Dauid, appositè sane ac multis de causis misericordia Domini, veluti amplissimam I. Psal 88.

sinam laudum eius materiam, ac cithara sua dignum carmen, ad celebrandum delegit. *Misericordias Domini in æternum cantabo.* Inter omnes namq; diuinæ maiestatis proprietates & attributa, ipsa primas fert misericordia. quippe quæ totũ terrarũ orbem impleat: *Misericordia Domini plena est terra.* Quid ais Dauid? Solam terram misericordiæ limitem constituis? latius, mihi crede, sese extendit. Vna namq; extremitate ad inferos vsq; pertingit, altera vero cœlum ferit. Et profecto ita se res habet: dicãt damnati apud inferos quodcumque lubuerit, misericordiam tamen Domini agnoscant necesse est. Peccata enim eorum citra condignum puniuntur, neque tantis suppliciis castigantur, quantis ipsa reuera castigari commeruerant. & ipsæ sanctorum animæ, felices illæ ac ter beatæ animæ, supra meritum, laborum & ærumnarum suarum præmia recipiunt.

*Psal.32.*

Misericordia replet terrã & cœlum, & vsq; ad inferos pertingit.

At nos mortales, qui hac in valle lachrymarum peregrinamur, plus tibi ô sancta, diuina, & æterna Misericordia, quam diuinæ omnipotentiæ debemus ab ea enim esse nostrum per creationem habemus, at tibi quod conseruati sumus, adscribere necesse est: quod mille in se creationis genera complectitur, ac toties renouatur, quot momenta vita hæc nostra habet. Conseruatio enim est continuata productio. Itaque, Auditores, ipsa nos misericordia conseruat: ipsa est quæ nos redemit, ipsa eadem, quæ nos iustificat, ipsa deniq; misericordia est, quæ infinitam illam Dei maiestatem è cœlo coegit descendere, vt nobis medicus existeret, ac debilitates & paralysim nostram persanaret. Pergito igitur Propheta, misericordias Domini deprædicare, ac numquam desiste: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine:* ante omnia vero misericordiam, quę te in terram attraxit, ac nostratem esse coegit.

Plus debent homines diuinæ misericordię, quam omnipotentiæ.

*Psal.109. Tob.4. & seq.*

Magnum sane & clarum diuini erga Tobiam fauoris fuit indicium, cum ad eum vnũ è septem illis Angelis, qui semper ante diuinæ illius maiestatis oculos consistunt destinauit: qui eum à morbo liberaret, lumen ei oculorum redderet, dæmonem effugaret, filioque eius de cõiuge prouideret. Quod ipse quidem Tobias tanti æstimauit, vt dimidiã bonorum partem in beneficiorum remunerationem ipsi obtulerit: at vbi cognouit, vnũ esse de septem illis spiritibus, qui semper in conspectu diuinæ maiestatis apparent, pauore & timore consternatus vna cum filio, *cecidit super terram in faciem suam.* At multo maior amor est, & longe excellentius misericordiæ genus, non amplius Angelum, at Dei verbum, imo vero Dei filium, à Patre hunc in mundum destinatum contemplari, vt morbos nostros curaret, dæmones expelleret, nosque ipsos æternæ iustitiæ, per connubium illud, quod in incarnatione eius initum est, reconciliaret.

Mirus Dei erga Tobiã amor.

*Tob.12.*

Amor & misericordia qua Deus erga regem Ezechiam vsus est, pene incredibilis videri queat, cũ scilicet ei in lecto decumbenti, desperata iã valetudine, & iamiam è corpore migraturo, Isaiam Prophetã mittit, qui illum ab ægritudine liberaret, vitæq; quindecim annos adiungeret, in cuius rei signum *reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.* Verum amor & misericordia quam idẽ Deus in hominum genus declarauit, longe præstantior est ac multo maior: Neque enim ad vos Prophetã destinauit, at vnam de gloriosissimæ Trinitatis personis. Nam cum æger ille Ezechias, genus, inquam, humanum, vsq; ad mortem decumberet, omni spe destitutum, à suis derelictum, damnationeque æterna iamiam castigandum, Deus ipse cœlo descendit, sanitatem eidem affert, vitam producit, eidemq; non quindecim annorum spatium, sed æternitatis infinitæ adiungit: hoc exprimi verbis nequit, & infinitæ misericordię est. Tum scilicet Auditores, tum, inquam, in clarũ recuperatæ valetudinis signũ, summus ille mũdi sol, Verbum illud diuinũ, decem gradib. retrocessit, nouem Angelorũ ordinib. sese submittẽs, & humana sese carne induens. Longius verò adhuc retrocessit, cũ vsq; ad crucem & mortem, ac deniq; ad terrę centrũ descendit. Atq; vt huiusce rei signũ, argumentũ, & euidens summæ illius misericordię testimoniũ perspiciatis: Euangelium hodiernũ accedite, in quo eum hodie ad piscinam, inter tot debiles & ægros constitutũ, in medio ciuitatis Ierosolymitanæ, paralyticum

Dei amor erga regẽ Ezechiã.

*4 Reg.20. Isai.38.*

Mirus Dei amor erga homines.

lyticum sanitati restituentem videbitis. *Est autem Ieroſolymis Probatica piſcina, &c.* Prius de piſcina vnum atque alterum verbum loquamur, ac deinde de paralytico verba faciemus.

II. Piſcinæ Probaticę deſcriptio.

Quod ad primum ſpectat, erat in magnæ illius Ieroſolymitanæ ciuitatis medio ſtagnum, quod in Euangelio piſcina appellatur, in quod oues quæ Deo in ſacrificium offerendæ erant, immergebantur: atque ideo Græce Προβατικὴ nuncupata, quaſi piſcina ouium. Ambiebant hanc quinque porticus & atria, in quibus omnia languidorum genera, cæci, claudi, paralytici, & phthiſici, aquæ motum præſtolantes iacebant, Angelus quippe Dei è cœlo ſtatis quibuſdam horis, aquam turbaturus deſcendebat, poſt quem motum qui primus in piſcinam deſcendiſſet, ab omni infirmitate morboq; liberabatur.

O ſacra & vere prodigioſa piſcina, quid nobis denotas? Eris forſitan figura Sacramenti Baptiſmi, in cuius vndas animæ paralyticæ, peccato originis nimirum infectæ, ſi coniiciantur, confeſtim ab omni morbo liberæ, ab omnibus inquinamentis emundatæ & ab omnibus pœnis ſolutæ ſunt.

Piſcina figura eſt pœnitentiæ.

Bene quidem: at multo mihi melius per vndas haſce & motum Piſcinæ ipſum Pœnitentiæ Sacramentum allegorice deſignari videtur: quod nimirum piſcina eſt, quæ non ab Angelo, verum ab ipſo Chriſto Ieſu, qui

*Malach.3.* Angelus Teſtamenti à Prophetis appellatus eſt, mouetur: in quam ſi paralyticus peccator ſe coniiciat, ab omnibus quamprimum vitiis flagitiisq; emundatur. Quod Propheta Dauid innuit, dum ait: *Lauabo me, & ſuper niuem dealbabor*; ac ſi diceret: Totus paralyſi diſcrucior, lepra corpus vndiq; meum ſcatet; at permitte me vel ſemel piſcinæ pœnitentiali corpus & peccata immergere, inſtar niuis albicans egrediar.

*Pſal.50.*

O ſacrum & vere diuinum ſtagnum, ô ſalutares vndas pœnitentiæ, & vere admirabiles! eſtis ſcilicet illæ aquæ, ſuper quas Spiritus ſanctus in ipſo mundi primordio ferebatur, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Eſtis diluuium hoc gratiarũ, cui Arca Noë, id eſt, Eccleſia, innatat, ac mundi reliquias morti eripit. Vos eſtis ſacræ illæ & benigniſſimæ aquæ è latere ac membris Ieſu Chriſti profluentes. Vos eſtis aquæ illæ Rubri maris, quæ Iſraëlitas ſoſpites & ſicco pede traducitis, & Ægyptios cum omnibus copiis inuoluitis. Vos denique illæ eſtis aquæ, de quibus Pſalmiſta loquitur: *Conquaſſaſtu capita draconum in aquis*; peccata ſcilicet horrenda & enormia.

*Gen.2.* *Gen.8.* *Iob.19.*

*Exod.14.*

*Pſal.73.*

O millies admirandam piſcinam! tu ſcilicet es Euripus ille, ſinus maris inter Bœotiã & Eubœam, qui, Mela referente, ſepties de die reciproco fluxu aſcendit & deſcendit: tu nempe ſepties fluis & refluis! fluis per ſeptẽ Spiritus ſancti dona, quæ tecum trahis, ac per ſeptem capitalia peccata, quæ à te fugas, defluis. Auctorem huiuſce rei ac teſtem habeo Dauidem vatem, vix enim ille Euripum hunc pœnitentiæ intrauerat, quin ſtatim ſeptem fluxibus fluere incipiat: *Septies in die laudem dixi tibi.*

Pœnitentia inſtar Euripi eſt.

*Pſal.118.*

Atque ita ſe reuera res habet: poſtquam enim omnium fontium, riuorum, fluuiorum, amnium ac marium vires, prodigia & miracula indagauero; omnia in vna hac potentię piſcina video comprehenſa, ipſa enim eminenter & formaliter in ſe continet, quidquid reliquæ aquæ ſingulare habent, atque omnes aliarum vndarum vires, & prodigia in ſe vna comprehendit.

*Auguſt. de ciuit. lib.21. cap.5.*

Refert Auguſtinus in Aloania, olim Epirus dicta, fontem eſſe, qui ſingulari quadam & occulta vi faces immerſas & extinctas accendat, & è contrario exſtinguat accenſas. Idipſum in piſcina noſtra pœnitentiæ reperitur, in ea namque faces peccatorum exſtinguuntur, & virtutum accenduntur. Præterea an non hæ ſunt aquæ, quæ operibus mortuis vitam reddunt, virtutes reuocant, & animas à morte exſuſcitant? Plinius in eandem rem ait in Sclauonia fontem reperiri, qui pannum & lini fruſta, & quidquid in eum coniicitur, comburat. Piſcina quoque pœnitentiæ fons eſt charitate ardens, qui feſtucas ac fruſtilla concupiſcentiæ & prauorum affectuum comburat; & quidquid illi iniectum eſt, conſumat & in cineres redigat. Vnde Cyprianus: *Pœnitentia reſpuit auaritiam, horret luxuriam, fugat furorem, formar amorem, calcat ſuperbiam, continet*

Fons faces exſtinctas accendit & accenſas extinguens.

*Lib.2.ep.3.*

*Cypria. ſer. de pœnit.*

*tinet linguam, componit mores, odit malitiam, excludit inuidiam,* deniq; omnia in flammam & cineres redigit.

Amnis Lynceſtius in Macedonia acriculus eſt,

Plin. lib. 3. cap. 103. *Quem quicunque parum moderato gutture traxit,*
*Haud aliter titubat, quam ſi mera vina bibiſſet.*

Eiuſdem ſaporis ſunt aquæ illæ piſcinæ pœnitentialis, atque eiuſdem plane naturæ, acredinem quidem nonnullam habent, animas tamen amore Dei inebriant. Audiamus

Moral. lib. 4. cap. 22. quid hic D. Gregorius dicat: *Blandimenta ergo culpa non ſecura quies foueat, ſed ſaluens amaritudo pœnitentiæ irrumpat.* Idipſum &

Libr. de pœn. D. Auguſtinus: *Pœnitens*, inquit, *ſemper doleat, ſemper coram Domino ante quem peccauit, erubeſcat, & dolorem cum vita finiat.*

Fons memoriam fouens, & alter memoriæ noxius. Quin etiam in Bœotia haud procul à fluuio Orchomeno duos fontes reperiri aiunt, eodem tempore & tenore fluentes, at non eiuſdem naturæ, vnus quippe eorum memoriæ prodeſt, & eam conſeruat, alter vero obeſt, & eam deſtruit. Non eſt autem neceſſe, ô curioſi rerum indagatores, huius rei videndæ & experiundæ ergo longinquas regiones percurrere, idipſum enim in aquis pœnitentiæ fieri conſpicimus: excitat enim illa præteritorum criminum memoriam, quò illa cognoſcamus, cognita oderimus, exoſa fugiamus, ac eadem fugiendo bonis & ſanctis operibus nos demus. Audi regium illum

Pſal. 38. Vatem aquis hiſce guſtatis dicentem: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* O iucundam & gratam omnium annorum, omnium menſium, & omnium vitæ horarum memoriam. Eadem quoque opera huius mundi, & omnium voluptatum, inaniumque corporis huius deliriarum memoriam exuit, ante omnia vero præteritarum iniuriarum ab aliis acceptarum obliuionem inducit.

Luc. 24. Præclarum huiuſce rei exemplum in Euangelio legimus. Chriſtus Dominus ipſo reſurrectionis die cum à duobus illis viatoribus, qui in Emaus tendebant, interrogaretur, num ſciret, quid paucis ante diebus Ieroſolymis, in monte Caluariæ, in arbore crucis contigiſſet; aqua hac inebriatus, rerumque præteritarum memoriam quodammodo exuens, ac tormentorum ſuppliciorumque oblitus, dixit: *Qua*, quaſi diceret. Quid accidit? quid factum eſt Ieroſolymis? O benigniſſime ac clementiſſime Ieſu, an non amplius flagellorum, ſpinarum, clauorũ, crucis, paſſionis denique tuæ meminiſti? itane omniũ cruciatuum tuorum memoriam exuiſti? tãtum ſcilicet aquæ huius bibiſti, vt omnium horum oblitus ſis.

Fluuius qui ingeniũ acuit. Eſt præterea in Sicilia fluuius, qui ſemel potus mentem & ingenium acuit, qui proinde νοῦς appellatur. Eiuſdem plane efficaciæ ſunt aquæ pœnitentiæ; ſemel enim guſtatæ *intellectum dant paruulu*, & ingenium exacuunt, vt omnia ſtatim peccata cognoſcamus, & cognita fugiamus.

Lib. 3. c. 2. Eſſe inſuper in Phrygia duos fontes, teſtatur Plinius, quorum primus lacrymas bibenti excutiat, cui inde nomen κλαίων; alter vero riſum, qui nomen hinc inuenit γέλων. Quam apte vero hoc Piſcinæ noſtræ quadrat? modo enim iuſtos in afflictionibus gaudentes efficit; cuius rei teſtes habeo Apoſtolos, qui aqua huius fontis potati, *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Modo vero peccatoribus lacrymas excutit: teſtantur id Petri, Magdalenæ, teſtatur id Dauid vates ac Rex: *fuerunt mihi lacryma mea panes die ac nocte.* & item alibi: *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Vnum atque alterum peccatum, ô Rex, tot lacrymis eluis? ego vero qui tot peccatorum commiſi millia, imo infinita, ne lacrymulam quidem valeo elicere. Ad has igitur aquas propera, has bibe, his inebriate ô anima, vt peccata deplorare queas, & lacrymarum imbres profundere.

Act. 5. Pſal. 41. Pſal. 6.

Fons qui ſaporem & guſtum aufert. In Æthiopia fons eſſe traditur rubicundus, qui vel guſtatus guſtu hominem priuat. vere prodigioſa pœnitentia, idipſum & guſtum merito de te dicere potero: qui te enim guſtant, omnem mundi mundanarumque rerum ſenſum amittunt, cœleſtium è contra guſtum adipiſcuntur, ac diuina ſapere incipiunt.

Tu enim es quæ eos inebrians dicis: *Quæ super cœlos sunt, sapite, non quæ super terram.*

Fons qui dentes excutit.

In Germania, haud procul à Frisia fontem esse ferunt, cuius latex epotus dentes omnes excutiat. experimento id didicêre Cæsaris Germanici legiones, quæ his gustatis aquis omnes penitus dentes amisêre. Eadem prorsus vis & efficacia in nostra est pœnitentia: quamprimum enim liuidos detractionis & inuidiæ dentes aufert; vnde Climacus, *Vera germanaq; pœnitentia certum argumentum est, obliuio iniuriarum.*

1 Grad. 19.

Aquæ lignum in lapides commutantes.

Traduntadhæc naturalium rerum auctores, atq; ita se res habet, aquas reperiri, quæ ligna in lapides commutent; & quod magis adhuc mirare, oliuas atque alias arbores virentes, quamprimum & in rubrum mare cõiiciuntur, lapidescere. Rubrum hoc mare ipsa est pœnitentia, sanguine & meritis Christi Iesu rubescens, quæ virides illas arbores, animas scilicet molles ac delicatas, virore mundano nitentes, in lapides ac saxa fortitudinis ac constantiæ conuertit.

Quid amplius? Gallia hæc nostra Rhodanum flumen habet, cuius tantus impetus, tanta vis, ac violentia esse perhibetur, vt lacum Lemannum transiens, nusquam cum eius aquis, vt Plinius ac deinde Strabo, obseruarunt, commisceatur. Est quoque in America fluuius, *Rio de la plata*, id est, fluuius argenteus, nuncupatus, cuius tanta vis est, & impetus, vt ad quadraginta leucas, mari licet immistus, cursum suum & saporem, in medio salsuginis retineat. At multo adhuc violentior, mihi credite Naturæ scriptores, ipsa est pœnitentia; illa enim animas defert, & in mundo viuere & fluere facit, instar tamen Rhodani ac fluuij argentei, nihil vt in mediis vanitatibus mundiq; delitiis eis contagionis mundanæ adhæresçat, aut gratiæ dulcorem vlla ex parte amittant.

*Plin. lib. 2. cap. 103.*

Non est igitur, ô fontes, flumina, & matia, vestra vt prodigia amplius commemoretis; cedite, cedite aquis piscinę nostrę probaticæ, quę omnes languores & omnia morborum genera persanant. Ecce hic ingentem languidorum multitudinem ecce claudos, cæcos, paralyticos, quos in pristinam illã sanitatem restituent, & quibus solitas vires & sensus reddent. Videte hîc miserum paralyticum, iam à triginta annis paralysi excruciatum, quem illæ in pedes restituent, & instar cæterorum hominum ambulare facient. Nihil vnquam vos simile quotquot estis fontes, præstitistis. Vos vero Catholicæ mulieres, mulieres inquam honestæ & modestæ, hanc piscinam suspicite, ad hanc accedite, in hac vos abluite; hic est quippe hyssopus illa, qua Dauid ad peccati sui maculas eluendas aspergi à Deo petebat, *Asperges me Domine hyssopo & mundator* O vere admiranda hyssope, quot mihi conceptus infinuas. Est namque hyssopus, exigua quædam herba, morbis sanandis accommoda, pulmonibus purgandis vtilis, in petris & rupibus locisque lapidosis excrescens. Pœnitentia vero longe excellentius est medicamentum, planta est, quæ inter lapides & loca confragosa, inter rigores scilicet & austeritates surgit, animabus mundandis, omnibusque peccati maculis eluendis peropportuna. audite vero quid de hac expertus dicat: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.*

*Psal. 50.*

Quin etiam planta hæc longe excellentiores fructus profert, ac præstantiores inuentiones producit. In lege namque veteri decretum erat, vt hyssopo in sanguine passeris immolati intincta leprosus septies, ita mundandus, adspergeretur. An non hyssopus illa sanguine paruæ huius auiculæ tincta ipsa est pœnitentia, innocuo Christi Iesu, auis inquam pro totius mundi salute oblatæ, sanguine irrigata? an non leprosus hic peccatorem significat? intinctio illa septies iterata, an non denotat septem mortalium peccatorum ablutionem?

*Leuit. 16.*

Vlterius. In eodem libro, iubetur sanguine vituli septies sacerdos altare aspergendo illud ab immunditiis & sordibus purgare. Altare hoc cor nostrum est, altare inquam, in quo Deo laudes offerimus, per aspersionem illam septenam, septem mortiferorum criminum effugatio, à quibus anima per pœnitentiam abluitur & mundatur, intelligenda est.

*Leuit. 4.*

Ad vos postliminio, diutius euagatus, reuertor ô mulieres? hic siquidem esse assero salutaria illa balnea & sancta lauacra, in quibus

bus eaſtæ ſeſe Suſannæ abluunt: in quibus victimæ Deo in ſacrificium oblatæ lauantur. Ingredimini igitur, abluite vos, angelus enim iam è cœlo deſcendit, & aquam commouit. In ijs omnes ſuperbiæ ſordes abluite, in ijs omnes adulterinos fucos eluite, in ijs omnes voluptates, ornatumque ſuperfluum deponite.

Vos quoq; viri, intuemini hic diuina illa lauacra, ſacros illos aquæ ductus, aut potius ſanguinis ductus paſſionis Chriſti, qui leprã mundant, auaritiam eluunt, inceſtum tollunt. Ecce hic ô principes, locum, in quo Naaman Syrus à lepra mundatus fuit. Ecce hic, ô Reges, locum, in quo Magnus ille Conſtantinus ſanatus eſt. Ingredimini omnes in piſcinam hanc pœnitentiæ; vos infideles, qui in tenebris infidelitatis inſtar cæcorum erratis; vos hæretici, qui in vtramq; partem claudicatis; vos peccatores, quos paralyſis per omnia membra diuexat. Omnia namq; ipſa curat pœnitentia, & peccata quæ per ignorantiam commiſſa ſunt, hoc eſt cæcos; & quæ per fragilitatem, id eſt, claudos, & quæ per peruerſam & meram malitiam, id eſt, paralyticos.

Crediderim mecum omnes rem ſane admirandam notare. Contemplari hic licet infinitos ægros, magnam languidorum copiam, ac tantam eorum diuerſitatem: & interea vnum tantum paralyticum ſanitati reſtitui. An non hic vere Chriſti ſententiam adimpleri dicendum eſt, *Multi ſunt vocati, pauci vero electi*? Proponite vobis quoq; ob oculos tot hominum millia, quæ tempore diluuij ſuper faciem terræ diſperſa erant, ex quorum numero octo tantum animæ ab aquis diluuij immunes fuere. Recordemini ad hæc è ſexcentis hominum millibus arma ferre valentium, qui Ægypto egreſſi fuerũt, ſoſum duos terram promiſſionis ingreſſos fuiſſe. Aduertitiſne etiam circum piſcinam hanc quinque porticus, quinque periſtilia, ac veluti ambulacra fuiſſe languidis referta? Verum quid hæc omnia declarant?

Matth. 20. 21.

Gen. 7.

Num. 1.

III. Quinque piſcinæ porticus.

Quinq; hæc porticus, an non quinq; ſenſus corporis, viſum, auditũ, odoratum, guſtum, & tactum ſignificant? Omnes hi languent, & infirmi ſunt. Plurimos enim impudicos aſpectus, & laſciuos intuitus, qui vt venenum oculis hauriuntur; viſus hic continet, tot inhoneſta verba, tot libidinoſa carmina auditus hic audit, vt vix fieri queat, quin debilitetur. quot vero odoratus exoticos odores, quot mollia & pretioſa ſuffimenta, quos non crocos, quas non Arabum lacrimas, aut balſami guttas trahit, ac ſpirat? ſub guſtu vero, quænam deliciæ, quinam ſapores continentur? Tactus autem quaſnam turpitudines, quas impudicitias, quas ſordes & inhoneſtates non ſubit? An non igitur ſenſus noſtri porticus ſunt, diuerſis languidorum generibus refertæ?

quinque corporis ſenſus denotant.

Sublimius adhuc res hæc deducenda eſt. Non ignoratis, ô Philoſophi, quinque animum noſtrum habitibus conſtare, artis ſcilicet, prudentiæ, ſcientiæ, ſapientiæ & intelligentiæ ad quos omnia noſtra facta & meditata referuntur. In prima porticu, ſcilicet artes continentur mechanicæ. Prudentia complectitur ſenatores, ſapientes mundi huius, & cõſiliarios. Sub porticu ſcientiæ omnes docti comprehenduntur, Philoſophi, Theologi, Oratores Concionatores, ambulacro denique ſapientiæ oẽs Religioſorum ordines. Quos omnes, ſi rem penitus inſpiciatis, infirmitatibus multis diſtineri videbitis, an non videtis, quot cæci, quot claudi, quot paralytici, inter mechanicos, magiſtratus, Philoſophos, & inter Religioſos reperiãtur? certum quippe eſt multas cæcitates, imperfectiones, paralyſes, defectus & ſcandala in omni hominum genere reperiri. Dicam itaque & vere dicam, piſcinam hanc omni ex parte admirabilem eſſe, & qua nihil in mundo aut diuinius, aut eminentius excogitari poſſit. Iam vero tempus eſt, vt ea relicta ad alteram concionis meæ partem veniam: ac nonnihil de miſero illo paralytico loquar.

Quinque his portic. quinque animi facultates ſignantur. *Ariſtot. 6. Ethic.*

Miſer ille Paralyticus, qui triginta ipſos annos infirmitate hac diuexatus fuerat, genus humanum ad viuum nobis repræſentat: quod quatuor annorum millibus, & amplius ante Chriſti aduentum exhauſtum & confectum fuerat ægritudine (heu diuturnã paralyſim!) prodigioſum illum non dico

IV. Paralyticus hic genus humanum denotat.

piſcinæ

piscinæ, sed passionis quam Messias passurus erat, motum semper expectans, per quē à morbis & ægritudine erat liberādum. Proh dolor! Originalis peccati paralysis ipsum inuaserat, adeo vt ad pia & bona opera nulla sese ratione, multoque minus ad satisfaciendum, mouere posset. Paralysi laborabat in intellectu per ignorantiam, in voluntate per malitiam, per fragilitatem in potentia concupiscibili, adeo vt ad omnem virtutem, & quidquid cum virtute coniunctum foret, prorsus ineptum esset.

Simile. Quemadmodum enim arbores, semel fulmine de cœlo tactæ, quamprimum exarescunt, neve vllas aut frōdes aut fructus producunt: Ita quoq; miserum mortale genus, graui illo peccati originalis ictum fulmine, quamprimū exaruit, ac nullos deinde meritorum fructus protulit, meritorum inquam, quibus tum pœnæ satisfaceret, tum peccatū commissum deleret. Reuocate igitur in memoriam sicum illam Euangelicam, quæ maledictionis fulmine à Domino percussa statim arefacta est, & omnem penitus virorem amisit: ad cuius similitudinem Adam; prima naturæ humanæ arbor, in medio paradisi terrestris plantata, diuina maledictione percussus, statim exaruit, & omnem iustitiæ virorem vigoremque ac splendorem perdidit.

*Luc.10.*

Natura humana cum muliere fluxum sanguinis patiente cōparatur. Proponite simul ob oculos mulierem illā Euangelicam, quæ duodecim annis fluxu sanguinis vexata, omnes facultates ad sanitatem recuperandam, & quidem frustra, impenderat. Dicite mihi, an non illa humanæ naturæ imaginem ad viuū repræsentat; quæ fluxu sanguinis, peccati originalis scilicet contagio, quod sanari nisi magna difficultate non poterat, vexata; omnia sua merita; vota, gemitus, & omnes satisfactiones impenderat, exhauserat, ne dicam amiserat, à quo tamen nulla ratione potuit liberari?

Quæ mala peccatū in animā inuehat. Quantum porro homini detrimentum affers ô peccati paralysis? animam enim simul & corpus debilitas, ac membrorum vsu priuas. Idipsum facis animæ, quod olim Philistæi Samsoni; aufers ei vires, eruis oculos, ac vitam eripis. Excæcas eam, & ne mereatur efficis, gratia eam priuas & virtutibus, ac simul ei vitam aufers. ô paradoxa! Peccatum, eum qui mori non potest, mori cogit, occidit, necat & inuadit miseras animas. Merito, & bene quidem, olim Paulus dixit: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*; equidem alio sensu dixerim: *Horrendum est incidere in manus peccati occidentis.* Hæc igitur, peccatores, in mentem reuocate.

*Iudic.16.*

Non est autem, quod miremini Auditores, si miser ille Paralyticus triginta octo annis sanari non potuerit: nullum enim habebat, qui eum in piscinam post aquæ motum coniiceret; donec tandem Angelus ille cælestis aquam moturus, de cœlo descendit, & vltro eum in piscinam coniecit. Quis vero tu es, ô Angele, vnusne Seraphinorum? an ex ordine Cherubinorum? an inter Dominationes, aut Potestates locum tenes? Nequaquam, sed Princeps est Angelorum, Rex Seraphinorum, Deus ipse qui sese Angelum à Prophetis vocari iubet: *Vocabitur nomen eius magni consilij Angelus*, ait Isaias. Hic est, cuius iussu sacra hæc piscina fluit & refluit. Omnia enim Ecclesiæ Sacramenta à passione & cruce Iesu Christi, vt inter eruditos notum est, efficaciam & vim sortiuntur.

*Isai.9. iuxta 70.*

Passio Christi cum N[illegible] fluuio [illegible] paratur. Referunt naturæ indagatores, Nilum, qui totam Ægyptum quotannis irrigare solet, septem ostiis ac veluti orificiis in Oceanum ruere; vnde Poëta: *Septemplicis ostia Nili.* Equidem putem passionem Christi, haud incongrue Nilum dici posse, quæ velut torrens septem ostiis exundans, montem Caluariæ irrigans, in mare Ecclesiæ septem Canalibus, id est septem Sacramentis deuoluitur. Audite, quomodo Vates Regius sententiæ meæ accedat; aut ego ipsius: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.*

*Psal.45.*

Verum, ô miser paralytice, misera inquam natura humana, quanam ratione fieri dicam, vt tanto temporis spatio ægritudine langueas, quomodo te hominem non habere ais, qui te ad piscinam post aquæ motum deferat; neminem esse qui saluti tuæ studeat? An non tot Patriarchas, tot Prophetas, tot denique sanctos viros habuisti? cur te illi in piscinam non coniecere: Quid?

tot

tot semper Angelos habuisti, tot Iosephos, Danieles, tot Dauides, tot Elias, tot Elisæos, Isaias, & alios permultos, quanam ergo ratione hominem te negas habuisse? verè hominem paralyticus ille non habuisset, si Dei verbum, hominem non induisset: est namque ille homo, quem totus terrarum orbis tanto tempore exspectarat. ille, inquam, homo, quem Pilatus admirans Iudæis ostendit, dicens: *Ecce homo.*

Alia adhuc meditandi materia in hisce verbis: *Non habeo hominem*, latet. Postquam enim semel in peccatum nos incidere contigit, postquam paralysi laborare cœpimus, nullus omnino homo, nullaque creatura est, quæ nobis mederi possit. Tunc ô anima, clames necesse est, cum in huiusmodi discrimine versaris, tunc dicas oportet, *Hominem non habeo.* Tu solus es Domine qui mihi potis es succurrere, qui misericordia mihi tua auxiliari, vt hodierna die Paralytico huic auxiliatus es. Et sane fieri non potest, vt quis ad gratiæ statum à peccato redeat, si Deus manum auxiliatricem non apponat. Nunquam Ionas è ventre ceti, & de profundo pelagi liberatus, ad solis huius intuitum redijsset, nisi miraculo quodam & prodigio Deus eum liberasset. Idipsum plane tibi cõtingit peccator. naufragium enim passus nũquam è profundo peccati liberari posses, si te Deus violenta manu non extraheret. Quare gratia Dei præueniens cum primis necessaria est.

Peccator à peccato se liberare nequit sine gratia & misericordia Dei.

*Ion. 8.*

Millehuius rei figuras, mille similitudines in sacris Biblijs habemus. Prius gallus cantauit, quam Petrus ad peccata sua deploranda egrederetur, & ad Dominum conuerteretur: necesse est gallum, id est, gratiam præuenientem cantare, priusquam quis iustificationis compos fiat. Magi Christum adoraturi venere, verum ductu stellæ, *Stella antecedebat eos.* Tres Mariæ Ierosolymis ad Christum in sepulchro quærendum profectæ sunt, sed *orto iam sole.* Quibus sacræ litteræ docent prius, nos non dico Ierosolymis, sed peccato nostro, vel è terra barbara, gentilium illorum principum exemplo, ad Deum quærendum egredi non posse, quam stella præeat, quam gratiæ præuenientis sol exoriatur.

Similitudines & sensus allegorici.

*Matt. 27.*

*Matt. 2.*

*Matt. 28.*

Addam ad has similitudines conceptum aliquem è natura petitum. Docent Philosophi, cœlos à seipsis non moueri, sed Angelos motum eorum efficere & producere: & ab intelligentijs eos, non propria forma & virtute moueri. Idem plane de motu illo supernaturali iustificationis asseuero, nobis ipsis scilicet non prouenire, nec viribus eum nostris adscribi posse: at Deum solum eiusce motus originem esse & auctorem. *Quidquid enim mouetur ab alio mouetur*, vt bene ait Aristoteles: quod in iustificatione potissimum valet. Nunquam quoque paralyticus hic piscinam intrasset, nisi Iesus eum antea permouisset.

Insignis cõceptus.

*Aristot. axiom. 7. & 8. Phys.*

Quamobrem, Domine, qui verus es motor, & auctor bonorum omnium, ostende nobis misericordiam tuam, incita nos, gratia nos tua præueni, sanctis inspirationibus exstimula. Eheu nos miseros Domine, tantoperè exspectate & desiderate mundi Redemptor; tanto tempore hic veluti paralytici, ante piscinam, motum & influxum gratiæ tuæ operientes, ægri & infirmi decubuimus. Immerge nos igitur, immerge animam nostram, paralysi mirum in modum excruciatam. Iam plusquam triginta annis spirituali ægritudine detinetur, auaritia scilicet insaturabili, ambitione incredili, denique plurimis enormibus peccatis diuexata. Succurre igitur illi, clemẽtissime Domine, & præsta, vt à te suauem illam vocem audire mereatur, *Surge & ambula, Surge*: inquam, à peccato, *& ambula* per bona opera. nam hæc rectissima & compendiosissima ad cœlum via est.

## SABBATO POST DOM. I. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

I. *De præmio gloriæ cœlestis.*
II. *De Transfiguratione quintuplice.*
III. *De solari Domini splendore.*
IV. *De sermone in monte.*

*Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem*

*annem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Matth.17 Luc.9.

## FIGVRA.

Gen.30.42. HVMILI illi Iosepho post importunas pellicis dominæ, vxoris Putipharis, solicitationes, post incredibiles molestias in Ægypto perpessas, post carceris intolerabiles fœtores, in quem ab hero coniectus fuit tam fœcundus fortunæ ventus aspirauit, vt vinculis & compedibus solutus, purpura indutus, curru regio inuectus, per omnes Ægypti terminos primus à Rege fuerit proclamatus. Fuit hoc, Auditores, vera Transfigurationis hodiernæ figura: namque hic verum Iosephum Christum videmus, qui post tot molestias & labores à primo natiuitatis tempore in Ægypto perpessos post opprobria & calumnias, quas adultera Iudæorum Synagoga in eum euomuerat, denique post tantas tamq; graues Satanæ tẽtationes, hodierna die è cauernis, speluncis, & antris deserti egrediẽs, regio more indutus, ac vestimento gloriæ circumdatus, nõ quidem currum triumphalem, sed montẽ Thabor ascẽdit, cui Angeli ministerium exhibent, quem Apostoli demirantur, quemque Pater æternus, non vt vicarium suum in Ægypto, at Principẽ & Monarcham totius orbis agnoscit. Quam pompam & gloriam, vt pro dignitate depingere & explicare possimus, auxilium & gratiam sanctissimi Spiritus, mediantibus Deiparæ virginis Mariæ precib. inclamemus. Dicamus igitur vnanimes.

## AVE MARIA.

I. Iphicrates milites suos spe prædæ ad fortiter agendum in bello excitare solebat. Matt.6.

Refert Plutarchus, Atheniensium ducem Iphicratem suos in bello milites nullis alijs adhortationibus, aut incitamentis, quã sola spe prædæ, ad fortiter agendum animare consueuisse. Idipsum magnus ille Deus, & vniuersi dux facere consueuit, qui milites ecclesiæ suæ militantis sola æternæ beatitudinis spe ad prælia contra improbam hanc vitam ineunda incitat. *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlis.* Sumite animos ô validi milites, vos ô fideles animæ, in oppugnationib. expugnationib. insultib. cõgressibus, tentationibus, afflictionib. generosos vos ostendite, magna vobis præda parata est, operam non perdetis, & luculente vobis vestri labores compensabuntur.

1.Reg.17. Animosus ille miles Israel Dauid, antequam in prælium descenderet, spe iam certus fuit & promissione confirmatus post victoriam, regis sese filiam in rei bene gestæ compensationem accepturum; *Virum qui percusserit Philisthæum hunc, ditabit rex diuitiis magnis, & filiam suam dabit ei.* Tu porro ô homo strenue athleta, centum è cœlo promissiones habes, si Philisthæum illum mundi prosternas, cæli te filiam, id est, æternitatis gloriam, remunerationis loco accepturum: qua nulla præda opulentior, exuuiæ nullę pretiosiores, & merces nulla sublimior tibi exspectari posset. Docet nos id fides, natura nos eò inclinationibus suis inuitat, plurimis reuelationibus rem confirmatam habemus, & plurimi qui è cœlesti illa regione reuersi sunt, id nobis nuntiarunt.

Plurimi ab altero mundo reuersi, id nunciarũt. Tob.12. Gen.18. Gen.19. Gen.32. Luc.1. 1.Cor.2. Ioan.2. Apoc.1.2.4. Psal.18.

Ne porro vobis id mirum videatur Auditores, nec præter veritatem; iterum dico & tertio dicam, plures ex altera vita ad nos redijsse, qui nobis hanc gloriam nuntiarunt. Quot ad nos venerunt Angeli? Dic nobis Tobia, quid tibi dixerit Angelus Raphael? Abraham, Loth, Iacob, beatissimi Patriarchæ, qui frequentes cum Angelis fuistis, eos vidistis, cum eis luctati, locuti, commorati estis, dicite quid vobis dixerint? Tibi vero gloriosa Angelorum Regina, & Virgo, quid angelus Gabriel de cœlesti hac gloria nuntiauit? Sanctus Paulus, Apostolus ab altero mundo reuersus, & ad tertium vsque cœlum raptus, mirabilibus vniuersum orbem compleuit. Lazarus quatriduo in altera vita hæsit. Ioannes Euangelista. mille reuelationes habuit, & multa de eadem promulgauit. Quin etiam ipse alterius sæculi princeps IESVS CHRISTVS inde reuersus est, *à summo* nempe *cælo egressio eius.* Quanta nobis ille nuntiauit? quæ non dixit? Anne igitur desunt, qui ex alte-

ex altera vita ad nos redierint, quique nobis de æterna beatitudine multa narrarint.

*Num 31.* Anne adhuc dubitatis? Israëlitæ nunquam fertilitatem terræ promissionis & vbertatem agrorum credere voluerunt: donec exploratores ingentem in vecte botrum, velut specimen, vnde de reliqua eius abundantia iudicarent, attulissent. O animæ incredulæ, si hactenus tanta vestra fuit incredulitas, vt tantas diuitias, tantam gloriam, tãtam quoque beatitudinem vobis in cœlestibus habitaculis esse repositam, credere minime potueritis, huc accedite, & partem eius veluti scintillam, in monte Thabor aspicite: vbi sanctus Apostolus Petrus extra se positus, in ecstasim raptus, & stupore defixus, nihil se vnquam vidisse simile exclamat. Totam rei historiam & eiusdem circumstantias *Luc.19.* Lucas Euangelista recitat: *Assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* Est hic splendor gloriæ cœlestis, & magnificentia & miracula transfigurationis: quare non de alia hodie re, quam de hoc mysterio verba faciamus.

Porro qui hodie transfiguratus est, Dei Verbum est, Iesus Christus Messias ille in lege veteri exspectatus, ac verus mundi re- *Luc.2.* demptor: ille quem hodie ita splendentem, recentem, refulgẽtem, rutilantem ita, quem plenum gloria in summitate montis Thabor contemplaris: humilis ille Iesus Nazarenus est, quem ante aliquot annos in præsepio locatum, in stabulo Bethleemitico repositum vidisti: quem hodie in summo montis vertice lumine circumdatum instar solis refulgẽtem, maiestate plenissimum intueris: mi- *Matth.17.* ser & humilis ille Galilæus est, quem ante aliquot menses in deserto ieiunantem, in speluncis & ferarum lustris commorantem, per auia in solitudine errantem, à Satana tot diuersis tentationibus exercitatũ vidisti. Hem quæ metamorphosis, quæ rerum vices! Eia igitur,

*In noua fert animus mutatas dicere formas,*

& figuras sexcentas, ad hanc transfigurationem spectantes, in medium afferre.

Dauid opilio post Goliath prostratum, pastoritia lacerna deposita, purputam induit, vestibus sese Ionathæ circumdans. *Exspoliauit se Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium & arcum suum.* Videte porro hic nostrum Dauidem, adeo celebrem, simplicibus prius pastoris instar vestibus, tunica scilicet humanitatis suæ indutum, post Satanam deuictum, viles illas exuuias in monte Thabor deponere, & diuinitatem assumere, ac gloria se circumdare: de quo dicitur: *amictus lumine sicut vestimento.* Figuræ veteres, quibus Christi Transfiguratio declaratur. *1. Reg.18.*

Mardochæus quotidie in terram prostratus, cœlum replens suspiriis, pectus exhau- *Psal.105. Esth.8.* riens singultibus, fortunæ suæ calamitatem gemens, ieiuniis emaceratus, post deuictum inimicum suum Aman, mutata veste Regem Assuerum adiit, aureis vestibus effulgens. *Mardochæus autem de palatio & de conspectu regis egrediens fulgebat vestibus regiis coronam auream portans in capite & amictus serico pallio atq; purpureo.* Cernite humilem illum Mardochæum, Christum Iesum, cum tanto tempore ieiunasset, & humi caput dormiendo reclinasset, tot suspiria, tot gemitus traxisset, tot lacrymas in solitudine effudisset, post Satanam debellatum & triumphatum: hodie sese magni illius Assueri, habitu mutato gloriæque vestibus assumptis, conspectui offerentem, vt dicere liceat, *Decorem indutus est.*

Quamdiu Arca fœderis inter Philisthæos *4. Paral.5.* in deserto commorabatur, vilibus pellibus cooperta erat: at vbi in templo Salomonis collocata est, gemmis & auro effulgere, ac multis circumcirca diuitiis exornari cœpit. Arca illa humanitatis Iesu Christi quamdiu in deserto, in medio solitudinis, inter petras & rupes permansit: saccis, ciliciis & paupertate constrata fuit: verum hodierna die, collocata non in templo Salomonis, sed in vertice montis Thabor, tota auro refulget, gloria resplendet, & omnibus gratiarum donis excellit, & audite rem nouam: *Transfiguratus est.*

II.

Hinc discatis velim Auditores, quinquies Christum toto vitæ suæ tempore esse trãsfiguratum, & quinq; diuersis transfigurationis generibus. Hem qualis Chamæleon, quis Quinque Transfigurationũ genera.

Proteus. Prima transfiguratio in ventre fuit virginali, quando nimirum Verbum caro factum est, & homo Deus: non quidem conuersione diuinitatis in hominem, sed assumptione humanitatis in Deum, vt magnum Ecclesiæ lumen Athanasius edocuit. ô eximiam & vere diuinam transfigurationem! de qua luculenter Paulus: *In similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Cuius in Patriarcha Iacob verum exemplum conspicimus: ille namque, vt patris benedictionem perciperet, Esau fratrem mentitus est, pelliculisque hœdinis manus, vt tanto melius fratrem exprimeret, circumuestiuit: *& vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum pelliculasq; hœdorum circundedit manibus, & colli nuda protexit.* Qua procul dubio figura mysterium hoc quam appositissime exprimitur; Iesus enim Dominus noster, vt nobis benedictionem Patris æterni obtineret, hominis formam assumpsit, qui per Esau designatur, pellibusq; humanitatis nostræ naturâ, vt nostram melius, & ad viuum magis exprimeret, sese circumdedit, cuius rei testem habeo Paulum, vbi supra, *formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* Quid? Regem gloriæ, & eum, qui, Apostoli testimonio, *splendor est gloriæ, & figura substantiæ patris*, & peccatoris habitum assumere, an non hoc vera transfigurationis species est?

*Philip. 2.* *Genes. 27.* *Philip. 2.* *Heb 2.*

Admirabilis trãsfiguratio in Eucharistia.

Alia adhuc, nec minus admirabilis transfiguratio facta est, quando augustissimum & super omnia admirandum Sacramentum Eucharistiæ instituit, quando scilicet in sanguinem conuertit & transsubstantiauit panem in corpus, & vinum, atque hoc quidem vnico temporis momento. Lumen illud doctorum D. Thomas hoc omnium miraculorum à Christo vmquam factorum primum & maximum vocat. Quod quamuis à Catholicis & fidelibus, ac proprie quidem, Transsubstantiationem nominari sciam: tamen quoniam Christi corpus & sanguis sub speciebus panis & vini continetur, atque in debita quantitate, maiestate, gloria, sub figuris nouis & insolitis, occultantur, vera quoque transfiguratio dici poterit.

*Opus de festo Sacram.*

Nouum transfigurationis genus in passione.

Tertia transfiguratio in monte Caluariæ, & in crucis scena peracta est: cum scilicet moriẽs ita seipsum immutauit, vix vt agnosci à notis potuerit. Capur eius spineo ferto erat vallatum, vultus eius sanguine, facies sputis, corpus vulneribus oppletum: manus clauis, latus lancea transfixum. O admirabilem transfigurationem! *Et vidimus eum, & non erat aspectus: & nos putauimus eum quasi leprosum.* An non vera vobis transfiguratio esse videtur Deum qui super cœlestes orbes fulgurat & tonat, totam mundi machinam concutit, Angelos beata sui visione pascit, Cherubinos ministros habet: crucis supplicium perferentem, in hominem transmutatum, vt peccatorem habitum, doloribus saturatum & à toto mundo derelictum & vexatum contemplari?

*Isai. 53.*

Alia trãsfiguratio post resurrectionem.

Aliam adhuc transfigurationem video, verum non adeo exoticam, ac longe tamen splendidiorem, & glorioſiorem. Quando scilicet Seruator meus ac Redemptor iterum gloriæ se qualitatibus & dotibus circumornans, transfiguratus est. Modo enim se visibilem, modo non visibilem declarauit: semel sepulchro egressus est, alias portis clausis ingressus. Et sane, qui paucis ante diebus mortalis & passibilis visus fuerat: eum se iam glorioſum, immortalem & impassibilem reddere: an non eximia transfigurationis signa sunt? an non egregia prodigia? an non miræ metamorphoses?

Verum omnium nobilissima atq; omnium princeps fuit illa, quæ hodierna die in monte Thabor peracta est, quæ sola per antonomasiam & quasi omnium præcipua, Transfiguratio appellata est. In hac namque hodierna die Redemptor noster se transfigurat, hic Messias sese detegit, hic verbum illud diuinum sese manifestat: hodie legislator noster negotia propter quæ in mundum missus est declarat, ac legationis suæ auctoritatem & patentes aperit. Præuiderat hoc à longe Dauid dicens: *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*, quasi diceret: Hem quamnam, ô Messia venture, gloriam, quos triumphos, quæ miracula te iam inter mortales commorante præuideo & præsagio! Angeli lætabuntur, homines cantabunt,

*Psal. 88.*

bunt, montes à conſpectu tuo exultabunt. Thabor propter Transfigurationem tuam gaudebit, Hermon propter miracula, quæ in eius vertice patrabis, triumphum ager.

Vera tua vaticinia fuiſſe cõfitemur, ô Rex & vates; in monte namq; Hermon magnum illud miraculum, quo quinque hominum millia quinque panibus & duobus piſcibus ſaturata ſunt, editum eſt. *Euthym. in Pſalm.* Euthymius vero addit in eodem monte reſurrectionem filij viduæ in Naim contigiſſe, Naim enim oppidum Galilææ eſt, in radice montis Hermon ſitum, in quo hoc miraculum peractum eſt. Thabor igitur & Hermon exultabunt in aduentu Meſſiæ noſtri, præcæteris vero Thabor.

Laus mõtis Thabor. O felicem inter omnes montes ac vere beatum Thabor: mons Sinai fulgure & tonitruo concuſſus eſt, in eo nihil niſi flammæ & ignes apparuêre. *Exod. 19.* In monte Oliueti arma militum, & gladij conſpecta ſunt, & traditiones, & Iudæ machinationes in eo peractæ. *Matth. 26.* In monte Caluariæ, præter cruces, patibula, ſuſpenſos, latrones in crucem actos, & Chriſtum Ieſum crucifixum, nihil intueor. At tu ô Thabor, vndecunque gloria repletus es, & in paradiſum commutatus. Iam fruſtra ſol in axe ſuo erat, ac cœlum permeabat: aliam enim faciem ipſe circum te habebas, quæ ei lumen eripiebat, ac quodammodo offuſcabat. Nam quemadmodum *maius lumen offuſcat minus*: ita quoque magnus ille hominum & angelorum ſol radiis ſuis paruam hanc mũdi faculam offuſcabat: paruam dico, non quidem ratione terræ, quam infinitis partibus ſuperat; verum reſpectu infiniti & æterni illius luminaris. Hic igitur ſol alterum offuſcauit: Audite, *reſplenduit facies eius ſicut ſol.* ô egregiam ſimilitudinem, & diuina myſteria! vt hinc ſcilicet diſcamus, omnia, quæ in glorioſo Ieſu corpore hodie peracta ſunt, quæque in ſole hoc etiam conſpiciuntur, corporibus noſtris mortalibus, & carnalibus hiſce compagibus poſt reſurrectionem euentura.

III. Quatuor ſolis proprietates. Sol ille mundi huius fax, qui licet eum quotidie illuſtret, non ideo tamen minus dignus eſt; quẽ admiremur, quiq; iam à quinq; annorum millib⁹ & amplius ſemper vrit; ſe-ipſum non comburendo & illuſtrat non ſeſe extinguendo, quatuor admirabiles in ſe proprietates habet: primo quidem lumen ipſum, quo vnico temporis momento quatuor mundi plagas intuetur: agilitatem deinde, qua viginti quatuor horarum ſpatio totum cœlorum orbem circumit, idq; tanta celeritate, vt vnius horæ quadrante centum viginti cœleſtium milliarium, quæ tamen terreſtribus multo longiora ſunt, millia conficiat. Tertio ſubtilitatem, qua corpora lucida & tranſparentia penetret, & per cryſtallum & vitrum luceat. Denique impaſſibilitatem, quippe qui tanto tempore in rerum natura, ſine vllo ſui detrimẽto, aut corruptione, aut rerum naturalium damno exſtitit. ignis ſiquidem eum non comburit, aër non nocet, aut aqua exſtinguit: ab omnibus hiſce caſibus immunis eſt.

Idipſum, Auditores, quod in hac transfiguratione videtis, caducis noſtris corporib⁹ poſt reſurrectionem accidet. In primis enim inſtar ſolis effulgebunt: *fulgebunt namq; iuſti.* Erunt quoque agilia, ita vt temporis momento è cœlo in terram deſcenſura ſint, & à polo Arctico vſque ad Antarcticum, inſtar auium, aut inſtar Angelorum potius peruolatura, *Sicut ſcintillæ in arundineto diſcurrent.* Erunt adhæc ſubtilia: omnia enim tranſire poterunt, ac nihil illis erit occluſum. Denique pati haud quidquam poterunt, nullas infirmitates ſuſtinebunt, quin & à morte immunia erunt. *Iam non erit amplius labor, aut vllus dolor.* ô rem admirandam! *Amodo iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* ô iucunditatem! Experimentum rei hic, præſentibus Moſe & Elia, qui inter Prophetas facilè principes fuere, videmus. De quibus iam nonnihil loquamur. Interrogemus illos glorioſæ transfigurationis teſtes, & ſciſcitemur ab illis rei circumſtantias. Primum autem te alloquor, ô Moyſes quid eſt, quod tu potiſſimum hodie ad vitam redeas, è limbo veniens, vt hodierno myſterio interſis? Anne ſcilicet, vt D. Chryſoſtom. arbitratur, vt Chriſti innocentiam teſtareris, quem Iudæi magna prius iniquitate legis transgreſſorem appellauerant: an vero vti hac ratione eum morti & vitæ dominari

Corpora noſtra poſt reſurrectionem quatuor egregiis dotib. prædita erunt. *Sap. 3.* *Apoc. 21.* *Apoc. 14.*

Cur Moſes in trãſfiguratione apparuit.

ostenderes? an potius quod verius esse crediderim, vt promissionem quam tibi olim fecerat, adimpleret, fore scilicet aliquando, vt gloriam humanitatis eius esses visurus? *Exod. 33.* *Posteriora mea videbis*, id est, humanitatem meam.

Cur Elias transfiguration interfuerit.

Tu vero Elia quid huc facturus aduenis? cur ad vitam redis? anne scilicet, quod ante finem sæculi veluti extremi iudicii præcursorem, apparere te necesse sit, ac Iudæorum reliquias conuertere? Eane forsitan de causa, vt mentibus Iudæorum errorem illum tolleres, Iesum scilicet Eliam esse aut aliquē ex Prophetis. Equidem haud grauate concesserim. verum hanc fuisse potissimum causam puto, vt nimirum Iudæis, qui credere difficillime poterant Christum illum Messiam esse in lege promissum, ora obstrueret, & errores argueret. Conabantur enim illi ex Malachia Propheta asserere, ante Messiæ ad- *Malach. 4.* uentum, Eliam in terram destinandum: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*: ac quoniam constabat Eliam nondum in carne apparuisse, hinc liquido colligi existimabāt, hunc quem ante oculos viderent, verum Messiam non esse. Decepit vos, ô Iudæi ambiguitas verbi Aduentus: loquitur enim Propheta de secundo Domini aduentu, id est extremo iudicii die, & non de primo: verum vt hanc ex animis vestris Dominus opinionem & errorem tolleret, simulque vobis ad oculum, hunc verum Messiam esse demonstraret, ecce hoc in monte Eliam secum loquentem induxit: *Apparuit illis Moses & Elias.*

*Paral. 25.* O præclaram, & cui similis in mundo nūquam exstitit, congregationem. Hic namque mundi vtriusque, cœli quoque & terræ, vtriusque etiam testamenti legatos videbitis à parte testamenti veteris, Prophetarum principes: à parte noui, Apostolorum vertices è cœlo, sanctissimam Trinitatem: è terra, sacratissimam humanitatem. Hodie scilicet arca fœderis, arca inquam humanitatis Christi, in medio Cherubin, in medio scilicet Prophetarum collocatur. Quos vero sermones, aut ratiocinationes vtrimque habitas putamus? quænam hic negotia inter magnates illos & principes transacta? quid agitur? quid dicitur? dicito nobis Marce, dicito nobis Luca: *Loquentes de excessu* ait D. Marcus.

IV. Quinam sermones in monte habiti tempore transfigurationis.

Cyrillus Alexandrinus, cui pares multos Ecclesia non habuit, ait in vertice montis illius de diuinæ bonitatis excessu habitos esse sermones: non quidem de eo excessu, qui in mundi creatione eluxit: cū sc. ipsa SS. Trinitas, insigni quadam liberalitate, magnificentia ac quodammodo prodigalitate bonitatis suę thesauros aperiens, totam sese creaturis communicauit: nec de eo quoque, quē iam quinq; annorum millibus sapienti direction, suaui moderatione, & sollicita ac prouida totius vniuersi conuersatione demonstrauerat. De quo igitur excessu Cyrille? de eo nimirum, quem Christus humanam naturam induendo declarauit: excessu nimirū adeo mirabili ac diuino, vt mille alii excessus cum eo comparati, instar nihili esse videantur. Deum scil. humanitatem assumere, immortalem mortalitatem, Dominum seruum fieri, quis similem vnquam excessum vidit? cernere nimirum naturam sine propria subsistentia: duas item naturas in vna hypostasi; Matrem simul & Virginem reperiri, cui vnquam similis excessus auditus est?

Excessus diuinæ bonitatis in incarnatione Christi.

S. Augustinus aliud quiddā excogitauit, aitque illos eo loci de excessu tormētorum, suppliciorum, cruciatuum, molestiarumq;, qui in passione Domini futurus erat, sermones inter sese habuisse: qui excessus adeo sublimis est, vt similis ei aut visus aut auditus nullo vnquam sæculo fuerit. Audite quęso clamantem Prophetam, aut Prophetę voce Deum ipsum: *O vos omnes qui transitis, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Excessus, inquā, adeo magnus, vt eius vnius memoria, Domine mi Redemptor, summorum tibi dolorum causa exstiterit, tantamq; anxietatem menti tuæ ingesserit, sanguineo vt sudore in monte Oliuarū totum tibi corpus perfunderetur. Excessus scilic. omnium cruciatuum, omniumq; dolorum, sine vllo prorsus solamine, quod vel tibi terra, vel cœlum, aut animæ deniq; pars superior daret.

Excessus cruciatuū in passione Domini. *Thren. 1.*

Chrysostomus alio quoq; respicit, & asserit excessum illū, de quo loquebantur, denimiæ

Excessus humilitatis quam Christus in sua passione ostendit. *Phil.2.*

miæ eius humilitatis, quã in passione Christus demonstraturus esset, excessu esse intelligendum. Excessu adeo excedente, & humilitate adeo extraordinaria, vt Paulus id pro dignitate explicare non valens dicat, *Humiliauit semet ipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* Audite obsecro vos superbi, vos inflati arrogantia, & excessum hunc penitius cõsiderate. Deus vt creaturas redimeret, capi, ligari, illudi, percuti, ignominiam pati, clauis configi, ac crucei denique voluit affigi. O excessum infinitis excessibus refertum?

Excessus paupertatis in Christo.

S. Bonauentura doctrina æque ac sanctitate celebris, omnes quas adduximus de excessu hoc explicationes probat, & ratas habet: verum aliam ad has & ipse adiungit: aitque excessum illum de excessu paupertatis, quam Christus in passione sua esset toleraturus, esse intelligendum: quippe qui vnica tantum cruce, & ea grauatus, Ierosolymis egrederetur, ac deinde nudus & inops in eadem moreretur. Consolemini, consolemini igitur vos omnes, qui paupertatẽ hanc imitantes, voluntarie ac sponte pauperes facti estis, cum hunc paupertatis excessum vobiscum perpenditis: quomodo nimirũ nudus, videlicet in stabulo natus sit, toto triginta rium annorum spatio vnica veste fuerit cõtentus, ac deinde nudus & algens in crucis medio exspirarit. Historiæ quidem veteres similes nobis in Ethnicis excessus proponunt, vt in Valerio Poplicola, qui tertiũ Romæ Consul, in tanta est inopia mortuus, vt suis resp. sumptib. funus eius coacta fuerit instituere: & in Epaminõda Thebano; summo illo duce ac multis tropæis nobili, qui adeo egens ex hac vita decessit, vt ne tãtum auri domi eius repertum fuerit, quo ei post gloriosam mortem erigi epitaphium posset. Verum si cũ excessu paupertatis Iesu Christi eos cõferamus, obmutescent veteres, ac veluti vmbras respectu huius enarrare videbuntur. De hoc eius excessu quam bene Dauid locutus est? *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentute mea;* Christus quoque Dominus paupertatẽ suam satis insinuauit, quod sine lacrymis nequeo aut dicere aut perpendere, cum ait, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* ô verum paupertatis excessum! ac nimis omnem terminum excedentem!

*Vale. Max. lib. 4.*

Gentiles aliquot in summa inopia mortui. *Matt. 8.*

An non Auditores sermonis & colloquij huius dulcedine in admirationem & stuporem trahimini? an non cœlestes illæ sermocinationes, verba illa Angelica, de passione Domini deprompta, cõsolationem, iucunditatem & stuporem vobis adferunt? Taceant igitur Philosophi omnes, taceat Aristoteles, neq; amplius asserat, virtutem in solo medio consistere, vitium vero extrema occupare, est hoc quippe falsissimum: ecce enim in monte hoc non nisi de excessu & extremitate est sermo: omnia Christi opera excessum habẽt, atq; in extremo gradu collocata sunt, quin & extremum adhuc transgrediuntur.

Verum Petre tu solus hic præter ordinem & tempus loqueris, ac colloquium perturbas dicens: *faciamus hic tria tabernacula tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Quid ais Apostolorum Princeps? tu solus in horto arma inclamas, & gladiũ stringis passionis triumpho vitã volens intercludere: tu solus in passione in Dominum tuum blasphemias euomis? tu solus deniq; es, qui hoc in monte præter rem loqueris. Quid? faciamus tria tabernacula. Visne Ecclesiam disiungere? anne schisma & diuisionem cupis inducere? visne Christum à Prophetis, & Prophetas à Christo separare? Reuoca in mentem rotas illas, quas Ezechiel Propheta vidit, quæ ita sibi inuicem connexæ erant, vt nulla sine altera esset aut progrederetur: quo erudimur, Prophetas in lege Mosaica, & Mosem in Prophetis, vtrumq; in psalmis: & Moysem, Prophetas, & Psalmos in Euangelio, & Euangelium in omnib. & singulis contineri. O rotas vere admirabiles! & interea tamen omnia nõ nisi simul procedũt & voluuntur: ac proinde non nisi vnum esse tabernaculum, vnã legem, Deum vnum, & vnam Ecclesiam certissimum est. Vnde bene Euangelista imprudẽtiam Petri notauit, *Nesciebat quid diceret.* Quare vt te excusem Petre, dicendũ est, magnum illum gloriæ splendorẽ oculos tibi simul & ingenũ offuscasse. Hem? Qualis eras, & quo

*Matt. 26.*

Non sunt tria facienda tabernacula; at vnicũ quo Ecclesia significatur.

& quo in ſtatu, quo in ſtupore & raptu cum iucunditatis & gloriæ abundantia repletus dixiſti: *Bonum eſt nos hic eſſe?* Concede Petre, ac tecum fateor, bonum eſſe Ieſu Chriſto adhæreſcere, ac cum eodem verſari: extra cuius gloriam nulla penitus iucũditas, nulla felicitas, nulla deniq; beatitudo inueniẽda eſt.

*Eſth. 6. Gen. 45.*

Eia igitur, Chriſtiani Auditores, ponite vobis ob oculos, lætitiam, gaudium, exultationẽm, raptum, exſtaſin, & ſtuporem, quem in Transfiguratione Apoſtolus hic oſtendit. Et ſane ſi Iudæi obſtupuerint, vbi Masdochæum pretioſis & ſplendidis veſtibus indutum, & humilem Eſther ad regiam dignitatem ſublimatam videre; ſi fratres Ioſeph, eum in regio ſedentem throno, ac totius Ægypti habenas moderantem contemplantes, demirati ſint: quid de Apoſtolis eorumque ſtupore hic dicere poterimus: cum humilem ſuum Dominum repente in monte Thabor eleuatum viderunt, ac velut in ſublimi quodam throno, gloriæ & diuinitatis veſtib. indutum, conſidentem? quo eos affectos gaudio & lætitia putabimus, cũ inſignem illam Eſter, humanitatem ſcilicet noſtram, ad Regiam diuinitatem euectam vident, ac varietatibus aureis circumamictam? Crediderim cognatos & parentes Dauid non parum obſtupuiſſe, cum eum regio more indutum, ac inter primos regni proceres collocatum intuentur: gaudium tamen diſcipulorum & ſtuporem maiorem fuiſſe exiſtimem, quando humilem illum Ieſum Nazarenum, qui tanto tempore in ſolitudine fuerat commoratus, & olim in ſtabulo natus, quique fabri filius à multis habebatur, Angelico & cœleſti aſſumpto habitu, glorioſum, ſplendidum, fulgentem, ac diuinitatis ſuæ ſpecimen oſtendentem conſpiciunt.

Bone Deus, benigniſſime Deus, ſi tantum vnica gloriæ tuæ ſcintilla ac ſpecimen, admirationis Apoſtolis tuis parere potuit, quid in cœleſtibus illis habitaculis fore credendũ eſt? Quid q̃ſo, erit, cũ tota videbitur vti eſt, quando eadem ſemper, ſine termino ſine defatigatione, in perpetuum, ſummo ac pleno gaudio & perfecte pandetur? Si vnica modo gutta tantum voluptatis potuit afferre, quid ipſum mare, quid integrum gloriæ Oceanum facturum putamus? Erit, erit ſcilicet illic, vbi clamare licebit, *Bonum eſt nos hic eſſe.* Tu vero ô fortis animarum noſtrarum zelator, in montem illum aliquando nos ſubleua, præbe nobis videndã gloriam, non quidem transfigurationis, at diuinæ tuæ eſſentiæ, ſicuti in cœleſti illa ac beata regione à Beatis conſpicitur: ad quam nos ipſe Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus aliquando deducant. Amen.

## DOMINICA SECVNDA IN QVADRAGESIMA.

Partitio.

*I. De cœleſti beatitudine.*
*II. De Transfiguratione, eiuſque partib. perſiguras declaratis.*
III *De Transfiguratione ſimilibus expoſita.*
*IV. De cœleſti beatitudine.*

*Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum, & transfiguratus eſt ante eos.* Luc. 9.

### FIGVRA.

SVmmus ille Iudæorum legislator Moyſes, cum acceptis tabulis legis, de monte Sinai iam deſcenderet, vt populo ſeſe cœlitus miſſum, & à Deo ad leges eius orbi proponendas deſtinatum declararet: tanta gloria ac lumine vultus eius, Deo id permittente, reſplenduit, vt populus in eum intuitus, ſplendorem fulgoremque ex oculis eius emicantem nequaquam potuerit ſuſtinere. Rem non admodum diſſimilem in hodierni Euangelij hiſtoria contemplor. Video namque non Moſem, ſed Ieſum Chriſtum, montibus æternis deſcendere, vt ſe filium Dei, cœlitus miſſum, ac verum Meſſiam & Legislatorem mundi eſſe demonſtraret: quem Pater æternus in monte Thabor tanta maieſtate, ac tanta diuinitate effulgere fe-

*Exod. 34.*

cit,

cit, vt Apostoli vultus eius splendorem, ac radios, & emicantem inde gloriam perferre nequaquam potuerint. Denotat hoc ipsam Transfigurationis maiestatem, quæ profecto digna est, quam omnes merito admirẽtur, adorent, & obstupescant. De ea vt nos pro dignitate loquamur, opem & auxilium Paraclti, preces mediatricis nostræ Virginis glorioſissimæ adhibendo, AVE MARIA recitando, inuocemus.

I.

1. De nat. Deor. Interrogatus ab Hierone Syracusanorum tyranno Simonides Philosophus, vt M. Tullius memoriæ prodidit, quid esset Deus, triduum ad cogitandum & deliberandum postulauit: quo euoluto aliud iterum triduum petijt, quod sæpius repetens, tandem cum responsum diutius differret, dicere coactus fuit: *Quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Equidem idipsum hodierna die de beatitudine cælesti dicere merito potero: quo enim diutius perfectionis eius abyssos considero, eo magis meditando me in infinitam illam abũdatiam immergo, admirandoq; in profundũ & obscuritatis tenebras deuoluor: nam *dum breuis esse laboro obscurus fio.* Itaque dicere cum Aug. mihi liceat: *Excedit facultatem eloquentiæ meæ, transcendit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus illa gloria, illa celsitudo.* & cum D. Ioanne Chrys. *Effugit omnem sermonem atque omnem sensum humanæ mentis, excedit decus illud, illa pulchritudo, illa gloria, illa magnificentia.*

August. in serm. Orat. de repar. lapſ.

2. Cor. 2. Quid v. tu ô Apostole Paule, qui in altero orbe ambulasti, ac gloriæ huius scintillam aliquam vidisti, de ea dicis? *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Perinde ac si diceret: Cesset humani iam intellectus curiositas immensitatem diuinæ gloriæ velle comprehendere. neque enim humana mens eo pertingit, nec auris percipere, aut ratio ipsa, aut humani vires ingenij infinitam beatitudinem queunt comprehẽdere. Nam quemadmodum in Propitiatorio duo Cherubin vtrimq; positi visebãtur, qui sese mutuo cum stupore contemplantes alis illud cooperiebant: ita quoque mihi in hac beatitudine velut in propitiatorio, videre videor: cerno namque hodie homines simul Angelos, instar duorum Cherubim, stupore defixos, alis silentij sui splendorem gloriæ huius obtegentes.

Exod. 15.

Figura.

Tanta porro beatitudinis huius magnitudo & dignitas est, vt Angelicus Doctor Thomas nihil Deum aut maius, aut excellentius posse condere affirmarit: & sane tanta est, vt iam à quinque annorum millibus Seraphin, atque omnes Angelicæ potestates præ admiratione suspensæ & stupore defixæ fuerint. Beatitudinis magnitudo.

Cicero tantam esse pulchritudinem virtutis aiebat, vt si oculis conspici posset, omnes ad se mortales ex pulchritudine traheret, & amore sui incenderet. Si vero gloriam cœlestem cognitam habuisses M. Tulli, de beatitudine id iure meritoq; dicere potuisses: tantus namq; eius splendor est & venustas, vt si oculis pateret, omnes omnino homines, licet immanes ac barbaros, ad se inuitaret. Iacob conspecta Rachelis venustate atq; oculorum pulchritudine inter omnes Mesopotamiæ filias, statim eius amore captus est, & inescatus, adeo vt, quò eius aliquando amplexibus frueretur, seruum apud Laban septẽnio egerit: *& videbãtur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Tu porro, homo, si vel oculis cœlestis illius Rachelis pulchritudinem haurire tibi liceret, non dubito profecto, quin te eius amore, summo Patri Laban, in seruum & mancipium, idque non septennio, sed, si vita ferret, annis mille & amplius, traderes. *Ciceronis sententia de virtute.* Figura. *Gen. 28.*

*Iudith. 10.* Allegoria.

Tribuni ac centuriones Holofernis in sidione Betuliæ, visa eximia venustate ac formæ excellentia quæ in Iudith vidua effulgebat, militibus hinc stimulos ad fortiter agendum subiecere, dicentes: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras habet mulieres? vt non merito pro eis pugnare debeamus.* Hæc ipsa sunt verba, ijdem sunt stimuli, eædem orationes, militis Christiani, quibus nos Sancti alloquuntur, Prophetæ exstimulant, & Angeli, cœlestis huius Iudith pulchritudinem quotidie contemplantes, nos in vita hac militante, ad fortiter agendum, & cœlum, in quo tot eximiæ res & pulchræ reconditæ sunt, violentia quadam rapiendum, adhortantur.

Num. 15. Allegoria. Magnus ille Israelitarum ductor Caleb, sexcenta virorum millia sub signis habens, & cum eis per desertum Sinai profectus; vt eos ad terram Chanaan gladio parandam incitaret, ingentem illis botrum, quem duo viri velut aliquod fertilitatis illius specimen in humeris vecte portauerant, ostendit: vnde omnes ita ad bellum animati sunt, vt cõmunis per castra clamor exauditus sit, *Ascẽdamus, & possideamus terram illam.* Misellæ animæ, quæ in hac Agypto à triplici Pharaone vinctæ velut mancipia, sub seruitute durissima gemitis, & exhaurimini, si vel exiguũ aliquem botrum fertilis illius promissionis terræ videretis; non est profecto dubitandũ, quin statim rubrum huius mundi mare trãsiretis, ac mundi huius deserta relinqueretis, quo ad terram viuentium, in qua tanta rerum copia affluit, ascendere possetis.

Idipsum hic hodie videmus contingere. Petrus enim Apostolorũ Princeps ac Christianorum omnium caput, visa in monte Thabor gloriæ huius exigua quadam scintilla, cruciatuum, tormentorum, ac rerum omnium oblitus, exclamat: *Domine, bonum est nos hic esse.* Historiam Euangelij in Luca legimus: *Assumpsit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & transfiguratus est ante eos,* &c. Primo de transfiguratione, ac deinde de beatitudine hac loquar.

Exod. 3. Quod ad primum; cum attentius mecum rubum illum ardentem, quem Moses in deserto vidit, considero, ac sublimem illum Eliæ raptum in curru igneo; videre mihi figuras & vmbras gloriosi huius corporis videor, quod hodierna die in monte Thabor transfiguratum est. 4. Reg. 2. Quid enim differt rubũ ardentem & non conflagrantem, in monte Horeb videre, & gloriam & lumen corporis, quod tamen ipsum corpus non immutaret, in monte Thabor contemplari Quid discriminis est inter Eliam curru igneo in cælum subuectum, & Iesum Christum corpore lucido & resplendente transfiguratum. O rubum! ô Eliam! ô mirabilia!

Anima Christi à primo cõceptionis. Verum, quo melius mysterium hoc intelligatis, aciem ingenij vestri exacuite, ac memineritis oportet, Christi animã à primo cõceptionis momẽto beatã exstitisse; adeo inquam gloriosam, vt modo in cælis est! Verbum enim diuinum, cui per hypostaticam & personalem vnionem coniũcta erat, videbat, atque eo perfectè fruebatur. Verum gloria illa, sublimi quodam & nouo miraculo, in parte nobiliori cõtinebatur, ne se in corpus transfunderet; necesse namque erat, vt corpus supplicijs, passioni, cruciatibus, morti deniq; ipsi tolerandæ aptum foret. nõ enim Christus in corpore glorioso quidquã pati potuisset;

*Non est conueniens luctibus ille color.*

Vultis huiusce rei figuram? Dauid Goliam prostraturus, armis regijs grauatus nunquam id potuit efficere, at necesse fuit, funda & lapidibus, armis pastoritijs, armatum, ac vestibus pastoralibus indutum in certamen & duellum descendere: *Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam aream super caput eius, vestiuit eũ lorica, dixitq; Dauid ad Saul, Non possum sic incedere, & deposuit ea, & tulit baculum suum.* Quod euidẽs & apertum signum fuit, verum nostrum Dauid, Iesum Christum, Satanam, id est, vastum illum Goliath expugnare & debellare dum vellet, nunquam armis regijs, diuinitatis scilicet suæ, indutum, vincere potuisse; sed armis pastoritiis, id est, funda humanitatis nostræ, & lapidib. miseriarum nostrarum armatum, ac peregrini habitu assumpto, necesse habuisse cum eo congredi. Tertio quoque Regum libro legitur. Regem Israel mutato habitu ad bellum egressum esse. Ita Iesus Christus natura sua totius mũdi rex constitutus, redemptionis nostræ certamen ingrediens, habitum mutauit, *Et homo factus est.*

Omne Sampsonis robur in crinibus capitis situm erat, *si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam eroque sicut cæteri homines.* ad eundem etiam modum omne passionis & meriti fundamentum in Sampsone nostro Iesu Christo, in crinibus & fragilitate humanitatis eius consistebat. Et quemadmodum, nisi Philistæi caput Sampsonis rasissent, nunquam eum perdere aut occidere potuissent: ita quoq; nisi corpus hoc nouaculã passionis, ac gladium crucis, atq; aliquid pati potuisset, at semper glorio-

glorioſum exſtitiſſet; nunquam comprehendi, nunquam mori potuiſſet, & proinde nunquam ſaluari potuiſſemus. Neceſſe itaque fuit hanc gloriam abſtrahere, vt corpus paſſibile efficeretur.

Figura. *Ioſu.3.* Audite figuras. Arca fœderis Iordanem intrante, vt Iſraëlitæ in terram promiſſionis deſcenderent: *ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & adinſtar montis intumeſcentes apparebant, quæ autem inferiores erant, in mare deſcenderunt.* Ita quoque quo in terram promiſſionis, id eſt, in cœlum tranſire poſſimus; arca ſacræ illius humanitatis, non quidē Iordanem, at paſſionis mare intrante, vehemētes illæ ac violentæ aquæ gloriæ in ſuperiore parte animæ hæſerunt: inferiores vero defluxerunt: ſiquidē omnes mundi delitias reiecit, atq; omnia pœnarum genera ſuſcepit. Gloria ac ſublimis illa gloriæ viſio quieuere, acſteterere; cruciatus vero, labores, ac ipſa mors ſemper ad ima ſolito auſu defluxerunt.

*Iudith.7.* Holofernes Bethuliā obſidens, quo citius & facilius eam expugnaret, *conſtituit per gyrū centenarios per ſingulos fontes & incidi præcipit aquæ ductum eorū.* Ita quoq; Redemptor noſter in redemptionis noſtræ obſidio, vt corpus ſuum paſſionib. magis exponeret, à primo conceptionis ſuæ tempore gloriæ ſcaturigines inuaſit, ac magni illius fontis ductus occupauit, nihil vt in anteurbia humanitatis ſuæ redundaret, aut reflueret.

*2.Paral.32.* Potens ille Rex Ezechias obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas ſubter ad Occidentem vrbis Dauid. Ad eundem plane modum Saluator ille orbis, ſcaturiginem torrentis gloriæ ſuę, ne in corpus efflueret, obſtruxit, & à primo incarnationis ſuæ tempore ad ſuperiorem animæ partem eum traduxit. Atque omnia hæc non ſine miraculo, non ſine ſupernaturali quadam diſpenſatione peracta ſunt; ita namque Eccleſiæ lumen loquitur Auguſtinus. Thomas item Aquinas: *Diſpenſatione quadam diuina factum eſt, quod gloria animæ non redundaret in corpus, vt in corpore paſſibili noſtræ redemptionis expleretur myſterium?*

*Epiſt.36. ad Dioſcor. 3.p.q.43. art.7.*

Verum vetus hoc miraculum hodie alio quodam miraculo nonnihil obſcuratum eſt: cum ſcilicet gloria illa, quæ tanto temporis ſpatio in intima animæ parte veluti captiua delituerat, ac concluſa fuerat, in libertatem reſtituta eſt. Hodie mare illud Rubrū, quod ad nos conſeruandos, & ad peccata noſtra, Ægyptios ſcilicet, demergenda ſeiunctum fuerat, ad primum ſitum ac priſtinum locum reuerſum eſt. Hodie ſol ille gloriæ, qui in medio huiuſce animæ: velut in orbe ſuo cœleſti, conſtiterat, curſum ſuum proſecutus eſt, & ad vſque antipodes corporis deſcendit. Hodie diuturna illa eclipſis, quæ triginta duobus annis durauerat, finem accepit, & ſol ille gloriæ ſeſe videndum præbuit. *Exod.14.* *Ioſ.10.*

Cogitate igitur vobiſcum, Auditores, Chriſti Ieſu animam, à primo conceptionis momento, inſtar facis accenſæ, aut potius inſtar ſolis fuiſſe, corpus vero eius inſtar vitri lucidiſſimi; & ſimul vobiſcum perpendite, à ſolis radiis hactenus vitrum illud, non ſine continuo quodam miraculo, penetrari non potuiſſe: at hodierna die nouo miraculo eclipſim illam finiri, vt vno miraculo ceſſante, alterum ſubintret, atque hoc eſt, quod vulgo Transfiguratio appellatur.

Canta igitur iam Dauid, & melodis concrepa vobis: *Dominus regnauit, decorem induitus eſt.* videamus namque hic eum indutum *lumine ſicut veſtimento.* tuque ſponſa exulta & iubila; *Ecce dilectus tuus, candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* Nihil me vmquam ſimile vidiſſe memini. ô noua paradoxa! ô metamorphoſes admirabiles! μετεμορφώθη ἔμπροσθεν αὐτῶν, Græcus textus habet: *transformatus eſt,* transfert hæreticus; *transfiguratus eſt,* ait Catholicus. O res penitus admirandas! *Pſal.103.*

III. Chriſtus diuinus eſt Chamæleontem, ad omnes ſeſe colores variantem, & colorem gloriæ in cœleſtibus, colorem paupertatis in mundo, colorem humilitatis induentem in cruce. Videant hic ſuum Proteum Poëtæ *geſtantem tot in vno corpore formas.* Videte illum, qui in cœlis Deus eſt, in terris homo. *Et homo factus eſt,* qui modo Viator eſt, modo comprehenſor, modo ſimul vtrunque, in natiuitate ſubtilis, in calcandis aquis agilis, in Euchariſtiæ Sacramento impatibilis. ô verum igitur Proteon! *Ioan.*

Reſpicite, vos multarum rerum cognitionis auidi, diuinum illum Chamæleontem, ad omnes ſeſe colores variantem, & colorem gloriæ in cœleſtibus, colorem paupertatis in mundo, colorem humilitatis induentem in cruce. Videant hic ſuum Proteum Poëtæ *geſtantem tot in vno corpore formas.* Videte illum, qui in cœlis Deus eſt, in terris homo. *Et homo factus eſt,* qui modo Viator eſt, modo comprehenſor, modo ſimul vtrunque, in natiuitate ſubtilis, in calcandis aquis agilis, in Euchariſtiæ Sacramento impatibilis. ô verum igitur Proteon!

*Aristot. 2. Phys. c. 5.* Dicunt Physici, materiam primam esse in potentia ad omnes formas. Hic quoque videmus primam materiam, sacram hanc humanitatem, principium scilicet redemptionis nostræ omnium esse formarum & figurarum capacem: in cœlis quippe *figura substantia Patris est*; in terris *formam serui accipiens:* in altari inuisibilis est, in monte Thabor glorioſus, in cruce patibilis, post resurrectionem impatibilis. hem quænam igitur hæ formæ, quænam figuræ!

*Hebr. 1. Philip. 2.*

Iris. Demirantur naturalium rerum scriptores Iridem, eiusque pulchritudinem tantopere deprædicant: cum scilicet sol nubem, quæ ei ex aduerso est feriens, semiciculum hunc, quinque fucatis coloribus, fuluo nimirum, viridi, croceo, duobusque aliis intermediis, hiacynthino & luteo, distinctum, producit. Et sane si penitus rem considerare velimus, res ipsa dignæst, quam omnes demirentur, quin & ipse Salomon omnes inuitat, vt visa Iride, velut re eximia, in admirationem rapiantur. *Vide arcum in cœlo cum suo splendore mirabili, & benedic, qui illum fecit.* Vnde eam Plato admirationis matrem & ornamentum cœli appellare consueuit. Nihil hæc sunt & exigua; Ecce enim hic in monte Thabor Iridem aliis longe præstantiorem & pulchriorem. Videte hic colores longe alios, longe insigniores, & prioribus eminentiores. Videte hic solem diuinitatis, nube corporis percussa, egregiam hanc transfigurationis Iridem, viuis coloribus candoris, luminis ac gloriæ insignitam, hodie producentem.

Transfiguratio cum Iride collata.

Christi diuinitas Lunæ cõparatur. Quin etiam in hoc monte solem & lunam contemplemini: adeo vt montes in cœlos, & cœli in montes commutari videantur. Imo videte hic solem diuinitatis, ac lunam humanitatis. Vt enim Luna, sicut nostis, suum lumen à sole mutuatur, ita quoque humanitatem à diuinitate hodie gloriam & lu- en mutuari videmus; Luna inquam, quam geli ita nominarunt, *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora, pulchra vt luna.* Et sane, ô sacra humanitas, nos omnes lunam te confitemur; quippe quæ fluxus & refluxus in Sacramentorum mari causa existis: quæ plurimos in te influxus habes, quæ diuersos nobis aspectus & formas exhibes. Luna quoque modo media est, modo crescens, & alias decrescens, modo eclipsim patitur, modo plena conspicitur: idipsum & in sacra hac contingere humanitate videmus: paruam videmus & exiguam in præsepio, quando *paruulus natus est nobis*; nouam, post resurrectionem: eclipsi obscurari & offuscari in cruce: plenam vero hodierna die in monte Thabor, *& resplenduit facies eius sicut sol.* *Isai. 9.*

Verum sublimius adhuc in sublimi hoc mysterio, & semper de luna loquentes euolemus. Solemus quoque è diuerso lunæ aspectu & variis eius coloribus diuersas temporum qualitates præsagire, nam teste Poëta:

*Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat:*

O Sacra Saluatoris nostri humanitatis luna, cum te pallentem in montem Oliueti intueor, statim pluuias & nimbos auguror, at nimbos sanguineos: cum te rubicundam & sanguine purpuratam in monte Caluariæ contemplor, certus sum ventos, procellas & tempestates ærumnarum suppliciorumque impendere. Verum cum te modo in monte Thabor candidam & fulgidam video, gloriam felicitatemque agnosco, ac simili nos aliquando potituros præsagio.

Cum Christe monte Thabor collatus.

Iesu bone, Iesu dulcissime, cum de monte Thabor loqui audio, venit mihi in mentem montis Caluariæ: cum de tua transfiguratione loqui incipio, acerbissima tua passio statim mihi ante oculos versatur. Hic te gloria circumdatum intueor, illic te saturatum opprobriis videbo, hic tibi discipuli adhærent; illic te ad vnum omnes derelinquẽt; hic inter Prophetas te contemplor, illic inter latrones medius apparebis, hic nisi lumen & fulgorem conspicio, illic præter tenebras & ærumnas nihil erit. At relictis hisce antithesibus ad gloriam illam vela conuertamus: in die quippe adeo læta & iucunda, atque adeo glorioſa, nonnisi de lætitia, beatitudine ac gloria loquendum est. Videas namque eadem Petrum extra se raptum, eadem captum & inebriatum, an non audis clamantem: *Bonum est nos hic esse?*

Porro, q hodierna die in monte Thabor, fieri

Beatitudo, Oceanus deliciarũ est.

fieri videmus, quod Petrus hic deguſtat, non niſi ſpecimen & vmbra, non niſi guttula eſt magni illius beatitudinis Oceani, quæ in cœlis habebitur: ita namque Sacra eam Scriptura nominat: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos* Ac vere quidem: quid enim eſt in cœlis, niſi torrens quidam voluptatis, niſi deliciarum profundum, quam diuitiarum Oceanus. Teſtem & ſuffragatorem habeo Vatem regium: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.*

*Pſal.35.*

*Pſal.16.*

O nouam loquendi metaphoram! quin & de ſe ipſo loquens ait: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*; quaſi diceret: Quanto plus de aquis voluptatis deliciarumque mundi huius haurio, tanto mihi ſitis augetur magis, & eo animam interius turbatiorem ſentio. Quid? anne ambitio animum tuum occupauit, ô rex, an tua ſorte & quidem adeo lauta contentus non es? cum nimirum è paſtoritia caſa, & ab ouili ad ſceptrum & diadema ſublimatum, tot populis & vrbibus dominari, ac tanti imperij habenas moderari te videas? anne ad maiores etiam honores adſpiras, vt dicas, *Satiabor?* tot regna animum tuum nõ ſatiant? fierine poteſt, vt tanti tamque ampli honores te nondum repleant. Bene tamen ait; quidquid enim in mundo eſt, imo totus mundus, animam hominis ſaturare haudquaquam poteſt.

Insignes hiſtoriæ. Alexãder ingemiſcit, vbi plures eſſe mũdos intellexit.

Magnum illum Macedonum regem Alexandrum, ait Plutarchus, toto terrarũ orbe ab vno polo vſq; ad alterum ſubiugato, cum à Philoſopho, non recte philoſophante plures eſſe mundos intellexiſſet, lacrymari cœpiſſe, fortunamque ſuam præ interna animi elatione deploraſſe, quod è tot mundis nondum vnum tantis laboribus ſudoribusque ſubieciſſet: vt merito ſcripſerit Poëta,

*Sueton. Auguſto.*

*Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis.*

Videtis igitur, num totus terrarum orbis hominis mentem ſatiare queat. Idem pene de Auguſto tradit Suetonius: qui quamuis vniuerſi orbis foret Monarcha, ac pacem per omnes mundi plagas confirmaſſet, noctes tamẽ trahebat inſomnes; adeo eum curæ & internæ animi anxietates diuexabant. Ecce Deus bone totius mundi Imperator quieſcere non poteſt, tranquillus eſſe nequit & plura concupiſcit. Iudæus quidam regio prognatus ſtemmate, Adad nomine, cũ relicta Ieruſalem patria, in Ægyptum fugeret, tam benigna fortunæ aura in aula Principis Ægypti vſus eſt, vt præ cæteris eum amore proſequeretur, honores ei ampliſſimos contulerit, & vxoris ſuæ ſororem ei in vxorem dederit. O vere benignum fortunæ flabrum, & vere regios honores! Ipſe tamẽ tantis honoribus exornatus, quamuis maiorem inſuper beneuolentiam & fauorem Rex promitteret, dimitti à Rege petiit, ac veniam in patriam ſuam redeundi poſtulauit. An non per hunc Adad animam noſtram ad viuum exprimi videmus? quæ ad mundi aulam, velut in Ægyptum ſeſe conferens, licet princeps mundi huius honoribus, delitiis, diuitiisque eam exornare queat, nunquam tamen adeo benigne ab eo haberi poteſt, quin ſemper ad cœleſtem illam Ieruſalem patriam ſuam & naturalem habitationis locum penitus aſpirans, anhelet. Nihil enim eam præter hanc gloriam, ſatiare poteſt: nam quamdiu his in fluctibus iactatur, & procellis concutitur, ſemper ad æternam illam beatitudinem aſpirat. illa, illa eſt, qua hodie Petrus Apoſtolus ſatiatus exclamat: *Bonum eſt nos hic eſſe*; ipſe ſatiatur. iam ſatur ſum Domine, ſorte mea contentus, aliam à te beatitudinem non requiram, quia *Bonum eſt hic nos eſſe.*

Hiſtoria inſignis.

Anima hominis ſola beatitudine cœleſti ſatiatur.

Vos porrò infœlices dæmones, qui in infernali barathro cruciamini, quique miſeras animas incendio, flammis, rotis, eculeis, tormentisque grauiſſimis torquetis, quiq; hac gloria cœleſti ac beatitudine in æternũ eſtis priuati; nequaquam dicere poteſtis: *Bonum eſt nos hic eſſe.* verum verbo mutato, & deſperabundi exclamare: *Malum eſt nos hic eſſe.* Vos quoque infelices ac ter & amplius infortunatæ animæ, quæ apud inferos conflagratis, in Deum blaſphemias euomitis, quæ de ſalute veſtra deſperatis, ac rabie & furore debacchamini, nunquam cum S. Petro dicere poteritis: *Bonum eſt nos hic eſſe*; at ſemper & in perpetuum, ſine vllo fine clamabitis: *Malum eſt nos hic eſſe.*

*3 Reg.11.*

At nos miſeri viatores, afflicti exules, licet pœnitentiæ nobis adhuc tempus ſit, atq; ad hanc aliquando beatitudinem nos per-

uenturos ſperemus, nondum tamen dicere poſſimus: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Nam Apoſtolus eo loci hæc verba dicens, quo nos iam hic ſumus, *neſciebat quid diceret.* Quid cogitabas Petre? Nosne igitur, hoc in mundo, veluti Ioſephi in carceribus Ægypti, vt Danieles inter leones Babylonios, vt pueri in fornace Chaldaica, vt Ionæ in ventre ceti, & fluctibus vndique iactati, vt Iſraëlitæ in medio maris Rubri, conſtituti dicere iure poterimus: *Bonum eſt nos hic eſſe? Quale gaudium mihi erit, qui lumen cœli non video*, aiebat Tobias ille ſenior in cœcitatis caligine vitam trahens? imo quale gaudium, qualem iucunditatem, quas delicias anima in hoc vitæ caſu haberet, quæ lumen ſolis huius, beatitudinis inquam, non intuetur?

*Gen.40.* *Dan.14.* *Dan.2.* *Ion.2.* *Exo.14.* *Tob.5.*

Vos vero animæ, quæ in purgatorij ergaſtulis adhuc detinemini, licet cruciatus & tormenta intoleranda ibidem ſuſtineatis; dicere tamen ſecuræ iam poteſtis: *Bonum eſt nos hic eſſe*, cum ſcilicet de veſtra ſalute, ac de æterna aliquando beatitudine poſſidenda certæ iam ſitis, & cum ſpe ſilla vobis ferendi & patiendi robur ſuppeditet.

Vos autem, Angeli, vos, inquam, beatorũ animæ, merito iam dicere poteſtis: *Bonum eſt nos hic eſſe*, cum in eo verſemini loco, in quo omne bonum reperire eſt, vbi omnia in illa Eſſentia diuina poſſidetis, omnia in illa velut in quodam ſpeculo, tam præterita & præſentia quam futura, imo & ea quæ nunquam fient, aut erunt, fieri tamen & eſſe poſſunt, vt Theologi aſſerunt, contemplamini. Ipſa quidem regina Saba, viſa palatij & domus Salomonis magnificentia & ſplendore, præ admiratione & ſtupore exclamauit: *Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtant coram te ſemper.* At idem omnino Dauid vates de beatis illis dixit animabus, quæ tuto poſitæ loco, ineptias & inanias hominum deridẽt, *Beati qui habitant in domo tua Domine.* Hæc porro domus nihil eſt aliud, ô Theologi, quam diuina illa eſſentia: hæc eſt illa domus; in qua omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauri reconditi ſunt: eſt repoſitorium, è quo tota mundi machina prodiit, & plures adhuc mundi prodirent, ſi, vt poteſt, ita & vellet producere: eſt denique domus, de qua olim dictum eſt: *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Quomodo porro animas admirari eam par eſt, cum in illam intrauerint. Si enim Eſther regina interius Aſſueri Regis cubiculum ingreſſa, præ timore & maieſtatis ſplendore, quem in regis vultu contemplabatur, exanimis concidit? Si filij Iſraël, cœleſti illo mannæ imbre viſo, quæ ſtupore exclamarint: *Quid eſt hoc?* Quid, non dico facient, at dicent, animæ illæ, cum eas in diuinæ illius eſſentiæ penetralia intrare, ac ſecretum Dei receptaculum ſubire contigerit? quantopere eas admirari par eſt, cum manna diuinæ conſolationis ſibi inſtar pluuiæ viderint influere?

*Beati in Dei eſſentia omnia velut in ſpeculo contemplantur.* *3.Reg.10.* *Pſal.27.* *Eſth.5.* *Exod.16.*

In ſupernis igitur locis terra Peru inuenienda eſt, illic terræ nouæ quærendæ, illic argenti & auri venæ indagandæ, illic theſauri ſapientiæ, illic abyſſi perfectionum inquirendæ. Illic miraculum, in Cana Galilææ olim a Chriſto patratum, quotidie renouatur, vbi aqua tribulationis in dulciſſimum conſolationis vinum conuertitur. Illic generalis animarum fit transfiguratio, vbi corpora ſplendida, agilia, ſubtilia, impaſſibilia redduntur. O quænam illa voluptas erit, tot ſimul ſoles intueri? an non igitur ô anima mea, quæ ad huius gloriæ fruitionem nata, condita, deſtinata, ac prædeſtinata es, ad eandem contendes? an non montem illum Thabor conſcendes? Chriſtum ſequeris, crucem portabis, legem & præcepta eius ſeruabis, vt in eodem hoc monte hanc ipſam gloriam valeas contemplari? Si vero vos, Auditores, eum conſcendere, & gloriam illam conſequi, ac beati eſſe cupitis? montem aſcendite, pœnitentiam agite, ſanctificate ieiunium, ac bonis operibus ſine vlla ceſſatione incumbite, quo gloriæ huius compotes reddi valeatis.

Tu verò Ieſu glorioſiſſime, ſplendor & lumen admirabile, qui hodie totus admirabilis factꝰ es, gratia nobis tua ſuccurre, omnes animæ vires ac potentias ad id conuerte, facultates noſtras illuc impelle & dirige: memoria te ſolũ cogitet, ac tui ſolius reminiſcatur, intellectus te ſolum agnoſcat, te deniq;

ſolum

solum voluntas diligat. Et cum miserum hoc corpus vna cũ anima, gloriæ illius particeps reddi debeat, (quandoquidem tantũ: quantum anima, laborauit, & sudauit) & cũ idipsum impassibile, immortale, & instar solis splendidum reddi necesse sit; obsecramus Domine, vt aptum velis id reddere & idoneum: fac vt pœnis & molestijs incumbat, ieiunia colat, austeritates & vitæ rigores sustincat, & in pœnitentia perseueret: fac vt genua te solum adorent, lingua te solum cõfiteatur, oculi in lacrymas tantum resoluantur, pectus singultus effundat, ac manus in corpus tantum insurgant, & de præteritis delictis ab eo vindicta exigant: nec amplius corpus gulæ, & abdomini seruiat, genio nõ amplius indulgeat, aut libidinibus impurisque voluptatibus se amplius transuersum rapi patiatur. Sed fac, vt tibi vnà cum anima gratum hac in vita obsequium præstet: quò ambo posthanc vitam, non dico Transfigurationem in monte Thabor, sed in cœlestib. habitaculis diuinam tuam essentiam contẽplari meream̃tur; ad quam nos Pater, & Filius, ac Spiritus S. perducere dignentur. Amen.

## FERIA II. POST DOMIN. II. QVADRAGESIMÆ.

### Partitio.

I. *De Prædestinatione & reprobatione.*
II. *De infœlicitate animæ in peccatis obdurata.*
III. *Quærendum esse Deum.*
IV. *Metuendum & cauendum istud, mori in peccatis.*

*Ego vado, & quæretis me, & in peccatis vestris moriemini.* Ioan 8.

### FIGVRA.

2 Par 5. LEGIMVS in libris Paralipomenon, Azariam Prophetam, futuram Asæ Regi Iudæ calamitatem, & mala quæ passurus erat, prædixisse: Quamdiu, inquit, legem Domini secutus es, semp tibi beneficia plurima contulit, atque omnibus in rebus tibi bene cessit: quoties eius opem in negotijs & rebus dubijs inuocasti, semper tibi quam promptissime præsto affuit; & vix eum quærere incipiebas, quin statim tibi auxiliaturus occurrebat. At è contra, si semel te reluctari, & legem eius infringere, & cultum deserere contigerit; vix eum relinquere incipies, quin te magis adhuc relinquet & abominabitur; & venient forsitan tempora, quibus eum quæsiturus sis, & non reperturus, cum tu eum inuocaturus, & ille te neglecturus. O minas horrendas, ô præsagia Prophetica! *omnia contingebant eis in figuris.* Eiusce rei figuram, Auditores, hodierno in Euangelio legimus. Audimus hic namque non quidem Prophetam, sed Prophetarum omnium principem Iesum, Pharisæis ac Scribis eadem plane interminantem. Reluctamini aduersus me populo rebellis ac peruicax, derelinquitis me, ego quoque vos omnes derelinquam; atque ex hoc iam tempore desero: & mihi credatis velim, ventura aliquando tempora, quibus me quæretis, & non inuenietis, & quib. in peccatis vestris moriemini. verba horrẽda & terribilia: quæ vt vere ac plene intelligere possitis, Spiritus sancti auxiliũ nobis adesse, intercessione Deiparæ, AVE MARIA dicentes, rogicemus. 1. Cor. 10.

I. Prædestinatio ad gloriã vel ad damnationem res est terribilis.

Sublimia illa de prædestinatione Sanctorum, & reprobatione impiorũm mysteria, adeo obscura & inuoluta sunt, vt nulla vis sit ingenij quæ non cedat; nulla audacia & præsumptio, quæ non formidet; nullum pectus; quod non paueat; nulla mens ea concipere gestiens, quæ non horreat & præ metu contremiscat. An non enim terribile & horrendum est, audire, nedũ credere, Deum ab omni æternitate creaturas suas antequã quidq̃ meritorum vel demeritorũ facerent, has ad æternam beatitudinẽ, illas ad æterna supplicia destinasse? *Esau odio habui*, vide damnationem; *Iacob autem dilexi*, vide prædestinationem ad gloriam. O rem nouam & inauditam! è duobus in ventre matris conclusis, hunc ad gloriam & illum ad damnationẽ æternam, anteq̃ in lucem edantur, aut lumẽ solis intueantur seligi, omnem admirationẽ superat. Videó profunda illa iudicia Mar. 1.

etiam

Prædestinationis & dãnationis figura.

etiam diluuij tempore locum habuisse: hic enim octo animæ arcæ inclusæ aquis diluuij supernatant, ecce prędestinationis figuram: illic vero reliqui omnes naufragium patiuntur, & vndis immerguntur; signum hoc reprobationis. Eius vero rei è veteri vobis testamento figuras depromam.

Nabuchodonosor cum Ierosolymorum ciuitatem destruxisset, pulcherrimos quosque & forma decoros ex Hebræorum pueris seligi iussit, reliquos in captiuitatem abduci. *Et ait rex Aspbenes præposito Eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, qui stare possent in palatio regis.* Ad eundem modum Nabuchonosor ille cælestis, numen illud æternum, cum ab omni temporum æternitate, generalem mundi ruinam & destructionem præuideret, ex omni hominũ multitudine, pulcherrimos quosque selegit, vt coram facie sua, & in aula cælesti, beatitudine æterna frueretur, reliquam vero turbam repudiauit, atque infernalibus vinculis ac claustris mancipauit. Moses Hebræorum dux ac tutor, cum Ægypto egrederetur, omnem Israelitarum populum in duas turmas discreuit; sex scilicet tribus, è nobilibus matribus, Rachele ac Lia, aliisque liberis mulieribus prognatas, in monte Garizin subsistere, ac castrametari voluit, vt in eo populo Israelitico benedicerent: sex vero reliquas, ignobili scilicet prosapia oriundas, & quarum matres seruæ aut vernaculæ fuerant, montem Hebal è regione ad maledicendum voluit conscendere. Eodem modo & magnus ille mundi rector Deus, cum vniuersos homines in mente sua præuideret, in duas eos partes distribuit, hos vt benedictionibus & gloria ab eo cumularentur, prædestinatos nimirum; illos vero vt maledictionem subirent, videlicet reprobatos, & reiectos. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius!*

Dan. I.

Deut. 27.

Rom. II.

Gen. 49.

Eodem tẽpore & eodem carcere duo captiui in Ægypto egrediebantur, verũ diuersa omnino sorte, vnus honorib. à Pharaone subuehendus, extremo alter supplicio affi-

ciendus. *Restituitque alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum, alterum suspendit in patibulo.* Ex æternæ illius præscientiæ latebris & abditis eodem momento duo captiui egrediuntur, improbi scilicet & electi, verum diuerso fine. Electi nimirum vt regiis honoribus afficiantur, gloriæque participes reddantur: reprobi vero vt æternis supplicijs cruciatibusque mancipentur. An non eadem ex fornace ardentes prunas, & carbones atros educi videmus? non aliter quoq; è diuinorum iudiciorum fornace eodem momento & prædestinati, velut candentes prunæ; & reprobati, velut atri carbones, prodeunt.

Simile.

Propius rem adhuc Paulus visus est tetigisse, eum figulum ex eadem argilla vas vnũ in honorem, alterum in contumeliam ait effingere. Ita quoque summus ille figulus, & omnium conditor Deus, ex eadem creaturarum suarum massa, hos in vasa honoris, vt gloriæ suæ aliquando participent, illos vero in vasa contumeliæ, vt in æternam damnationem æternaque supplicia præcipitẽtur, efformauit.

Rom. 9.

Atque hæc quidem omnia Auditores, vt hinc infinitam suam misericordiam, illinc vero iustitiæ suæ zelum declaret: non secus ac rex, qui bonis & benemeritis beneficia conferendo, bonitatem & clementiam: scelleratos vero castigando iustitiam atq; æquitatem demonstrat. Verum cogitare vos velim, hanc quidem Electorum prædestinationem, absque vlla meritorum præuisione contingere: reproborum reprobationem sine peccatorum, quæ commissuri sunt, præuisione nequaquam fieri. itaque vt dicere liceat, non aliam prædestinationis causam esse, quam meram Dei voluntatem, eiusque beneplacitum & reprobationis non aliam quam peccata quæ ab hominibus perpetrãda sunt. Vtrumque respectu Dei certissimum est, & necessarium: at non respectu hominum. Vtrumque contingens est, & non potest mutari: at liberum nostrum arbitrium ac voluntas efficiunt, vt vtrumque non fieri necesse sit. Verum iam profunde nimis abyssos istas rimati & scrutati sumus: non enim tendere datur vlterius: timenda

Prædestinatio & reprobatio.

potius

potius sunt Dei iudicia & admiranda, quam curiosius dicēdo enucleanda, & indaganda.

Euangelium quidem hodiernum paucis vtrumque & non adeo seuere perstringit: & nonnisi exigua quædam hic reprobationis apparet interminatio: *Quaretis me & non inuenietis, & in peccatis vestris moriemini.* de his igitur minis iam loquamur, ac deinde de prædestinatione agemus.

Nihil animæ accidere peius potest q̄à Deo deseri.

*Esth.2.*

Nihil est omnino quod maiorem animæ calamitatem aut dettimētum afferat, quam si à Deo derelictam gratiaque eius destitutā & penitus spoliatam se videat. Quemadmodum enim nihil acerbius aut funestius reginæ Vasthi potuit accidere, quā à marito suo, à rege, à Principe suo spretam & despectam esse: ita quoque nihil tristius aut calamitosius animæ euenire potest, quam à spōso suo, à rege suo, deniq; Deo esse derelictā. Sane si cœli influxus suos cœlestes vel ad modicū tempus denegarent, tota hæc mundi machina, ô Philosophi, non subsisteret, at omnia inter se cōfunderentur, ac veluti nouum chaos in rerū natura exoriretur. Quid igitur de anima fieri dicemus, à qua Deus supernaturalem gratiæ suæ influxum retrahit, & penitus denegat? Audite quid in hanc rem dicat Dauid, *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Eliæ precibus factum est, vt trium & dimidij annorum spatio Samariæ agros pluuia non irrorarit, ita vt omnia circūquaque emorerentur: fluuij exsiccarentur, herbæ arescerent, animalia languerent, atque vbique tristis mortis facies appareret. Quid igitur faciet anima, cum illi Deus pluuiam & cœlestem desluxum denegarit, quando cataractas & orificia misericordiæ obstruxerit & obturarit.

*Psal.142.*
*3 Reg.18.*

Hinc factum est, vt quando Dominus Israelitis timorem incutere vellet, illis eos à se deserendos interminatus sit, vtpote quo nihil iis tristius aut acerbius posset accidere. *Va eis cū recessero ab eis*, & Ieremiam: *Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima mea à te.* Nihil enim adeo Dauid Rex metuebat, quam à Domino deseri: atque ideo lacrymans orabat, *Domine ne discesseris à me.* & cum cælum oculis tantum amisisset, exclamabat gemens, *Vt quid Domine recessisti longe?* accede iterum, accede & lumine tuo illustra.

*Ose.9.*
*Ier.9.*

Helisæus cum Eliam magistrum sibi eripi, ac se ab eo destitui videret, lamentrabatur, ac gemebat tam insigni & tam sancto se magistro priuari, exclamans, *Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Quid igitur miseram animam facere par est, cum illam Deus relinquit, quando gratiarū influxum ei denegat, in primis vero, quādo eam odio prosequitur: *odisti* namque *omnes, qui operantur iniquitatem*, quibus illam lacrymis, quibus gemitibus ac suspirijs decessum hunc & orbationem deplorare necesse est?

*4. Reg.2.* Allegoria.

Hinc igitur discant Christiani, idipsum gratiam in anima, quod anima in corpore, præstare: anima enim caduco & fragili huic corpusculo suum esse, vitam, sentiendi vim, & cæteras omnes naturales operationes subministrat. Gratia quoq; non minora animæ suppeditat, esse scilicet plane diuinum, vitam spiritualem, rerum cœlestium gustū, & ad omnia sancta & pia opera motum & agilitatē singularem. Nam quemadmodum corpus hoc nostrum anima orbatum & destitutum, nonnisi exanime cadauer est: ita quoque anima, quam gratia destituit, penitus mortua est atque pabulum facta inferni, *mors quippe peccatorum pessima.*

Id gratia in anima quod in corpore anima præstat.

*Psal.33.*

Reducite quæso in memoriam Auditores quod in passione Domini cōtigit prodigium: vt scilicet Christo in cruce moriente atque ex hac vita proficiscente tenebræ factæ sint super vniuersam terram, vt terra contremuerit, sol deliquium passus fuerit, ac tota mūdi machina dissoluenda & in nihilum redigenda visa sit. Hoc ipsum quotidie in nobis accidere certissimum est: quando scilicet Christum, vt Paulus loquitur, peccatis nostris iterum cruci affigimus, crucī inquam animæ, & ille à nobis discedit: tunc tenebris vniuersam animæ essentiam cooperiri, solem rationis deliquiū pati, terram concupiscentiæ & affectuum contremiscere, peccatorum ac flagitiorum sepulchra reserari, columnas gratiarum diffindi, deniq; omnia interius confundi ac pessum ire cernimus. Non igitur sine causa Pharisæis comminatur, dicens, *Ego vado.*

Insignis cōceptus.

*Matt.27.*

*Lib.8.de cœlo.c.7.* Docuit olim magnus ille Philosophus Aristoteles, & accessum & recessum solis corruptionis & generationis in hoc inferiori hemisphærio causam existere: verum multo maiori cum ratione dicere poterimus, gratiæ accessum & recessum, generationis & corruptionis in anima causam esse: eius enim accessus eam à vitiis retrahit, recessus in ijsdem obdurat: ea præsente virtutes in anima vigent, merita ac bona opera efflorescunt, absente vero eadem, pœnæ & culpæ in animam ingruunt, eamque deprauant.

*Rom.9.* Dico igitur cum D. Paulo, *cui vult miseretur*, ecce eius accessum, ecce conuersionem: *& quem vult indurat*, ecce recessum, ecce obstinationem. Illic de prædestinatione sermo est, hic minæ de reprobatione. Apertius adhuc in Exodo, vbi Dominus ad Mosem ait, *Ego indurabo cor Pharaonis.* vbi Augustinus exclamat, *Nisi cum abfuerit gratia mea, obdurabit eam nequitia sua:* atque hoc egregia similitudine declarat. Quemadmodum enim cum terra tota gelu constricta est, & obduruit, sole accedente ac radijs eam feriente, omne statim gelu dissoluitur, ac terra emollescit: ac sole occidente, ac radios subducente, ecce tibi iterũ gelu omnia rigescere, & in primam duriciem conuerti. Ita quoq; cum anima nostra fieri videmus, quæ cum congelata est: & peccati frigore, frigore inquam Boreali, cum quo Boreas noster non est cõparandus, induruit, vbi primum gratiæ calor supernaturalis accedit, & eam radiis ferit, omnia statim dissoluuntur, omnia emollescunt, ac prior illa durities abscedit. Verum vbi gratia iterum recessit, omnia nouo gelu incipiunt rigescere, & peruicacia obstinatioque animam inuadunt.

*Exod.4. August.ser. 88.de temp* Similitudo qua ostenditur, vnde peccatorem in peccatis obdurari contingat.

*Calu.1. inst.c.17.* Deus omnibus & singulis gratiam confert, qua sufficienter saluari possint, non tamen efficacem.

Clementissimus igitur Dominus peccatores positiue non obdurat, vt nefandus ille Caluinus blasphemans asserit, at tantum per accidens, & permissiue: cum scilicet ijs gratiam & auxilium subtrahit. Et quamuis Deus nulli sufficientem, qua conuertatur & saluetur, gratiam neget: aliquibus tamen, iusto suo iudicio, eam haud ita liberaliter, aut nõ ita magnam confert, vt quibusdam, idq; propter grauissima, quæ prius commiserãt delicta in quorum pœnã & castigationem obstinationem illam & obdurationem in animã immittit, vnde illa profecta sunt.

Similitudine porro & exemplo rem explicemus. Si medico diuersa & morbo consentanea medicamenta præscribenti, æger parere nolit, & in contrariam partem, vetita & noxia comedendo, & à salubribus abhorrendo, annitatur, ægrotũ vero interea mori contingat, nulla culpa medico quasi minus perito aut minus diligenti imputanda est: at omnia in ægrum parere detrectantem refundenda sunt. Ita quoq; de medico animæ dicendum est: qui cum peccatorem, veluti ægrotum præscripto suo parere nolentem, & omnia contraria facientem, deserit: quid ei grauius, vel respectu obstinationis, vel perditionis, damnationis accidit, non Deo, sed ægroto refractario, qui proprii exitij causa exstitit, imputandum. Ieremias hinc à similitudine nostra non discedens ait, *Curauimus Babylonem, & non est sanata: relinquamus eam*, & hodie Euangelij nostri lectio, *Ego vado.* ac si diceret: Iam triginta trib. annis in mundo vixi, tanto tempore vobis prædicaui, & vt ad me conuertamini, me agnoscatis, pœnitentiam agatis, admonui: interea tamẽ me & verba mea contemnitis, Omnia vobis, quæ ad sanitatem vestram facere videbãtur, remedia suggessi & proposui: præstiti quidquid in perito & diligenti medico desiderari posset: igitur iam dico vobis, *Ego vado: & si in peccatis vestris moriamini*, non mihi, sed vobis ipsis asscribendum est.

*Ieremi.51.*

*Ego vado.* & quonam Domine? quo tendis, quo proficisceris? Mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, iam enim sero est, vita nostra in extremis est, ad vesperam ætatis iam ferme deuenimus, candela nostra iam ad finem vergit, exiguus nobis vitæ superest terminus: ne igitur nos iam deseras: si tamen penitus tibi in animo abire insederit, nos saltem te sequamur. Sed quid? ais nos sequi non posse, iter in longinquas te regiones parare, quo sequi foret perdifficile, *Ego vado* quo, quonam, & in quas regiones? *quo vos non potestis venire.*

O mysteria, & res admirabiles! vadit ad passionem, properat ad crucem, quo nos, tanta & tam grauia supplicia, cruciatusque tolera-

toleratuti, tam ignominiosam mortem subituri, sequi non possumus. Vadit peccatis totius mundi satisfacturus, quo creatura nulla poterat pertingere. Vadit ad dexteram Patris, ad quam nec Apostoli, nec ipsi Angeli aspirare poterant: *Cui enim aliquando dixit Angelorum, Sede à dextris meis?* nec ipsa quidem Virgo Deipara. Licet enim illa super omnes Angelorum choros sublimata sit, non ideo tamen ad dexteram Patris in regno cœlorum considet. *Heb.1.*

III. Relinquamus igitur iter hoc incognitum, & viam inuiam nobis & inaccessam: ac nostræ potius viæ insistamus, textum Euangelij prosequendo. *Et quæritis me*, est hoc stomachantis animi indicium, quasi dixisset: Generatio praua ac viperarum genimina, ego è cœlo descendi vt te quæram: nonaginta nouem oues in deserto reliqui, omnes, inquam, Angelorum turmas & legiones, vt te miseram ouiculam, errantem & scabie putidam quærerem. Tanto iam te quæro tempore, per decliuia & accliuia, per deserta, per agros te indago, vt ad ouile reducam, & venire renuis. Vado igitur, & scio venturos aliquando dies, misella, quibus me quæras, sed dico tibi, *non me inuenies*.

Iudæi Messiam quærunt, & inuenire nescíũt. *Isai.55.*

Sane quæsiuistis illum, ô Iudæi, in sepulchro, & minime reperire potuistis? quæsiuistis tum cum Roman. Imperatores Titus ac Vespasianus vallo vos cinxerunt. quinetiam nunc hodierna die, in vestro Thalmud, in Rabinorum scriptis, in Prophetiarum vestrarum scrutis eum scrutamini, idque ipsis mille & sexcentis annis, *& non inuenietis* amplius, abiit, decessit, euasit. *Quærite* igitur Christiani Christum *Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est.* &, *Dum tempus habemus, operemur bonum:* dum sol in nostro adhuc horizonte est, operibus incumbamus: nec exspectandum est, donec luna surgat, & ruat Oceano nox. Non est ad vesperam quærendus Deus, vsq; ad noctem non est exspectandum, nec in vitæ finem & senium conuersio differenda est. O nos miseros, & frigidos! nos Deum festis sacrisque diebus solum quærimus, quærimus in periculis, necessitatibus, morbis, constituti in extremo mortis articulo: at cum fortuna arridet, & omnia nobis ad votũ fluunt, illũ negligimus, & è manibus nostris elabi patimur.

Deus vitę huius tẽpore quærendus est.

At in hac vita quærendus est, vt peccatorum veniã consequamur, non vero in altera; tunc enim quæremus, & non inueniemus. Serius illũ inuocasti ô epulo: serius venistis & clausâ ianuâ insensatæ virgines: nimis diu ô Esau venatus es. Vos vero apud inferos damnatæ animæ frustra Dei misericordiã amplius inuocatis: & vos purgatorij incolæ, nolite de Deo loqui amplius, ne eum quæratis amplius, non enim inuenietis: cum, dum inueniri potuit, eum quærere distulistis: sed tandem adhuc inuenietis, at prius negligentiæ vestræ supplicia persoluenda sunt. *Luc.16. Matth.25. Gen.22.*

Alexãder Magnus in vrbium obsidione facem accendebat, & quam ob rem.

Dicitur Alexander Macedo, cum vrbem aliquam obsidione cinxisset facem accendere consueuisse, ac publica præconis voce edicere omnes qui sese, dum fax maneret accensa, victoris potestati tradidissent, incolumes fore: verum nullam extincta face spem salutis reliquam superesse. Sane ad eumdem nobiscũ agere modum videtur Deus, quando nimirum conscientias nostras inuadit. An non auditis, vt quotidie iam in Quadragesima auribus nostris per Prophetas tubâ suâ insonet: *Conuertimini ad me*, tradite vos vestraq; omnia, aperite mihi portas vestras; & alibi: *Quærite Dominum dum inueniri potest*, quam diu vitæ huius fax ardet: nam vbi illa extincta erit, post mortem scilicet; nullus indulgentiæ aut misericordiæ locus est. *Ioël.2. Isai.55.*

Insignis cõceptus. *Gen.14.*

Prudenter sane magnus ille Ægypti Rex Pharao fecisse videtur, cum fertilitatis tempore, & aureo sæculo durãte, horrea condidit, in quibus frumentũ reconderet. quod famis tẽpore in populi vsum cederet, & quod exteris ac vicinis liberaliter erogaret. Ita mihi non minus sapienter illi facere videntur, qui huius vitæ tempore, tẽpore inquam fertilitatis, cum tantillo labore tantaq; facilitate misericordia acquiri potest (audite enim scripturã dicentem: *Misericordia Domini plena est terra.*) thesauros meritorum condunt, animæ horrea bonis operibus replẽt & constipant, vt tempore calamitatis & siccitatis à fame spirituali immunes esse possint, quæ non septem annis, vt illa fames Ægyptiaca, verum in æternũ duratura sit. Infelices por- *Psal.32.*

ro illi insipientes, qui tempore messis in horrea frumentum negligunt inuehere; cum enim eos hyems æternitatis improuisos adorta fuerit, famem patientur vt canes.

Alius cõceptus. *Leuit. 32.*

Inter cæteras, quas Deus sibi offerri nolebat aues erat & cygnus. Quamobrem potissimum bone Deus? Est enim auis pulcherrima, instar niuis candida, & cantus suauissimi. Verum quidem, sed non cantat, nisi vbi fata vocant. Est igitur cygnus reproborum figura, eorum scilicet, qui vitæ emendationem, morumque correctionem vsque ad extremum vitæ terminum differunt, & prius pœnitentiæ threnos & palinodiam non cantant, quam iamiam ex hac vita emigraturi.

Deus non inuenitur nisi in medio doctorum, in tẽplo.

Igitur ô Christianæ animæ quærite Deũ, quam primum vt eum perdidistis, miseræ inquam animæ, animæ à ministris, nouatoribusque in errorem ductæ, & à recto veritatis tramite seductæ. Inuenietis eum in medio Doctorum, in medio veterum Patrum, non vero inter Nouatores. Hic eum inuenit Deipara, hic eum reperit anima; alibi vero non inuenitur.

*Matth. 21.*

Vos vero mulieres surgite tempestiuius, estote diligentiores: surgite saltem *orto iam sole*. exite è vitiorum Ierusalem, emite pretiosa bonorum operum aromata, Christum quærite, & videte num in animabus vestris surrexerit. Vos autem Reges & Principes relinquite Orientem, pacem cum sociis cõponite, ambitionem extinguite, mundum deserite, & ductu stellæ fidei, cum tribus regibus, pauperem Iesum Regem vestrum in

Insignis cõceptus.

*Luc. 1.*

stabulo iacentem in præsepio reclinatũ quærite, *ibi eum inuenietis*.

Philosophi Deum quærant in Eucharistia.

Vos porro Philosophi, qui Deum vbique & in omnibus quæritis, in inanibus imaginibus, in ideis, in natura, in æternitate, in terris categoriarum vestrarum indagatis, relinquite vanitates illas, deserite curiositates, & eum in Eucharistia, magna cum humilitate, idque fide Catholica, potius quærite. Vos

Theologi in cruce.

quoque Theologi, qui Deum in abditissimis etiam locis quæritis: modo sc. in duabus naturis in vna hypostasi subsistentibus, & in rubo illo ardẽti incarnationis: modo alia quadam ratione, in trib. scilicet personis & vna eademque natura, in profundo SS. Trinitatis mysterio: relictis sublimibus hisce mysteriis, & præruptis præcipitiis, in quibus non paruum erroris periculum est, venite, quærite, adorate, conspicite eum in cruce, illic enim reperietur, *ibi eum inuenietis*.

IV.

Hem auditores, si Deum quærere differtis, cum tam facile inueniri potest, si pœnitentiam non feceritis: venturum mihi credite, aliquando tempus quo eum quæsituri estis & non inuenturi, imo in peccatis vestris morituri. In vos hoc quadrat, hæresiarchæ, de vobis conuerso nomine hæc fabula narratur, pestes & furiæ infernales, quæ quotidie animas in exitiale periculum trahitis, ac contra veritatem, cõtra conscientiam, contra Dei timorem pugnantes, vobiscum in æternam damnationem deuoluitis. Reducite vobis in mentem, tragicam & funestam prædecessorum vestrorum catastrophen: tristem inquam exitum gigantum illorum, Arii, Manichæi, Pelagij. Reuocate in memoriam horrendum illum finem ac miserum vitæ Epilogum maiorum vestrorum Lutheri & Caluini. An non omnes hi in peccato mortui sunt? an non in extremis de venia impetranda desperantes hinc discesserunt? Cauete igitur vobis, ô sacrilegi ministri, nefariorum parentum nefariæ proles, cauete, inquam, ne in peccatis vestris moriamini. In vos etiam, ô obdurati peccatores & pertinaces, hæc dicta sunto. Ita namque cum omnibus tuis copiis in mari rubro mortuus & submersus es Pharao. Ita rebellis Absalon qui aduersus patrem clementissimum collecto exercitu insurgens, & nunquam peccatum volens agnoscere, exspirasti. Ita vos Sodomitæ, verbis Angelorum & Lothi minimo credentes, estis exstincti. Ita denique vos primi mundi incolæ, qui Noë monenti ac tanto tempore prænuntianti auscultare noluistis in peccatis vestris mortui, diluuij vndis estis suffocati. At melius & prudentius, vos Niniuitæ, egistis, qui Deum, dum inueniri potuit, quæsiuistis, & ad primam Prophetæ prædicationem, à vita vestra pessima ad Deum toto corde estis conuersi.

Hæretici in peccatis suis mortui.

Peccatores in peccatis suis mortui.

*Exod. 14.* *2. Reg. 18.* *Gen. 19.* *Gen. 7.*

*In peccatis vestris moriemini*, id est, condemnabimini. anne igitur Deus alicui damnatio-

*Ioan. 3.* Deus non

potest peccatori damnationem suam reuelare.

nationem suam reuelare potest? anne peccatori sententiam mortis irreuocabilem potest suggerere & manifestare? Non equidem existimo. hac enim ratione fieret, vt animæ in desperationis barathrũ præcipitarentur. Hoc saltem constat, Domine, atque etiam credo, quod licet mihi me damnandum reuelasses, humiliter responderem. Bene quidem clementissime Domine, si in peccato perseuerem, non vero, si facta pœnitẽtia me ad te conuertero. Iustitiam tuam quidem pertimesco, hoc tamen mihi de te confisus arrogare audeam; ac dicere, quod, quamuis nomen meum in libro reprobatorum & damnandorum consignasses; si in hac vita pœnitentiam egero, te, (ignosce, si loquar audacius) nomen meum delere, atque in electorum me numerum cogam asscribere. Quid vero impedit, quo minus hoc liceat dicere: Dauid mihi præiuit, ac viam monstrauit dicens: *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Deniq; benignissime Domine, condidisti me quidem sine me, at me sine me damnare non vales. Hoc enim bonitati tuæ aduersatur, & libertati meæ patrocinatur.

Peccator pœnitens potest se de numero electorũ facere.

*Psal.68.*

Est igitur sententia hæc comminatoria, & interlocutoria, appelletur prout libitum fuerit, non vero definitiua & certa. Nolite itaque ô animæ pauidæ & meticulosæ ad hanc prædestinationem & reprobationem consternari, nolite credere quidquid ministri vobis & hæretici insusurrent. Verum credite & quidem firmiter, nunquam vos damnandas, quod damnãdas præuiderit Deus: verum, quod ipse ab omni æternitate nunquam vos pœnitentiam de peccatis acturas, & in iisdem morituras præuiderit? Ita vt dicere liceat, vestram vobis peruicaciam & obdurationem, non vero Dei præscientiam, damnationis causam futuram.

Quamobrem clementissime ac benignissime Domine, qui hominem ad damnationem minime creasti, & non vis mortem peccatoris: sed magis vt conuertatur & viuat, quiq; eum quotidie vt pœniteat exspectas: Concede nobis, obsecro, tempus, gratiam & animum, vt dignam pro peccatis pœnitentiam agamus, & quamdiu vitæ fax ardebit, bonis operibus incumbamus. Ante omnia vero mane nobiscum, noli nos derelinquere, noli nos gratia tua destituere: nihil enim nobis aut funestius, aut acerbius accidere queat. Quod vero omnium est miserrimum, cum te iam amiserimus, periculum est, ne te quærentes vmquam amplius deinde inuenire possimus, & peccatis nostris moriamur. Auerte hoc igitur à nobis, aufer calamitatem hanc ab animis, ac triste hoc infortunium ceruicibus nostris imminens procul repelle. At largire nobis gratiam, tuorum nobis aperi donorum thesauros, ac semper nobiscum permanero: illa namque vera est ratio, qua in librum electorum tuorum, quo ad præsentem quidem iustitiam in hac vita & quo ad gloriam in altera spectat, referamur. Amen.

## FERIA III. POST DOMIN. II. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De fide & obedientia Ecclesiæ præstanda.*
*II. De Cathedra.*
*III. De Scribis.*
*IV. De Pharisæis.*

*Super Cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Matth. 23.

### FIGVRA.

POTENS ille Persarum Monarcha Darius super omnes regni prouincias ac regiones centum ac viginti satrapas, veluti regni custodes & Episcopos constituit: ac super omnes hos Principes tres ex quorum numero Daniel, omnibus negotiis superintendentes simulque decreuit, vt priores satrapæ tribus illis rationem redderent, simulque obedientiam præstarent: atque illos veluti maiestatis regiæ vicarios, omnes regni subditi agnoscerent. Id vero, quod olim Darius in suæ reip. statu, ad regni regimen & gubernationem, præstitit, Deus regum *Dan.6.*

Rex & dominantium Dominus, in causa religionis, in lege Mosaica, propter legitimam & rectam synagogę administrationem, semper obseruauit. Constituit enim Scribas & Pharisæos veluti satrapas & duces populi; & summum Sacerdotem ac Pontificem: veluti vicarium suum generalem, in iis quæ ad rectam legis obseruationem, & cultum Dei verum ac legitimum pertinerent, præesse voluit. Itaque hodie populo persuadet, vt eorum voluntati in omnibus obtemperent, eorum monitis auscultēt, & perfectam obedientiam præstent, *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate & facite.* Ecce præceptum. Cætera, vbi Virginem salutatione Angelica salutauerimus, dicam:

AVE MARIA.

*Apophth. Platonis.* Princeps ille ingenij ac doctrinæ Plato, tū demum beatas respub fore dicebat, cum aut Philosophi eas regerent, aut qui regerent, philosopharentur. Quam beata igitur ac felix Christiana resp. Ecclesia, inquam, Christi, quę à tot iam retro annis & sæculis, semper à S. Petris, Greg. Vrbanis, Sixtis, Innocētiis, Clementib. aliisque summis Pontificib. viris tum sapientia, tum prudentia rerum singulari, & tanta è cœlo gratia dotatis vt nunquam in gubernatione ac regimine ne minimum errare potuerint, fuit gubernata. An non meministis, quod olim Petro adeoque in illo Successoribus eius à Christo dictum sit? *Luc. 22.* *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua* Nunquam illa dies illucescet Petre, quæ te fractum & quassatum videbit, nunquam illa quæ te sub persecutionum pondere ac mole videbit fatiscentem. Eris, eris ille Atlas, qui humeris potentiæ tuæ non cœli machinam orbiumque cœlestium pondus, sed omnium fideliū necessitates & negotia sustinebis. Eris rupes illa, illa petra inuincibilis, quæ in mediis vndis sita omnem ventorum, fluctuum, ac procellarum rabiem exsibilabit: *& portæ inferni non præualebunt aduersus eam* Eris denique vallum illud æreum ac columna ferrea, de qua Ierem. vallum, inquā, quod aduersus omnes Tartari incursus & impetus, aduersus omnes mundi insidias & oppugnationes infractum & inconcussum permanebit: *Dabo te in columnam ferream, & in murum æreum super vniuersam terram.* Felicem igitur ac vere beatam remp. à tam eximiis ducibus administratam. Quocirca mirandum non est, si tanto tempore imperterrita perseueraueris, ac modo perseueres, cum te tot inuicti Cæsares, tot infracti Hercules, tot insuperabiles Alexandri, tam sapienter, tantaque prudentia, tam longa annorum serie, gubernarint. *Matth. 16.* *Ierem. 1.*

Considerationes de S. Petro.

Referunt Athenienſem quendam Regi Theopompo olim dixisse: Mirum non esse, si Resp. Lacedæmoniorum tanto tempore floreret, cum Principes & Reges eam tanta gubernent prudentia & sapientia. ac Regem deinde respondisse, Tum etiam, quod populus tam prompte Regum legibus obtemperet. Idipsum de Ecclesiastica repūbl. dicere merito possim, mirum sc. non esse, si Christiana illa Monarchia tanto tempore vigeat, cum rectores eius & moderatores tam sapienter ac prudenter eam gubernent, & subditi eorum legibus tam libenter ac prompte pareant, & iussis auscultent. Theopompi regis dictū.

Ipsa namq; subditorum obedientia & parentia, regni & imperij, ipsius quoq; Ecclesiæ, robora sunt ac nerui, ac balistæ fortissimæ quibus sese contra omnes insultus defendat: quippe *omne regnum in se diuisum desolabitur*; vnica enim seditio, vnicum dissidium, vnica peruicacia & refractaria voluntas, remp. funditus euertunt ac demoliūtur. *Matth. 12.*

Hinc nihil vnquam Deus aut efficacius aut diligentius nobis præcepit, Auditores, quam vt Prælatis, Pastoribus, Episcopis, Ecclesiæq; suæ Doctoribus pareamus: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, ait ipsa veritas. & in Euangelio Lucæ: *Qui vos audit, me audit.* quasi diceret: Magnificite, ô Pastores, commissum vobis negotium, magnitudinem eius & splendorem perpendite, cogitate vobiscum, quo in gradu honoris constituti sitis. Quicunque enim vos audit, & paret, paret & mihi: & è contra, qui vos spernit, me spernit. Paulus quoq; Apostolus eodem eos inuitat, dicens: *Obedite præpositis vestris: qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ecce quoque nouum Voluit nos Deus superioribus parere. *Matth. 18.* *Heb. 13.*

uum in Euangelio hodierno præceptum: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcunque dixerint vobis seruate & facite.* Cum igitur ipse iam cathedram conscenderim, primo vobis de cathedra hac verba faciam, ac deinde de ijs qui super hanc sedent.

II. Per Cathedrā Mosis, Petri cathedra significatur *Catech.12.*

Quod ad cathedram igitur spectat, per cathedram Moysis, Petri cathedram: id est, summi imperij ac potestatis locum, ac doctrinæ certissimæ, quæque falli non potest, auctoritatem, intelligimus. Ita porro id explicat magnus ille Ierosolymorum antistes Cyrillus: *Non hic*, inquit, *ligneam cathedram, sed doctrina significat potestatem.* Illa scilicet est cathedra quæ duabus clauibus clauditur & aperitur. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* vna earum auctoritas est, &, quæ ad præsules populi curam habentes spectat, altera vero doctrina, quæ ad doctores pertinet, qui potestatem legitimam ad scripturæ arcana reuelanda & explicanda acceperunt.

Ecclesiæ cathedra duab. clauib. clauditur. *Matt.16. Epist.55. & citatur in decret. dist. 93.c. Qui cathedra.*

Hæc est cathedra salutis, cathedra veritatis; cathedra benedictionis, extra quam & sine qua nihil præter mēdacia, errores, præstigias, & impostura reperitur. Ita namque Cyprianus Cornelio scribit: *Qui cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse non confidat.* Eodem quoque modo Hieronymus epistola ad Damasum Papam: *Beatitudini tuæ*, id est, *cathedræ Petri, communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio.* O dignam tanto viro sententiam! ô verba niueo signanda lapide! ô egregiam, regiam; ac Pontificiam cathedram! cathedram non Anthiochiæ, non Ierosolymis, non Alexandriæ, non Constantinopoli, sed in medio Romanæ ciuitatis, in qua ad finem vsque mundi permansura est, collocatam! Hoc est, quod doctissimus ille Britannus Nicolaus Sanderus docte, sane ac diuine docuit: *Sicut*, inquit, *sacerdotium legale per Leuitas inchoatum, & Deo volente in templo Salomonis institutum, ad primum vsque Christi aduentum semper durauit: sic in nouo Testamento Pontificatus à Petro inceptus, & Dei voluntate Romæ institutus ad secundum vsque Christi aduentum perseuerabit.* Quid dici his aut elegantius, aut doctius potest? an non argumentum hoc validum & plane efficax.

*93.c.qui cathedr.*

*Lib.7. de visibili Monarchia.*

Hæc est denique illa cathedra, thronus ille regius, in quo post Apostolorum Principem Petrum ad nostra tempora, quib. Clemens VIII. Ecclesiæ clauum moderatur, ducenti quadraginta Pontifices sederunt, & præsederunt. Cathedra, inquam, triginta trium Pontificum, qui eam initio nascentis Ecclesiæ tenuerunt, pretioso purpurata sanguine. Lucas Euangelista, vt splendorem & magnificentiam generationis Iesu Christi declaret à Ioseph, velut à montis pede ducens exordium per cōtinuam successionem ascendens, per Reges, Prophetas, Patriarchas progrediēs, in Abraham eam inchoatā demonstrat. Non aliter Sacra Romana Ecclesia, vt antiquitatem & maiestatem cathedræ suæ ac throni ostenderet, à Clemente VIII. (quem dominus conseruet & viuificet, & inter beatas illas Vrbanorum, Sixtorum, Benedictorum, Piorum, Gregoriorū, & Alexandrorum animas faciat aliquando commorari) ducto initio, ad sanctum vsque Petrum, continua serie, & successione imperturbata, & inde ad Iesum Christum, primam suam originem lapidemque fundamētalem, in quo ædificium hoc ædificatum est pertingit.

*340. Pontifices post S. Petrum. 33. martyrio affecti.*

Propheta regius dignitatem sedis huius, & cathedræ præsagiens, tres alias ei cathedras peste & abominatione infames opponit, atque ab ijsdem Psalmorum suorum exordium ducit: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Prima pestilentiæ cathedra, est Mahometi, in Alcorano fundata: altera perfidorum Iudæorum, in Thalmudicis libris ædificata: tertia infelicis ac pestilentis Caluini; cathedra inquam pestilentiæ, cathedra falsitatis, cathedra erroris & blasphemiæ. At in cathedra Romana fiunt miracula, de ea, & in ea Prophetæ veteres vaticinati sunt; in ea dona linguarum intelliguntur, in ea exorcismi pollent ac potestatem habent, Cathedra, è qua fulgura excommunicationum, censurarum, tonitruum, peccatorum remissio;

*Psal.1.*

Romanæ cathedræ priuilegia

contra-

controuersiarum decisio, hæreticorumque dogmatum declaratio proficiscuntur. Cathedra, quæ totum mundum iudicat, quæ tamen ipsa à nemine iudicari potest, vt Imper. Constant. olim dixit.

Sola veritas in Ecclesia est.

Paucis vt dicam, hic est cathedra veritatis: nam veluti Phœnix, cui similem reperire non est, non per omnes aeris regiones volitat, sed in solis Arabiæ petris reperitur; Ita quoque veritas, quæ instar Phœnicis vnica est, nusquam nisi in Ecclesia, nisi in petra Ecclesiæ comparet; hinc eam Paulus *Columnam veritatis*, quasi petram, in qua vnica illa auis veritatis nidificat, appellauit. Margarita illa Euangelica, si forte meministis, nonnisi in domo potuit reperiri, quo edocemur, adamantem illum veritatis non alibi, quam in domo Iesu Christi, in hac scilicet cathedra, posse reperiri. Noli eam amplius Democrite in puteo submersam quærere; non enim nisi in hac cathedra reperitur: cathedra inquam non lignea, sed marmorea,

1. *Tim.* 2.

*Matth.* 16. sed petrosa, *Et supra hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi*, fulgura, venti, turbines, & procellæ *non præualebunt aduersus eam.* Cathedra bene fundata, cuius fundamentum Christus est, cuius columnæ, bases, & sustentacula Apostoli.

3. *Reg.* 10. An non audire vos aliquãdo meministis, Thronum illũ Salomonis, duodecim leunculis suffultũ fuisse? *Fecit etiam Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fulgentissimo, & duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atque inde, non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Videbitis hic rem plane similem: videbitis hic thronum pontificalem; duodecim Apostolorum fide subnixum, *fundamenta eius in montibus sanctis.*

*Psal.* 88. Per sanctos hosce montes Propheta Apostolos intelligit, super quos Ecclesia velut super Caucasum vel Athon fundata est.

Hæc illa est fides, hæretice, quam tam nefarie, tam inique, tanta calumnia, tantaque iniuria, blasphemo ore cathedram pestilentiæ, cathedram Babylonicam, cathedram idololatriæ, denique cathedram Antichristi audes nominare. Scisne miser & infelix, quis sit Antichristus ille futurus? nostine quid sacra Scriptura dicat? *Homo peccati, filius perditionis, qui extolletur supra omne quod dicitur Deus.*

2. *Thess.* 2.

Anne vnquam audiuisti summum Pontificem, summum illud Ecclesiæ caput, Papam Romanum, (eo eum appelles nomine, quo lubuerit, modo fidelium omnium caput esse dicatur) eum inquam, qui Ecclesiæ præsidet, quique in hac cathedra sedet, eo vnquam impudentiæ processisse, vt sese vel Deum, vel Christum vel Angelum nominarit: Nequaquam Auditores, eo enim amentiæ nondum venit, nondum tanta eius fuit ambitio. Verum enim vero ea semper Christi Vicariorum fuit humilitas, vt etiam vilissimis & abiectissimis sese nominibus voluerint appellari, omnium sese pedibus subiiciendo, ac seruos seruorum Dei & nudos Christi vicarios nominando. Antichristus autem maiores sibi titulos, maiores sibi dignitates arrogaturus est.

Cathedra Petri Antichristũ oppugnat, & hæreses expugnat Anno 325.

Verum hæc est illa sedes & cathedra, quæ Antichristum, & omnes eius socios & assecias oppugnat & pessundat: hæc est illa, quæ vitia omnia, & hæreses imprimis, castigat & arguit. Illa, illa cathedra est, quæ sub Siluestro Pontifice in Concil. Niceno Arianam hæresim, Iesum solum esse hominem, non vero simul Deum, asserentem, condemnauit. Anno 381. Hæc illa est, quæ sub Damaso, in Concilio Constantinopolitano Macedonium & Eunomium, in Spiritum sanctum blasphemos & iniquos profligauit. Hæc illa est, quæ sub Cælestino in concilio Ephesino Nestorij impietatẽ, duas in Christo Personas asserentem, confutauit. Hæc est deinde illa sedes, quæ sub Leone primo in concilio Chalcedonensi, Eutychetem, vnicam in Christo naturam promulgantem, redarguit & confregit. Hæc est etiam cathedra illa, vt Euangelij nostri verbis credamus, supra quam Scribæ & Pharisæi sederunt. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi.*

Anno 470.

Anno 451.

III. Scribæ Doctores Ecclesiæ dicti notant. *Ephes.* 4.

Porro Scribæ, qui super hanc cathedram sedẽt, ipsi sunt Doctores, quos Deus in Ecclesia sua esse voluit. *Alios autẽ dedit doctores,* ait Paulus: & his obediendum est, horum doctrina sequenda, atque omnia quæcunque docuerint præstanda: *Omnia quæcunq; dixerint*

*rint vobis, seruate & facite.* Hi enim sunt nuntii, & legati cœlitus missi quibus in omnibus credendum est: sunt pædagogi & magistri populi Dei: nam *Labia sacerdotis custodiunt scientiam & legem requirent ex ore eius.*
*Malach. 2.* Sunt tubæ & præcones verbi Dei: sunt voces clamantium in deserto. Ieiunate, Eleemosynis peccata vestra redimite, & facite fructus
Concionatores. dignos pœnitentiæ: hi sunt Ionæ qui in ciuitatibus & vrbibus magna voce inclamant,
*Ion. 3.* *Adhuc quadraginta dies & Lutetia subuertetur.* Hoc triste tibi nuntium afferre possum
*Ioan. 8.* Lutetia: nunquam enim tanta fuit Niniues, Assyriæ Metropolis, sex mille passuum latitudine sua complectentis, dissolutio & luxus, quantus tuus modo est: quæ scilicet Sodomam & Gomorrham flagitijs, & abominationibus longe antecelis: *Omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite.* Parisienses, Auditores Catholici, facite quidquid Concionatores faciendum præceperint, auscultate voci Euangelicæ, obedite veti Euangelii præconibus. Hi namque sunt illi Nathanes, qui Regibus & Principibus iram Dei denuntiant, eorumque vitam nefariam corripiunt: hi sunt Ioeles, Ieremiæ Isaiæ, Ezechieles, quorum vocibus quotidie suggestus concrepant; quorum interminationibus & adhortationibus cathedræ
*Ioel 2.* *Isai. 58.* perstrepunt. *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Relinquite fucum, exuite hypocrisim: *Frange esurienti panem tuum*: date eleemosynas indigentibus, sublevate inopiam
*Isa. 58.* pauperum.
*Ioel. 6.* Vere igitur vos, ô prædicatores, tubas Euangelicas appellabo; de quibus dicitur, *quasi tuba exalta vocem tuam*, tubas inquam, quæ muros Ierichuntinos ad terram deiiciunt, hoc est quæ obduratos & pervicaces animos concutiunt, & tremore percellunt. Intonate igitur, exaltate vocem, date sonitum, vt omnes ad vocem vestram aures & mentem arrigant. Ecquæ vero vos patratis miracula? Lazaros ad vitam reuocatis, peccatores inquam, in peccatis mortuos, è sepulchris malarum consuetudinum exire cogitis. & ad Danielis Prophetæ exemplum,
*Dan. 2.* diuinitatis, somnia & conceptus, voluptates quoque cælestis illius Nabuchodonosor exponitis, atq; idola peccati & hæreseos in mundi huius Babylone, penitus comminuitis & demolimini. Vos hoc in mundo facitis, *Gen. 41.* quod olim in Ægypto fecit Ioseph: explicatis enim somnia, id est, desideria & voluntates æterni illius Pharaonis. Adhæc similes vos Angelis esse dixero, nam quemadmodũ illi quidquid in terris agitur, in cœlum celeriter deferunt; ita vos, quidquid supra cœlestes orbes procul ab hominum conspectu geritur, homiib. in hoc mundo denuntiatis. Docet hoc me Propheta Malachias, qui hoc vos nomine condecorat. *Quia Angelus Domini exercituum est*, O nomen & dignita- *Mal. 2.* tem vere diuinam.

Recordor, tertio in passione Domini gallum cantasse, tertio quoque periurum Pe- *Matt. 27.* trum exiuisse foras, & lacrymas pœnitentiæ effudisse. Cum penitius gallum hunc considero, verum Euangelij præconum exemplum, & figuram in eo videre videor. Excitat namque dormientes gallus, & stertentes cogit surgere: ita quoque concinatores peccatores graui lethargo ac veterno sopitos excitant, eque vitijs, in quibus altum dormiunt, cogunt surgere, atque ad laborem pœnitentiæ adhortantur. Ad galli cantum Petrus peccato liberatur, & in lacrymas penitus resoluitur. Concionatores quoque ad galli similitudinem singulis diebus mane in hac cathedra cantant, peccata vobis in memoriam reducunt, atq; ad vocem eorum, ad eorum exhortationem omnes, modo sapiãt, cum S. Petro peccata deserunt, & pœnitentia salutari eadem emaculant. O igitur gallos admirabiles!

Video in Numerorum libro venientes è *Num. 13.* terra promissionis exploratores, qui populo Israel in deserto commoranti terræ fertilitatem denuntiantes, specimen simul vbertatis attulerunt, vt hac ratione eum ad terræ huius incolatum armis parandum incitarent: *Reuersi exploratores terra post quadraginta dies omni regione circuita, venerunt ad Moysem & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Israel. Locutique eis omni multitudini ostenderunt fructus terra.* Cum exploratores hos diligenter inspicio, concionatores mihi

repræsento, qui eminus explorantes & dispicientes, quidquid in terra illa felicitatis æternæ ac beatitudinis agitur, vobis in mundi huius deserto commorantibus declarant, ac specimen gloriæ felicitatisque superne ostendentes, auditores excitant, vt tam eximium & præclarum regnum violenter obtineant, & vita cum virtute transacta sibi in id aditum parent.

Concionatores, qui dicũt & non faciunt.

Verum infelices & miseri sunt illi præcones, quorum opera verbis nequaquam respondent, qui multa dicunt, at nihil omnino præstant! vos hodiernum hocce Euangelium coarguit: quippe qui statuam illam Nabuchodonosoris optime exprimitis. Caput enim vestrum aureum est, lingua aurum eloquitur, at pedes vobis sunt lutei, opera vestra terram sapiunt, ac penitus in vitiũ inclinant. Similes vos nummis adulternis esse dicam: sermones n. vestri egregii sunt, lectu iucundi, & auribus grati: at opera adulterina, & vitium in sese continent. Vox est Iacob, at manus sunt Esau. Loquimini vt Iacob, vt Dii quidam cœlo delapsi, vocemque vestram, vt Dei alicuius omnes reuerentur & colunt; sed viuitis, vt Esau barbari & profani, vitaque vestra sceleribus inquinata est.

*Dan. 2.*

*Gen. 27.*

An non vobis portentum ac monstrum is esse videretur, cui lingua brachio multo longior foret? Credite huic monstro esse illum concionatorem persimilem, qui dicit & non facit: ei quippe qui plura dicit quam præstet, lingua brachio multo est longior. Promittunt quidem Euangelij præconibus duplicem sacræ literæ coronam; & eheu! vos duplici supplicio vos dignos redditis; tum quod ea quæ dicitis, non præstetis, tum vero quod vestra vobis eloquentia superbię segetem; & vanæ gloriæ materiam subministret.

IV. Per Pharisæos præsules designantur.

Sunt præter Scribas hos, Doctores, inquam, Ecclesiæ & concionatores, & alii qui super cathedram Mosis sedent, scilicet Pharisæi. Porro per Pharisæos hos, Præsules & Antistites designantur, quibus Deus Ecclesiam suam administrandam & regendam tradidit. Hi nempe sunt fideles illi & prudentes serui, quos constituit Dominus super familiam suam; hi sunt cæli ianitores, quibus dictum est: *Tibi dabo claues regni cœlorum*, & in te omnibus successoribus tuis

Dignitas Præsulum Ecclesiasticorum extollitur.

Quanto eos igitur honore quantaque reuerentia à subditis affici oportet! Hi sunt scilicet illi Cherubim, qui gladio excommunicationis & auctoritatis profanos ab Ecclesiæ introitu, non secus ac cherubim ille à paradisi, arcent. quanto eos igitur à vobis cultu & timore coli par est, peccatores S. Pater Franciscus tanto Sacerdotes omnes honore prosequebatur, vt dicere soleret, se, si forte eodem tempore sacerdos & Angelus occurrerent, prius sacerdoti manus exosculaturum, ac deinde debitum Angelo honorẽ exhibiturum. Si tantum vir sanctissime sacerdotibus honorem exhibuisti, quid Episcopis, & Ecclesiæ Prælatis facturum te arbitramur? an nõ prius iis quam Seraphinis honorem exhibuisses?

S. Franc. sacerdotes in summo honore habuit.

Quanta vero vestra dignitas est, ô Pastores, Episcopi & Ecclesiæ Prælati, si modo intelligeretis; omnes profecto scripturæ veteres, omnis antiquorum Patrum chorus, totus denique mundus, quos vobis titulos donet, ignorat. Mille vobis nomina, mille cognomina, sexcentos honorum titulos ad dignitatem vestram insinuandam adinuenerunt, S. Matthæus vos lucem mundi, S. Lucas salem terræ. S. Hieronymus generales Apostolorũ vicarios, astra & stellas Gregorius, Ecclesiæ faces, ac lampades Basilius appellat. O titulos vere diuinos & plane admirandos! Quin & Regius vates mundi principes: *Constitues eos Principes super omnem terram.* Malachias Propheta, Angelos; Constantinus Imperator Deos, *Non est nostrum iudicare Deos*: quod Dauid quoque in Psalmis prædixerat, Ego *dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes.*

*Matt. 5. Luc. 8. Hieron. Marcel. Gregorius registr. Basil. in epi. Psal. 44. Psal. 81.*

Figuræ quib. Ecclesiæ Præsules designantur.

Vere itaque vos veluti minorum gentium deos, ac semideos appellabo. Vos enim peccata remittitis, vos clauditis abyssos, diabolos fugatis, mortuos resuscitatis, miracula editis: Quid igitur ad perfectum Dei cognomen vobis deest, quam ipsa mũdi creatio? Quam vero sublimes ac felices estis vos nempe satrapæ, illi, qui sub Pharaone omnem mundi Ægyptum gubernatis. Vos

Gen. 41. ris. Vos estis illi domus custodes & œconomi, quibus in palatio Salomonis omnia cõmissa sunt. Vos estis limpidi illi fontes Helin, qui salubres & dulces doctrinæ aquas effunditis, quibus sitientes animas reficitis, terram irrigatis, solitudinem & deserta, quæ prius præ virtutum inopia exarescebant, fœcunda redditis. Vos estis illi tribuum Principes, quibus præcepta & monita salutaria populo denunciare incumbit, quibusque regimen ac gubernaculum commissum est. Vos estis portæ illæ templi, quas describit, Ezechiel; per vos enim infinita hominum multitudo ad Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem debet ingredi. Vos denique estis Pharisæi illi, super Cathedram Romanam sedentes, idque tanta auctoritate & maiestate, vt omnia quæ dixeritis credenda, & quæ iusseritis, præstanda sint.

3. Reg. 10.

Num. 2.

Ezech. 48.

Apoc. 21.

Verum quanta dignitatis & auctoritatis vestræ maiestas est, & amplitudo, tantum quoq; in iis periculum situm est: quippe qui magno vos discrimini exponitis, si non excubetis, & diligenter in omnem partem vigiletis. Quemadmodum enim Eleazarus Iudæus, cum Elephantis molem corpore sustinere vellet suo, sub pondere oppressus est: ita quoque, tantum vobis aliquando onus & molem imponitis, vt vobis sub pondere fatiscentibus, anima iuxta & corpus in extremum discrimen adducantur.

1. Mach. 6.

Quemadmodum enim cum cœlum terræ minatur, fulmina eiaculatur, & iisdem summa montium iuga percutit: ad eundē plane modum Deus, cum populi peccatis ad iracundiam excitatur, Præsules & ipsos Ecclesiæ vertices ferit, in eosque iræ suæ fulmina, veluti in montes locaque eminentiora, eiaculatur. Sit vobis hic in exemplum Heli, qui cum summum Pontificatus esset apicem consecutus, & non ex ratione & æquo dignitatem suã administraret, graui morte multatus fuit.

1. Reg. 4.

Egregium Periclis dictum. Plutarch. in Politic.

Refert summus ille morum magister Plutarchus Periclem reipubl. Athenensis Principem, cum eiusdem ei reipub. gubernacula commissa essent quoties vestem dignitatis suæ insigne, ad senatum iturus indueret, dicere solitum: *Attende tibi Pericles, Græci sunt, quos regis, liberi sunt, ciues Athenienses sunt:* id est, seditiosi & tumultus auidi; non tamen barbari, sed libertatis cupidi; Athenienses sunt omnium scilicet mortalium ingratissimi, qui Socratem, Phocionem, Aristidem, aliosq; infinitos meritis & honore summos, turpiter, aut in exilium pepulerũt, aut morte ignominiosissima, magna sua infamia probroque affecerunt. Id vobis dictum putetis ô Præsules, vt quando nimirum vestes Pontificias & Episcopales induitis, cum mitras capiti templum adituri imponitis, oneris vestri periculum consideretis. Perpendite vobiscum discriminia quæ vobis subeũda sunt, ac cum magno illo Pericle dicite: *Attende tibi ô Episcope: animæ sunt quas regis, Christianæ sunt, pretioso Saluatoris sanguine redemptæ sunt.* Aperi oculos Episcope, ac tecum dignitatis tuæ onus perpende: considera, tibi animas esse regendas, animas inquam tam pretiosas, thesaurum adeo seruari difficilem, rem, cui tam multi insidientur. Christianæ sunt, non barbaræ, aut paganæ, at pretioso Christi redemptæ sanguine; tantis doloribus, difficultatibus, molestiis acquisitæ, vt mortem, sanguinem, & passionem filii Dei vnigenitis iis necesse fuerit impendi.

Itaque vobis ipsis attendite, & in omnem partem circumspicite, ne quid grex vester detrimenti capiat: ideo namque Episcopi, id est, inspectores, estis nominati. Exhibete vos Argos vndique oculatos, imitemini illa quatuor Ezechielis animalia, quæ plena erant oculis intus ac foris. Circuite gregem, diœcesim vestram obambulate vigilando, excubando, adhortando, muneri vestro satisfacite, ac deinde aulis Regum ac Principum exite.

Ezech. 2.

Præsulum corruptela.

Prô dolor! quam viuis coloribus Euangelij nostri Epilogus Præsules hos describit, & quam bene tempora nostra id edocent? tanta quippe in Prælatis superbia, ambitio, tantaque vanitas est. *dicunt* enim, *& non faciunt.* Ieiunia indicunt, & quotidie splendide epulantur, adeoque regifice, opipare ac laute, vt nulli hodie laudentur Apicii, nisi qui ex Episcopio prodierint. S. Pontifex Gregorius vitia sæculi sui, & corrupte-

lam fugillans, dicebat non esse proprium Episcopo, sed aulæ regiæ, exotica piscium & altilium nomina nosse. Euangelium plura addit, & ait: *Volunt vocari Rabbi*, salutationibus vulgi inuigilant, ac captant susurros plebeculæ, honorari & salutari gestiunt. Neque enim iam amplius *Dominus Episcopus*, sed *Dominus meus*, inualuit.

O vanitas vanitatum, ô tempora infelicia, ô calamitatem & infortunium inauditum! ac tuum, præsertim, ô Gallia, quæ plena es huiusmodi Episcopis, quin & pueris, vt sic dicam Episcopantibus. Vere igitur lacrymans ac suspirans de te Propheræ illud dixero: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij.* Loco Martinorum, Hilarionũ, Martialium, Dionysiorum, Remigiorum, qui dicebant & faciebant, iam pueros consecuta es, qui nec dicunt, nec faciunt: nec enim concionari, aut bene operari norunt. *Psal. 44.*

Quamobrem, Deus æterne, pastorum omnium Pastor, Episcoporũ omnium Deus, & summum Ecclesiæ caput, fideles Ecclesiæ tuæ ac probatos pastores procura, præclaros ei Doctores elargire, concionatores & operarios strenuos in eam mitte, concionatores, inquam, qui vitia & flagitia coarguant; Doctores, qui hæreses & prauarum opinionum pullulantes propagines eradicent; Præsules & Antistites, qui commisso sibi gregi cum laude sciant præesse. Quin etiam Domine, concede, ne pastores illi, quos super Ecclesiam tuam constitues, Pharisæis hisce similes reperiantur, *qui dicunt, & non faciunt*; verum vt incipiant & facere, & docere, vt doctrina doceant, & operibus alios ædificent. Porro, quando ingens felicitas illa affulserit, vt tales in cathedra Petri consideant, facientes scilicet & docentes; nos, quod nostrum erit, Omnia quæcunque dixerint, seruabimus & faciemus. In quo summa Euangelij nostri perfectio, & æternæ salutis exordium positum est: ad quam nos sanctissimæ Trinitatis membra, Pater, & Filius, ac Spiritus Sanctus perducere dignentur.

AMEN.

†

## FERIA IV. POST DOMIN. II. QVADRAGESIMÆ.

### Partitio.

*I. De ambitione pernicioſa.*
*II. De tempore & genere petitionis.*
*III. De animo tale petentis.*
*IV. De reſponſo Chriſti negatiuo.*

*Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo.* Matth. 20.

### FIGVRA.

BETHSABEE illa Dauidis vxor, ſuperba quam quæ maxime, & honoris ſitientiſſima, coniugem ſuum ac Regem lecto defixum, ac ſub graui ægritudine fatiſcentem, extremosq; trahentem ſpiritus, contemplata, genibus in terram proſtratis, coram illo ſupplex procidit, cum lacrymis & magna animi demiſſione ſupplicans, hanc vt ei viuens gratiam concedat, vt filius eius Salomon à morte patris in regnum & ſceptrum paternum poſſit ſuccedere. Hoc in noſtro mihi Euãgelio videor ad oculum expreſſum cernere, aut aliqua ſaltem ratione adumbratum. Contemplor enim hic non vxorem Dauidis, ſed Zebedæi: quæ inani typo ſuperbiæ, & ambitione inflata, vt filios ad honorem ſublimatos videret, cernens Chriſtum ad mortem ſeſe præparantem, ac non niſi de morte verba facientem, eum accedit, ac genibus in terram proſtratis eum adorans, ſupplici ab eo oratione poſtulat, vt filios ſuos commendatos habeat, & iam ad coronam euectus, vnum à dextris, alterum à ſiniſtris collocet. Hoc ambitionis exemplar in matre hac expreſſum, hodierna vobis die ob oculos proponere, & ſpectandum præbere decreui: ſi Paracletus nobis Spiritus ſua gratia, & Deipara Virgo ſuis ad Deum precibus adeſſe dignentur. Recitemus itaque 3. Reg. 1.

AVE MARIA.

I.

Timon Philoſophus, cum de vitiis & prauis animi affectibus ageret, dicere ſolebat, Dicebat Timon

ambitionẽ omniũ malorum fontem esse.

bat, omnium malorum originem ac fontem, & veluti elementum vnicam ambitionem esse. Quod gentilis ille Philosophus, naturæ tantum lumine illustratus olim dixit, idipsum & Bernardus Christianus, & fidem edoctus, iisdem pene verbis: *Radix iniquitatis ambitio, subtile malum, pestis occulta, vitiorum origo, virtutum ærugo, tinea sanctitatis, excæcatrix cordium.* Diuine plane & erudite.

*Bernard. in Psal. Qui habitat.*

*Senec. ep. 95*

Seneca quoque Philosophus, iisdem vestigiis insistens, ambitionem vehementi turbini, ac procelloso comparauit: *Ambitiosus instar turbinis est, qui capta conuoluit, sed ipse antea voluitur.* Equidem diabolo eam comparauero, qui Iesum in deserto aggressus, eum modo ad templi pinnaculum, modo ad sublimia montium cacumina subuexit, vnde omnia ei mundi regna ostẽdebat dicens:

*Matth. 4.* *Mittete deorsum.* Ambitio enim nihil profecto est aliud, quam furia quædam infernalis, aut furens quidam diabolus, qui homines in deserto mundi huius commorantes, versutè & subdolè aggrediens, modo eos ad templorum pinnacula, ad dignitates Ecclesiasticas obtinendas; modo ad fastigia & montes dignitatum, muniorumque subleuat; è quibus iis coronas, honores, ac mundi huius pompas velut ante oculos positas ostendit; simulq; auribus insusurrat, ac suggerit: *Mittete deorsum.* Subleua te, extolle te, fortunam tuam constitue, rem tuam confirma, hinc te dato præcipitem, & profundo huic, & abysso te immerge.

Ambitiosi cũ gigantibus collati.

Fabulantur Poëtæ, & non nisi fabulantur, gigantes illos olim, immania illa corpora, Pelion Ossæ, ac Taurum Olympo, vt hac ratione superis Iouem detruderent regnis, imposuisse, sed fulmine cœlitus vibrato omnes ad terram prostratos cæptis destitisse. Verum hoc temerario gigantum ausu, & impio conatu, ambitiosorum mihi naturam optime expressisse videntur. Ambitiosos enim vere gigantes esse dixero, quippe quibus nihil in rerum ordine exstet, aut deformius, aut monstrosius. Hi sunt scilicet portentosi illi Briarei, centum manus habẽtes, vt rapiant & comprehendant. Hi sunt oculati illi Argi centum corpore oculos gestantes, vt omnib⁹ visis omnia cõcupiscant. Hi sunt spiritus illi mobiles, & omnia mouentes, qui dignitatem dignitati, munus muneri, diuitias diuitijs instar montium superimponentes, cœlo obluctari præsumunt. Hi sunt nefandi illi posteri Cain, in sacris literis gigantes appellati, qui propter vitæ morumq; peruersionem, infortuniorum, calamitatumque diluuium, regnis & imperiis subinferunt. Hi sunt superbi illi Nemroth, qui fortunarum suarum molem, veluti turrim Babel construere inchoantes, mille Respubl. confusionibus replent, ac totum terrarum orbem perturbant. *Gen. 6.*

Ambitiosi vbiq; arma concitarunt, deterius ipsis gigãtibus.

O rem inauditam! Gigantes solum aduersus cœlum arma mouerunt: at ambitiosi vbiq; arma in cœlum, simul & in paradisum terrestrem, in Iesu Christi sodalitatem, denique in totum mundum arma sua tulerunt. Vix namque conditum erat cœlum, quin ecce statim gigantum princeps, & ambitiosorum coryphæus Lucifer, montes illos cœlestes concutit, & exclamat: *Ascendam in altum, & vero similis altissimo.* Adam vix in paradiso substiterat, quin statim turgere & superbire cœperit, ambitioniq; auscultarit dicenti: *Eritis sicut Dij.* Vix Christus in mundum venerat, quin duos eius discipulos ambitio occupet, similes ei esse gestientes, ad dexteram, scilicet eius hinc, & ad sinistram illinc in regno eius sedes affectando. *Isai. 14.* *Gen. 3.*

O infelix ac detestanda ambitio, quid nõ mortalia pectora cogis! quo miseros mortales non præcipites agis? Per te factum est, vt Abimelech Gedeonis filius 70. fratres suos interfecerit, vt hac ratione ad regnum perueniret, & vt seipsum deinde etiam pari ratione interemerit: *Et venit in domum patris sui in Ephra, & cecidit fratres suos Ieroboal 70. viros super lapidem vnum.* Per te factum est, vt Athalia Ochosiæ mater, ambitione tumens, omnem regiam posteritatem delere & exscindere parauerit, vt hac via regnum ad se deuolueretur: sed paulo post Ioiadam suscitasti, qui ei quoque vitam auferret: *Athalia vero mater Ochosiæ, videns filium suum mortuum, surrexit, & interfecit omne semen regium.* Per te factum est, vt superbus ille Aman, in Iudæorum omnium salutem ac vitam conspiraret, at deinde ope & auxilio *Iudic. 7.* *4. Reg. 15.*

Iudææ mulieris vita simul & regis fauore exueretur: *suspensus est itaq; Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* An non igitur merito exclamem, O ambitionem infelicem ac detestandam! Vtpote quæ ad hoc nos incitat, ad quod perfidus ille Achitophel Absolonem olim incitauit. Persuasit nefarius ille consultor Principi adolescenti, vt aduersus patrem insurgeret, ac regnum attentaret, in quam rem duodecim ei hominum millia
2. Reg. 16. ad bellum delegit: vnde factum est, vt Absolon è bello fugiens ex quercu suspensus interfectus sit. Ita quoque perfida illa nos incitat, impellit & in aciem cogit descendere, vt honores consectemur: verum sæpenumero contingit, vt nobis exitium adferat, ac suspensi ex ingenti illa mundi arbore miserum in modum vitam amittamus.

Exod. 14. Hoc ipsa quoque nobis, quod Pharao exercitui suo fecit: nam cum ille copias suas armatas in aciem produxisset, vt iniqua iniustaque expeditione populum Dei prosequerentur, in medio maris Rubri gurgite omnes amisit: *Reuersa sunt aqua & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui secuti ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex eis.* Sic nos quoque ambitio in aciem producit, omnibus nos honoribus armat, præter fas & æquum alterius nos facit dignitatibus inuidere, ac subito in diuinorum iudiciorum voraginem & abyssum nos demergit.

Huius adumbratam similitudinem in dæ-
Matth. 8. monibus intueor, qui, *exeuntes abierunt in porcos: & ecce impetu abijt totus grex præceps in mare, & mortui sunt in aquis.* An non hic edocemur, diabolum ambitionis, vbi semel animas nostras inuaserit, & iis dominatus fuerit, eas in mare æternæ damnationis præcipites dare? Ambitio denique est
Apoc. 17. *mulier* illa, de qua in Apocalypsi, *circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Illa namque non nisi ostro & purpura induitur, auro onusta est, aurea vasa manu gestat, omnibus plane mortalibus honores, diuitias, dignitates ac beneficia offert: verum perfida illa meretrix quidquid periculi, discriminis, & damnationis sub auro latitat, occultat.

Vidit in somnis Nabuchodonosor Rex statuam, *cuius caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento:* ideo vero Dan. 2.
noctu apparuit, ne deformitatem eius sol detegeret, nam *venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Eisdem quoque technis vtitur ambitio: est namque statua, quæ non nisi magnatibus in vitiis suis altum stertentibus sese manifestat: frontem auro ac diuitiis habet renidentem, coronis vndique redimitam, brachia argento grauata; de die ad virtutis lucem sese detegere, & inter eos, qui procul a vanitatibus his vigilant, apparere non audet, ne æneum pectus ac stomachus ærugine vitiorum offuscatus, & pedes terrei, qui præter meram vanitatem nihil sunt aliud, hominum oculis paterent: in quos si minimus fortunæ fragor ac lapillus incideret, omnia in cineres ac puluerem redigerentur.

Hic porro in Euangelio veram eius imaginem, ac typum viuis coloribus adumbratum videbitis. Matrem inquam filiorum Zebedæi: quam Euangelista, vt verum ambitionis exemplar nobis proponit, cui par fortasse nulla vnquam in mundo exstitit. *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis.* De hac igitur hodierna die mulierem loquamur, eiusdemque ambitionem paulo curiosius inuestigemus.

Mulier hæc quæ ambitione excæcata Christum accedit, ac filiis honorem & dignitatem petit, fuit Maria Salome vna earum, quæ passionis tempore in monte Caluariæ Domino adhæserunt: vna quoq; earum, quæ summo mane Ierosolymis egredientes aromata tulerũt, quib. Christũ sepultum vngerent: Vxor scil. Zebedæi, duorum Apostolorum Iacobi Maioris, ac Ioannis Euangelistæ mater, quos Dominus præ cæteris Apostolis caros habuit, vtpote qui illos testes Trãsfigurationis in monte Thabor, ac passionis socios in Oliueti monte habuerit. Hæc igitur fœmina cæca quadam ambitione incitata, vt filios suos ad honores & dignitates subuectos videret, hodie ad Christum accessit, vt

Mater hæc filiorum Zebedæi fuit Maria Salome. Marc. 16.

fit, vt eidem de meliore nota eos commendaret: *Tunc accessit mater filiorum Zebedæi.*

II. Matth. 20. Euangelista, vt nobis mulieris huius importunitatem euidentius declararet, & ambitionis eius ardorem exaggeraret. *Tunc* ait: vt tum scil. ad Christum accesserit, quando de passione sua iamiam instanti loquebatur. Cum enim iam Apostolis diceret, *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur*: *tunc* mater filiorum Zebedæi ei supplicatum venit pro filijs. *Tunc*, cum Iesus de passione loquitur, mulier hæc de ambitione loqui incipit: cum Christus de humilitate, supplicijs, ac tormentis, deque morte sua ageret: mulier hæc non nisi honores, dignitates, ac quietem spirat. O fœminam excæcatam, fœminam imprudentem! non est sermo, nisi de cruce, & sermonem de mundo importuna ingeris.

2. Reg. 11. An non insignis Dauidi fuit contumelia, Vriam Hethæum ad delicias inuitare, cum hac eum oratione generosus ille miles adorsus est: *Arca Dei & Israel habitat in papilionibus, & Dominus meus Ioab & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam vt comedam & bibam*: Ego in delicijs viuam, & Ioab in armis: Ego in lecto suauiter stertam, & Ioab ad tubæ sonitum excubabit? An nō tibi miles hic, mulier ambitiosa, pudorem incutit? vides hic Arcā illam fœderis, sacram illam Christi humanitatem, inter ipsos inimicos iam pœnè versari: audis magnum illum ducem non Ioab quidem, sed CHRISTVM IESVM, non nisi de morte, de cruce, traditionib. passione, doloribus, ac cruciatib. agere: & tu honores somniabis, tu ambitionem tibi finges.

III. 3. Reg. 1. Magna sane Bethsabee reginæ fuit importunitas, & non paruum impudentiæ signum, quod cum coniugem suum ac Regē lecto grauiter laborantem decumbere, atq; extremos trahere spiritus videret, nō instar prudentis alicuius matronæ solamen ei aliquod attulerit, sed de ambitione eum interpellet. Maior adhuc Zebedææ huius fuit importunitas. nam cum Deum, Redemptorē ac Messiam suum, passionis instantis imaginatione angi videret, cum illum ad passionē properare, ac morti appropinquare cerneret, tantum abfuit vt ei solatium aliquod attulerit & ægritudinem aliquam animi eius causam demonstrarit: vt præter inanias honores, dignitates sq; nihil meditaretur.

Allegoria. An non, ô mulier vana, carnem hanc nostram, carnem, inquam, inanem ac superbientem designas? ita sane. Video enim cum animus ac mens de passione Iesu Christi, de ieiunijs, de pœnitentia, loqui aut cogitari incipit, *tunc* carnem hanc superbā & elatam nonnisi honores, voluptates, delitias ac iucunditates spirare. Cum spiritus de morte gestit meditari, tunc carnem hanc, nōnisi de tripudijs, gaudijs ac iocis cogitare. Stulta siquidem caro idipsum plane spiritui facit, q̄ nefariæ filiæ Lotho patri Loth enim è Sodomæ ac Gomorthæ incendijs liberatus cum pauidus ac tremebundus per agros fugiens, horrenda Dei iudicia secum volueret, rationemque eadem declinandi excogitaret, filiæ nonnisi incestum spirabant, aliud non somniantes, q̄ cum dispēdio honoris voluptatibus operam dare, vnicam sibi ebrietatē proponendo. *Dix tq; maior ad minorem, veni, inebriemus eū vino dormiamusq; cum eo.* Ita quoque cum miser ille spiritus è Sodoma peccati, instar Loth, liberatus, diuinam iustitiam secum voluit, ac pœnas quas Deus peccatoribus destinauit sibi proponit, *Tunc*, eodem scil. momento, nefandæ illæ filiæ, caro, inq̄, Allegoria. & concupiscentia, omni eum ratione vino voluptatis inebriare conantur, & cum eo in tartareo peccati lecto adulterium committere: Tunc te ô spiritus, ô anima titillanti *Iudic. 11.* carni respondere decet, *nescitis quid petatis*; Ac imitare magnum illū ducem Iephte, atq; vt ille cum nefaria tua carne agere par est, Reuersus enim à cæde Ammonitarum, domumque voti quod in bello Deo vouerat, soluendi ergo profectus, filiam gaudio & lætitia exultantem, patrique tam prosperum belli euentum gratulantem, ac choros virginum ducentem, obuiam habuit: quam vt conspexit, quamprimum destinat aræ ac Deo immolare constituit. O anima, ô Iephte, quando de peccatis, quæ veluti hostes te circumdant, triumphum agis post luculentam scilicet ac legitimam confessionem, vbi eadem subacta vidisti, teque ad pœnitentiam

tentiam pro ijs agendam conuertis, ſatisfactionis vota completura, ſi caro filia illa tua ouans præſultet, nõniſi riſum, voluptatem, iocum, tripudia, aliaſque inanes delicias quærens & ambiens, occide, vre, ſeca ac Deo immola, nam *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.*

*Pſal.50.*

Tum importuna igitur hora *acceſſit ad eũ mater filiorum Zebedæi, adorans & petens aliquid ab eo.* Quid ais, mulier, quid poſtulas. Fare, age, eloquere ambitionis tuæ conceptum: Quid vis? *Die vt ſedeant hi duo filii mei, vnus ad dextram & alter ad ſiniſtram.* Impetrata igitur loquendi facultate, genib. in terram proſtratis, & adorans, hanc ei petitionem declarauit: Scio Domine potentem te Regem eſſe. Sæpe enim idipſum declaraſti, merita tua ſatis inſinuant. Hinc eſt quod duos hoſce filios tibi quam diligentiſſime commendem: ſunt enim vnicum ſenectutis meæ ſolatium, ac longo iam tempore tuo eos obſequio deſtinaui: hoc eis honori eſt, quod tui ſint ac propinquiorem habeas neminem: quamobrem alienis & externis eos præpone, ac præcipuas eis dignitates in regno tuo impertire: Iacobus maior à dextris, Ioannes vero natu minor à ſiniſtris cõſideat. Notate arrogantiam & ambitionem illam non vulgarem. Fierine poteſt, vt huiuſmodi in muliebri pectore dominetur? ita ſane, ac ſæpius quam in virili & heroico. An non Eua prima fuit quam tetra hæc ambitionis peſtis inuaſit: quippe quę diuinitatem affectabat?

Oratio matris filiorum Zebedæi.

Quare non multum aberrauero, ſi ambitionem hederæ ſimilẽm eſſe dixero: quæ quamuis ſemper virens, parietibus tamen vetuſtate obſitis ac confractis maceriis vt plurimum adhæreſcit: ad quarum faſtigium & ſummitatem cum paulatim ſerpat, ſenſim quoque parietes exedit ac tandem penitus diſiicit. Ad eundem quoque modum ambitio humiles vt plurimum aggreditur, animas inquam in ſordibus ac peccatis putreſcentes, ac prauis affectib. in muliebrẽ naturam degenerantes; quas vbi ſemel inuaſit, ſenſim erodit ac deterit: donec tandem cum ad apicem ac principem earum partem peruenerit, penitus vno impetu diſiiciat ac deſtruat. Eſt & aliud vile arbuſti genus, quod viſcum appellatur, quod humi nunquam creſcit, verum in aliarum arborum ſummitatibus: quoque magis illa ſenio aut annis obſoletæ ſunt ac quodammodo euaneſcentes quo illud lætius proueniat & magis luxurietur. Huius naturæ ipſa eſt ambitio: quæ nunquam in locis humilibus animoq; humilia ſapiente radicem figit; ſed in ſummis illis ſuperbientium & elatorum animorum iugis, qui quo magis obſoleti, ac peccatis corrupti ſunt, quo illa ſublimius exurgat ac radices agat profundius.

Ambitio ſemper in reb. abiectiſſimis.

*Gen.8.*

Ambitio hederæ cõparatur.

Ambitio ſimilis eſt viſco, q̃ in arboribꝰ creſcit

Ecce egregiam huiuſce rei in ſacris literis parabolam. Cum olim arbores comitijs indictis Regem qui eas tũ regeret, tum tueretur creare conſtituiſſent: nullo ex tanto arborum numero quæ regno ſeſe parem & onerib. ſuſtinendis iudicaret, præter rhamnũ reperta fuit: oliua, ficus, vinea, & reliquæ arborum principes honorem illũ à ſe reiecerunt, & vnica rhamnus ſeſe regno dignißimam iudicauit: *Dixeruntque omnia ligna ad rhamnum, Veni & impera ſuper nos: qua reſpondit, Si vere me regem vobis conſtituitis, venite & ſub vmbra mea requieſcite.* An non hic figura eſt in generoſas illas & heroicas mentes ambitionem nihil poſſe, viles vero & plebeias vt plurimum inuadere ita vt vbi merita virtuteſq; deſunt, ambitio locũ occupet. Referunt moderni ſcriptores qui Indiæ Occidentalis miracula deſcripſere herbam in Braſilia eſſe quæ in arenoſis locis plantata creſcat & vireat: in fæcundo ſolo ac frugifero exareſcat. Eiuſdem mihi ambitio conditionis eſſe videtur, quę in arena peccati conſita creſcat, inter deſerta virtutibus carentia vireat & efflореat, ac in fertili ſolo, in anima ſc. virtutibus exornata, deficiat & exareſcat. Videte modo eam in muliebri pectore, in fœmina nautica, in piſcatoris coniuge, exerentem cornua: quæ adeo vehementer eam exagitat, adeoq; ſublime ſubleuat, vt regna & dignitates regias filijs ſuis audeat poſtulare. Quam importunam mulieris petitionẽ Redemtor noſter admiratus grauiter commotus, ac veluti iratus reſpondet, *Quid vis mulier?*

*Iudic.9.* Parabola.

O dulciſſime & clementiſſime Ieſu, vñde tan-

de tanta in verbis tuis modo acrimonia, qui tanta hactenus semper benignitate interrogantibus respondisti? qui fit, vt ita rigide supplicem tibi mulierem, affinem, ac materteram tuam alloquaris? An non memi-
Matt.16. nisti eius, quod olim toties inculcasti. *Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis*? Herodes Herodiadis filiæ olim cum iuramento promisit; omnia sese illi, quidquid demũ
Mar.6. petiisset donaturum. *Et iurauit ei, Quidquid petieris, dabo tibi licet dimidium regni mei.* Salomon Rex Bethsabeæ matri palatium ingressæ iurauit, omnibus eius sese petitionibus satisfacturum, eamque ad latus suum in
3.Reg.2. solio collocauit: *Et dixit ei Rex, pete mater mea, neque enim fas est, vt auertam faciem tuã.* Et tu Domine supplicem tibi mulierem repellis, cum tamen affinitate coniuncta sit, tanto te amore & honore prosequatur, teque supplex adoret. Sciebat nimirum Dominus, petitionem eius nullius omnino momenti ac friuolam esse, ac proinde ait illi: *Quid petis*? Videt, & cognoscit, supplicationem inanem esse, atq; ambitione plenam; hinc factum est, vt aures ab ea auerterit, eamque à se ablegarit.

Succinum omnes ad se festucas trahit præter basilicũ

Succinum eius esse naturæ perhibetur, vt omnes ad se festucas & herbas attrahat, præter basilicum, quod naturali quadam antipathia à se reiicit, ac cui penitus resistit: Porro huiusce rei, naturalium rerum scriptores hanc esse causam aiunt, quod basilicum capitosa sit herba, quæ noxiis cerebrum vaporibus ac fumosis exhalationibus oppleat, atqueideo à succino eam reiici ac repelli. Ie-
1.Cor.10. sus Christus, vt Paulus ait, Lapis est, *Petra autem erat Christus*: verum succinum est, nos vero omnes ac reliquæ creaturæ instar festucarum, has cœleste illud succinum ad se trahit, omnibus gratiam elargitur, ad omnes misericordia sua se extendit: præterquam ad ambitiosos, quos Basilicum designare videtur, quemadmodum enim herba illa cerebrum fumosis opplet exhalationibus; ita quoque ambitio mentem phreneſi, inaniis, superbia, chimæris, ac furiis complere consueuit. Succinum nostrum Christus, omnes alias ad se creaturas alliciens & inuitans; his solum resistit; ambitiosos solos & non alios, à se reiicit, vt hodie etiam cognatos suos ambitione laborantes ablegarit, dicens: *Nescitis quid petatis.*

IV. Non est igitur, quod amplius inclames & mulier, *Dic vt sedeant hi duo filij mei.* Audierat nempe stulta mater dicentem sæpius Dominum tertia sese resuscitandum die, atque ab eo tum tempore regnum suum inchoandum. Sciebat etiam duas in regno Israel dignitates esse, in quas proxime sceptrũ ipsum deberet descendere: vnam quidem sacram, dignitatem videlicet summi Pontificatus, qui ea tempestate à Caipha tenebatur; cuius erat de sacrificiis, de legibus deq; cultu diuino prospicere, quiq; in omnia hæc potestatem habebat: alteram vero temporalem, ad reip. & regni gubernationem spectantem, q̃ Matt. 8.
Herodes per Iudæam, Tiberii Cæsaris auctoritate administrabat. Intellexerat deinde à filiis Christum Petro Ecclesiæ primatũ pollicitum fuisse. His omnibus igitur probe cognitis & perpensis, Christum præsumpsit accedere, atq; ab eo, vt filii eum præcederẽt, enixè contendere, dicens: *Dic vt sedeant hi duo filij mei*, quasi dicere voluisset. Scio te Domine propediem ad regnum Israel sublimandum, & quoniam dignitates in aula tua conferendæ sunt, ecce accedo ad te cum filiis, vt eorum aliquam rationem habeas: æquum namque est te cognatos & affines aliis non postponere. Vtinam dies illa aliquando eluceſcat Domine, vt te in regem constituto, vnum filiorum meorum in locũ Caiphæ in Pontificatu succedentem videam, & alterum in Herodis, Rempubl. scilicet & sacra, cæremonias que tuis auspiciis, sub imperio tuo moderantes.

O stulta mater, & stultiores filii; nescitis quid petatis. De quo regno loqueris mulier? an de temporali ac terreno; at audies propediem, me dicentem, regnum meum
Ioan. 2. non esse de hoc mundo. An vero de cœlesti? an non meministi olim me dixisse: *Quo ego vado, vos non potestis venire.* Creaturæ, Seraphini ac Cherubini eò nequeunt peruenire: locus ille soli mundi Redemptori reseruatus
Psal.44. est, *Qui sedet ad dextram Patris.* An non tibi sufficit arrogans mulier, filios tuos, piscatu vitam tolerantes, plebeios, & nauticam exercen-

ercentes, in Apostolos, in mundi Principes ac capita Ecclesiæ esse constitutos? *Constitues eos Principes super omnem terram.* an maiori adhuc eos in dignitate positos videre gestis? Meminisse te oportet votorum & professionis olim ab iis factæ, *Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te*: & ecce iam eos iterum in mundo vis immergere, eosque ambitionem, quam ignorabant edocere. anne ignoras venenatã illam pestem Angelis exitium attulisse, primos mundi incolas perdidisse, Absolonem deniq; & Adoniam, Abimelech, Amanum, ac plures alios, hac misere ineseatos, miserum in modum periisse? Idẽ profecto filiis tuis scias imminere, quos ambitione tua excæcare iam satagis, dicens: *Dic vt sedeant, &c.*

*Malach. 2.*

Sueton. Nerone.

Iisdem sane ambitionis furiis exagitata fuit Agrippina Neronis mater: quæ cum cõsulto oraculo filium ad imperium quidem peruenturum didicisset; verum in Imperio matri necem allaturum, ambitione excæcata respondit: *Occidat modo imperet.* Eius nãque ambitiosus genii ac naturę est, vt se suaque perdere non reformidet, modo desideratam dignitatem nanciscatur.

Ambitiosus draconi comparatur. *Solinus.*

Tradunt naturalium rerũ scriptores, tam calidæ tam feruidæ omniaq; digerentis naturæ draconem esse, vt cum potu sese satiare nequeat, apertis semper faucibus ventos captet! vti hac ratione inclusum intrinsecus ardorem, æstumque intus adurentem extinguat ac temperet: quin etiam si in mari plenis velis ac vento secundo exspatiantes naues videat, magno impetu eas præuertat, quo hac ratione aliquem ventum captet, vt sese vna cum nauibus sæpenumero perdat ac collidat. Huiusmodi quoq; draco ipse ambitiosus est; adeo quidem cupidus & insatiabilis, vt nulla in mundo dignitas, quæ eius cupiditatem expleat, reperiatur: hinc semper apertis & hiantib. faucibus ventos captat, ad omnes nouas occasiones exeubat, & anhelat: ita vt aliorum qui felici fortunæ vento in mundi æquore feruntur, felicitati inuidens, eosque adoriens & inuadens, sese cum iis non raro in exitium & interitum pertrahat. Vti in hac matre videmus, quæ fortunã salutemq; propriam negligit, ac perdere satagit modo Petri fortunam euertat, & filios in eius locũ subroget. *Dic ergo*, fieri iube, fac vt filii mei sint veluti Iosephi sub Pharaone in Ægypto, Danieles sub Dario in Babylone, Mardochęi sub Assuero in omnib. regnis ei⁹

*Gen. 47.*

*Nescitis quid petatis*: cum sc. honores filiis tuis petis ô mater, quid petas nescis. Tale olim responsum Salomon Bethsabeæ dedit, quando nempe illa palatium ingressa, Abisag Sunamitidem filio suo Adoniæ in vxorem petiit. *Quare postulas Abisag Sunamitidem vxorem, postula ei & regnum?* Ita quoque & vos Zebediadæ, Nescitis quid petatis: cum inanes mundi dignitates ambitis, misellos honores petitis, verè nescitis quid petatis: cur non potius cœlestem illam gloriam regniq; sempiterni beatitudinem postulatis.

*Dan. 2.* *Esth. 6.* *3. Reg. 2.*

Iulii Cæs. ambitio. *Plutar. in Apophth. Roman.*

Superba hæc discipulorum postulatio reuocat mihi in memoriam, non minus arrogans Iulii Cæsaris dictum. Hic cum quodam tempore Alpes transiens oppidulum quoddam prætergrederetur, & centuriones tribuniq; ab eo per iocum peterent, num & illinc contentiones æmulationesque de principatu essent, respondit: *Mallem hic primus esse, quam Romæ secundus.* O intolerandum elati animi indicium! Eadem prorsus horum discipulorum fuit ambitio, quippe qui primi esse maluerunt in mundo, quam in cœlorum regno secundi. O cæcos! *Nescitis quid petatis*, cum mundi honores & inanes titulos ambitis. Laudat Maximus Valerius & merito sane regem, cui cum diadema vna cum regno oblatum esset, prius quam capiti imponeret, manu id accipiens dixit: *Onobilem magis quam felicem pannum! si te homines cognoscerent, ne humi quidem iacentem tollere vellent.*

*Stob. ser. 49.*

Ad eundem ferme modum olim Antigonus Rex vetulæ eius felicitatem ac beatitudinem deprædicanti respõdit: *Si nosses, ô mater, quantis malis hic panniculus est plenus,* (diadema regium ostendens) *ne insterquilinio quidem iacentem tolleres.*

Vere, inquam, *Nescitis quid petatis*: cum quietem ante laborem postulatis, pacem ante bellum, mercedem ante opera, triumphum deniq; ante victoriam, *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: ac tum

*ibid. 7. c. 2.*

ac tum demum quiete frui? neſcitis igitur quid petatis, cum ſuper Chriſtum extolli vultis, cum prærogatiuas, cum exemptiones petitis, quas Chriſtus nunquam habuit, aut quæſiuit: *Non eſt enim diſcipulus ſupra magiſtrum.*

Quamobrem *non eſt meum dare vobis.* Hanc vobis poſtulationē annuere nequeo, niſi prius pugnetis: *non eſt meum*, id eſt, *non debeo*: non eſt par vobis gloriam dare prius, quam aliquid ſuſtinueritis: illa enim veluti debita merces & remuneratio nonniſi bene pugnantibus confertur.

Narrat in Apophthegmatis Plutarchus, Antigonum ſecundum Demetrii filium, adoleſcenti cuidam, nobilis quidem ac generoſi patris filio, ſed ignauo alioquin ac inerti, ſtipendium ac remunerationem laborum quos pater in regis olim gratiam ſubierat, poſtulanti, regium ac ſeſe dignum reſponſum dediſſe: *Ego, mi adoleſcens, mercedem & munera dare propria non paterna virtutis causa dignis ſoleo.* Eodem prorſus modo, licet tacite, Chriſtus Rex noſter Zebediadis hiſce mihi viſus eſt reſpondiſſe: Remunerari non ſoleo eos, quorum nulla ſunt merita: & cum vos ô Apoſtoli, nondum tale quid promeueritis, *non eſt meum dare vobis.* Matt. 12.

Quamobrem Chriſtiani nihil vnquam huiuſmodi poſtulate, talibus amplius nolite cœlum votis ac precibus fatigare: nolite in hoc diſcipulos hoſce ambitioſos imitari: aut inaniter efferri, nec honores aut vanos dignitatum titulos affectare, nihilque amplius poſtulare, quam quod ad hanc vitam tolerandam neceſſarium ſit: cætera enim quid obſecro ſunt aliud quam vanitas, liquidum nihil, ac fumi vapor? quæ cum petitis, *neſcitis quid petatis.* Plutarch. Apophth. Reg.

Verè, inquam, Domine Ieſu, neſcimus qd petamus, quādo ipſum Nihil petimus, & Omne reiicimus, quando punctum rogamus, & infinitum contemnimus: quando temporalia quærimus, & æterna amittimus: quando terram deſideramus, & cœlum cœleſtiaq; negligimus: deniq; quādo ad mundi honorem aſpiramus, & de æternæ beatitudinis gloria ne minimum quidem ſolliciti ſumus: nos velut in tenebris ambulare ac cæcutire oſtendimus. Hanc igitur nobis gratiam concede, vt ambitiones has, infernales illos appetitus, inexplebiles illas cupiditates ex animo euellamus & penitus contemnamus. Hæc porro vnica nobis ſit gloria & ambitio, quam Apoſtolo Paulo præ cæteris conſtat placuiſſe, qui in ſola cruce gloriam collocabat, *Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vnica hæc noſtra ſit gloria, quam regius vates ambiit, cuius omnis ambitio in te ſolo diligendo ſita erat, dicens: *Et à te quid volui ſuper terram:* Maior noſtra non ſit ambitio, quam fuit illa Salomonis regum omnium ſapientiſſimi, qui omnem mundi gloriam ludibrio habens, ait: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Deniq; omnis noſtra ambitio ſit integrum tibi obſequium deferre, perfectum amorem exhibere, ac fideliter in hoc mundo adorare, ac demum in altera vita te oculo ad oculum contemplari. Amen. Galat. 6. Pſal. 72. Eccl. 1.

## FERIA V. POST DOMIN. II. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De noxa diuitiarum.*
*II. De diuite purpurato.*
*III. De epulone.*
*IV. Quales ſint diuites erga Lazaros.*
*V. De vtriuſq; morte.*

*Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide.* Luc. 16.

### FIGVRA.

PRÆCEPIT in Leuitico DEVS vt ſummus Pontifex duos in templum hircos coram Domino, ad oſtium tabernaculi adduceret: quorum vnum Domino immolaret, alterū iniquitatibus totius populi & imprecationibus variis grauatum in deſertum emitteret. Quo quid aliud, q̄ diuerſæ ſortes, quibus duo illi, quos in Euangelio hodierno deſcriptos habemus expoſiti fuêre, ſignificantur. Videmus hic enim, nō iam duos hircos, ſed animalia duo rationis vſum habentia: vnū ſc. diuitiis abundantē, q totum vitæ Leuit. 16.

suæ tempus in deliciis & voluptatibus traduxerat, alterum vero pauperrimum & mendicum, scilicet Lazarum, qui toto vitæ suæ spatio inopiam tolerauerat, eodem tempore simul corã Domino sisti. Vnus eorum, nempe Lazarus, ei oblatus fuit & benedictionibus completur: alter vero, diues scilicet epulo, peccatis & imprecationibus grauatus, instar fœtentis hirci, non in desertum, sed in tartari barathrum, sempiterna supplicia toleraturus detruditur. O diuersos rerum casus! ô dissona in vtroque iudicia! Vt vero aliquid, quod vobis omnibus prodesse salutique vestræ queat conducere, proponere possimus, Spiritus sancti opem & auxilium imploremus, in eamque rem Virginem matrem vt mediatricem adhibeamus, AVE MARIA dicentes.

*Plutarch. Lycurgo.* Præclarus ille Græcorum legislator Lycurgus, à Lacedæmoniis quondam rogatus, quanam potissimum re sese ab inimicorum impetu & viribus defenderent, libere respõdit, si paupertatem perpetuam colatis, ac diuitias malorum irritamenta procul à vestra republica dispellatis. Idipsum mihi hodierna die liceat Christiano more dicere, Auditores, & affirmare: vt scilicet animas nostras à dæmonum impetu atque armis tutas reddamus, nullum aut melius aut præstantius medium dici vel fingi posse, quam mundi splendorem ac luxum, ipsas etiam diuitias relinquere, ac procul ab animæ nostræ penetralibus easdem ablegare. Ita namque & ipse Gentium Doctor Paul. nos admonuit, dicens: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueos diaboli.* 1. *Tim.* 2. Sunt etenim diuitiæ veri dæmonum laquei, ac pedicæ, quibus nos captant, sunt vitiorum fomenta, virtutum omnium venenum ac internecio, animarum denique nostrarum sepulchrum.

Cõferuntur diuitiæ bombycibus. Quemadmodum enim bombyces magna sane difficultate ac labore, vt subtilia illa filamenta ore educat, se ipsos euiscerant & quodammodo emedullant; cumque selectum texere honoris ac loeum quietis cõponere arbitrantur, sibi se carcerem ac sepulchrum, in quo emoriantur, struere non vident. Non secus, vos mundani, vos inquam qui diuitiis coaceruandis incumbitis, cum splendidum aliquod ædificium construere, cum dignitatem aliquam auro redimere, census ac facultates coemere constituitis: carcerem vos vobis ædificare, eique vos includere, ac sepulchrum viuos intrare, non animaduertitis, numquam, nisi vt ad inferos deuoluamini, liberati vos continget.

Potens ille Nemroth cum excelsam illam Babylonis molem constrüeret, non putabat tantam inde sibi confusionem imminere. Ita quoque, tu Cosmophile, cum diuitiarum tuarum turrim sustollere moliris, non existimas hinc æternam tibi damnationem posse euenire. *Gen.* 11.

Auarus ille Giezi, Elizæi Prophetæ puer cũ dona & munera vestesq; pretiosas à Naaman accepisset, numquam existimauit fore, vt inde sibi lepram acquireret. Tu vero mundane, cum diuitias, quæ à mundo tibi offeruntur, accipis, nescis, ah nescis miser, illas te peccati lepra posse inficere.

Quamobrem hoc vobiscum cogiteris velim, à diuitiis non mediocre animæ periculum imminere, easq; vt plurimum arma esse quibus iuratus hostis vester Satan eandem oppugnat & expugnat; mundumq; iisdem veluti laqueis vti, quibus miseros mortales illaqueet & constringat. *4. Reg.* 1.

Audite egregiam in hanc rem allegoriam. Allegoria. Pellex illa & impudica Putipharis vxor, vt castum Ioseph animum peruerteret, adulterioq; fœdaret, palliũ eius arripuit; quo relicto nisi castus adolescens sese protipuisset, magnum pudor eius, & integritas periculum incurrisset. Nõ secus infernalis illa furia Satan, ille angelus adulterii, cum animabus hominum agit, quas in extremum discrimen adducere ac perdere machinatur. vt illas igitur in vitiorum gurgitem ac voraginem præcipites agat, diuitiarum pallio eas conatur comprehẽdere, quas diuitias nisi relinquant, ac nudæ profugiant, extremo sese discrimini, ne salutem ac pristinam dignitatem amittant exponunt.

Alexander præcepit militibus suis barbas radere. Refert Plutarchus Alexandrum Macedonem militibus suis barbam radere præcepisse, ne quis hac in bello apprehensa eos abreptos abduceret. hac enim parte virum compre-

comprehendere facilimum est. Summus quoq; militum Dux, Deus, sæpius nos, qui sub eius nomine & signis in Ecclesia militãti meremus, barbam, crines, superfluas illas diuitias resecare & tollere iubet; nulla enim parte facilius nos hostis noster diabolus, quam diuitiarum crinibus, potest comprehendere. Quemadmodum enim crines Samsoni, in quibus tamen omne eius robur situm erat, exitio fuere: ita quoque rutilans illa diuitiarum cæsaries, in qua tamen omnis nostra vis ac facultas consistit, infelicitatis nostræ & exitii vt plurimum fons est & origo. Ac veluti crines Absoloni (quorum tantus decor fuit ac splendor, vt Ierosolymitanæ virgines eos quotannis magno pretio redimerent: erat quippe illi flaua ac veluti aurea cæsaries) mortem pepererunt, quibus scilicet ad ramos arborum adhærescentibus cõfossus est. Non aliter cum diuitiis agi videmus, quæ instar aureorum crinium cum sint, in quibus & fortitudinem & voluptatem omnem ponimus, sæpenumero animas in æternam damnationẽ præcipites agunt, cuius hodierno in Euãgelio clarissimum exemplum videmus: illæ namq; sunt, quæ diuitem illum epulonem in tartari barathrum demerserunt. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpura & byssо, & epulabatur quotidie splendide: & erat quidam mendicus nomine Lazarus*, &c. Ecce duas hic sortes, duasque contrarias vias, ac duo mortis genera penitus discrepantia. Quorum ille paradisum hoc in mundo collocat & in altero tartarum acquirit: hic vero hoc in mũdo infernum miseriarum sibi constituit; & in altero cœlum & cœlica gaudia lucratur. Verum hanc mihi veniam concedite, vt vtriusque vobis fortunam ob oculos ponam, ac primum miseram illam diuitis epulonis, ac deinde lætam illam mendicantis Lazari.

*Iudic. 16.*

*2. Reg. 14.*

II. Historia de diuite hoc vera est.

Quod ad primum quidem attinet; sciendum est, historiã de diuite hoc non confictã, aut parabolæ loco à Domino in Euangelio propositam; sed veram esse, ac rem vere cõtigisse. Sententiæ huius suffragatores habeo omnes pœne SS Romanæ Ecclesiæ Doctores ac Patres, Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Gregorium, in cap. 16. Luc tres quidem Episcopos doctrina ac sanctitate effulgentes, alterum Romanum Pontificem. Abdiam item Babylonium lib 5. Irenæum libr. 4. contra hæreses. quos omnes Galliæ nostræ decus, ac columen sequitur Bern. dicens: *Ab his columnis difficile auellor.* Argumento est, quod in parabolis nulla propria poni nomina soleant, vt in hac historia fieri videmus: vbi de Lazaro, de Abrahamo, ac Moyse est sermo: quin & Euth. Græcus scriptor, ex traditione quorundã Hebræorũ tradit, diuitis huius nomen, *Ninensis*, fuisse.

Homo igitur fuit, & homo dives, qui cum multas opes ac facultates possideret, tantum abfuit, vt in Dei cultum & honorem conuerteret, vt iisdem & Deum offenderit. Aranea paruum licet animalculum, adeo venenosum est, vt florum etiam suauissimorum substantiam in venenũ letale cõuertat. Hic vero simile omnino, imo multo tetrius ac nocentius animal videmus, quod in venenum, in virulentiam, in peccatum, quo nullum in mundo deterius virus inuenitur, dulcedinem diuitiarum, ac mella opum commutat, adeo vt vnde Deo honorem tribui oportuerit, inde eum potius offenderit, & ad iracundiam prouocauerit. O miseri mũdani, idipsum & vos quotidie facitis: vos diuitem illum epulonem imitamini, vos Israelitas sequimini. Quum enim illi ingentes Ægypto egressi thesauros, & immẽsas opes, quibus Ægyptum spoliauerant, asportassent, post Rubri maris transitum, omnes illas in idola conflarunt. O impietatem non ferendam, ô ingratitudinem post tot beneficia singularem! Eadem vestra impietas est, Cosmophili. nam cum tantas tamq; amplas vobis ab incunabilis Deus opes, diuitias, ac facultates, quæ ad vos hæreditate deuoluuntur, contulerit; ea vestra est ingratitudo, vt idolis eas, gulæ scilicet, luxuriæ, ludo, tripudiis, omni deniq; peccatorum generi, quæ instar idolorum sunt, teste Paulo, *quæ est idolorum seruitus*, consecretis.

Epulo aranex collatus.

Allegoria.

*Exod. 38.*

*Ephes. 5.*

Ac veluti luna nunquam deliquium patitur, aut Eclipsim subit, nisi dum plena est: Diuites lunæ comparantur. ita homines raro aut nunquã in amore Dei, eiusq; mandatorum obseruatione deficiunt, nisi diuitiis turgeant, & oppleti sint. Aliud

adhuc in luna notandum est: quo enim illa plenior, eo à sole remotior & abest longius: homines quoq; ad eundem modum, quando facultatibus abundant, atque arca eorum opes laxas flagellat, tum minus de Deo soliciti sunt, ac magis ab illo recedunt. Ita sese rem habere, scire vos non ignoro ô diuites, & opulenti: an non enim verissimum est, vos de ieiunio, audiendo sacro, restitutione facienda, eleemosynis dandis, non esse sollicitos, ac de pœnitentia facienda ne minimum cogitare?

Triplici de causa diues condemnatus est.

Talis fuit diues ille epulo, qui tribus potissimum de causis condemnatus fuit. ac prima equidem, quia *induebatur purpura & bysso*. Non quod auro textas vestes indutus fuerit, quod torque aureo collum circumdatus, non quod gemmis incederet onustus; verum quod purpura & byssо fuerit vestitus: & nihilominus hoc ei damnationis æternę causa exstitit. altera, quod *epularetur quotidie splendide*, quod laute & opipare mensa eius instructa esset. Postremo vero, quod Lazari negligeret, quod tenax esset, nec in pauperes profusior. *Et erat quidam Lazarus.* Hæc tria damnationis eius fuêre capita. O delicatuli, & cincinnati aulæ comites & assectæ qui singulis pœne diebus instar chamæleontis colorem commutatis, quique vt Protei in omnes vestiũ formas vos transformatis; ne obsecro mirum vobis aut nouum videatur, si in infernale barathrum tandem aliquando sitis deuolendi, cum hic ob vnicum crimen, quod indueretur quotidie purpura & byssо, non vero stragulis auro intertextis supplicia ac tormenta æuiterna sustinere cogatur.

*Sabellicus.*

O stulta curiositas, ac curiosa stultitia, proh! quomodo miseros mundi amatores dementasti & fascinasti? Tanta Heliogabali Romanorum Imper. vanitas fuit ac superbia, vt singulas vestes semel tantum indueret; ac tanta in eo libido, vt si qua muliere vsus fuisset, eadem non amplius vteretur; tantusq; in eo splendor ac luxus, vt calceamenta gemmis, & vnionib adornaret: quæ

*Plinius.*

tamen Demetrius Rex etiam auro conuestiuit. Tanta in Aonio senatore Romano opulentia fuit & luxus, vt annulum gestaret, quem certum erat vicies millibus sestertiis æstimatum, vel secundum nostram supputandi rationem, quinque coronatorum millibus. O stultos mortales! ô luxum superfluum! Hæc diuitis nostri quoque vita fuit, *Induebatur quotidie* scilicet *purpura & byssо*, atque ideo partim damnatus fuit.

Vos vero mulieres & virgines, quæ ita comptæ & calamistratæ incedítis, & nouas quotidie vestium formas effingitis, quæ ita luxu diffluitis, quæ turritæ, mitellatæ, fucatæ videri vultis, & superbia elatæ caput in aëra sustollitis, an non horrenda Dei iudicia pertimescitis? audite historiam & vindictam insignem, qua Deus superfluum illum fœminarum luxum castigauit, qua cognita, vt resipiscatis, efflagito.

Stupenda in Venetæ muliere mollities.

Referunt Damianus & Sabellicus, in superba illa Venetorum republica olim feminam fuisse Dominici Siluii, Magni Venetiarum Ducis, vxorem, quæ Constantinopoli eodem commigrauerat: cuius tanta mollities & luxus fuit, vt manus nunquam nisi molli rore lauaret; ac non nisi fuscinulis aureis in mensa ad cibum capiendum vteretur, ne candorem digitorum, manuumque venustatem commacularet. Cubiculum vero eius, & lectus exoticis semper odoribus perfundebatur, & suauissimis suffitibus adolebatur. Verum ô diuini iudicii abyssum! non tulit tantam mollitiẽ, aut luxum Deus, ac vindictam sumere decreuit. subito enim in grauem morbum incidit, vnde factum est, vt tam grauis fœtor è toto eius corpore prodierit, nullus vt domesticorum ei adhærere potuerit, omnesque ad vnum eam deseruerint; itaque omnibus suis deliciis valedicere coacta, miserrime exspirauit. Hoc igitur exemplo resipiscite vos omnes qui delicias & luxum consectamini.

Vos vero fallaces huius mundi assectæ, & Christus vanitatis amatores, prospicite vobis, ne e- vnica vo- andem cum Epulone hoc sortem subeatis: ste cõtenseu modestia Christiana in habitu vestro tus fuit eluceat, Christiano more induamini, atque toto vitæ omnem luxum & magnificentiam in vesti- suæ tem- bus & cultu vestro fugite. Imitemini po- pore. tius verum hoc paupertatis exemplar, ac

typum

typum illum modestiæ Christum, qui toto vitæ suæ tempore vnica veste vixit contentus. Æmulemini eius discipulos & Apostolos, qui nudipedes, ac vili lacerna circumdati per agros, & vrbes Euangelium annuntiaturi discurrebant. Proponite vobis ob oculos miseros illos, ac pauperes religiosos humiles illos Capucinos, quos plena hyeme per imbres & frigora tenui veste indutos, ante oculos vestros incedere videtis: qui nobiliori forsitan loco nati; atq; illustriori stemmate oriundi, quam vos, qui eos despicitis. Quibus omnibus si ferreum vestrum pectus nequeam flectere, flectat saltem dives hic epulo, qui quod purpuram & byssum quotidie indutus fuerat, infernali barathro ac flammis perpetuis est sepultus.

Erat adhæc in epulis splendidus, atque in conuiuiis exquisitus: *Epulabatur* enim *quotidie splendide*: quotidie conuiuia domi suæ agitabat, mensa ac domus eius omnibus patebat intrantibus ac semper in epulis versabatur. O infelices ac tristes epulæ! Quot vos in mundum mala & calamitates inuexistis? in conuiuio siquidem Absaloni incestuosus Amnon, fraternis manibus necatur. In conuiuio Baltasaris Regis sacra templi vasa profanantur, ac Rex ipse vita spoliatur. In conuiuio Herodis, Ioanni Baptistæ caput præciditur In conuiuio filiorum Iob, domus corruit, quæ eos mensæ accumbentes ruina simul inuoluit. In conuiuiis Hebræorum idola eriguntur. denique quæ non petulantiæ etiam modo in conuiuiis hodiernis committuntur?

2.Reg.13. Dan.5. Marc.6. Iob.3.

III. Splendida veterum conuiuia & exquisita. Plut.Lucul.

*Epulabatur igitur quotidie splendide*, omnia luxus genera excogitabat, luxum ac conuiuia veterum illorum Romanorum imitabatur; quæ quam opipara & exquisita fuerint, meminisse vos puteam. Lucullus magnus ille Roman. Imperator, verum in epulis adeo splendidus, vt communi populi proverbio diceretur, *Loquitur vt Cato, viuit vt Lucullus*, cœnam extemporariam Pompeio & Ciceroni, qui eum nec opinantem opprimere decreuerant condidit, in quam quinquaginta denariorum millia, id est, decem Caroleorum millia fuere impensa, an non hoc erat splendide epulari? Ægypti regina Cleopatra, Antonium delicias suas conuiuio excipiens; vt regificam magnificentiam, aut immensam prodigalitatem potius, eidem testatam faceret, post exquisitissima fercula, ac lautissimos missus, gemmam centum coronatorum millibus æstimatam in mensam iussit inferri, eamque Antonio ministrari; cui ad insolitas lautitias, & nouum hoc ferculi genus demiranti, similem ipsa ex auricula pendentem gemmam, ni Antonius obstitisset, ministrasset. Audite obsecro aliud adhuc in eadem regina luxus exemplum. Cũ Philetas medicus eius quodam tempore culinam ingressus, octo vastissimos apros integros in veru suffixos, præter ingentem aliarum ferarum altiliumque copiam vidisset; obstupescens à coquo quæsiuit, quis Rex aut Monarcha cum ingenti famulorum caterua ad Reginam diuertisset, in cuius gratiam tantus ciborum apparatus destinatus foret? cui coquus submisse respondens, neminem præter Reginam, & Antonium cœnaturos, aiebat. Vere hoc erat, epulari splendide.

*Plut. in Antonio.*

Narrat de Vitellio Suetonius, quod magis adhuc forsitan demirabimini: ei scilicet cœnam aduenticiam à fratre datam fuisse: in qua duò millia lectissimorum piscium, septem auium appositæ traduntur, qui etiam in mediis epulis dicere interdum solebat, aut Cæsarem, aut parcum esse oportere: an non hoc splendide epulari erat?

*Sueton. Vitell. cap. 13.*

Ælius Lampridius Romanorum luxum exaggerans, de Heliogabalo refert, eum vna sibi cœna sexcenta struthionum capita apponi iussisse. O prodigiosam & immensam prodigalitatem! ô gulam intolerabilem! Legisse me etiam apud Athenæum memini; Sybaritam quendam, Smindridem nomine, mille venatorum ac totidem pene coquorũ numero stipatum, ad Dominæ suæ ædes amoris ergo, venire solitum. Sufficiebat hoc credo, ad epulandum splendide. Similis plane vita diuitis huius Epulonis, ac Lurconis fuit: vt verum Epicuri de grege porcum, & alterum Sardanapalum videre in eo liceret; sed

*Athenæus lib. 12.*

*O dives, dives, non omni tempore vives.*

Tu scilicet epularis splendide, mensaq; tua lectis-

lectissimis epulis referta est; at Lazarus misellus fame moritur.

Ad alterum iam concionis membrum veniamus, ac secundum tragœdiæ huius actum repræsentemus. Prodeat igitur iam mendicus in scenam Lazarus. *Erat quidam mendicus.* Interea vero dum epulo ille duceret in bonis dies suos, quotidieq; laute ac splendide comessaretur, iacet ecce inops ac mendicus Lazarus, vlceribus plenus, miseriis saturatus, opem efflagitans, stipemq; poscens ad ianuam palatii eius; & heu dues ille immitis ad eius petitionem obsurdescit. Detonent licet cæli, ac tonitrua vndequaque circumstrepant, non ideo tamen rupes concutiuntur aut percelluntur: clament & inclament ad diuitum fores pleno gutture pauperes, non minus quam Marpesia cautes illi commouentur. Ecce vobis hic exemplum
2. Reg. 25. Dives ille & inhumanus Nabal, cum quotidie cum suis epularetur, nunquam tamen copias Dauidis, quæ in deserto & sterili solo commeatus inopia laborabant, cibariis iuuare voluit. Vnde tantam aduersus inhumanum hunc ac tenacem indignationem concepit, vt eum misso exercitu delere parauerit: *Et ait Dauid: Vere frustra seruaui ea, quæ huius erant in deserto, & nõ periit quidquam de ijs, quæ ad eum pertinebant, & reddidit mihi malum pro bono. hæc faciat Deus inimicis Dauid. Si reliquero de omnibus quæ ad ipsum pertinent, vsq; mane, mingentem ad parietem.* Qua ingratitudine historiam hodiernam expressam videmus: cernimus enim hic stultum quendam Nabal, quotidie medias inter epulas versantem, ac misero Iesu Christi athletæ, desertum mundi huius perambulanti, misericordiam exhibere detrectantem: vnde tanta aduersus eum Deus indignatione fuit commotus, vt armis iustitiæ in eum exsertis, in exitum, damnationemq; illius conspirauerit, & eum in profundum tartari deturbarit.

*lib. 2.* Fluuius in quẽ si quid proiicitur, quam primum lapidescit.

Ait Plinius fluuium esse, in quem arbores aut plantæ coniectæ quam primum lapide scant. De eius quidem rei veritate mihi non constat; tamen hic rem haud multum absimilem contemplor. Video enim hic voraginem, torrentem rapidissimum, abyssumque ingluuiei, quæ omnes diuitias, bonaq; temporalia, quæ Deus in domum eius cumulatissime coniicit, in lapidem peccati conuertat: omnia scilicet in lapidem transeunt, nihil in eleemosynam commutatur, misellus Lazarus ne micam potis est elicere.

Quemadmodum etiam arbores, quæ in locis præruptis ac confragosis, inq; inaccessis præcipitiis excrescunt, nullos nisi coruis auibusq; fructus ferũt, cum homines eo nequeant pertingere. Ad eundem quoq; modũ de diuite hoc dicere possumus. Qui cum in præcipitiis superbiæ, gulæque consitus sit, omnes, quos fert, fructus, omnesq; facultates eius, in prædam coruis, id est peccatis, quæ animam deuorant, & non pauperibus, cedunt; Lazarus ad eas nequit pertingere.

Ipsi porro canes, ratione licet destituti, mendici huius miserti, eius vlcera lingunt; ac nefarius ille gurges & helluo, ne minimũ quidem commouetur. O crudelitatem inauditam! ô barbariem intolerabilem? Sume animos mendice, consolare inops Lazare, noli contristari Iob, sedens in sterquilinio, testa vlcera & saniem radens; omnia tibi tua duplicato fœnore tandem aliquando reddẽtur. Sustine adhuc paululum afflicte Mardochæe, veniet aliquando tempus, cum superbus ille Aman, dives ille epulo subuertetur, & ad patibulum vsque, ad inferos vsque deprimetur; tu vero ad honores & gloriam ab Angelis subueheris. Consolare, consolare Daniel, etsi modo famem in medio rabidorum leonum, diuitum horum epulonum, leones ipsos feritate & barbarie longe superantium, patiaris; veniet namque aliquando tempus, illa tandem dies eluceſcet, qua Deus Abacuc, qua Prophetas susciabit, qui tibi cibum subministrabunt, & vltro deferent. Concipe spem & confide Elia, licet impia illa Iezabel te prosequatur, licet dives epulo in te insurgat, licet fame in deserto moriare; excitabit Deus non coruos, sed Angelos, qui te cõsolentur, pascant, & in Abrahæ sinum deferant. Noli deiici animo Dauid, si à mensa impii illius Saulis repulsus per solitudinem & loca inuia instar erronis obambules, in deserto habites, licet sub dio & humi cubes, mille licet molestias

Solamen pro pauperibus.

*Iob. 3.*

*Esth. 6.*

*Dan. 6.*

*3. Reg. 19.*

*2. Reg. 15.*

lestias perferas? melior & serenior quondam fortuna affulgebit, ac tantarum amaritudinũ loco segerem consolationum recipies. Spera igitur misselle Lazare, sustine, ac sume animos, *iacta super Dominum curam tuã, & ipse te enutriet.* Humeris diuinæ prouidentiæ innitere, eisq; tribulationum, angustiarumque tuarum põdus impone, ac senties proculdubio, consolationem propediem affuturã. Ne tibi mirum videatur, si diuitem hunc læta iã gaudentem fortuna videas, te vero aduersa premi: sed potius animum concipies: neque enim perpetuum hoc futurum est, fortunæ rota vertetur, ac tum quadrata rotundis cõmutata videbis: *factum est vt moreretur mendicus, mortuus est & diues.*

Psal. 54.

V.

Hic finis est lusus, hæc lugubris illius Tragœdiæ catastrophe: Lazarus mortuus est, mortuus & diues: vterque mortuus est: ita namque æqua sorte moriuntur diues simul & pauper, opulentus & mendicus, *Nemini prorsus fera Parca parcit.* Adeo vt merito dicere potueris Flacce:

Horat. li. 1. ode. 4.

*Pallida mors æquo pulsat pede*
*Pauperum tabernas regumq; turres.*

Nam veluti sidera, quæ in oriente exoriũtur, post mille cursus & recursus, iterũ tandem in Occidente occidunt. Ita etiam omnes in cunis, instar minutarum quarundam stellarum, in vitæ huius horizonte æqualiter exorimur & surgimus: verum post varias ambulationes & motus, omnes in tumulo æqualiter tandem occidimus. At non satis est mori. Quanta vero Deus bone & iuste, in morte ipsa diuersitas est & discrepantia! Eodem simul vterq; momento moritur: ac Lazarum in sinu Abrahæ, in Prophetarũ & Patriarcharum medio video considentẽ: diuitem vero inter media dæmonum damnatorumque agmina, inter flammas medium, in profundo Tartari sepultum contemplor, *Et sepultus est in inferno.*

Epulonis sepulchrũ.

O ferale sepulchrum! ô tristes exequias! ô vere pompam funebrem. Longe aliud hic monumẽtum videbitis, quam superbum illud Mausoli Cariæ Regis. Sepulchrũ inquã, flammis candens, ignibus circum vndique accensum, tormentis variegatum, diabolis & monstris infernalibus vndiq; circumseptũ. Sepulchrum non marmoreum, aut æneum, sed ex igne flammarumque spiris simul & glacie compactum quod nulla temporũ vetustas, aut cæli ruina destruet: dignum damnato sepulchrum, dignum, inquam, anima apud inferos crucianda, denique diuite dignum Epulone.

*Mortuus est & diues.* Epulo tandem etiam mortuus est, non secus ac mendicus Lazarus: verum non eandem vterq; calcat viam: alter quippe ad gloriã, alter ad cruciatus secedit. Cuius separationis egregium in Apoc. exemplum legimus: in qua Diuus Ioannes olim duas mulieres vidit, vnam quidem saccis & ciliciis circumdatam, & extrema oppressa inopia: alteram vero meretricem, gemmis circum vndique effulgentem, purpura indutam & byssо, cui Reges & Principes terræ ministerium obsequiumque supplices exhibebant, quæq; nonnisi luxum & splendorem spirabat. Cum vero Ioannes his visis obstupesceret: subito ecce vidit, meretricem hanc superbam, omnibus indumentis magnificis, & regio illo ornatu spoliari, & in medios flammarum vortices præcipitem deiici: aitq; iudicem addidisse, *Quantum glorificauit se, & fuit in delitiis, tantum date illi & tormentum.* Vidit quoque laceram illam vndecunque mulierem, saccis & ciliciis suis denudari, ac regiis ornamẽtis condecoratam, ad pulchrã quandam ciuitatem deduci; vbi corona aurea coronata est. An non vobis Euangelium hodiernum hic ad verbum repeti, & in hac visione renouari videtur, Auditores? videtis hic enim, non dico duas, sed duos, diuerso habitu indutos, vnum quidem byssо & purpura amictum, alterum vero saccis, & miseriis, & paupertate tectum, quorum vterque cum vitæ cursum finiisset, vnus ab omnibus derelictus, diuitiis & pompa spoliatus est, & ad inferos, tormẽta & cruciatus ibidem, pro mensura, qua in hoc mundo delicias, & voluptates habuerat, toleraturus, deturbatur. Alter vero paupertatem simul & viles illas lacernas exuens, regio ornatu indutus, ad sinum Abrahæ, velut ad ciuitatem iucundissimam, deductus est: in qua Reges, Prophetas ac Patriarchas ciues habet, vt gloriæ coronam tandem aliquãdo adipiscatur. An nõ igitur

Apoc. 12.

Apoc. 17.

igitur eadem vtrobiq; sors, & eadem rerum in vtraque historia facies.

*Dan. 4.* Hic igitur magnam illam arborem, quam Nabuchodonosor somnians vidit, in qua tot volucres nidificabant, ac sub qua tot bestiæ, tot nempe peccata, & dissolutiones habitabant, excisam, deiectam, inq; tartareas flammas deturbatam videmus. Videmus inquã, idolum Dagon in terram deiectũ, & in mille partes comminutum ad pedes Lazari per *Hebr. 9.* Aream fœderis expressi (arcæ inquam, in qua manna patientiæ, virga tribulationis, ac legis tabulæ, id est, diuinorum mandatorum obseruatio, seruabantur) prostratum iacere.

Consolamini igitur pauperes, consolamini inquam, inopes & mendici, qui hic à delictis vestris purgamini: eõsolamini, cum tam felicem paupertatis remunerationẽ, ac tam tristem deliciarum diuitiarumq; finem perspicitis. Libenter itaque, hac animati historia, afflictionum tribulationumque pondus, idq; magno animo & patiẽter sustinete, Audite obsecro, quid socii vestri, iam in tuto positi ad Deum inclament. *Psal. 43.* *Humiliasti nos in loco afflictionis.* Ac memineritis in huius vitæ breuitate, ac veluti momẽto tribulationum & afflictionum malleos esse perferendos.

Infignis cõceptus. *3. Reg. 9.* Sacris litteris traditum est, toto illo quo templum Salomonis ædificabatur tempore, malleum aut ferramẽtum nullum fuisse audita. Quinam hoc fieri potuerit, sæpissime mecum dubitaui, imo vero vix fieri potuisse videri queat, præsertim in tanta ædificii mole, in qua construenda triginta hominum millia, idque septennio, & quidem quotidie laborabant. Verum huiusce rei ratio ad capitis præcedentis finem legitur: quod scilicet lapides in Libano monte dolarentur & polirentur, qui Ierosolymis tantum suo quiq; loco erant digerendi. O mysterium diuinum & eximium! Templum hoc Ierusalem cælestis, de animabus nostris, veluti viuis lapidibus constructum est, in quo nullus, aut malleus, aut dolabra, aut lima auditur, nulla nãque illic tribulatio reliqua est: cum omnis sonus & tumultus in Ecclesia hac militante audiatur: hic est, nempe officina & ergasteriũ, in quo animæ nostræ dolantur, & contundũtur. In hoc igitur mundo, ô pauperes, tribulationum locus est, hic quippe afflictiones & angustiæ tolerandæ sunt.

Mundus hic tribulationum locus est.

Vos vero diuites, qui toto hoc Quadragesimæ tempore epulamini: & gulam exercetis, qui regio quotidie habitu induimini, qui nullas vnquam in pauperes eleemosynas erogatis, an nõ pertimescitis, aut formidatis, ne apud inferos cum diuite hoc epulone sepeliamini? an non auditis, quomodo præanimi angustia ipse exclamet: *Pater Abraham miserere mei.* At nullus amplius misericordiæ locus est, tempus miserendi effluxit, hic viget iustitiæ rigor: cum enim hoc in mundo paradisum habueris, illic habeas & tartara necesse est: Lazaro in terra micas de mẽsa cadentes negasti, negetur tibi modo etiam minima aquæ gutta. Corrigite igitur ô diuites vitam vestrã, & vos ô pauperes spẽ concipite. Tu vero Domine, peccatis nostris clementer ignosce, & nos à pœnis illis infernalib. præserua, pœnis inquam æternis, pœnis nullum vnquam terminum aut finem habituris, pœnis quib. dies hic apud inferos cruciatur Cum vero harum ômnium calamitatum origo & radix ipsæ diuitiæ exstiterint, cũ illæ damnationis eius fuerint fundamentũ: hanc quæso nobis gratiam concede: vt nostrum desiderium ad illas appetendas nullo vnquam tempore feratur. Cum vero benignitati tuæ profusissimæ nobis easdẽ visum fuit elargiri, tibi vt eas offeramus, in honorẽ tuum eas penitus impendamus, denique vt in pauperes, in egenos, in mendicos, qui tua mẽbra & amici dilectissimi sunt, erogemus, elargire. Et quoniam vestium superbia, & epularum luxus miseram hãc animam in damnationem traxerũt, da obsecro, vt nos saccos, cilicia, vestesque viles induti, ac ieiunio, inediaque carnem hanc nostram macerantes, aliam viam ingrediamur: vt in ipsa abstinentia nostræ sint epulæ: cilicia, byssus: sacci, purpura: ac flagella, nostriæ deliciæ. Hac enim via Lazarus ad sinum Abrahæ peruenit. eandem igitur & nos teneamus, vt eodẽ quo ille, peruenire valeamus, ad patriam inquam, cælestem: cuius nos participes reddãt

Pater ingenitus, Filius vnigenitus, ac Paracletus Spiritus sanctus, Amen.

FERIA

# FERIA VI. POST DOMINICAM II. QVADRAgesimæ.

Partitio.

I. *Quod homo sit arbor.*
II. *De vinea, quid sit.*
III. *De cultura & partibus vineæ.*
IV. *De Vinitoribus.*

*Homo erat Paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circumdedit ei.* Matt. 21.

## FIGVRA.

2. Reg. 21. HAbebat iustus ille & innocens Naboth, cui par in Israel vix vnquã fuit, vineam quæ successione hæreditaria ad ipsum deuenerat: verum quam impius Rex Achab omni ratione totoq; conatu inuadere moliebatur: quod cum pro voto ei non succederet, fornicatricis Iezabel, quæ verus impietatis typus exstitit, opera eam in rem vsus est, quæ falsis testimoniis miserum Naboth nefarie circumuentũ, iussit trucidari. Idẽ ipsum sub vmbris insignis cuiusdam parabolæ in Euangelio nostro expressum videre videor. Cernas enim hic verum illum Naboth Christum Iesum, quo iustiorem innocẽtioremq; mundus non tulit, egregiæ & fœcundæ vineæ, Ecclesiæ sc. possessorem: quam non Achab, sed Satan inuadere satagit: quod tamẽ cum propriis viribus efficere non posset: adulterantem illam & fornicantem synagogam adhibuit, quę iniquis testimoniis oppressum in monte Caluariæ, nefanda morte in cruce mori coegit. Hęc communis & vulgatissima parabolæ est interpretatio: verum vt nouum quid & inauditum huc afferre possimus, Paracleti Spiritus opem, precibus sanctissimæ Virg. inclamemus.

## AVE MARIA.

Cyrus Rex libenter fructus colligebat ex arboribus

Magnum illum Persarum Regem Cyrum maximæ voluptatis loco habuisse ferunt, si fructus ex arboribus, quas suis ipse manibus conseuisset & insseuisset colligere posset, Euangelica quoque historia vnicas Dei nostri delitias, & voluptates esse refert, fructus ex teneris illis arbusculis, animabus in quam rationalibus, quas per Baptismatis Sacramentum renatas in Ecclesia plantauit, productos videre, & visos colligere. *Ego posui vos vt eatis, & fructũ afferatis.* Quasi diceret, Ego vos, ô Apostoli mei veluti inpolitos truncos, & steriles stipites è deserto mundi huius extractos in fertile Ecclesiæ meæ solum traduxi, vt instar sublime nutantium cedrorum in altum excrescatis, fructusque deuotionis sanctificationis, ac prædicationis per totum mundum producatis. bus, quas ipse plantasset. *Xenophon in Cyro. Ioan. 15.*

O Christiane, mutato nomine de te fabula narratur. Plantauit te nempe Deus in Ecclesiæ suæ viridario, proprio rigauit sanguine, gratiarumq; suarũ cœlestium influxus in te vberrime & imbres immisit, verum vt fructus dignos & exspectatos feras, fructus inquam pœnitentię, fructus scil. iciunii, misericordiæ, id est, eleemosynarum. Audite obsecro vocem illam clamãtis in deserto, *facite fructus dignos pœnitentiæ*: quasi diceret, Scribę & Phariszi, ciues Ierosolymitani, vos scilicet steriles iuniperi, ac infrugiferæ pinus, in terra synagogæ plantatæ: appareãt in vobis tãdem aliquando fructus. Præiuit mihi hic vitam vates regius, qui cum de iustis loquitur, arbores eos appellare non dubitauit. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo: & folium eius non defluet.* Homo à Deo plantatus fuit, vt fructum afferret. *Luc. 3. Psal. 1.*

Omnes quoque quæ in paradiso terrestri creatæ erant arbores, fructus proferebant: ac nulla penitus erat quæ fructu careret: *produxitque Dominus Deus de humo omne lignũ pulchrum visu, & ad vescẽdum suaue* quod etiam ex eo patet, quod Deus Adã locutus dixit, *De omni ligno paradisi comedes*: vnde colligi põt, omnes frugiferas ac feraces fuisse. E quo euidẽter apparet, iam inde à mũdi exordio Deũ nullis infrugiferis arborib. nullũq; producẽtibus fructum delectari: ita vero fructib. capi nullam vmquam in agris suis sterilẽ arborẽ crescere siuerit, sed exstirpari quam primum iusserit: aperte testatus, *Omnis arbor quæ non facit fructũ bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur.* Quibus verbis dicere voluit: Numquam Ecclesię meę agrum ab infrugiferis & sterili- *Gen. 2. Luc. 5.*

bus plantis ſinam occupari: omnes eas quæ fructum nullum produxerint, omnes illos peccatores, veluti fomẽtum & pabulũ flammæ infernalis, mors exſcindet, & depaſcet.

*Luc. 18.* An non meminiſtis grauiſſimę illius maledictionis, quæ in ficulneam illam ſterilem ꝓlata eſt? *Venit paterfamilias quærens fructum in illa, & nõ inuenio, & dixit ad cultorẽ vineæ: Ecce anni tres ſunt ex quo venio quærens fructus in ficulnea hac, & non inueni, ſuccide ergo illam, vt quid enim terrã occupat?* Quid ad hæc peccator, mala inquam arbor, planta inutilis, ficulnea infrugifera, quid ad hæc obiicies? Tres tantum effluxerant animi ex quo miſera hæc ficulnea fructum non tulerat, & ecce patremfamilias adeo indignatum, vt eã iuſſerit ſuccidi: & viginti forſitan, ne dicam triginta, & quod excurrit, anni elapſi ſunt ex quo nullus pœnitẽtię fructus in te natus eſt? Quid igitur tandem benigniſſimum illum Deum, qui tãto te tempore tam longanimiter exſpectauit, facturum tecum exiſtimas?

*Daniel. 4.* Vidit olim Nabuchodonoſor Babylonis Rex, ſomnians arborem in medio orbis conſitam, cuius tãta magnitudo & vaſtitas fuit, vt cęlum vertice ſuo cõtingeret, & radice ad ꝓfundiſſimas vſq; terrę abyſſos penetraret, rami vero ab vno ad alterum polum pertingerẽt: cuius folia pulcherrima, ac fructus iucundiſſimi erant, & in qua volucres cœli nidificarent, & ſub qua multa animaliũ genera cõmorabãtur. *Videbam & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia, folia eius pulcherrima, & fructꝰ eius nimius, & eſca vniuerſorũ in ea, ſubter eã habitabãt animalia, & beſtiæ, & in ramis eius cõuerſabantur volucres cœli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* O arborẽ longe pulcherrimã, fructib. referiã, cum omnes beſtiæ ſub ea paſcantur: Ecquid huic vero tãdem euenturũ putatis? Cũ illã igitur Rex attentius contẽplaretur, ecce vox de cœlo venit, clamãs: *ſuccidite arborẽ, præcidite ramos eius, excutite folia, & diſpergite fructus eius.* Eheu? quãobrem patula arbor hęc ita ſucciditur quare exſcinditur? Cum tñ fructus vberrimos produxerit, ſed fructus in vſum animaliũ deſtinatos: non erat enim fructus Deo gratus, ſed beſtiis, *Ex ea veſcebatur omnis caro.* Deus nãque fructus bonos, eoſq; ſpirituales requirit.

Vocauit olim ad ſe Ezechielem Deus, vocatumq; ad regẽ Iuda ciueſq; Ieruſalem deſtinauit, hoc vt iis ęnigma proponeret: *Aquila grandis magnarum alarum, plena plumis & varietate venit ad Libanũ, & tulit medullam cedri, ſummitatẽ frondẽ eius aſſumpſit, & trãſportauit eam in terram Chanaan.* Quid his verborum inuolucris, quid hiſce ænigmaticis & tropicis propoſitionibus denotas Domine, quas populo tuo in Iudęa per Prophetam vis proponi? Per aquilã. Auditores, deſignabat Deus Regem Nabuchodonoſor, & per Libanum, ciuitatem Ieroſolymorum. O inuolutum myſterium! Mons Libani excelſiſſimus eſt, cedris vndique proceriſſimis viſuque iucundiſſimis, ſed fructu penitus carentibus, conſitus. Vnde ſignificare conabatur Deus Ieroſolym tanam ciuitatem monti huic eſſe quam ſimilimam, ædificiis ſituque pulcherrimã, ſed inſtar Libani, cedris infrugiferis, licet proceriſſimis, refertã: cum Rex, & Principes ac ciuitatis Optimates nullum, qui Deo gratus foret, fructum proferrent: quos ideo in manum Nabuchodonoſor Regis euellendos & deſtruendos traderet.

*Ezech. 17.*

*Ieruſalem Libano comparatur.*

Anne igitur nobis figuræ deſunt ad demõſtrandum, quãtum Deus animas multis bonorum operũ fructibus ornatas, complectatur? contra vero quantum ſteriles deteſtatur? Eſt hoc ſubiectum parabolæ hodiernæ Euãgeliiq; noſtri ſenſus: in quo Dominus ænigmatice de Eccleſiæ ſuæ vinea aduerſus Iudæos, qui inſtar arborum infrugiferarũ nullos fructus proferebant, agens, tandem interminans infert: *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructꝰ eius.* De vinea primo loquendum eſt, ac deinde ad vinitores, quorum curę ea demandata eſt deſcẽdemus.

Quod ad primũ igitur ſpectat, omnes Eccleſię Patres & Doctores, qui parabolę huius vmquam meminere, & vineam hanc ingreſſi fuere, ſingula diligẽtius conſiderantes, oculoſq; modo in ſepem circumſepientem, modo in torcular quod in medio eius conſpicitur, modo in turrim, quæ eam communit, coniicientes, diuerſis eam rebus accõmodarunt. Athanaſ. igitur in primis cum rem attentius perpendiſſet, per vineã mundũ intellexit: per turrim, fidem: per vinitores, Iudæos

*Per vineã hanc varia varia intellexerunt.*

*Atha q. 48. Lib. alleger.*

per

Mystica vineæ huius explicatio.

per seruos, Prophetas. S. Isidorus Hispalensis aliud commentus est, atq; à communi explicandi ratione recessit longius: ait enim per vineam, Ierusalem: per torcular, templum: per turrim, altare: per sepem, legem: & per filium, Messiam denotari.

O egregias & doctas commentationes! alias vobis adhuc insinuabo. Quis neget per vineam hanc, Religionem & Monasteria designari: in quibus regulæ cõstitutiones; instar sepis sunt: humilitas, turris instar: Religiosi, viatorũ: ipsę deniq; orationes, mortificationes, austeritates, mundiq; cõtemptus, fructuum nomine appellari possunt. An non etiam sub inuolucris hisce parabolicis intelligi queant sacrosanctus Senatus: & tribunalia Iustitiæ? Sunt sane illa instar vinearum à Deo hoc in mundo consitarum, quas vndiq; legibus, edictis, decretis, constitutionibus, consuetudinibusq; velut sepibus circũsepsit. Torcular earum esse propriam vniuscuiusq; conscientiam: turrim & arcem, iustitiã: cultores earum Consiliarios, Senatores, Iudices & Præsides: seruos qui ad easdẽ colẽdas missi sunt, necessitates, clamores ac populi querelas esse, fructus vero, litiũ determinationes, oppressorum defensionem, orphanorum tutelam, delictorumq; admissorũ castigationem dici posse. O vineam incomparabilem!

Sacra tribunalia sunt vineæ Christi.

Anima hominis etiam dici potest vinea.

Psal. 90.

1. Ioan. 1.

Quid si & tu, ô anima, vinea dicereris? merito quidem Plantauit te namq; Deus. creauit scilicet, in hoc corpore gratiarũ suarum imbrẽ in te immisit, crux eius tibi velut fulcrum & sustẽtaculum est, sepes ipsi sunt Angeli, nam *Angelis suis Deus mandauit de te.* Torcular, ipsa est charitas: turris fides, & quidem fortissima, *Hæc est enim qua vincit mundum fides nostra* turris inquam, cuius fundamentum ad inferos vsq; pertingit, cum inferorũ pœnę suppliciaq; credentibus timorem incutiant: turris etiam altissima, quæ in cœlum vsq; glorię consequendę spe ingreditur: tot fenestreis, quot virtutes possidet, circum vndique decorata. Serui qui apte missi sunt, ipsę sanctę inspirationes, exhortationes, fraternæ correptiones, omnes cælo oriundę, dici possint. Fructus vero quos te proferre oportet, ipsa sunt opera pietatis & charitatis, ô vineam iucundissimam.

O nefanda & execranda hæresis, an non & te vineam appellare audebimus: nõ quidem Dei, sed diaboli manu plantatam? cincta nãque es errorib. falsitatibus, impostoris, mendaciis, & blasphemiis circumsepta. Torcular tuum, perpetua cõscientię tortura & assiduus interius eruciatus: arx tua ipsa est superbia: cultores habes Lutheros, Zuinglios, Caluinos, diabolos simul & verbi reformati ministros: serui qui ad te missi sunt, Episcopi, Doctores & pastores, quibus credere noluisti: fructus vero quos profers, sunt altarium demolitio, campanilium destructio, in Deum blasphemiæ, omnium sacrorum locorum profanatio, animorũ exitium, regnorum euersiones, ac turbæ per orbem terrarum concitatę. De te, ô infernalis vinea Moysem Prophetam locutum existimo, cum ait. *Vua eorum, vua fellis, & botri amaritissimi: vinum eorum fel draconum, & venenum insanabile.* *Deut. 12.*

Vinea quoque sed improba, ipsa est hęresis.

Verũ hæc hactenus, & quidem extra propositum. Vinea igitur hęc quam Pater ille familias plantauit, Ecclesia Catholica est. testẽ & vadem habeo Isaiam, *Vinea Domini exercituum domus Israel est, & vir Iuda germen eius delectabile.* Quot porro sæculis vinea hęc plãtata fuit? ante tempora scil. Dauidis, Moysis, Abraham. Noe, ante dies Abelis, deniq; antequam Adam formaretur, imo cum ipsis Angelis cœpit existere. Et sane si Ecclesia nihil aliud est quam omniũ Christi fidelium, sub vno capite & duce Iesu Christo cõuẽtus & congregatio: & constet Angelos ipsos fidẽ olim habuisse, non est mihi credite, dubitandum, quin Ecclesia ab Angelis exordiũ sumpserit, & ante homines natos florere & vigere cœperit. Verum si Ecclesiam pro credentium & vero Deo immolantium congregatione & vnione accipiamus, constat eam non nisi ab Abel, qui primꝰ Deo victimas mactauit, primus sacrificium obtulit, & primus Ecclesię & mũdi martyr exstitit, duxisse principiũ. Atq; hęc communis sanctorũ Patrum opinio est, & vulgata parabolę huius explicatio. *Homo erat Paterfamilias qui plãtauit vineam* est Pater ille familias, Deus, est, pater inquam familias, quia Angelos & omnes omnino mortales domesticos habet. ille Vineam plantauit, Ecclesiam, id est, Quando vero? ab ipso

Ecclesia Catholica proprie loquẽdo hęc vinea est. *Isa. 5.*

A temporibus & creatione Angelorum Ecclesia cœpit.

Psal. 88. mundi primordio, iam ab ipso Abele. *& ipse fundauit eam altissimus.* Deus scilicet eius auctor est, eius fundator est, ac plantator: à tot sc. retro sæculis, Ecclesiæ hæc vinea exstitit.

3. Reg. 21. Hæc namq; est vinea illa Naboth, quam Achab tanto tempore inuadere conatus est: vinea inquam Christi Iesu, quã Satan toties concupiuit, ita vt Christus eius causa vitam amittere fuerit coactus. Hæc est vinea illa Noe, quæ vuis suis plantãtem inebriauit. Vt vero hoc per transennam insinuem, quod in Genesi legitur, Noe primũ vineę repertorem exstitisse, non ita intelligendũ est quasi nullę ante eum in orbe vites exstiterint: sed forsitã, quod eas incultas & neglectas colere inceperit, vel dissipatas in vnum locum cõgregarit: atq; adeo vineæ repertoris nomen inuenerit: cuius occasione sacræ litterę addũt, Noe vite plantata à vino inebriatum fuisse, ac tum nuditate eius detecta à filiis ludibrio habitum.

Psal. 19. Verus hic Noe, Christus fuit, qui post peccati originalis diluuium, primus in Ecclesia vineam plantauit: non quod Ecclesia ante diluuium non exstiterit, verum quod eam incultam & desertã quodammodo, neue adeo late patentem, angustis Iudææ finibus circũscriptam, & terminis synagogæ contentam, in aduẽtu suo ab vno polo vsque ad alterum extẽderit. *In omnem* enim *terram exiuit sonus eorum.* Hac igitur ratione eum vineam plantasse diximus. ac tum Noe accidit, vt vinea Ecclesiæ suæ plantata, vino amoris quo eam prosequebatur, in passione fuerit inebriatus: ac præ labore, quem in ea fossa circummuniendo insumpserat, defatigatus, in somnum inciderit, idque in monte Caluariæ: nuditatemq; suam, humilitatem ac paupertatem in cruce detexerit ac demonstrarit. Vnde factũ est vt Iudæi filii primogeniti ac dilectissimi

Psal. 21. eum subsannarint. *Omnes videntes me deriserunt me, & factus sum opprobrium hominum, & abiectio plebis.*

Gen. 40. Hęc scil. vinea est, quę tres propagines habebat, q̃ pincerna Regis Pharaonis in somnis vidit, *Videbam corã me vitem, in qua tres erant propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuis matureſcere.* Habet nimirum Angelos in cœlo, animas in purgatorio, ac nos peregrinos & viatores in Ecclesia militãti. O vere insignes propagines! ô vineam vberem & feracem! vineam inquã, q̃ Deus irrigationibus diuersis rationibus: modo pluuias in eam, modo calorem immittendo, superflua resecando, excoluit. Et sane immisit toties in eam pluuias, & quadraginta dierum spatio diluuii aquis eam rigauit. Vberem profecto rigationem. Sed non minus ardua tum fuit, cum nimirum omnia eius septa destructa sunt, & octo tantum animæ per aquas seruatæ, quæ deinde post diluuium hanc iterum propagarunt.

Fuit & irrigata in deserto Sinai, quando aquæ ad Mosis imperium à petra durissima profluxerunt. *Percutiesq; petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus,* Rigauit eam deinde Elias, copiosam pluuiam immittendo, cum scilicet triennio & amplius prę continuis caloribus & æstibus arefacta pœne exaruerat: *Ecce cœli cõtenebrati sunt, & nubes & ventus, & facta est pluuia grandis.* Fuisti & amplius ô vinea, ac multo quidem præclarius vtiliusq; irrigata sacra illa vnda Baptismatis: verum felicius adhuc pretioso Christi sanguine, quem ille ad te irrigandam vberrime in crucis arbore effudit, ita vt tum vere completum illud Prophetæ dicere liceat, *Fluminis*

Psal. 45. *impetus lætificat ciuitatem Dei.*

Verum præter abundantẽ illam irrigationem aquasq; quæ in eam immittebantur, calores & ęstus in primis necessarii erãt. vt vuæ

3. Reg. 18. matureſcerent: quos adeo quidẽ vehementes Samarię incolę experti sunt, vt multi triũ annorum spatio, prę calore & siccitate interierint, quin & adeo ęstuãtes eos in Genesi legi-

Gen. 19. mus, vt Pentapolis calore & igne fuerit consumpta: adeo grãdes quoq; & immẽsos, vt omnia in terra euã lapides, imo aqua ipsa, ad Eliæ preces deflagrarint. Deniq; ipse Christus,

3. Reg. 18. cum in hanc vineam veniſſet ac cruditatem vuarum animaduertisset, quo citius multo matureſcerent, ignem secum detulit. *Ego veni ignem mittere: & quid volo nisi vt ardeat?*

Deinde vero post calores & pluuias, adiungit & putationem, resecat eam, amputat, ac noxia & superflua demit: quod negotium primo ipsis Angelis cõmisit. Ecce enim Angelũ vna nocte, miserabili amputatione omnes

Matt. 22. Ægyptiorum primogenitos resecantẽ: ecce

Exod. 12. & alium

& alium in castris Sennacherib Regis Assyriorum vno tempore cētum octoginta hominum millia diuinæ iustitiæ gladio exscindentem. Quam tamen vehementem nimis incisionem, Angelis demandatam, reuocauit, & homines adhibere maluit, qui molliorem multo & leuiorem, Circumcisionem sc. quæ ad vsque Messiæ aduentum permansit.

4. Reg. 18.

Quot igitur laboribus exculta es ô vinea! non restabat aliud, nisi vt ex vno loco in aliū transplantareris: quod toties sane tibi factū, quæ tot diuersa sola & fundos habuisti, ac tam variis in terris fuisti consita. Primo nāque in paradiso terrestri plantata es. Hem quam ferax & fertile solum! inde in terram hanc miseram translata, ô sterilem fundum! Traduxit te mox Abraham de Vr Chaldæorum, inque terrā Chanaan transtulit: Ioseph te in Ægyptum tulit. Moses vero videns te pessimo tunc loco sitam, in desertum migrare facit: vnde regius Psaltes; *Vineam de Ægypto transtulisti.* Cum ad quadraginta propemodum annos in deserta illa & inaquosa solitudine hæsisses, in qua te Caleb & Iosue videbant arescere, in terrā promissionis te traduxerunt: in qua cum multis annorum millibus feliciter propagata esses & fructum vberrimū protulisses: ipse paterfamilias Christus, ac vineæ Dominus, noua quadam ratione, in Gentili solo totam transplantauit, in quo tanta tua felicitas & augmentum fuit, vt quamprimum per ipsum terrarum orbem propagines & genimina extenderis.

Psal. 79.

Angeli sunt Ecclesiæ sepes.

Verum, vt profundius adhuc hāc vineam ingrediamur, dico eam valida & spissa sepe, id est, custodia & protectione Angelorū, esse circumseptam. Quid ni? Si. n. Cherubini paradisum custodierint, si cœlicæ intelligentiæ cœlestes orbes ipsorumq; motum moderentur & conseruent: quid obstat quo minus Ecclesiam ab Angelis protegi dicamus? sequamur in hoc vatem regium, eiusq; verba huc trahamus: *Angelis suis Deus mandauit de te, vt custodiant te in omnib. viis tuis.* Scio quidē hoc de animarū protectione vulgo intelligi, quas Angeli custodiunt & protegunt: at nō video, quo minus hoc & de Ecclesiæ defensione intelligatur? Suffragatur hic mihi & Isaias: *Super muros tuos Ierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte non tacebunt.* Quin & ipse Deus huius vineæ custodem agit: *Dominus in circuitu populi sui.* & alio loco: *Nisi Dominus custodierit ciuitatem frustra vigilat, qui custodit eam.* per hanc ciuitatem vinea & per vtrumque Ecclesia intelligenda est.

Psal. 90.

Isa. 62.

Psal. 124. Psal. 126.

Ecce tibi præcipuum vineæ vallum, ac primam custodiam: sunt autem & alia munimenta, quæ eam protegant & ab incursu hostili tueantur. Ipsæ scilicet Sanctorum preces & intercessio, an non sepes & murus validissimus dicenda sunt? An non Iudas ille Machabæus Israelitarum dux & decus, per omnes terræ angulos bellica laude ac rerum bene gestarum gloria nobilis, Prophetam Ieremiam, ac Summum Pōtificem Oniam, extensis manibus Deo pro sancta ciuitate Ierusalem & omni Iudæorum populo supplicantes, eumque velut sub alis protegentes, & custodientes vidit? Quin & ipsa doctrina scientiaque Doctorum vineæ huic loco sepis est: lupos enim arcet, vulpes excludit, atque alia noxia animalia prohibet ne eam ingressa destruant ac demoliantur: quæ nā scriptorum, & librorum sepes, quisnam disputationum, prædicationum, Catechismorum murus & vallum hanc vineam ambit? At omnium fortissima sepes ipsa Conciliorū auctoritas dicēda est: hac enim semper hæretici eadem exclusi sunt: hęc eos hactenus semper prohibuere ne Ecclesiæ septa transilientes eam misere inuaderent, & destruerent.

Explicatur vineæ huius sepimentū.

2. Mach. 15.

Concilio rum auctoritas Ecclesiæ instar sepis sunt.

Ecce, vix Ariana illa rabies, quam vere lupinam dicere possumus, per agros Ecclesiæ grassari cœpit: quin ecce Concilium Nicenū sepem ex tot Episcopis & sanctis Patrib. cōstruit. Macedoniani vineam hanc parant inuadere: Ecce tibi Constantinopoli statim indictum Concilium, velut murum circumiectum & oppositum: succedunt his Nestoriani: & ecce magnum illud Ephesinum Concilium sese opponit. Eutychiani vineam nostram demoliri satagunt: at sepem ex Episcopis variis cōfectam, qui Chalcedonem tamquam ad sacram aliquam expeditionem suscipiendam confluxerāt, inueniunt, quæ aditum prohibeat. Quin & parentum memoria, cum Lutherani, Zuingliani, Caluinistæ, instar efferascentium luporum, ex latebris hære-

hæreſeos emergerent, & Germaniam ac miſeram noſtram Galliam vaſtare geſtirent: an non etiam ſtatim Concilium Tridẽti indici vidimus, ad quod ex omnibus mundi partib. doctiſſimi quique, cum Epiſcopi & Præſules, cum Doctores & magnæ auctoritatis viri, velut ad ſacram quandam panegyrem, vt hęreticorum rabiem prohiberent confluxerũt? quantam ergo Domine curam vineæ tuæ dilectiſſimæ geris? verum nondum hic tua diligentia & ſollicitudo finem accipit.

Quid turris in vinea conſtructa denotet.

Video hic quin etiam turrim, arcem, ac veluti propugnaculum. quid porro his omnib. innui putamus: Auditores? Quid ſi turrim hanc Pontificiam dignitatem & auctoritatem eſſe dixero? neſcio tamen an credituri ſitis: erit forſitan ipſa ſacerdotalis, in verum & myſticum Chriſti corpus poteſtas qua nihil in Eccleſia ſublimius aut maius inueniri poteſt, turrim dico, quæ Angelorũ dignitatem poteſtatemque Seraphinorum multis interuallis antecedat. Quid ſi hanc turrim, ipſam Eccleſiæ Iuriſdictionem interpretatus fuero? quę altiſſima fortiſſimaque eſt, à qua hinc cenſuræ & interdictiones, inde vero indulgentiæ gratiæ proficiſcuntur. Omnia hæc & quidem appoſite dici poſſent: verũ cum attentius turrim hanc ſpecto, ſacram Scripturam eſſe, non poſſum quin aſſeram: quæ nimirum turris eſt, Dauidicæ illi non abſimilis, è qua mille clypei pendent: turris cum propugnaculis ædificata Scriptura igitur Eccleſiæ armamentarium eſt è quo dum tempus eſt, arma, machinæ bellicæ, & bombardæ maiores, ad hæreſes oppugnandas, expugnandaſque, ad Iudæorum perfidiam retundendam, ad tentationes deniq; ſuperandas, proferuntur. Quin & Dominus noſter Chriſtus non aliunde arma ad Principem tenebrarum proſternendum arceſſiuit, quam ex ſacra Scriptura: *Non in ſolo pane viuit homo*, contra gulam: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, aduerſus ſuperbiam.

Turris hęc diuerſimode explicatur.

*Cant. 4.*

*Matt. 4.*

Torcular Eccleſiæ.

Reſtat adhuc torcular quod vbi inuenerimus, nihil amplius reſtare puto. Quid igitur nobis ô præclarũ torcular denotas? auſimne dicere martyrium & ſupplicia eſſe, quibus glorioſus ille martyrũ ſanguis expreſſus eſt: an vero ipſam pœnitentiam quæ vere admirabile torcular eſt, vbi ſub attritione & contritione, veluti ſub duobus molaribus aut tabulis, peccata conuertuntur & inter ſe colliduntur, maxime vbi & iucundiſſimus ille lacrymarum riuulus acceſſerit? Verum haud penitus errauero, ſi Crucem Chriſti torcular hoc eſſe affirmauero: ita namque eam ipſe olim vocauit: *Torcular calcaui ſolus*. Ipſa namque eſt torcular illud regium, quod in monte Caluariæ, in quo Redemptor ita expreſſus fuit, vt pretioſus ſanguis eius copioſe vndiq; effluxerit, conſtitutum fuit.

O paterfamilias benigniſſime, quid ampli⁹ debuiſti vineæ tuæ facere, & non feciſti? Tot Epiſcopi, tot Doctores, tot Prædicatores in hac pro munimento conſtituti ſunt: tot ſacerdotes in ſacrificii torculari, tot Papæ, tot Pontifices, Cardinales in turri eius poſiti. *Quid igitur debui vltra facere vineæ meæ & nõ feci?* O vere igitur turrim admirabilem, ô vineam pulcherrimam, ornatiſſimam, & omnium aliarum vinearum fortiſſimam! *Iſai. 5.*

IV. Prophetæ ſunt ſerui miſſi in vineam.

Iam tempus eſt auditores, vt ad alteram concionis partem accingamur. Vinea igitur tam valide communita, magnus paterfamilias locauit eã agricolis & vinitoribus: ſummis inquam Sacerdotibus Leuitis, Scribis quoque & Phariſæis in veteri Teſtamento: Pontificibus paſtoribus & Epiſcopis in nouo. Ad Iudæos tria ſeruorum genera miſſa ſunt, ad fructus vineæ huius repetendos primi, ſc temporibus Iudicum, & hi fuere Prophetæ: ſecundi Samuelis & Regum tempore, & hi quoq; Prophetæ, at plures longe quam prius: poſtremi fuere poſt tranſmigrationem Babylonicam, & hi quoq; Prophetæ fuere, ac numero prioribus ſuperiores. Verum ô crudelitatem inauditam, & ingratitudinem incõparabilem! impii illi agricolæ omnes hos ſeruos, quos ad illos vineæ dominus deſtinauerat, interfecere: *Occiderunt* nẽpe Prophetas: Iſaiam ſerra lignea ſecuere medium: Amos lapidarunt: Michææ alapas impegerũt, ac carceri manciparunt: Ieremiam in puteũ demerſerunt: Ioanni Baptiſtæ caput præciderũt, Ieſum Chriſtũ deniq; filium familias, hæredem vineæ, cruci affixerũt. O inhumanitatem admirandam! quę in nouo quoq; teſtamẽto haud multo minor fuit. Miſit namq; pater-

paterfamilias & alios seruos, quales Apostoli, qui omnes martyrio affecti sunt: misit Doctores & præcones Euangelicos infinitos, qui omnes aut neci traditi, aut ludibrio habiti. ô nefarios & sacrilegos agricolas! ô ingratos cultores!

Hinc animaduertas oportet hæretice, cũ de vinea iam sermo incidit, strenui & seduli agricolæ, qui veniam conductitiam possidet, non esse eandem destruere & demoliri, aut nouas turres & propugnacula constituere: aliatorcularia imponere, sepes eas noua quadam ratione flectere, atq; ex hac vinea alias vuas condere, quemadmodum te tuique similes facere videmus: qui nouam Ecclesiam creditis nouas disciplinæ cæremoniarumq; interpretationes fingitis, noua Sacramenta excogitatis & comminiscimini. Mihi credite, nihil hic immutãdum, at prima illa vinea excolenda est, sacræ Scripturæ sensus, quem SS. Patres proposuerunt, retinendus, traditiones Ecclesiæ seruandæ, eiusq; institutum præceptaq; sine vlla deprauatione custodiẽda.

Fructus, quos Deus à vineæ cõductoribus exigit.

Verum ô Christiani, quid statis hic tota die otiosi? quid agetis in vinea Domini? ecce paterfamilias fructus in ea exigit: fructus inquam misericordiæ, eleemosynas quas in pauperes & inopes profundatis, exigit cultũ latriæ, fidem, & reuerentiam erga venerabile Eucharistiæ Sacramentum: fructum patientiæ in afflictionibus, fructum obedientiæ erga Ecclesiæ Præsules. Fructus prædicationis requirit ab Episcopis & vt in diœcesi sua commorentur: pacis denique fructum à Christianis Principibus. Quos fructus si non proferamus: timendum est, ne iratus vineam nobis auferat. *Et auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eius.* Ecce producam exempla. Abstulit vineam hanc ab Asia, quam sanctus Ioannes tanta pietate & salutaribus institutis excoluerat: abstulit ab Africa, in qua Augustinus tot miracula patrarat, abstulit denique ab Anglia, quæ tot viros tum sanctitate tum doctrina scientiaq; eximios progenuit.

Quæ cum ita sint Auditores, vitam obsecro vestram corrigite, ac fructus dignos bonorũ operum proferte, *Auferetur* alioquin *à vobis* vinea hæc, *& dabitur genti facienti fructum eius*. Contulerat Sauli regnum Deus, quo cum se indignũ redderet: id auferens in Dauidẽ trãstulit: Elegerat quoq; Ieroboam, vt decem tribubus præesset, cui beneficio cũ vita nequaquam responderet, tanto eum deiecit humilius, quanto eum prius eleuauerat sublimius Sodomam in terra fertili & feraci condiderat, *erat enim terra illa sicut paradisus*, quæ cum dignos non produceret fructus, eam perdidit & incendio deleuit. Decẽ populos regionibus & vrbibus spoliauit, & Israelitis tributum pendere coegit: eo quod fructus bonos nequaquam proferrent. vnde Psalmista: *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt.* faciamus igitur in hac vinea fructus, sedulo in eadem elaboremus, ac fructus pœnitentiæ dignos producamus. Gen. 17. Psal 104.

Teque ô paterfamilias, qui nos magno sane nostro commodo in hac vinea constituisti, qui nos à primis natiuitatis initiis, Angelorum custodia veluti sede circumsepsisti, qui nos deinde semper sub excelsæ & inexpugnabilis dignitatis Pontificiæ turris munimine protexisti, qui nobis quotidie pretiosum regalis tui sanguinis vinum magno impetu in crucis torculari expressum propinas; denique qui nunquam Ecclesiæ tuæ vineam excolere desinis, nobisque omnia, quæ ad laborandum in ea necessaria sunt, abunde suppeditas; supplices deprecamur, hãc vt nobis gratiam concedas, vt cum toto huius vitæ tempore in hac vinea laborauerimus, fructus dignos pœnitentiæ, bonorumq; operum proferamus, tibiq; gratum hac in vita obsequiũ exhibeamus, quo in altera deinde gloriam tuam contemplari mereamur. Amen.

## SABBATO POST DOMINICAM II. QVADRAG.

Partitio.

*I. De prodiga voluptate.*
*II. De filio prodigo.*
*III. De luxuria, & dissipatione.*
*IV. De regione longinqua.*

*Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionẽ substãtiæ quæ me contingit,* L. 15.

## FIGVRA.

HAbuit magnus ille Patriarcha Isaac, dilecti Deo Abrahami natus, duos filios moribus & vita admodum dissimiles, naturaq; penitus diuersa: vnus quippe, Iacob scil. erat supra modum pulcher, prudens, parentibusque obediens, morum suauitate præstans, benedictionibus denique completus: alter vero deformis, pilosus vt vrsa, vorax; helluo, moribus dissolutis, crudelis, ac ferox, vindictæque sitientissimus. Tales quoq; hodierna nobis parabola ob oculos ponit: videmus hic namq; duos vnius patris filios, sed moribus prorsus inter se discrepãtes: eorum primus prudentissimus est, laudabiliter educatus, moribus optimis patrique parentissimus: alter autem stultus, & vanus, moribus dissolutis, lurco, ganeo, popinator, denique paucis vt absoluam, prodigus: qui petita à patre hæreditate, domoque paterna derelicta, agros pererrans, in regiones longinquas dudum euagatus secedit: in quib. cum substantiam cum scortis & meretricibus consumpsisset, tanta inopia pressus est, vt porcos pascere coactus, eorum siliquis & pabulo se saturauerit. Reliquum eius itineris, & quanam via ad patrem redierit scitis, cum Spiritus sancti auxilium precib. Matris expostulauerimus. Dicamus igitur vnanimes.

## AVE MARIA.

I. *Cic. in Cat. Maiore.*

Architas ille Tarentinus, prudens & rerum tractandarum scientia celebris, quo melius in rebus ciuilibus versatum Græcia non vidit, de republ. conseruãda ageret, dicere solebat: Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem hominib. à natura datam; qua cum ciues infecti essent, de reipubl. salute, ac conseruatione penitus esse diffidẽdum. Hinc Dionysius Sophista iuuentutem Græcorum admonebat, ne plenis mella manibus vorarent; sed extremis tantum digitis ea delibarent: quo apophthegmate docere volebat, non esse prodigalitatem in feruida illa ætate permittendam, nec luxum dissolutionemque vsquequaque communes esse debere: cum enim semel ab eis Respublicas cõtigit inquinari, penitus illas concidere & multas corruptionum sordes contrahere, necesse est.

Mel non esse plenis manibus comedendum.

Referunt sacra volumina, principem Ionatham post stragem Philistinorum, gustato tantum melle, ad mortem esse condemnatũ: quæ sententia durior cum in eum prolata esset, lachrymans fortunam suam ac tristem rei casum deplorat *Gustans gustaui in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululũ mellis, & ecce ego morior.* ô vere insignem allegoriam! significat hocce mel, voluptates, quas vbi vel gustauerimus, sæpenumero nobis mortem & exitium afferre solent. 2. Reg. 19.

Est enim verissimum, nihil esse voluptate, aut pestilentius, aut deterius, atque ex profusione omnem penitus voluptatem originũ ducere. si enim verum illud est, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale*: etiam prodigalitas, quæ à voluptate perniciosa, vna cum aliis innumeris vitiis or ginem trahit, pertimescenda erit, & fugienda. Nihil est prodigalitate deterius.

Ipsi quoque Ethnici adeo à peste hac prodigalitatis abhorruerunt, vt qui ea notati sunt, semper condemnauerint, & grauibus suppliciis castigandos censuerint. Erat apud Græcos singularis quædam in prodigos & asotos lata lex: qua paterno tumulo inferri vetabantur ii, quicunque hæreditatem paternã possessionesque à moribus relictas inutiliter consumpsissent, & in prohibitos vsus cõuertissent. Ethnici prodigos puniuere.

Consueuerant Romani teste Ælio Spartiano in Hadriano, prodigos in theatrum producere, vt omnium ludibrio expositi ad saniorem mentem redirent. *Alex. ab Alexand. li. 2. ca. 24.*

Magnus ille ac celebris Legislator Solon inter ceteras leges, & hanc tulit, vt prodigi & patrimoniorum gurgites toto vitæ tempore infames forent: additque Pandulphus, inter ceteras veteres Atheniensiũ leges hanc quoque in archiuis reperiri: Τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν δαπανήσων ἄτιμος ἔστω. Inque rei huius confirmationem scripsit Plutarchus, summi illius ac nobilis ducis Phocionis filium Phocum, omnibus opibus, quas tam egregius ei pater magna sua laude partas reliquerat, inutiliter consumptis, ignominiã infamiamq; subiisse, omni- *Laert. in Solone.*

omniumq; ludibrio, & cachinnis expositum vixisse: adeo vt lupus voracissimus, dedecus & ruina familiæ, maiorumque suorum infamia ab omnibus vocaretur.

Lib. 3. l. 12. Tabul. Iurisconsultorum princeps & coriphæus Iulius Paulus his omnib. suffragatus ait, Iura ciuilia seuere admodũ in prodigos animaduertere, & eos à bonorum suorum administratione prohibere: quibus Prætor olim Romæ hac formula interdicebat: *Quando tibi bona paterna habita, nequitia tua dissperdis, liberosque tuos ad egestatẽ perducis, ob eam rem tibi ea re, commercioque interdico.* Recordemini quæso iurisconsulti præclaræ illius legis, quæ à tãto tempore in prodigos lata est. *Prodigo bonis interdictum esto.* O leges vere diuinas, & respublicas bene institutas!

Lib. 3. l. 12. Tabul.

II. Athenienses prodigos morte afficiebãt.

Non sufficiebat porro Areopagitis, qui summus apud Athenienses magistratus erat, prodigos infames reddere, verũ eos & more veluti perduellionis, aut grauissimi in rẽp. commissi criminis reos plectebant. Ne vero me fabulas narrare putetis proferam vobis præclarum ex Athenæo exemplum. Quidam

Athen. li. 4. onim Democritus apud Areopagitas prodigalitatis insimulatus, quãprimũ ab iis morti adiudicatus est: verum cum in defensionem sui innocens adderet, prodige quidem sese bona dissipasse aut parum frugaliter impendisse, verum non vt voluptati, sed vt philosophiæ liberius operam daret, omnium suffragiis quam primum fuit absolutus.

Quamobrem Auditores, si tanto peccatũ id odio Ethnici prosecuti, adeo execrati sint, ac tam seuere punierint, quanto odio Christianos id prosequi ac detestari par est? quod ipse Domin⁹ in Euangelio satis innuit. Cum

Ioan. 6. enim in deserto quinq; hominũ millia quinque panibus; & duobus piscículis non sine miraculo cibasset, colligi reliquias iussit, dicẽs: *Colligite quæ superauerũt fragmẽta.* Quid ô magne Princeps, anne post tantam liberalitatem ostensam inopem te & auarum ostẽdes? Nequaquam, sed nihil aliud designare volebas, quam quemadmodum in rebus necessariis conferendis liberalis extitisti, ita in rebus te superfluis prodigum dici noluisse: aliã huius rei figurã in Exodo habemus. Noluit Deus filios Israel plus mannæ colligere,

Ostẽditur diuersis rationibus quod Dei odio prodigos prosequatur.

Exod. 16. quam iis in diem necessarium erat: noluit quoq; eos in multos id dies coaceruare, verum vt in singulos dies colligerent, quo hac ratione nobis ingentis huius peccati turpitudinẽ ob oculos poneret, & ab eadem nos penitus absterreret. Verum præter hęc, ecce vobis aliud in hodierno Euãgelio insignis prodigi exemplum, vt hinc quam hoc peccatum execrandum detestandumq; sit, liquido appareat. Historiam Lucas Euangelista narrat. *Homo quidam habuit duos filios*, &c. De hac igitur parabola loqui incipiamus, videamusque qui diu in inuolucris hisce obscuritatibusq; lateat inclusum. Homo hic, duorum illorum *Figura.* filiorum pater, quem parabola hodierna designat, meo quidem iudicio, Pater æternus esse videtur. Hac enim ratione eum quotidie cõpellamus, *Pater noster qui es in cælis*; Duorum inquam, filiorum pater, iusti sc. qui primogenitus est, & peccatoris, qui iunior ac secũdo genitus: primus frugi & prouidus, alter prodigus & dilapidator. Ipse est magnus *Gen. 2.* ille Pater Abraham, in cuius familia duo fratres diuersis plane inter sese moribus cõmorantur, Isaac nimirum obsequentissimus, & *Gen. 12.* Ismael idololatra. Ipse est senex ille Isaac, qui domi geminos alit, natura penitus discrepãtes, Iacob quidem benignum & moribus suauissimis, per quem iustus designatus, & Esau prophanum & agrestem, qui peccatoris figuram gerit; ambos scilicet in eodem Ecclesiæ vtero educatos, quam nobis fæcunda illa Rebecca repræsentat. Ipse est magnus *Gen. 7.* ille Noe, qui in Ecclesiæ suæ arca, coruos, peccatores nimirum; & columbas, iustos scilicet, continet. Denique ipse est magnus *Matt. 13.* ille piscator, qui in reti prouidentiæ bonos & malos pisces, homines inquam, probos & improbos, in mari mundi huius, instar piscium, natitantes concludit. Ipse demum est hic: *Homo quidam qui habuit duos filios.*

Videas hic, patrem variis dolor bus afflictum, duorum n. tantum filiorum pater est, & prô dolor! eorum alter improbus est, ac moribus contaminatissimis, bonorum profusor ac prod gus. Vere quidem olim sapiens dixisse visus est, *Gloria parentis est virtus filiorum*: ac vice versa mihi quoq; dicere honesta

Virtus & vitia.

vita filiorum est patrum gloria.

licear, vitia, dissolutiones, ac sceleratã filiorũ vitam, parentibus pudorem, amaritudinem, dolorem, ac denique mortem sæpenumero afferre. Conſiderate, igitur, Auditores, ac vobiscum perpendite, quanam afflictione, quoue dolore infelicem hunc patrem par sit afficiri, qui non nisi duos filios cum habeat, eorum alterum dissolutum nactus est. O primi nostri generis auctor Adam, cum domum ac familiam tuam diligentius excutio, patrem plane similem huic nostro te fuisse comperio: inuenio namque in familia tua iustum & innocuum, Abelem scilicet, & simul sicarium & prodigum Cain. Similis quoque tua fuit cõditio, Rex Dauid, atq; eadẽ plane sors: fuit tibi namque sapientissimus iuxta & prudentissimus filius, Salomon; & alter improbus & prodigus Absalon.

*Man. ho. 59.*

Cõceptus præclarus.

*Gen. 4.*

*3. Reg 11.*

*2. Reg. 12.*

Verum quam multos deinde huiusmodi parentes vidisti, ô munde! quot filios etiam prodigos! prodigos inquam, qui luxu, dissolutionibus atque impuris vitæ voluptatibus, exiguo temporis spatio, perdunt & dissipant, quidquid miseri parentes tot annis tantoque labore ac difficultate, ac tanto sudore pepererunt: qui etiam in quibus nati sunt domos, ad gulæ abdomini satisfaciendum, distrahunt ac diuendunt? Atque ecce egregium, quod huc facere videtur Diogenis Cynici dictum, Cum enim ille quadam die per vrbem incederet, videretque signo appenso, ædes prodigi cuiusdam & asoti venales esse, cauillari incepit ac dicere: *Sciebam te post tantam ebrietatem ades etiam hau euomere debere.* Athenæus autem & aliud, priori non inferius, de Cetesippo quodam refert, qui adeo prodigus & nepos fuit, vt omnibus bonis facultatibusque dilapidatis, quo voluptatibus ac gulæ satisfaceret, etiam paterni sepulchri lapides vendiderit. O prodigalitatem inauditam! Videtisne aleones, propinatores, lurcones, quo non vos vestra perducat ingluuies? videtisne ad quamnam inopiam egestatemq; luxus & abdomen miserum hunc nostrum prodigum redegerint; vt & porcos pascere fuerit coactus, & fame propemodum emortuus; illum inquam, qui tam honestis natus parentibus tam nobili oriundus erat prosapia.

Dictũ Diogenis in prodigũ.

*Lib. 4. c. 20.*

Non erunt, mihi crede, hęc tripudia, lusus, munera iactantiæ, ac quot dianæ conuiuationes, perpetuæ aut diuturnæ ô prodige. Vide ne te tristior aliquando fortuna affligat, aut illa quæ modo læta arridet, vultum à te auertat, & ad pauperiem egestatemq; te miserum tãdem compellat. Philosophorum omnium columen Plato, cum adolescentem quendam bonis & honestis ortum parentibus ac generosa oriundum prosapia, cum facultates bonaque omnia turpiter dilapidasset, quadam die frustum panis sicci in angelo platearum comedentem vidisset, ei illudens dixit: *Si moderate prandisses melius iam cœnasses.* Innuere cupiens, quod si meliorem rerum suarum rationem habuisset, nunquam ad hanc calamitatem fuisset redactus.

Dictũ Platonis iuuenẽ prodigum.

Refert de alio quodam Philosopho factũ & dictum non absimile Ælianus: qui Philosophus dum Agrigentinos iudices superbas ædes exstruere, & gulæ ventrique videret indulgere, iocans dixit: *Agrigentini ædificant quasi semper victuri, & comedunt quasi semper morituri.*

*Lib. nõ.* Philosophi cuiũdam dicũ.

At equidem longe meliori ratione hoc de vobis dixerim, ô prodigi, ventris gulæq; mãcipia, vestroq; nati abdomini, atqui in dissolutam vestram viuendi rationem. Vos enim luditis, ineptitis, dissolutionibus euagamini, & voratis quasi crastina vobis die ex hoc mundo discedendum foret, cum plures vobis forsitan anni supersint.

Et nunc patres intelligite: miseri inquam patres enecatis vos ipsos laboribus, vt opes acquiratis, domos extruitis, pecunias & annua vectigalia coaceruatis, ac sæpe cõtingit, hæc omnia prodigis hæredibus relinqui, qui vix biennii aut triennii spacio deuorant, dissipant ac dilapidant, quod vos quinquaginta vix annorum sudore, industriaq; assidua paraustis. Huius rei ergo venit mihi in memoriam præclarum illud Cratetis Thebani Philosophi factum, qui cum, teste Laertio, mortis vicinus testamentum condidisset, omnia bona, quę in prompta pecunia erant, nũmulariis Reipubl. in manus tradi voluit, ea tamẽ lege, vt si filii futuri essent frugi; & rerum suarum satagẽtes, eadem illis cõsignarẽt, sin minus, denegarent, & in alios vsus cõuerterent.

*Laert. lib.* Factum laudabile Cratetis philosophi.

Simile

*Bruſon. li. 3. cap. 7.* Simile propemodum refert Bruſonius, de ſummo illo duce Phocione, qui cum magnã vim auri, quæ ei offerebatur, repudiaſſet, aliis vero vrgentibus, vt ſi non in vſum ſuum, filiis ſaltem eam acciperet, dignum ſe reſponſum dedit. *Si filius vitam moreſq; compoſuerit, viuet paterna hæreditate contentus; ſi prodigus fuerit: nec hoc argentum ſuffecerit.*

Phocionis prudẽs dictum.

At tu ô Pater Euangelice; non ita te cum filio geſſiſti, Phocionem hoc in genere non es imitatus: verum opib. & facultatibus, quas in ſudore vultus tui, laborando aſſidue, teque ipſum exercendo paraueras, traditis, eidem diſſolutionis & luxuriæ habenas laxaſti: tantumque abfuit, vt tibi gratias ageret, ac obſecundaret, vt vltro deſeruerit, paterna domo profugerit, in regionem longinquam ſeceſſerit, in qua ſubſtantiam omneſque facultates, prodige & luxurioſe viuendo, voluptatibuſque indulgendo, haud ita longo tẽporis ſpatio diſſipauit: eaq; te ignominia, contumeliaque, ac ſimul familiam vniuerſam affecerit, vt fame exſtimulante ſtipem poſtulauerit ac ſubulcus factus fuerit.

III.

*Diſſipauit omnem ſubſtãtiam ſuam viuendo luxurioſe cum meretricibus.* Duabus potiſſimũ rationibus filius hic prodigus ad tãtam inopiam calamitatemq; deuenit, gulã ſcilicet & luxuria, venti ſcilicet & Veneri indulgendo. De luxuria hic agamus. *Viuẽdo luxurioſe cum meretricibus.* quot, eheu! prodigos perdidiſti infelix luxuria? Fuiſti, quantum colligere quidem datur, & tu ô Samſon, de prodigorum numero: paterna enim domo relicta, in neſcio quam longinquam regionem profectus, in terram ſcilicet Philiſtinorum, vbi amore pellacis Dalilæ irretitus, luxurioſeque cum illã viuendo, omnem ſubſtantiam, & ipſam deinde vitam conſumpſiſti, adeo vt eo miſeriæ calamitatiſq; deueneris, vt ad piſtrinum beſtiæ in morẽ fueris compactus: fuiſti & tu prodigus ô Sichem, cum enim regali ſanguine oriundus, & Dinæ amoribus ineſcatus, eam conſtupratam abduxiſſes, ſimul & vitam & regnum amiſiſti.

Gula & luxuria prodigũ hunc perdiderunt. *Iudic. 15.*

*Gen 34.*

*2. Reg. 11.*

At nullum magis prodigum, aut magis profuſum, quam te inuenio, ô rex Salomon. Timore enim Dei, nõ ſecus ac domo paterna, relicto, atq; in regionem longinquam ſecedens, ſummis in deliciis, luxu, voluptatibuſque, tot meretricibus ſtipatus, ſeptuaginta ſcilicet reginis, ac trecentis concubinis, vitam traduxiſti, ac demum omnibus diuitiis donis perfectionibuſq; cœleſtibus, quibus cumulatus eras, diſſipatis & profuſis, ad eum calamitatis gradum perueniſti, vt idolis victimas immolares. *Cum meretricibus.* *Prou. 29.*

O ingens iuuentutis exitium, ac peſtem adoleſcentiæ! *Qui nutrit ſcortum, perdet ſubſtantiam ſuam*, ait Sapiens Ipſa namq; meretrix hirundinis inſtar, cum ſemel homini adhæreſcere inceperit, omnem eius ſanguinem exſugit, omnes opes facultateſq; exhaurit & elicit; ſimulq; peſtis eſt, quæ ſapientiſſimos ſanctiſſimoſq; viros contagio ſuo corrumpit. Iræiuit mihi namque Salomon dicens: *Vinum & mulieres faciunt Apoſtatare ſapientes.* *Eccl. 19.* O ſirenes, ô canes, ô lupæ, ô pellices, quot adoleſcentes optimo natos loco perdidiſtis; quot domos exhauſiſtis? quot familias euertiſtis, & infames reddidiſtis?

Refert in hanc rem Athenæus, nobile illud Græciæ ſcortum Phrynem, tantas opes diuitiaſque ſui corporis euulgatione comparaſſe, vt ciuitatis Thebanæ, quæ vna de numero magnarum Græciæ ciuitatum erat, muros, iam ab Alexandro Magno dirutos, propriis ſumptibus reſtaurare potuerit, quod à Magiſtratu vltro, ſibi vt liceret poſtulauit, modo hæc epigraphe adiungeretur: *Alexander euertit, Phryne meretrix erexit.* O rem vere portentoſam ac pene incredibilem: quot illam lupam domos oportuit euertiſſe; quot familias expilaſſe & exhauſiſſe, tantas vt opes coaceruaret; quo tantum tamque vaſtum opus auſa fuerit moliri? *Lib. 5 c. 12.* Meretrix propriis ſumptib. vrbis Thebanæ muros voluit reſtituere.

Addit de eodem ſcorto Plutarchus, eo illam impudentiæ deueniſſe, vt in templo Apollinis Delphici ſtatuã Veneris ex auro ſolido dedicare non erubuerit, hac addita epigraphe: *Ex Græcorum intemperantia.* idem & ſcribit Laertius; ſed adiũgit inſup Plutarch. Cratem Philoſophum cum quodam tempore hocce templum ingreſſus eſſet, hancq; ingentem ſtatuam eſſet intuitus, dicere cœpiſſe: *Græcorum de petulãtia id trophæum erectum eſt*, ecce hic exuuias de prodiga noſtra iuuentute ſuffixa. Quando vero vos, ô Veneris ſta- *Plut. lib. de fortuna Alexandri.* *Laer. li. 6.*

In meretrices inuehitur.

tuę, vos meretrices vos Gallię noſtrę Phryne & Laides ſuperbiẽtes & circumadornatas intuemur, an nõ dicere, imo exclamare multis cum lacrymis poterimus: *Gallorum de petulantia id trophæum erectum eſt.* Hę auro pictæ veſtes, hæc auro intertextæ ſyrmata, gemmæ illæ, hæc pretioſa conchylia, luxus ille & totius corporis ſplendor, iuuentutis noſtræ ſunt ſpolia, de diſſolutionibus adoleſcentum hoc fixum trophæum eſt. Et ſane frontibus veſtris inter adamantes, & reliquos capitis vniones, hoc epigramma inſcriptum geritis. *Ex Gallorum intemperantia*: Integra enim patrimonia, domus bene inſtructæ, cubicula ſuppellectilib. referta, inſumenda forent, anteq̃ veſtes haſce holoſericas, byſſinos hoſce ſinus quis comparet. O peſtes! ô viperæ! vos primæ prodigo huic exitii cauſæ extitiſtis. *Diſſipauit omnem ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſe.*

Inſignes de prodigalitate cõceptus.

Verum præter luxuriam & intemperantiam Veneris, nepos hic & prodigus non niſi de epulis conuiuiiſq; loquebatur. O prodigalitas incomparabilis: idipſum tu cũ homine agis, quod cum Noacho olim vinum: cum enim ille vino inebriatus eſſet, factum eſt, vt verenda eius detecta fuerint, turpitudoq; toti mundo patuerit: ita & tu, cum hominem neſcio quibus voluptatibus ineſcas & inebrias, nuditatem eius, calamitatem, paupertatemque omnibus omnino mortalibus patefacis. Quod olim Sampſoni Dalila, id tu homini: amplexibus enim illa ſuis cum ſtringens ad ſomnum inuitauit, & crines capitis, in quibus omnis eius fortitudo conſiſtebat, detondit. Tu quoque ô infida Dalida, in ſinu turpium voluptatum reclinatos hoſce prodigos ad ſuauiter dormiendum cum inuitaſti, crines & omnem cæſariem iis tondes, omniaq; in quibus eorũ vis cõſiſtit, aufers & reſecas.

Inſignes de profuſione conceptus.

*Exod.* 32.

Aaron cum vidiſſet filios Iſrael auro & opibus onuſtos ex Ægypto rediiſſe, omnes eis opes abſtulit, & idola ex eis cõflauit. Eadem prorſus prodigalitatis agendi ratio eſt: cum enim filiosfamilias è puericia excedentes, opibus onuſtos videt, caute & ſubdole eas extorquet, vt in idola conflentur; vt iis ſcilicet ad committenda peccata, ad idololatriam, & gulam, & in ſcorta, quæ totidem ferme aurei vituli & idola ſunt, abutantur; quo in loquendi genere D. Paulum ſecutus ſum, cum ait: *Quorum Deus venter eſt.*

*Viuendo luxurioſe.* O profuſio, omni ſuppli- *Philip.* 3
cio digna, quot tu, obſecro, in orbe ſuperfluitates, & quẽ non luxũ excitaſti? Vltima Ægypti regina Cleopatra tam ſplẽdidũ & dapale Antonio ſuo epulum parauit, vt in ſecundam menſam, referente Plinio, centies ſeſtertium impẽſum fuerit, id eſt, calculo noſtro ſeptingentæ quinquaginta auri libræ. O profuſionem effuſionemque inauditam! Ecce tibi & aliam nõ minus admirandam. Vitellius proximus ab Othone Rom. Imp. epulas trifariã ſemper diſpertiebat, in ientacula, & prandia, & cœnas: nec minus ſinguli apparatus quadringentis millibus nummũm conſtabant. *Sabel. lib. 2.*
At dignam ingluuie gulaque ſua pœnam ſubiit: vix enim Veſpaſianus Imper. ab exercitu renunciatus fuit, quin, edacitatis hoc gulæque portentum, comeſſatorque ille infamis, iniecto ceruicib. laqueo, veſte diſciſſa ſeminudus in forum vnco, inter magna rerum verborumque ludibria, tractus ſit.

Non grauabor ô Regum rex Salomõ, poſt Ethnicos etiam te recenſere, & niſi ſcirem omnia opera tua myſteriis fuiſſe pleniſſima libere auſim confiteri, nullum te vnquam in mundo profuſiorem extitiſſe: de te enim ita ſcriptura quaſi de re inaudita locuta eſt: *Erat* 3. *Reg.* 4
*autem cibus Salomonis per dies ſingules XXX. corı ſimila, & LX. corı farinæ, X. boues pingues, & XX. boues paſcuales, & C. arietes, excepta venatione ſeruorum, caprearum, atq; bubalorum & auium altilium.* An non hoc vobis luxuriose viuere videtur?

Redeamus iterum ad profanos, & noua profuſionũ genera enarremus. Cum ad Lucullum Senatorem, Romanorum Prętor poſtulatum miſiſſet, vt aliquot ei veſtes in ludos & ſpectacula præberet: quamprimum centum millia eiuſdem formæ & coloris, purpurei ſcilicet, miſit.

Tantus quoq; Heliogabali luxus & ſplen- *Lampr. in Heliog.*
dor fuit, vt balnea eius ſemper roſaceam aquam ſpirarent, in iiſque lauaretur, lampades eius balſamo ſemper collucerent, in croceo ſterneretur ſtrato, & veſtes quotidie nouas indueret. Caligula vero nepotinis ſumptibus

omnium

omnium prodigorum ingenia superauit: qui pretiosissimas margaritas aceto liquefactas sorberet, conuiuis ex auro panes & obsonia adponeret: de cedris Liburnicas fabricaret, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, magna thermarum & porticuum & triclinio rum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: denique qui nihil tam efficere concupiscebat quam quod posse effici negaretur.

Porro profusiones has & effusiones effrenatas relinquamus, & ad prodigum nostrum reuertamur, audiamus vt triste suũ iter narrans singultiat: nisi me mea fallit opinio, veram tui hic, ô peccator imaginem contemplor, hæc mutato nomine de te fabula narratur: tu scilicet ille es prodigus, prodigus inquam, quo plures nemo vnquam ab hominum memoria opes gratiarum, donorumq; cœlestiũ diuitias prodegit ac dissipauit. Fare age, casum nobis tuum enarra. imprimis ecquæ illa longinqua est regio, in quam paterna domo relicta, secessisti? peccatum scil. vere longinqua regio est, & extra anni solisque vias posita, in quam peccator demens & imprudens secedit, & in qua omnes gratias, omnia merita dilapidat ac decoquit, cum voluptatibus adulteratur, & in qua vitiorum porcos pascit. *Abijt in regionem longinquam.* O spiritualis prodige, ô infelix peccator, cũ Deum deseris, & in vitiorum regionem diuertis, quam longum iter ingrederis, in quã longinquas, proh dolor! terras proficisceris? *Longe* nempe *à peccatoribus salus.* Quanta inter gratiam & peccatum, inter cælum ac terram, inter vitam ac mortem, intercapedo, quantaque distantia est? Ipsi Angeli, spiritus inquam, cælo deturbati, licet adeo pernices sint & agiles, cum iam à sex annorum millibus iter hoc ingressi sint: nondum tamen ad domum paternam reuersi sint: aut vllo vnquam tempore reuertentur. Cain quoque, Pharao, diues Epulo infelix hoc iter assumpserunt, ac nondum redierunt. Eheu, quam longum hoc iter est, quam remota regio: Cũ miser Adam eiusque coniux Eua cum tota sua familia hanc viã ingredi præsumpsissent, adeo aberrarunt & deuiarunt, vt quatuor aut quinque iam annorum millibus exitum reperire non potuerint: quin & ad hanc vsque diem errantes & vagabundi hæsissent, nisi ipse clementissimus Deus eos eduxisset. Cogites igitur tecum peccator, vbinam locorum te ille quæsierit? quæsiuit te in præsepio, in Ægypto, in deserto, in cruce, in sepulchro, in ipsis denique inferorum sedibus proh dolor! an non igitur te in longinquam regionem peccatum perduxit?

Peccatum regionem longinquã significat.

Quos porro casus in hac regione longinqua subiisti ô peccator, ô prodige! *Dissipauit omnem substantiam suam.* Hic status est, hic locus in quem te vnicum letale peccatum conijcit: omnibus te gratiis quas cœlitus accepisti, denudat, meritis te exuit, omnemq; tuam substãtiam euertit. Tunc tristis ille tibi ingruit casus quem Christus plorans Ierosolymitanæ ciuitati euenturum præsagiit. *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te vndiq;, & ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Sic quandocunque animã à peccato contigerit superari, non manet in ea lapis super lapidem, gratia super gratiam, domus super domum, omnia collabuntur, sola fundamenta restant, eaq; etiam mutila & ruinam minitantia: fides inquam semimortua. Tum fit ô Philosophe, *resolutio vsque ad materiam primam*, vsque ad fidem, vsque ad naturalia. Hoc nempe est illud, quod Dominus per parabolam de seruo mille talentorum debitore, cuius omnia bona diuẽdita sunt, designatum voluit: *Iussit eum Dominus eius venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat.* Ita quoq; tecum agitur ô peccator, omnis animæ tuę supellex eripitur, omnia subhastantur, nihil est quod crudeles illi ac nefarii lictores, dæmones scilicet infernales, peccato iam commisso, violenter non eripiant. *Dissipauit omnem substantiã suam* admiratione dignum est Auditores, ecquo modo D. Cyprian. hoc exaggeret, illudq; explicando euagetur: *Hæc sunt*, inquit *peccata lapsis quod grãdia frugib. quod turbulentũ sidus arboribus, quod armẽtis pestilens vastitas, quod nautis sæua tempestas* Cum de nautis hic loquor, redit mihi in memoriam, quod olim pauidi illi nautæ Ionę Prophetæ præstitere: cum. n. ingens eos tẽpestas inuaderet, vt se ab

Quam in- animam peccatum

*Luc.* 19.

*Matt.* 18.

*Cyp. ser.* 88. *de lapsis.*

*Ioan.* 2. Allegoria.

se ab imminēti periculo defenderent, nauem exoneraiunt, & omnib. quas vehebant mercibus in mare turbidum coniectis, Ionam quoque Prophetam in vndas præcipitem dederunt. Ad eundem plane modum, cum sæua peccati procella animæ ingruerit; ipsi dæmones nauem inanem & vacuam reddunt, ac primo omnes gratiarum, meritorū, omniumq; bene ac recte factorum merces ac thesauros in pelagus, pelagus inquam æternæ damnationis, coniiciunt, ac deinde miseram animam eodem deturbant.

Quemadmodum vero magnus ille fluuius Hypanis, licet dulces secum aquas vehat, vbi cum paruo quodam amne commiscetur, dulcorem amittit; & amaritudinem quādam contrahit: ita quoq; anima virtutibus & meritis instar latissimi torrentis abundans: cum enim amara illa peccati vena ac scaturigo in eam sese exonerat, confestim aquæ eius dulcissimæ, in amaras conuertuntur. O infelix peccatum! quantum malitiæ & exitii tecum conuehis. At longe tu infelicior, ô peccator, dum tam benignum patrem deseris, vt in regionem longinquam, adeoq; tibi infortunatam, in qua extrema fame affligeris, in qua omnem tuam substantiam dissipas, in qua tanta tibi accidunt infortunia, secedis? Quāobrem expergiscere aliquādo ô prodige, expergiscere, aperias tandem aliquando oculos: si ea tua fuit insania: eaq; stultitia, vt iter hoc fueris ingressus, iam reuertendi tempus est: ecce opportuna redeundi occasio se præsentat: ecce, Deus ipse vltro te quærit, & te ad sese vocat. Egredere igitur, desere lutulētos hosce sues, desere pellaces illas meretrices: ac patri tuo ad genua ac pedes procide: illi cum lacrymis, suspiriis ac singultibus: *Pater peccaui in cœlum & coram te*; In cœlum inquam, iucundissimam Angelorum societatem, ac suaue illud Beatorum cōsortium deserendo, vt me porcis adiungerem. Peccaui, fateor, coram te, *& malum coram te feci* vnde grauia supplicia sum commeritus: verū ad eo misericordiæ tuæ confido, vt certo sciam fore mihi vt ignoscas: tu enim es, qui non desideras mortē aut damnationem peccatoris: tu, inquam, qui adulteros renuis condemnare, tu qui misellæ Chananææ misertus es: tu deniq; qui pœnitentes Magdalenas in gratiam admittis: itaq; non dubito, quin & mei, inquam, miseri prodigi sis miserturus. quænam mea, proh dolor, fuit calamitas! heu miserum me! quomodo ita me seduci, & fascinari permisi: ita me decipi ac dementari: vt domo tua relicta in hocce infelix desertum secederem, desertum dico in quo omnes fame emoriuntur, fame sc gratiarum, quas nobis soles elargiri: mercenariis tuis & seruis familias (sanctis inquam & Angelis) in summa quiete ac tranquillitate interea viuentibus? Miserere igitur mei Pater æterne, respice prodigum hunc, conuerte misericordiæ tuæ oculos in hunc Christianorum cœtum, benignitatem tuam omnibus hominib. ostēde: nosq; omnes, magna animi contritione ac pœnitentia, è regione illa longinqua peccati redeuntes in domū tuam, vbi splendida illa ac festiua cōuiuia parata sunt, & vbi perfecta securitas, & secura tranquillitas est, dignanter admitte: in gloriam sc cœlestem, ac nullo vmquam tempore terminandam: ad quam nos Pater æternus, Filiusq; eius, ac Paraclitus Spiritus sanctus perducere dignentur, Amen.

## DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. Odia ac prælia Christi & Satanæ.*
*II. De potentia ac malitia Satanæ.*
*III. Cur Dæmon suos obcæcet?*
*IV. Cur elinguet?*
*V. Cur surdefaciat dedititios suos Cacodæmon.*

*Erat Iesus eiiciens dæmonium, & illud erat mutum.* Luc. 11.

### FIGVRA.

IVcundum profecto spectaculum fuit, Auditores, pusillum illum pastorem Dauid, qui in Iudææ montibus patris sui greges pascebat, continuo in leonem qui ouem diripuerat, insurgentem eumque prosternentem, & prædam iam raptam faucibus eripientem, ac baculo effugātem, intueri. At multo iucun- 1. Reg. 7.

incundius ſpectaculum hodierna die nobis in hoc Euangelio ſpectandum proponitur: cum ſc. bonus ille paſtor Chriſtus, qui ad Patris ſui æterni greges ſeruandos in mundum deſcenderat, leonem illum infernalē, greges inuadentem, ac miſeram ouiculam crudeliter diripientem, inuadit, prædam deſideratā violenter extorquet, eumque procul à gregibus, ad vſque infernalem barathrum, repellit *erat Ieſus eiiciens dæmonium*, &c. Vt igitur audacius & ſecurius de expulſore hoc deque expulſione loquamur Spiritus ſancti auxiliū, precib. gloriosiſſimæ virginis nobis roganduin eſt. Angelorum igitur conſueta ſalutatione eam ſalutemus.

AVE MARIA.

Odium Amilcaris in Romanos.

Tantum tamque immortale Carthaginenſium Dux Amilcar aduerſus ſenatum populumque Romanum odium conceperat: vt filium ſuum Hannibalem, prima vix dum verba balbutientem, iurare coegerit, nullo ſe vmquam tempore eum Romanis pacem initurum: ſed implacabili odio, mille moleſtiis & bellis, vti parens fecerat, quacumque ratione poſſet, terra marique, imperium eorum ſe diuexaturum. an non hoc vere ingens odium eſt? Verum ſi à profanis hiſce hiſtoriis ad diuinas conuerti volumus, maius ſane & longe implacabilius inter Deum & diabolū reperiemus. Vix enim Verbum illud æternum ad mundum redimendum deſtinatum erat, quin Pater omnipotens ipſum iurare cogat, nullo ſe vmquam æuo cum Principe tenebrarum in gratiam rediturum. *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum.* O ingens & immortale odium! *Odiſti* quidem *Domine, omnes qui operantur iniquitatem*, verum præ cæteris, ipſum iniquitatis auctorem diabolum. cuius odii ſexcēta in diuinis litteris exempla indiciaq; inuenimus

*Pſal* 109. *Pſal* 5.

Figuræ quibus odium Dei & diaboli deſignatur

Numquam potuit Arca fœderis & ſimul idolum Dagon in eodem loco ſubſiſtere: ad eundem quoq; modum, arca illa humanitatis filii Dei vix in altari incarnationis, in templo Virginis Deiparæ fuit collocata, quin ſtatim Satan, idolum ſcil. Dagon, conciderit & penitus fuerit comminutus. Hoc namq; olim in Paradiſo tibi prænuntiatum erat, ô Satan: *Ponam inimicitias inter te & ſemine eius, & ipſa conteret caput tuum.*

1. *Reg.* 5.

Vix Iſaac in domo Abrahā natus fuit, quin ecce ſtatim inimicitiæ, quin Iſmael eiiciatur foras, *Eijce ancillam & filium eius*: ita quoque vix Verbum illud Dei in æternæ voluntatis palatio prædeſtinatum fuit: quin ecce tibi ſtatim odia, ignes, & bella grauiſſima: quin ecce Iſmael, Satan illæ eiicitur foras, cœlo expellatur, mundoque extorris factus adv ſq; infernale barathrum deturbetur. *Gen.* 21.

Non potuit columba, ſimul & coruus, in Arca diluuii aquis iam imminutis, ſubſiſtere: ita etiam, diluuio peccati originalis ceſſante, Patreque æterno nobiſcum in gratiam reuerſo, hominumq; redemptione iam certo certius promiſſa: nō potuit Verbum illud æternum, per columbam deſignatum, & diabolus per coruum denotatus, in magna illa mundi arca, id eſt, Eccleſia, ſimul conſiſtere. Nobis ne igitur figuræ deſunt? *Gen.* 8.

Porro inimicitiæ illæ mūdo ipſo antiquiores ſunt: vix enim orbis creatus erat, ipſæ creaturæ vix dum è nihilo prodierant, quin ecce tibi in ipſo primordio certamina, pugnas, & prælia in ipſis cœlorum habitaculis, Verbum inter & diabolum: quod prælium ad viuum Ioan. in Apocalypſi oculis ſubiicit: *factum eſt prælium magnum in cœlo, Michael, & Angeli eius pugnabant cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius.* Hem quam cruēntum certamen! Hinc nempe omnes Angeli filium Dei ducem habētes, illinc vero diaboli cum principe ſuo Satan, & dracone in acie conſtituti ſunt. Redintegratum porro fuit hoc bellum in paradiſo, cum nimirum Pater ille æternus & Deus his Satanam verbis aggreſſus eſt: Ponam inimicitias & implacabile odium inter te & ſemen Virginis, id eſt, inter filium meum, quoad naturam & ſubſtantiam, & redemptorem mundi, quoad gratiā & miſericordiam. Toties quidē illos decertātes vidiſtis, modo in Dauid & Goliath, modo in Iob & Satan, modo in Dauid & Saul, modo in Iudith & Holoferne: deniq; infinitis aliis rationib. & congreſſibus Verū aliam vobis & inauditam figuram proferam, in qua *Apoc.* 12. *Gen.* 3. *1. Reg* 17. *Iob.* 1 & 2. *2. Reg.* 22. & 24. *Iudith.* 13. *Gen.* 3.

gemellos fratres, Esau & Iacob in matris Rebeccæ vtero video colluctãtes, & calcibus sese mutuo collidentes: *collidebãtur in vtero eius paruuli.* Præclara profecto historia Iacob tandem Esau fratrem expulit, & inimicitiæ illæ iam ab ipso vtero & conceptæ, & in vitæ ipsius exordio exortæ, toto vitæ tẽpore perduraruntvidemus namque in adolescentia eos de primogenitis litigantes, in iuuentute de benedictione paterna, in senectute de successione in hæreditatẽ, toto deniq; vitæ cursu inter se cõcertare & digladiari. Quid porro vos infelices fratres hisce vestris certaminib. præsignatis? quam, tu benigne quidem Iacob, Verbum illud diuinũ: tuque agrestis Esau, Lucifer um: fratres ambo, ambo eiusdẽ parentis filii: verum vnus quidem natura, alter vero creatione: vnus quidem genitus ab æterno, alter creatus à principio. Concluſi adhuc ambo in sphæris cœlestibus, nõ secus atq; illi in matris vtero continebantur, cum certamen hoc inierunt: *factum est prælium magnum in cœlo,* & agrestis ille Esau, Satan scilicet, cœlo deturbatus est: ab eoque primum tempore bellum hoc inter vtrumq; cœptũ, hactenus perdurauit. In deserto nẽpe de adoratione decertãt in cruce de redemptione: deniq; ipse Christus nihil aliud toto vitæ suę tempore spectauit, quã inimicum hunc persequi: & penitus exscindere. Ecce eum iterũ in hodierni Euangelii area bellũ hoc instaurantem. *Erat Iesus eijciens dæmonium.* Verum vt ex hoc regio congressu voluptatem aliquã haurire possimus: primo de eo qui eiecit, ac deinde de eiecto verba faciemus.

Apoc. 12.

Luc. 11.

Primo itaque eiector & expulsor ille dæmonum, filius Dei est, Verbum inquam carne circumdatũ. Est infractus ille & indomitus monstrorum debellator Hercules, qui Chimæras expugnat, Hydras domat, apros prosternit, leones Etimanthios suffocat. Est celebris ille Theseus qui in Labyrintho Minotauros fili ductu deceptos interficit. Deniq; omissis fabulis poeticis est filius Dei, ille furiarum, monstrorum, hydrarum, diabolorum scilicet, in deserto mundi huius, expugnator: *In hoc enim apparuit filius Dei vt dissoluat opera diaboli.* Moyses in Ægyptum descendit, vt populum à captiuitate & seruitute Pharaonica eriperet, ereptosq; per mare rubrum in terrã promissionis deduceret. Iesus Redemptor noster, ita quoq; è cœlo in mundi huius Ægyptum descendit, vt nos è iugo Satanæ, quod subieramus infelices, eriperet, ereptosq; per rubrum Passionis mare traduceret, viamq; patefaceret, qua ad terram æternæ promissionis deueniremus.

1. Ioan. 8.

Exod 1.

*Erat Iesus eijciens dæmonium.* Talem Scipionem requirebat cruentus hic Hannibal, talem Vlyssem informis hic Polyphemus: ad immensum illum gigantem expugnandum paruus hic Dauid desiderabatur. Fuit vere res admiratione digna, in Babylone à lapillo de monte deuoluto ingentẽ illam statuam deiici & in cinerem redigi. Erat hoc præsagium. Auditores, de Iesu Christo, qui toties in sacris litteris petra appellatus est. *Petra autem erat Christus,* è cœlestibus montib. descendẽte & in infernalem hanc statuam hodierna die ingruente, illam deiectam & in cineres redactã iri. Quid obsecro, significabat, ad sonitũ clãgoremq; tubarum sacerdotalium, muros Ierichuntinos, qui expugnari non posse putabantur, corruere, & collabi? nisi ad vocẽ magni illius sacerdotum Principis, meritorumque eius adiunctione, opera Satanæ, quæ instar muri validissima & inaccessibilia erant, solo tenus esse prosternenda.

1. Reg. 17. Dan. 2. Figura 1. Cor. 10. Ioſ. 6.

Habitabat olim in Ægypti fluuiis ingens draco, qui postquam aquas omnes infecisset & turbasset: tandem à Domino effugatus est, & aquis pristinus suus color & nitor redditus: ita quoq; draco ille Acherontæus, qui in Apocalypsi septem capita & decem cornua habere scribitur, iam longo temporis spatio mundi huius mari insederat, venenoque suo ac tetro contagio omnes eiusdem aquas infecerat: at videre hũc hodierna die à Christo Domino expelli, & aquas pristino sapori nitoriq; restitui.

Ezech. 32. Apoc. 12.

Inter omnia quoq; prodigiosa, quæ in Babylone olim Daniel Propheta fecit opera, hoc in præcipuis fuit, cum scil. idolum Bel, quod omnes magno cultu adorabant, deiecit & penitus cõminuit. Totus olim proh dolor! orbis omnesq; adeo mortales, Satanã veluti Deum adorabant, & ecce hodie noster ille Daniel, Christus idolum hoc cõminuit, & ex-

Dan. 14.

& expellit: quod inter omnia eius opera non profecto postremum est.

*Iud. 14.* Magnum sane Sampsonis facinus fuit, & masculi atq; robusti animi indicium, cum ad Phil sthæam filiam, cuius amore captus erat, descenderat, in via leonem suffocatis faucib. dilacerasse. At nonne multo iucundiorē hic historiam videmus? Sampson enim noster Iesus Christus cum è cœlo, vilissimæ Philisthęę, humanæ scilicet naturæ amoribus tractus, eam sibi per incarnationem indissolubili vinculo copulaturus, descendisset: leonem hunc rugientem in via offendens, eum inuasit, ouem faucibus eius inhærentem eripuit, atq; eum tantum non manibus suffocauit: *Erat Iesus eiiciens dæmonium.* Insignis profecto expulsor!

Qui expulsus est, diabolus est.

Ad alterum concionis nostræ punctum iam redeamus, & simul quis ille qui expelliatur sit, dispiciamus: expulsus est diabolus, humani scilicet generis hostis infensissimus, atque omnis adeo mali fons & origo. Eiicitur ex hominib. è corporibus, ex animabus, ex ipso denique mundo, ad infernales vsque

*Arist. Iob. 2. 4. Reg. 16. & 18. Dan 4. Tob. 5.* abyssos & tenebras exteriores: *Erat Iesus eiiciens dæmonium.* Nolo hic potentiam eius exponere, nolo commemorare robur, scio, quidquid naturaliter fieri potest, eum facere facillime, etsi non ea quæ ipsam naturā excedunt. Potest corpora assumere, tempestates & procellas ciere, sensus fallere, artes & scientias edocere, mōtes deniq; transferre. Quid ni? ab ipsis namque Angelis montes illos & orbes cœlestes moueri tradit Aristoteles. Potest torquere corpora, testis est Iob: potis est mentem turbare, expertus est Saul: sensus fascinare, Nabuchodonosor testimonium dabit: potest præterea & homines interimere; exemplo sint septem illi mariti Sarę: verum omnia hęc permittente Deo. Satius itaq; mihi videtur malitiam eius, quam potentiam describere: cuius hic quoq; exemplum euidentissime expressum cernimus. Videte dæmoniacum, infelicem sane hominem, quod nescio quo fato in nefandas eius manus incidit, tribus ab eo grauissimis vulneribus sauciatum: *& illud erat mutum*, ait Lucas: *& surdum* ait Matthęus: *& surdum*, vt addit Theophylactus.

Egregius cōceptus.

O rabiem infernalem! ô crudelitatem vere diabolicam! Intueri hic datur tria illa antiqua vulnera quæ natura humana iam inde à primordio in paradiso secūdum caput acceperat, quorum etiamnum cicatrices in animo gestamus: occœcationem sc. in animo & mente, silentium in voluntate, surditatem in concupiscentia. Ecce hic tres illas hastas, quibus cruentus ille Ioab, Adami cor (veluti Absalomi) ex arbore vitæ pendentis, transfixit. Hinc discatis oportet, ô infelices animę, quonam in statu constituтę sitis, quonam in periculo versemini, cum cruenta illa bellua, vos sub potestate sua possideat: autes primum obturat, linguam deinde impedit, oculos demum excæcat: imo vt nec audire, nec loqui, nec videre possitis: omnes namq; sensus penitus occupat. *2. Reg. 18.*

Figuræ & Allegoria.

Holofernes princeps militiæ regis Nabuchodonosor, in obsidione Bethulię oēs aquæ canales fōtiumq; scaturigines aut obstruxit, aut alio deriuauit, vt hac ratione obsessi aquæ penuria laborarent. Eodē plane modo infernalis ille Holofernes in animarū nostrarum agit obsidione, eodem vtitur stratagemate; sensus n. exteriores qui instar cōductuum & meatuū sunt, (*nihil est enim in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*) occupat: atq; ita occupat; nullum vt auxilium afferri, nullus vt extrinsecus commeatus in miseras illas animas fame & inedia deficientes queat induci. *Iud. 7.*

Incestuosus Amnon, Thamar sororem cōstuprare cupiens, ne quis conscius facinoris adesset, omnes cubiculo coegit exire, pessuloque ianuæ obdito, in conclaui infelicem virginē oppressit. Non secus nobiscum fornicatorum ille princeps Satan agit; omnes namq; gratias virtutesq; expellit, sensuūque nostrorum portis obseratis, sensus ipsos inuadit, rapit & violenter iis abutitur. Quēadmodum etiam Noe Aream ingressus, confestim fenestram post se occlusit, veritus ne diluuii aquæ per eamdem penetrarent: ita & dæmon, vix namque animæ nostræ aream intrauit, quin sensuum fenestras occludat: veretur namque, ne aquæ diluuii misericordiæ Dei in illam influant. Postquam Galaaditæ Ephratæos debellassent, omnia statim vada & transitus Iordanis occupauere, ne *2. Reg. 13.* *Gen. 8.*

qua effugii spes supereſſet Idipsum & diaboli moliuntur. Etenim cum semel animam ab iis profligari contigerit, sensus cõfestim aggrediuntur, quos velut portas quasdam & ingressus occupant, ne per eos anima ad cœlum confugere gestiens, aliqua possit ratione ascendere. An non præclaræ hæ figuræ videtur, Auditores, quibus tyranni huius sæuitia versutiaq; exprimatur. Verum enucleatius modo & singulatim fraudes eius peruersitatemque detegamus.

III. Prima, quam dæmon animæ infligit plaga, excæcatio est.

Primum itaque, quod anima letale vulnus accipit, est oculorum effossio, visusq; orbatio, atque id ideo, ne miseriam calamitatẽq;, in qua versatur, cernere queat. idipsum fecere olim Sampsoni Philistæi, & Sedechiæ Regi Babylonii, Iesu Christo Seruatori nostro impii Iudęi: scriptum est enim, *Et cœperunt quidam conspuere in eum, & velare faciem eius.* Ammonitarum tyrannus Naas, à Gabaonitis ad pacem fœdusq; ineundum solicitatus: pacem prius sese initurum negauit, q̃ omnibus oculos, tragico sane exemplo, & inaudita immanitate, eruisset. Eadem est Satanæ impietas, eadem omnino crudelitas: numquam aliquã animæ pacem concedet & quietem, nisi prius eam penitus excæcauerit.

*Iudith.* 14. 2. *Reg* 25. *Marc.* 14. 2. *Reg.* 11.

Diabolus aquilæ cõsertus.

Naturalium rerum scriptores tradunt, auium reginam aquilam, dum ceruum, qui mirabili pernicitate pedum est, comprehendere parat, in arenariam aliquam descẽdere, & alarũ impetu & agitatione plurimum arenæ in plumis colligere: quas cum oppletas putat, inter cerui cornua delabi: excussisque vehementer alis, oculos eius arena opplere, ita vt ille visu orbatus per agros & inuia discurrens, rabie desperationeque actus, sese ex confragosis & altissimis rupibus præcipitem deiiciat, vbi deinde ab aquila semper prædæ superimminente deuoratur: Diabolus, Auditores, vultur quidam est & accipiter, atque ita sæpius in Sacris literis nominatur: sed ipsi aquilæ versutia & fraudulentia par: cũ enim animas nostras inuadere parat (quoties ceruo cõparantur, vt in Psal. *Quemadmodum desiderat cerus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus*: ceruus nempe cursu velox: quid enim spiritu & mẽte hominis velocius? ceruus duobus communitus cornib. amore erga Deum, & erga proximum:) aquila illa in arenariam mundi huius sese conijcit, alas puluere complet, puluere inquam honorum, dignitatum, voluptatum, & vanitatum: deinde veri inter animarum cornua intercidens, ibique alas expandens, superbiam inquam, & diuitias, vanitatemq; concutiens, oculos eis dignitatum, beneficiorum, honorum, omniumq; vanitatum pulueri opplet: quæ cum hac ratione oculos oppletos habent, nesciunt, pro dolor, quonã ferantur & in interitum, exitiũ, horrendumq; præcipitium labuntur, quarum faucibus vbi nefanda illa auis deinde insilierit, misere easdem suffocat.

*Psal.* 41.

Videlicet hoc cum animabus facere consueuit, quod olim Dionysius ille Syracusanus purpurato Damocle: cui commemoranti copias regis, opes, maiestatẽ, dominatus, rerum abundantiam, negantiq; vnquam beatiorem quemquam fuisse, Visne, inquit, ô Damocle, quoniam hæc te vita delectat, ipse eamdem degustare, & fortunam experiri meam? Cum se ille cupere dixisset, collocari iussit hominẽ in aureo lecto, strato pulcherrimo, textili stragulo, tum ad mensam eximia forma pueros delectos iussit consistere, eosq; ad nutum illius intuentis diligenter ministrare, mensæ quoq; conquisitissimis epulis extruebantur: fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è laqueari seta equina appensum dimitti iussit vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaq; nec pulchros illos administratores aspiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in mensam, iamq; ipsæ defluebãt coronæ. Deniq; exorauit tyrannum, vt abire liceret, quod iam beatus nollet esse; eligens magis Damocles quam Dionys. esse. O vere egregiam & mysteriis refertã historiam. Eadem prorsus nobiscũ agit Satan: voluptates plurimas suggerit, delicias innumeras proponit, verũ velat nobis oculos, ne eos attollentes diuinæ iustitiæ gladium ceruicib. nostris imminentem; exiguo patientiæ & longanimitatis eius filo suspẽsum; perhorrescamus. *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrauit.* Scit enim versuta illa vulpes, si vel parũ oculos

*Cicero Tuscul.*

*Psal.* 7.

los attollamus, & gladium exitium & interitum minitantem videamus, fore vt mensam hanc quamprimum deserturi, conuiuiis valedicturi vanitates repudiaturi simus, asserentes, potius exiguitatem cum securitate, quam superfluitatem & abundantiam cum discrimine & formidine eligẽdam. Atq; hæc potissima causa est, cur nobis oculos eruat. ita quoq; Balaam olim cæcũ reddit, qui Angelum stricto gladio minitantem, & vlterius tendere prohibentem, nequaquam videre potuit, licet eum asinus irrationabile animal videret, ô immensam igitur cæcitatem.

*Num. 22.*

Diabolus animas mutas reddit,

Et vero sceleratus ille Satan præter oculorum vsum, etiam linguæ eripit: animasque inuadit, protinus elingues reddit, ne Deum aut Sanctos in auxilium inuocent. Nam quemadmodum lupus raptam ouem quamprimum suffocat, ne balatu eius pastor excitatus, ad auxilium aduolet: ita quoq; lupus ille rapax animab. statim fauces occludit, ne pastorum ille Christus Iesus clamoribus gemitibus, precibusq; earum excitatus, ad iuuandũ festinet, inq; ouile suum eas reducat. O infelix anima, quo in periculo & discrimine constituta es, cũ semel hic te obmutuisse contigerit! Æger cum loquela destitutus est, ad extremum deuenit, deq; salute eius desperandum est: tu quoq; ô anima, cum semel linguæ vsus tibi ereptus est, cum semel loquelam amisisti; adeo vt amplius nec orare, nec rosarium aut Horas canonicas recitare iam possis, in extremo discrimine versaris, salusq; tua in summum periculum adducta est; vt vere illud Dauidicum hic vsurpare liceat: *Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones*: id est, surdus factus sum, & mutus, lingua mea constricta est, desunt mihi voces, quibus fortunam & casum deplorem, tibiq; Domine patefaciam.

*Psal. 37.*

Diabolus animas in cõfessione mutas reddit.

Verum ante omnia in confessione animas nefandus ille patricida facit obmutescere, hic nempe iis loquelam eripit, hic indignatur peccata patefieri: quot nam Deus immortalis, hodierna die mutos reperire est? Causidicus quidẽ solidos dies in subselliis ad rauim vsque instar rabulæ causas declamabit: Ecclesiastes in Cathedra omnes eloquentiæ flumine in sui admirationem rapiet. Mulier tres hebdomadas indefessa gartiret etiam, ceteris melius. At omnes illi cum coram sacerdote veniunt, loquelam amisere, instar piscis obmutescunt. Pudor hic prævalet, dominatur verecundia, adulteria, iniustitias, corruptelas, simonias profiteri aut confiteri, licet clanculum, erubescunt. Vnde eleganter Chrysostomus: *Pudorem & verecundiam Deus dedit peccato, confessioni vero audaciam: inuertit diabolus, & peccato præbet audaciam, confessioni verecundiam.*

*Hom. 3. de pœnitent.*

Refert huic rei peridoneam, licet horribilem historiam Venerabilis Beda, de nobili quodam, qui cum diu in aula regis Angliæ, Regi & omnibus gratissimus, esset commoratus, tandem in grauissimum morbum incidit, quod cum Rex resciuisset, decumbentem inuisit: eumque, vti pius & laudabilis vitæ Princeps visa morbi vehementia, ad peccatorum exomologesin faciendam adhortatus est, quo sibi rebusque suis prospiceret. Quo audito æger, cui diabolus iam linguam ligauerat, regi immensas gratias egit, quod tantam sui rationem haberet: simulq; ait nondum eam morbi vim esse, vt cõscientiæ eum suæ curam gerere necesse sit. Postridie reuersus Rex & sæpiuscule deinde, idem semper repetiit: quin & obnixe petiit, vt conscientiæ suæ negotia disponeret, peccataq; confiteretur. Quod cum æger semper differret, valentiorem sese ratus quam reuera erat, simulque vana viuendi spe deceptus loquelam amisit & absq; peccatorum confessione expirauit. Nolite igitur ô peccatores in confitendo obmutescere, loquimini, vociferamini, & accusate vos ipsos, quantum poteritis.

*Lib. 5. hist. Ang. 16.*

V. Diabolus animas surdas reddit.

Non sufficit tibi, ô animarum interfector & homicida iam inde ab orbis primordio, easdem cæcas, & mutas reddere, nisi etiã surdas reddas. Dux, qui locum aliquem obsidet, vt citius eo potiatur, omni ratione elaborat, vt omnes viarũ aditus intercludat, nihil vt ad obsessos queat inferri. Ad eundẽ plane modum veteranus ille milles, validã illam animæ arcem obsidens, sensus occupat, qui instar meatuũ sunt & viarũ, per quos ad animam accessus patet: & ante omnia adulgilat, vt excubias in auribus collocet, ne qua cõcione qua sancta inspiratio, aut aliqua salubris

exhortatio castigatioq; ad animā obsessam, per aures ingrediatur. Custos carceris sinit quidem captiuos in area ac per omnia carceris loca inambulare, modo tamen repagula & ianuæ exteriores pessulo obseratæ sint. Non aliter etiam custos ille carceris infernalis, sinit quidem peccatores obambulare: ridere, iocari, deliciis tempus in vasto illo mūdi carcere transigere, modo portæ & aurium repagula obserata sint.

Insignis cōceptus.

Quemadmodum fures nocturni furtis & latrociniis assueti, non prius domos perfringunt, quam omnes sopore depressos sciant, veriti, ne forte facto strepitu comprehendantur: verum vbi omnes altum dormire existimant, vt ad nullum strepitum excitandi sint, tum primum vncos & scalas applicant, portas effringunt, arcas aperiunt, thesauros effodiunt & diripiunt. Non secus celebris ille animarum latro, mille latrociniis nobilis: animas raro aggreditur quamdiu excubant: verum cum semel eas in soporem induxerit, sensusq; fascinauerit, & in primis auditum: tum demum fraudes manifestat, tum animam perfringit, secures & vncos admouet, & thesauros spirituales diripiens, omnes virtutes, quæ animarum diuitiæ sunt & opes, dissipat & perdit.

*Matt. 14.*

Notauit Euang. hist. noctu potissimum, cum dormirent homines, cumq; quiescerent voces hominumq; canumq; inimicum hominē zizania tritico superseminasse, vt hinc disceremus, Satanam, hostem hominum capitalissimum, non nisi nocte incedere, cum scilicet animæ in deliciis sopitæ stertunt, & cum sensus, præsertim auditus, vigorem amisere, peccatorum zizania in conscientiæ agro seminare. Quare hoc certum sit & ratum, omnem eius industriam & laborem in obturandis auribus nostris potissimum consumi.

Similitudo.

Qui bombyces alunt, quoniam sciunt eos ad tonitrui fragorem emori, hac eos arte ad strepitū assuefaciunt: nolas quasdam & crepitacula circum eos pulsare solēt, vt cū huic strepitui & sono assueuerint, tonitrui boatus cum audierint, non terreantur. Adeundem modum agit & Satan: scit enim animas nihil adeo exhorrescere, quam iudiciorum Dei tonitrua, quæ vbi auribus earum insonuerint, peccato moriuntur; hinc assueuit eas ad sonitum vanitatum suarum, ad strepitum negotiorum sæcularium: vt hac eas ratione ad rerum adeo horribilium auditum faciat obsurdescere. O stratagema inauditum! ô versutiam nouam! audite quæso aliam prioribus non inferiorem.

Refert Scriptura sacra, falsos Ammonitarū prophetas, cum ciuū suorum filios idolo immolarent (horresco referens) ne paruulorum ploratus & vagitus parentes ad miseration commoueret, tympana personare, alioſque strepitus ciere consueuisse, vt hac via interfectorum eiularum eluderent. O peccatores cum filios dæmoniis immolatis & non Deo, cum inquam animas vestras idolo in sacrificium offertis, easq; viuentes in tartareas flammas præcipites deturbatis, ne earum fortassis suspiria, eiulatus & gemitus exaudiantur, ne conscientiæ stimuli vos vestri misereri cogant, atq; ita ad cōuersionem excitent; diabolus, mundus & caro tympanis perstrepunt, musicis instrumentis, & symphonia, deliciis & tubis aures vestras demulcent, vt hac auditum ratione obtundant. quidnam vobis de hac versuta & arte videtur, Auditores?

Alius conceptus. *1. Reg. 11. Leuit. 19. Ierem. 32.*

O tempora, ô mores! ô casum deplorandum! Omnis pene mundus hodie quasi obsurduit, infernales cruciatus nemo amplius percipit, nemo de iisdem sollicitus est, nemo de morte & extremis loquentes audit, nemo, hercule nemo. O surditatē incomparabilem! Nihil omnino auditur de extremo iudicio, nihil de cœlesti gaudio. Itane homines ārte, Satan, surdos factos, & audiendi facultate priuatos? Quod porro olim de cœlorum orbibus asseruere Pythagoræi, eos harmonia quadam iucundissima, & ad numerum moueri, quæ si auribus percipi posset, omnes in admirationem sui raperet: quo minus autem ea intelligatur, per tumultus & strepitus, motusq; vehementiores qui in mundo audiuntur, fieri. Idem mihi hic fas est dicere; in cœlesti habitaculo iucundissimam quandam harmoniam, gratissimum concentum, summamque iucunditatem esse: verum per satanam & mūdum stare, quominus eadem percipere

Homini surditas.

cipere possimus: illi enim continuo strepitu, ingenti fragore & tumultu nos surdos reddunt, nostrumq; auditum, sensus, rationemque depraua nt & perdunt.

Insignis cõceptus.

Tradunt Cosmographi, Nili accolas certis quibusdam locis, propter cõtinuum strepitum, fragorẽ, & impetum illum vehementem; quo fluuius ille montibus dilabitur, omnes propemodum surdos esse. Idem nobis de mundo dicere licet. Vehemens namque torrens & vndosum illud ac spumans mundi mare, tanto impetu ruit, vt nos miseri, qui non ad ripas, sed in eius medio cõmoramur, penitus obsurdescamus, nihilque percipiamus eorum quæ in altero mundo geruntur.

Simile.

At nõ vidistis vnquam apes cum aluearia sua fauosque parant deserere, sonitu & cymbalorum tinnitu, strepituque quodam dissono ab agricolis sisti, & ad aluearia reuocari? Hoc eodem artificio vtitur & ipse Saran: videns enim nos instar apum, fauos & mundi cauernas, vel peccata nostra velle deserere, & in aerem sustolli, cœlumque versus volare; accingitur ambitione, gula, libidine, aliisque ineptiis & vanitatibus, iisque perstrepit, adeo, vt iter nostrum impediat, volantes sistat, nosq; in aluearia sua retrahat. Hæ sunt cæcitates, surditates, & silentia, infortuniaq;, quæ nobis vafer ille & nefandus hostis, afferre consueuit.

Hæretici sunt dæmoniacus, de quo in Euangelio

Quis porro ille dæmoniacus est, mutus sc. surdus & cæcus? Hæreticus scilicet, Secta rius, Caluinista; adeo enim ille cæcutit, & adeo strabo est, vt apertissima quæque & maxime patentia non videat, vt nec montes in eius oculos incurrant, nec ipsa quidem Ecclesia, *Quæ mons est in vertice montium*: candelabrum quoq; super montem positum, tabernaculum in sole collocatum. Ecquæ cæcitas est, Deus immortalis, ne solem quidem posse intueri! penitus namq; cæcutit is, qui corpus Christi in Eucharistia nõ videt, quod ibidem ea magnitudine, quantitate & substantia includitur, qua in cælis ab angelis & beatis animabus conspicitur, licet non eodẽ modo, vt Theologi loquũtur. Septem etiam Ecclesiæ Sacramenta, instar septem candelabrorum, de quibus in Apoc. 1. lucentia cernere nequit.

O talpam oculis captum! non videt visibile caput Ecclesiæ, Clemẽtem scil. VIII. qui instar Noe arcam salutis in mundi huius vndis hodie dirigit & moderatur: qui instar Ioseph primus a Rege in mundi huius Ægypto dominatur. Eheu, quam cæcus est, qui sexcentos errores, falsitates infinitas, barbarismos & solœcismos innumeros, in parua illa viginti foliorum ephemeride nequit intueri? At nondum hic finis quin etiam mutus es Caluinista: neque enim de suffragiis Sanctorum, precibusq; pro defunctis fundẽ disloqui cupis. Surdũ te præterea diabolus reddidit: neq; enim de Pœnitentia de Quadragesima, de castigatione corporis audire vis: occludis aures imaginibus, traditionib. purgatorio, ac præsertim tremẽdo Missæ sacrificio. Vos vero Episcopi, cum dæmonum eiiciẽdorum potestatem habeatis, hos quoque à diœcesium vestrarũ limite procul eiicite: tu vero Domine, si ad te nolint conuerti, procul ab Ecclesia tua eosdem ablega.

Quamobrem Domine, redde, obsecro, visum miseris hisce mundanis, vanitate mundi huius excæcatis: visum hisce aulæ mãcipiis, qui mundum paradisi cuiusdam loco habẽt, cum tamen inferno ipso deterior, & mari sit periculosior: visum miseris hisce mulieribus quæ se forma Iunones & Veneres putant antecellere, quæ se instar reginarum vestiunt & adornant: quæ fragilem hanc pulchritudinẽ corporis tanti faciunt, & præ cæcitate videre nequeunt, eam non nisi florem esse qui mane nascatur, meridie flaccescat, ac vesperi emoriatur: ac non nisi quãdam picturam, quæ ad minimum contactum corrumpatur, deleatur, & minima aduersitate & morbo inquinetur. Aperi igitur oculos miseris hisce dæmoniacis, & aures surdis & obstinatis peccatoribus, inque scelerũ profundo ac voragine defixis. Redde loquelã mutis, solue linguæ vinculum miseris pœnitentibus, vt in confessione libere, ac sine vllo impedimẽto loqui possint: nobisq; gratiam concede, vt mirabilia tua semper in hoc mundo deprædicemus, teque in gloria facie ad faciem contemplemur.

Amen.

FERIA

# FERIA II. POST DOMINICAM III. QVADRAG.

Partitio.

*I. Quod iudicia verenda: non quærenda.*
*II. De verbis illis: Fac & hic in patria.*
*III. De miraculis ex donis gratis datis.*
*IV. De miraculis gratum facientibus.*

*Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Luc. 4.

## FIGVRA.

*Gen. 34.* TAm variis tamque grauibus Ioseph, Iacobi patriarchæ delicium, casibus fuit impetitus vt quamdiu in patria sua Chanaan vixit, & in domo paterna commoratus est, semper inglorius, semper in tristitia, sine vllo honore vixerit, ac nulla vnquam lætiori fortuna fuerit recreatus. Gregibus seruandis quotidie operam dabat, vitam plebeiam ac mechanicam agebat, à fratribus dein venũdatus fuit. Verum vbi cœlum mutauit, & in Ægypti regionem deuenit, summo honore affectus, ab omnibus adoratus, ac primus à rege fuit constitutus. Repræsentari mihi Iosephi huius casibus & Saluatoris nostri casus videntur: quamdiu enim in Bethlehem, in qua natus est, substitit, cõtemptus & inglorius vixit, ac fabri filius semper est vocitatus: verum vbi alio commigrauit, aliosque terminos ingressus est: honores diuinos cõsecutus est, ac Propheræ alicuius eximii loco habitus. Hocipsum porro euidenter in Euangelio hodierno demonstratur, quod per duas illas priores historias non parum illustrabitur: vbi legimus: *Nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Quod antequam latius deducamus, Spiritum sanctum inuocemus: Deiparamque salutatione Angelica salutemus.

*Luc. 4.*

AVE MARIA.

Timantis ars & apophthegma

Ferunt egregium & nobilem illum pictorem Timantem, Auditores, cum Iphigeniæ Agamemnonis regis filiæ immolationem ac funebrem sacrificii pompam in tabula vellet depingere, & iam omnium astantium gemitibus, suspiriis, lacrymis excellenti artificio expressis ad patris luctum exprimẽdum sese accingeret, velum paternis oculis obduxisse, eumque obnubilasse; dicebat enim, dolores & luctus, quos talem patrem eo loci habere par erat, coloribus minime posse adumbrari. Hodierna mihi die idem de profunda & inaccessa diuinorum iudiciorum abyssodicere posse videor, nimirum satius esse, honesto eam silentio coopertam vobis exprimere, quam temerario & audaci conatu eandem dicendo explicare conari. Atq; in frontispicio propitiatorii Mosaici expressum id videre videor.

Ita namque id efformatum erat, vt vtrinque Cherubin constituti, latus Propitiatorii tegerent, expandentes alas, & operientes oraculum, seq; mutuo, versis ad propitiatorii vultibus respicerent. O diuinum & arcanum repositorium! simile te propitiatorio huic esse pronuntiabo: quo enim te homines & Angeli considerant & prospiciunt attentius, eo te abscondis amplius, & ab eorum oculis & mentibus te longius subtrahis. *Exod.*

Vidit olim S. Ioannes in Apocalypsi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem, quem nemo neq; in cælo, neque in terra, neque subtus terrã aperire, aut respicere poterat. Non erraturum me putem, si per librum hunc ita diligenter signatum, magnum illum diuinorum secretorũ librum denotari dixerim, librum inquam interius characteribus prædestinationis, & exterius paragraphis prouidentiæ exaratum, tot mirabilium clausulis vndique communitum, vt nullus vnquam homo vel Angelus ea referre potuerit, aut quæ scripta sunt perlegere. Exclamem igitur vere, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* *Apoc.* *Rom. 11.*

Hic est nempe rubus ille ardens, de quo in Exod. ardens inquam iustitia, & misericordia, verũ spinosus difficultatibus. Nõ desunt hic nobis figuræ Auditores, quib. demõstremus Oceanum hunc innauigabilẽ, & diuinitatis hoc arcanum adiri nõ posse, de quo scri- *Exod.*

1. Reg. 22. scriptum est: *Posuit tenebras latibulum suum.* Quo enim perfectius id ex intellectus nostri specula nos contemplari putamus, eo sese profundius in obscuris mirabilium tenebris, & cauernis occultat.

Fluxus & refluxus diuinorũ iudiciorũ. Ezech. 45.

Hic reperire est, Auditores, quadraturam illam circuli, hic transitus maris rubri manifestatur, hic fluuius ille est, de quo Ezechiel locutus est qui quo profundius indagatur & penetratur, quo etiam maius naufragii periculum ostendit. Tu porro Philosophe, qui influxuum naturalium causas vix capis, quomodo iudiciorum Dei, quæ influxus quidam omnino occulti & penitus supernaturales dici queunt, abyssum comprehendes? Difficile tibi foret, fluxum & refluxum illum, qui quotidie in mari reciprocatur intelligere, quomodo autem magnum illum prædestinationis fluxum, & reprobationis refluxum, in vasto illo diuinæ voluntatis Oceano percipias? Tu quoque medice, de occulta quadam ægritudine, morboque intestino diiudicare non possis, nisi visis prius accidentibus, quæ illum consequi solent. nec tu Astrologe de futuris, nisi ex astrorum aspectu siderumque motu & agitatione, iudicium ferre: nec tu maiestatis diuinæ scrutator, de occultis eius iudiciis quidquam, nisi per coniecturas aliquas externas asserere. Nemo namque scit: *Odio an amore dignus sit.*

De diuinis iudiciis nõ nisi coniecturando iudicare fas est.

Eccles. 9.

Ea tamen humanorum ingeniorum curiositas est, vt inter huiusce maris syrtes semper nauigare, semper circa has voragines & abyssos natitare gestiat: eaque hominum temeritas, vt in diuinæ maiestatis, & iudiciorum eius atria sese impudenter semper ingerere non erubescat. Quænam vero audacia est, ne dicam temeritas, quærere, cur hoc Deus fecerit, illud vero facere neglexerit? cur hunc Turcas inter & Mahometanos, omnium Sacramentorum vsu destitutum, nasci voluerit, illum vero inter Christianos, & per Baptisma in filium Dei, adoptatum? quare hunc puerum ab ipsis incunabulis intermori sinat, illum vero senem, decrepitum ac decoctum, centesimum annum attingere permittat? Vnde contingat, hunc adeo sublimi, & prope diuino esse ingenio, illum vero stupido ac obtuso? At quænam stultitia est, ne dicam insania, etiam vlterius progredi, & illas Dei ab æterno præordinationes indagare, quin & dicere: Cur hic prædestinatus sit à Deo, non autem ille? Cur Deus Iacob elegerit, Esau autem odio habuerit? Cur Petri fuerit misertus, Iudæ nõ item? Quid eum mouerit, vt magis Adamum, eiusque posteritatem ad pœnitentiam admittat, & in gratiam recipiat, quam Luciferum & angelos eius? Quid illum induxerit; vt Moysem seruaret, & Pharaonem perderet? cur potius in Iudæa quam in Chaldæa nasci voluerit? cur hic miracula faciat, non vero alibi? O stultas temeritates, & temerarias curiositates!

Hominũ curiositas,

II.

Est hic nimirũ Labyrinthus, in quo Pharisæi hodie errantes euagantur, cum Christũ accedentes hanc ab eo quæstionem petunt: *quanta audiuimus facta in Capharnaum*, terra scilicet aliena, *fac & hic in patria tua*, Nazareth. De hac igitur re hodierna die loquendum est, hoc vnum tamen semper ob oculos habendo, ne incaute in abyssos illas curiosius indagando, illabamur.

Porro antequam vastum hoc mare nauigare incipiam, velim recordemini, Auditores, duo gratiarum esse genera: quarum primæ gratiæ gratis datæ appellari consueuere, vt sunt miraculorum & prodigiorum patratio, donum linguarum, scripturæ interpretatio, aliæ vero gratiæ gratum faciẽtes. Sunt illæ bonis iuxta ac improbis communes; hæ vero tantum bonis: Deus autem tam has, quam illas non omnibus æquali sorte, nec omni tempore, nec vbiq; communicat: verũ vti illi visum fuerit, & quando, & quibus voluerit: *spiritus* enim *vbi vult spirat.*

Duo gratiarũ sunt genera q̃ Deus omnibus vniuersim hominib. non æqualiter cõmunicat

Ioan. 3.

Nouistis, credo, Philosophi, non eosdem vbique terrarum influxus cœlo descendere. In Oriente namque cœlo influente margaritæ & gemmæ nascuntur: in Occidente metalla, Arabia Phœnicem, Aquilam Barbaria, Crocodilum Ægyptus, Africa leones producit. Non ignorat etiam peritus agricola, non eandem in omnib. agris sementem crescere, sed

Nõ iidem vbiq; cœlorũ sunt influxus.

*Hic segetes, illic veniunt felicius vuas.*

Ad eundem etiam modum, magnus na-

turæ opifex, & moderator Deus, qui semper & vbique liberrime operatur, quique nihil aliqua coactus necessitate facit, gratiarum suarum imbrem & benedictionum influxũ, non vbiuis, at vbi visum fuerit, facit descendere. *Quanta audiuimus facta in Capharnaũ.* Quot obsecro, miracula in lege naturæ Deus fieri permisit, quæ modo exoleuerunt? Vidistis Patriarchæ fumantem Sodomam, & æstuantem Gomorrham; vidistis vehementem illum diluuii impetum, aquarumque furias in terram sæuientes: nos modo minime videmus. *Quanta audiuimus facta?* quãta audiuimus in lege Mosaica? vidistis Prophetæ tot prodigia in Ægypto & campo Taneos; tot portenta in mari rubro; tot miracula in deserto, nihil horum omnium vidisse nos meminimus. Quin etiam videmus hic magnum illum θαυματοῦργον Christum, qui tot in Capharnaum, ac per totam Galilæam miracula patrauit, in Nazareth patria nullum omnino patrare. Hic nempe mare hic abyssi sunt diuinorũ secretorum; quam obrem Domine, *Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.*

Gen. 19. Gen. 7. Psal. 118.

Circumscripta limitataque est.

Cur obsecro Domine tam parcus es in miraculis patrandis? cur non in Patria tua aliqua facis? anne abbreuiatæ sunt manus tuæ, anne potentia tua, an miraculorum fons ille exaruit? Docent me scholæ Aristotelicæ Domine, *idem manens idem; semper idem operari*: & tamen cum tu idem sis, qui hactenus fueris; eadem tua potentia & vis, quæ olim, de quo dicitur; *Tu autem idem ipse es & anni tui non deficient.* cur hic miraculis parcis? & illa in patria non ostendis?

Psal. 101.

Fides requiritur ad miracula.

Forsitan, quod potissima Nazarenorum pars, gentium superstitionibus teneretur; miracula vero fieri non possint, vbi ipsa deest fides! & sane præter potestatem & vim effectiuam, quam Deus Prophetæ aut alteri cuiquam ad patranda miracula, confert, fides eorum, ob quos vel apud quos fiunt, imprimis necessaria est Quin etiam Dominus quotiescunque miraculum aliquod in vita patrare voluit fidem ante requisiuit prius enim quam dæmoniacum curaret patri illius dixit: *Si potes credere omnia possibilia sunt credenti*: filiam archisynagogi à mortuis excitaturus ait: *Noli timere, crede tantum, & salua erit.* An non idem Marthæ dixit cum fratrem eius ad vitam reuocare decreuerat: *Si credideris, videbis gloriam Dei*; An nõ Chananæa per fidem suam fieri in se miraculum sensit, *O mulier magna est fides tua.* Vbicunque igitur miracula, ibidem & fides: miracula siquidem fiunt vbi fides est; & fides, vbi miracula.

Marc. 6. Luc. 8. Ioan. 8. Matt. 15.

III. Miracula in sola Catholica Ecclesia, & nõ apud hæreticos inueniẽda sunt.

Nolite igitur amplius mirari hæretici, si quanta audiuimus facta in Capharnaum, nõ fiant in patria vestra. Si miracula, quæ quotidie in Ecclesia nostra videmus, in nostra Nazareth, in synagoga vestra, in vestris mapalibus, quæ præter conuenticula impietatum & pestilentiæ nihil sunt aliud, non fiant; deest nempe vobis fides. Voluit etiam Herodes, si modo meministis, à Christo miraculum videre, sed quia fide caruit, ideo & miraculo. Sæpius quoque Pharisæi Domino dixerant: *Volumus à te signum videre*, verum quod fidem non haberent, miraculum quoque non habuere. Progrediamur & vlterius. Si falsi illi prophetæ Baalim ad rauim vsque miracula à Deo suo postulantes exauditi non fuere: nec vos ô falsi Satanæ prophetæ, & incredulitatis ministri, aliquãdo à Deo miraculum obtinebitis: proin & nolite dicere: *quanta audiuimus facta in Capharnaum.* in primitiua scil. Eccl. *fac & hic in patria tua.* eadem in nostra fiant Ecclesia. Nunquam flumina Syriæ miraculo aliquo Naaman à lepra mundare potuere; at solum flumina Iudææ, in qua verus Propheta Helisæus commorabatur: ita quidquid in vestra Syria & Ægypto fit, virtutis est expers; vnica Catholica est Ecclesia, vbi Iesus Christus, noster Helisæus residet, in qua miracula patrantur.

Matt. 27. Matt. 12. 3. Reg. 19.

Christus in patria sua miracula non patrauit, quod nullus Propheta acceptus est in patria.

Verum quid te Domine præterea impedit, quo minus in patria miracula edas? Audiant curiosi rerum inquisitores, responsum ipse dabit, & simul rationem reddet: *quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Sciebat scilicet fore, vt Nazaræi miracula in deteriorem partem interpretarentur, neue tanti, quanti oporteret, ea facerent, deinde quod nullus vnquam apud ciues suos honorem aut nomen esset consecutus, aut

Prophe-

Prophetæ nomine appellatus. Sane ipſa patria ſemper deſpexit, quos alieni & exteri ſublimarũt. Ioſeph à fratrib. diuenditus eſt, *Gen. 40.* & Ægyptus eum ad ſummos honores euexit, Moyſes à matre fiſcellæ ſcirpiæ impoſitus in profluentem deiicitur, & ab aliena, *Exod. 2.* Pharaonis ſcilicet filia, adoptatus educatur: irridetur à ſorore, à ſuis perſecutionem paſſus eſt, quin & parum abfuit, quin lapidibus obrueretur; at ſummo apud Reges & Principes Ægypti honore afficitur. Dauid à fratribus deſpicitur, à Nabal ciue ſuo contumelias & iniurias patitur, & interea Iſraelitides & virgines Ieroſolymitanæ decem illum hominum millibus anteponunt. Daniel & Mardochæus, quos non honores in patria aliena conſecuti ſunt? Heliam Iſraelitæ proſequuntur: Heliſæus à pueris ſubſannatur, & vterque apud exteros magni æſtimatur. Hinc quoque factum eſt, vt nullum Chriſtus in patria ſua miraculum edere voluerit.

*Num. 12.* *Exod. 17.* *1. Reg. 17.* *25.* *Dan. 5.* *Eſth. 7.* *3. Reg. 17.* *4. Reg 2.*

Chriſtus in patria non edit miracula, ne perſonarum videretur acceptor. *Act. 10.* *Matt. 22.*

Tertia ratio forſitan hæc ſit. Volebat oſtendere non ſeſe perſonarum acceptorem eſſe, in patria nimirum, & non in aliis ludææ ciuitatibus, miracula operando. Hinc merito de ea re Petrus Apoſtolus *In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptator Deus.* Idipſum quoq; & Herodiani affirmarunt, dicentes: *Magiſter ſcimus, quia veraxes, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo, non enim reſpicis perſonam hominum.* O egregiam & diuinam ſententiam! ô præclaram orationem, abeſſet modo hypocriſis! Idem etiam Iob Prophetaait, licet multo apertius: *Deus non accipit perſonas Principum*; eodem vultu pauperum reſpicit tabernas, Regumq; turres, ac ſuperba palatia. His quoque & ſimilibus verbis ſanctus ille & laudabilis rex Ioſaphat, Iudices ſuos & regni præſides allocutus eſt: *Non eſt apud Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum*: ad cuius ſinceritatem & integritatem vos, ô Iudices velim reſpicere, & ſuum cuique ius tribuere, nolite muneribus & largitionibus corrumpi, ſed æquali omnibus lance iuſtitiam adminiſtretis.

*Iob. 31.* *2. Par. 19.*

Deſinite igitur temerarii & importuni diuinorum iudiciorum indagatores, contumelioſas haſce quæſtiones proponere: Cur facit hoc Deus, & non illud? cur hunc fauore, illum odio proſequitur? neque enim perſonarum acceptor eſt: noluit ideo patriam reſpicere, ne hæc de eo haberi poſſet ſuſpicio. Si dicatis hunc ab eo ſaluari, & illum reprobari; ſcio fieri quidem poſſe: verũ non ideo culpandus eſt, quod vel in beneuolentiam, vel ſeueritatem nimium propẽdeat; ſuccurrit ecce æquali voluntate pauperculæ viduæ Sareptanæ, & ſimul Naaman Syro Principi: deniquo tam facile reſpicit pauperes, quam diuites: quare ſi eum perſonarum acceptorem dicitis, iniuriam ei facitis. Verum & alias horum verborum expoſitiones proferamus: *Domine, quanta audiuimus facta in Capharnaum fac & hic in patria tua.* Toties namque grauiter olim peccatores illos obfirmatos puniuiſti, cur non ſimiliter hîc in patria, in Eccleſia, tempore legis Euangelicæ agis? Quomodo olim te guloſos puniuiſſe audiuimus, quanta audiuimus ingluuiem à te flagella ſuſtinuiſſe; ob vnius pomi morſum Adamum paradiſo exegiſti: propter pulmentum & lentis edulium Eſau reieciſti: diuitem illum epulonem propter ingluuiem ad inferos deturbaſti: Baltaſſarum regem comeſſantem interemiſti. O iuſtitiam, ô prodigia! Cur non & modo eadem hic in patria, noſtris temporibus, in Eccleſia tua, in hac vrbe Pariſienſi, in guloſos iſtos carniuoros, Epicureos, comedones, lurcones, & Quadrageſimæ tranſgreſſores ſupplicia intentas?

*3. Reg 38.* *4. Reg. 18.* Punitiones in guloſos. *Gen. 3.* *Gen. 25.* *Luc. 26.* *Dan. 5.*

Quanta vero ô Deus mirabilium opifex, audiuimus facta aduerſus tot falſos Prophetas & præſertim aduerſus illos quadringentos, quos igne cœlitus ad Eliæ poſtulationem miſſo conſumpſiſti? adeo ſeuere olim prophanos illos Eſau caſtigaſti: perfidis Cain tam horrendam maledictionem imprecatus es: perſecutores iuſtorũ Pharaones mari rubro inuoluiſti: impias & fornicatrices Ieſabeles à canibus lacerari paſſus es: ducentas iam inde à temporib. D. Auguſtini hæreſes contriuiſti; grauiter, licet merito, hæreſiarchas omnes hactenus puniuiſti &, imprimis Arium, Lutherum, Caluinũ

*3. Reg. 18.* *Gen. 27.* *Gen. 4.* *Exod. 14.* *4. Reg. 9.* Punitiones in hæreticos.

aliosque innumeros; *fac & ea similiter in patria tua*, nostris scilicet temporibus, castiga quicquid adhuc hæreseon supereſt; corrige Nouatores illos aut potius deformatores Euangelii; castiga exemplariter, prodigiosè, & iuste falsos illos ministros nisi resipiscant. Reuertamur igitur Capharnaum, atque iterum repetamus: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum?* Cum omnes vrbis huius angulos & plateas penitus intueor, Synagogam Iudæorum in ea videre videor, in qua videlicet Christus Iesus tot miracula operatur: ac in Nazareth patria Iesu Christi, Ecclesiam Euangelicam intueri: quam vtramq; si diligentius inspiciamus, merito præstupore & admiratione dicere poterimus: Quanta Deus bone in perfida illa Synagoga operatus es miracula, fac & nonnulla modo in Ecclesia tua; fuisti adeo liberalis in Capharnaum, & modo adeo parcus es in Nazareth. Quid vetat & alium hinc cõceptum elicere? an non per hanc Capharnaum primitiua Ecclesia designari posset? de qua merito dicere poterimus: *Quanta audiuimus facta in Capharnaum*? in ea namque miracula plurima patrata sunt. Sanctus nempe Spiritus visibiliter cœlo delapsus est, Apostoli diuersis linguis loquebantur, mortui ad minimum iubentis nutum ad vitam redibant, gentes recenter ad fidem CHRISTI conuertebantur, ac mundus denique prodigiis & mirabilibus operationibus abundabat.

Capharnaum Synagogam denotat.

Miracula cur tam multa in primitiua Ecclesia?

Hæc porro omnia ad Ecclesiæ fabricam, & progressum, fideique augmentum erant necessaria: planta hæc, quoniam adhuc fragilis & tenera erat, visibili Spiritus sancti præsentia auxilioque erat fulcienda & confirmanda, nouoque miraculorum imbre riganda. Nondum abundabat oleum & lumen in magna illa lampade, non vsque adeo late sese extendebat: quamobrem Spiritum sanctum visibili forma descendere fuit necesse, vt fidei oleum adaugeret flammamque charitatis accenderet. Ecce vobis egregiam huiusce rei figuram. Magnus Propheta Elisæus in domo pauperculæ viduæ Sunamitidis, quæ non nisi parum olei habebat, in immensum idipsum fecit excrescere.

Cur Spiritus S. visibiliter in primitiuã Ecclesiam descenderit.

4 *Reg.* 4.

Gerebat hæc paupercula, Ecclesiæ primitiuæ typum, quæ visibili sponsi sui præsentia quodammodo viduata, parum olei, id est, fidei, (quæ per oleum in parabola de decem Virginibus denotatur) habebat; ad quam cum Spiritus sanctus visibiliter, velut alter Elisæus descendisset, oleum eius aduentu in immensum excreuit. Appositè sane. Nam quemadmodum viduæ huic Sunamitidi sufficientia vasa non erant, ad oleum, quod Elisæus ad eam diuertens fecit excrescere, excipiendum, adeo vt necesse habuerit eadem mutuo à vicinis petere: sic & ipsa Iudæa non satis fidelium, veluti vasorum, domi suæ habebat, cum ad illam Spiritus sanctus descenderet, vt fidei oleum exciperet: ita vt necesse fuerit à gentibus eadem mutuo petere. Hinc; *Ecce conuertimur ad gentes*, dicebant olim Apostoli: perinde ac si dicerent: Desunt tibi, ô Iudæa, vasa, quibus fidei oleum excipias: adeo namque illa multiplicatur & augetur, vt alia inter gentes vasa quærere necesse sit; de quibus dictum est: *In omnem terram exiuit sonus eorum.* O vere admirandum oleum, ô fidem, ô vasa! Ecce porro & aliam figuram pene eandem. Elias ad viduam pauperculam in Sarepta Sidoniorum commorantem cum diuertisset, quæ parum farinæ habebat, eandem statim auxit & in immensum fecit excrescere; *Et ex illa die, hydria farina non defecit, & lecythus olei non est imminutus.* Elias hic vmbra Spiritus sancti fuit, qui cum ad primitiuam Ecclesiam veniret, quæ nonnisi parum farinæ, id est, parum fidei, habebat, eandem auxit & amplificauit.

*Act.* 13.

Psal. 18.

3. *Reg.* 17.

*Quanta audiuimus*? quot igitur miracula in hac Capharnaum Ecclesiæ primæ vidimus? Quater scilicet Spiritus sanctus, & quidem visibiliter descendit, primo in baptismo Christi: deinde in Transfiguratione, tertio ipso facto Pentecostes die, Apostolis sese insinuans: postremo vero per ipsa quæ quotidie fiebant miracula, Christus quidem ambulat super aquas, mortuos ad vitã reuocat, tẽpestatibus imperat, dæmones fugat, Solis in passione deliquium causatur ac terram moriens facit tremere. Namq; admodum

Spiritus S. quatuor vicibus in primitiuã Ecclesiam descendisse insinuans:

*Ioan.* 1.

*Matt.* 17.

*Act.* 1.

*Iudic.* 16.

dum olim Samson moriens omnia, concussit, ac Philistæorum cœnaculum deiecit, cœnantesque ruinæ inuoluit: ita quoque Samson noster, Christus, moriens terram concussit, vt mundum vniuersum ruinæ quodammodo inuoluere videretur.

Miracula quæ per S. Petrum Deus præstitit.

Quanta porro & qualia miracula ipsi fecêre Apostoli? *Quanta audiuimus.* Princeps Apostolorum Petrus vnico verbo *a* claudum ab vtero matris facit ambulare, quin & *b* vmbra eius venientis ægros obumbrans morbos depellit, *c* Angeli eum carcere educunt: catenæ & vincula instar stupæ in manibus eius franguntur: *d* paralyticum in Lydda sanitati restituit, ac Thabitham in Ioppe ad vitã resuscitat. O res vere admirandas! Sanctus vero Apost. Paulus lõge maiora adhuc patrat: ad tertium vsq; cælum sublimis *e* rapitur: carceri *f* miraculose eripit: claudo ab vtero *g* Lystris pedum motũ restituit: Pythonissã spiritu maligno *h* liberat: Eutychum *i* iuuenem ad vitam reuocat: naues in mari k Cretico naufragio eripit: viperam *l* in Melita insula edomat. An non hæc vere dici possunt miracula? & tamen duorum Apostolorum tantum sunt miracula: alia enim quis dicendo explicare queat? Atque omnia illa in primitiua & nouitia Ecclesia contigerunt, hodie vero in nostra Nazareth paucissima fiunt huiusmodi: cum nimirum iam fides vbique terrarum disseminata sit, & radices per omnes orbis angulos egerit.

a Act. 3.
b Act. 5.
c Act. 14.
d 9. c.
Act. 13.
e 2. Cor. 12.
f Act. 16.
g Act. 14.
h Act. 16.
i Act. 26.
k Act. 27.
l Act. 28.
Psal. 18.
3. Reg. 17.

Etiamnũ hodie in Ecclesia fiunt miracula.

Sed ne quid nimis. Quid? Dicerene audereus hodierna die nulla in Eccles. miracula fieri? O modicæ fidei! ô stulti & tardi ad credendum: aperite modo oculos ac circumspicite, & videbitis omnia miraculis tam intra quam extra Ecclesiam esse plenissima. An non cœlorum illi motus, libratio illa terræ in medio aeris, ventorum impetus, fluxus ac refluxus maris, fulminum iacula, tonitruum fragores, vera nobis esse miracula videntur? Nequaquam, dicetis; hæc enim motu quæq; suo secundum naturæ ordinem, iuxta occultam naturalium causarum directionem voluuntur. Verum peto num certa illa directio, impetus ille ordinatus, & ordo, citra miraculum fieri queant? Iam quod à quinq; annorum millibus hæc ita perduraverint: quod elemẽta perpetuum inter se bellum gesserint, & nihilominus firma adhuc & indissoluta cõsistant, quod cœlestes illi orbes, cœlorumq; ordines semper voluantur, & tam diu voluti sint, idq; citra vllum defatigationis periculum: an non omne miraculum videtur excedere? Sed vt ait Augustinus. *quia solita sunt mira non sunt.* Hæc quidem extra Ecclesiam; at intra Ecclesiam inferiora videbimus. Hic scilicet mortuos ad vitam peccatores inquam, reuocari videbitis: hic ignem cœlo videbitis descendere, gratiam scilicet quæ ignis quidam supernaturalis est: hic mille miracula in vnico Ven. Eucharistiæ Sacramento contingere. Sed diutius quam par erat, in domo viduæ huius Sareptanæ hæsimus, ad Naaman Syri palatium iam diuertamus: ac de gratiis gratum facientibus aliquid dicamus.

*Augustin. tr. 24. in Ioan.* Miracula quæ quotidie in Ecclesia fiunt.

Audiuisti iam ante ô rerum curiose, cur & quonam modo Deus huic prophetiæ donum, illi vero scientiæ elargiatur: cur miracula faciat in Capharnaum, & non in patria Nazareth. Vidua illa Sareptana hæc omnia ad oculum ostendit: ac princeps Apostolorum iam ante confirmauit dicens, *In veritate comperi, quia non est personarum acceptator Deus.* Alia iã & multo difficilior restat quæstio: Cur hunc nimirum Deus saluet, & illum reprobet? Cur Christianis me parentib. nasci permittat, qui me in fide doceant & instituant, salutisque meæ rationem habeant: alium vero quempiam inter Saracenos, qui Baptismi proinde Sacramento non tingatur, extra fidem viuat, ac sine confessione tandem moriatur? Hic profunda & pene impenetrabilis prædestinationis abyssus est: quamobrem, ne forte naufragium hic faciam, mare hoc non ingredi: verum Naamani huius tantum exemplo ostendam, hominem quacunq; demũ orbis parte nascatur, siue inter Scythicos, Sarmaticosque Getas siue inter Antropophagos, Gelonos & Barbaros, si damnationem eum incurrere contigerit, non Deo, sed sibi ipsi propriæq; nequitiæ asscribere debere. ô bonitas incomparabilis! Estne verissimum est, nullam in mũdo creaturam existere, quocumque etiam

*Act. 10.*

In quacũque orbis parte quis nascatur.

sibi ipsi damnationē imputet.

loco nascatur, cui sufficientem ad salutem gratiam Deus si modo debite ea vti velit, non elargiatur.

Habetis Christiani fidem, Iudæi legem, vos vero gentiles saltem lumen & instinctum illum naturæ quibus omnibus si vnusquisque vestrum in suo genere debite ac rite vti velit, non est dubitandum, quin Deus, quod ad salutem vestram deesse videbatur abunde sit collaturus & suppleturus, *Signatum est enim super nos lumen vultus tui Domine*: lumen, inquam, fidei super vos, Christiani: lumen legis super vos, Iudæi: ac lumen naturæ super vos, Saraceni.

*Exod.* 14. Peregrinemini mecum nonnihil, Auditores, ac in Ægyptum descendite: & videbitis in exitu Israel de Ægypto, nube ignea populum ad terram vsque promissionis deduci: quam reuera nihil esse aliud dixero, quam fidem, quæ cum per se obscura sit, & tamen certissima, nos peccato originali egressos, ad beatitudinem æternam deducit?

*Psal.* 4.

*Matt.* 2. Properemus deinde ad extremos Orientis terminos: ac tres Magos stellæ ductu regnis egredi, atq; in Iudæam, Christum adoraturos, descendere contemplabimini. *& stella antecedebat eos.* quid per hoc astrum designari putatis? aliud nihil quam fidem ipsam, aut lumen aliquod naturale, si ita mauultis.

*4. Reg.* 22. Transeamus inde ad limites regni Israel, & videbitis Iosiam Regē libro legis Domini lecto vitam in melius commutantem. An non igitur lex ipsa, ô Iudæi ad salutem sufficit? Vultis iam aliq[uid] de lumine naturæ deliberatum audire? Syriam petamus ac domum Naamā Principis ingrediamur: in qua pauperculam Israelitidē captiuam reperiemus, quæ herum suum incitet, impellat, adhortetur assidue, vt relictâ idolorum cultrice desertâ, in Iudæam secedat, vbi manu Helizæi,

*4. Reg.* 2. Prophetæ à lepra mundari posset: *Vtinam*, aiebat *fuisset Dominus meus Naaman ad Prophetam qui est in Samaria: profecto curasset eum à lepra quam habet.* Quænam tu es ô captiua & serua? quamnam personam sustines? videris optime mihi lumen naturæ internum exprimere, quod à paganismo in captiuitatem redactum, an mas lepra gentilitatis infectas semper exstimulat, & animat, vt Syria gentilitatis relicta in Ecclesiæ Samariam se recipiant, vbi Naamanes Iordanem Baptismi intrantes, in eoque se lauantes, à lepra spirituali emundantur. Nulla igitur ratio subest Domine, vt tibi quis improperet, aut iniquum te in creaturas asserat, cum omnibus in quacunq; demum orbis parte degant, & commorentur, quidquid ad salutem necessarium est, abunde & cumulatissime subministres: *ita vt sint*, prout Paul Apostolus ait, *inexcusabiles.* Certe Gentiles & ethnici si minus ad salutem peruenitis, vobis ipsis adscribite, excusari enim non potestis: habuistis namque facem illam naturalem, cuius ope & auxilio Deum in creaturis agnoscere potestis. Quamobrem æquo animo perferte si condemnemini, & conqueri desinite, sortemque vestram deplorate. Tu vero diuinorum iudiciorum quæsitor & perscrutator, amplius dicere noli, creaturas quæ in perditionem ruunt, à Deo perdi. Videte namque Angelos *a* in Sodoma, Mosem *b* in Ægypto, Danielem *c* in Babylone, Eliam *d* in Sarepta, Elisæum *e* in Sunam, Ionam *f* in Niniue, Christum *g* in Samaria versantem, Apostolos denique per omnes mundi angulos dispersos, vt animas ad salutem conuertant, inque viam veritatis reuocent errantes, venire autem detrectantes quodammodo cogant, & exstimulent. Anne igitur Deus perditionis nostræ auctor est? & non potius nos ipsi? ipse namque *vult omnes homines saluos fieri.*

a Gen. 19. b Exod. 3. c Daniel. 3. d 3. Reg. 17. e 4. Reg. 4. f Ion. 4. g Ioan. 4.

Et sane tu es Domine qui Paradisi cœlestis portas reseras, totus vt mundus omnesque omnino mortales eas subeant: tu qui in crucis medio mori voluisti, vt infernales ianuas confringeres, aut potius obserares, atque ita ne damnaremur impedires, tu es scilicet Domine & non alius, qui fecisti omnia quæ audiuimus: qui tot miracula in Iudæorum synagoga, tot prodigia in nouitia Ecclesia patrasti, & quotidie adhuc patras, verum vbi, quando, & quomodo tibi visum fuerit. Tu qui gratiarum tuarum dona sine vllo personarum respectu elargiris: omnibusque hominibus sufficientia ad salutem media sine vllo discrimine distribuis.

Quæ-

Matth.18. Quænam igitur Domine dementia, aut potius temeritas est, actiones tuas examinare, iudicia inquirere & perscrutari: iustitias denique tuas velle coarguere. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum:* vt nihil quod opponatur queat reperiri. Quot deinde Domine nobis gratias, quot ad salutem media contulisti? Baptismum scilicet, fidem, & legem; tot Sacramenta & diuina mysteria, tot dona supernaturalia: adhæc sanctam crucem, sanguinem, mortem, ac merita denique tua. Hanc igitur nobis gratiam, benignissime Iesu concede, vt gratia tua nõ abutentes sed ad salutem vrentes, te in hac vita colere & in altera laudare mereamur. Amen.

## FERIA III. POST DOMINICAM III. QVADRAG.

Partitio.

*I. De vtilitate admonitionum.*
*II. De correctione fraterna.*
*III. De excommunicatione.*

*Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum.* Mat.18.

### FIGVRA.

Exod.23. PRæcepit olim in veteri lege Deus, vt quotiescunque quis in bouem aut asinum errantem, aut in quodcunque proximi animal per agros vagabundum incidisset, quam primum ad possessorem reduceret, ne quid ei deterius contingeret, neve periculũ aliquod aut detrimentum incurreret. Nec id quidem frustra: verum vt præceptum quod in Euangelio nostro continetur, eidem congruere ostenderetur. Idipsum enim hodie idem Dominus in Euangelio præcipit, præcipit, inquam, vt quotiescunque fratrem nostrum, & proximum, qui per animalia illa exprimitur per vitiorum deuia errantem, à virtutis via declinantem, & à Dei mandatis deflectẽtem videtimus, eiusdem saluti sedulo inuigilemus, fraternaque eum correptione corripiamus: eumque diligentissime seruantes, ad possessorem, id est, ad Deum, Regem eius ac Dominum, reducamus. Ecce paucis omnem pene Euangelii hodierni seriem & contextum. Vt porro aliquid super his, quod ad vestram vtilitatem, & ad maiorem Dei gloriam cedat constituamus, ad Spiritum Paracletum confugiamus, proque eius gratia obtinenda virginem matrem salutemus, dicentes suppliciter:

AVE MARIA.

Rogatus olim ab amico Philosophus Plato, quodnam ei gratum & acceptum obsequium præstari posset, respondit: Si quicquid in me vitiosum & indecens videris, liberrime arguas & reprehendas. Christiana reuera sententia: & næ ille mihi Christiano indignus nomine, ac fide destitutus videtur, qui reprehendentem vitia reprehendit, & castigantem defectus amice non amplectitur. Nam quemadmodum pictorum ille Deus Apelles omnium oculis expositum volebat, quicquid pingeret, vt omnes transeuntes libere si quos reperissent defectus, aperirent: ita quoque homines, ac præsertim Christianos, agere par est, vt ab omnibus omnino hominibus, vitam actionesque omnes inspici velint & diiudicari.

Platonis Apophth.

Apelles sua ab omnib inspici & iudicari volebat.

Liuius Drusus eques Rom. cum propria virtute meritisque in rempubl. singularibus, Tribunus plebis factus, palatium ædesque superbas iuxta Capitolium construere vellet, & architectus eo se articulo illas cõstructurum sponderet, vt omnium oculis clausæ forent, nulliusque conspectui paterent, quin potius si qua arte potes, ita easdem construe, vt quicquid intus agatur, totius populi oculis expositum pateat: cupio enim actiones meas in propatulo esse, vt à populo Rom inspici & iudicari queant.

*Velleius Pater l.2.*

Voluit Liuius Drusus domũ suam omnium oculis patere.

Dicitur Alexander Macedonum Rex (& tantum dicitur) à familia & domo seruum ablegasse quod duodecim, quibus cum eo commoratus erat annis, nullum in rege vitium aut defectum quem reprehenderet, deprehendisset. Hinc discant Principes, omnes illos assentatores, & aulicos parasitos eliminare qui tot lustris in palatiis degentes,

Alexander seruum repellit qui duodecim apud eum annis fuerat.

commoratus, ac nũquam eius mores reprehendisset.

gentes, semperque eorum lateri adhærentes, nihil vnquam audent vel volunt reprehendere, sed eorum vitiis condescendentes, peccantibus applaudũt, & profundum quodammodo soporem inducunt. Non erat eiusdem cum hoc Alexãdro conditionis Herodes Antipas: non tulit enim vocem illam clamantis in deserto, Ioannem dico Baptistam, qui eum de adulterio coarguebat, dicens: *Non licet tibi Rex habere vxorem fratris tui*: hoc naturæ legibus repugnat humanis: præter rationem est. Dei præceptis aduersatur: incestuosum est: sed nefandus sicarius diuinam hominis vocem gladio violẽtes interrupit.

*Marc. 6.*

*2. Reg. 12.* Exempla eorum qui correctionem fraternam in bonam partẽ interpretati sunt.

Sapientior longe Dauid fuit, qui ad castigationem Nathan Prophetæ, nonnisi lacrymando respondit ac non nisi vnico quod inter medios singultus & fracta voce prodibat verbulo: *Peccaui*. Eadem animi æquitas in summo sacerdote Heli fuit notata, qui cum per Samuelem à Deo reprehenderetur, aliud non respondit quam *Dominus est, quod bonũ est in oculis suis faciat*. Ezechias item Rex graui castigatione ab Isaia propheta quod thesauros legatis manifestasset, ac diuitias vana quadam iactantia ostẽtasset correptus, benignissime ac placido vultu respondit: *Bonus sermo Domini quem locutus es*: peccaui, castiget Deus, ecce in flagella paratus sum.

*1. Reg. 3.*
*4. Reg. 20.*

Discite igitur miseri homunciones ac plebeii, magnorum horum Regum exemplo fraternas correptiones in bonam partem interpretari, cum Vos frater delinquentes viderit, vosque similiter; quotiescumque eum peccantem videritis, simili castigatione in eum animaduertere memineritis. Discite nequaquam indigne ferre sed semper placide, cum actiones vestræ excutiuntur, cum effrenati affectus puniuntur, cum delicta vestra castigantur. Discite peccantibus ignoscere, ignorantes docere, delinquentes corripere, ac fraternas correctiones æquo animo sustinere. Hoc namque præcipit Deus, & hodierno Euangelio aliud non continetur: *Si peccauerit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum*. Hæc eius summa est, ac velut compendium, aliud non complectitur, quam correctiones, excommunicationes, & censuras. De vtrisque nobis hodiernam concionem instituam: ac primo de correctione, ac tum de censuris.

Primo igitur fraterna correptio insignis quidam actus religionis est, euidens pietatis signum, & verus Christianorum character: & sicut lex & religio charitatem erga omnes nos habere iubet: ita & proximũ corrigere, eiusque errata reprehendere. *Vnicuiq; enim Deus mandauit de proximo suo*: vt scilicet vnusquisque proximi curam gerat, in eiusq; commoda inuigilet. Nam quemadmodum, qui vere tutor dici & esse desiderat, præter quam quod in omnia pupillorum emolumẽta debeat incumbere, prospicere etiam debet, ne quid detrimenti incurrant: ita nobis, si vel minimum religio nos tangat, omni ratione aduigilandum est, ne animabus, quæ sub tutela nostra sunt constitutæ, vllum detrimentum eueniat. Vnde bene olim in Deuteronomio præcepit Deus: *Non videbis bouẽ fratris tui aut ouem errantem, & præteribis, sed reduces fratri tuo*. In Exodo vero aliud mandatum simile propemodum reperitur vt scilicet asinus proximi qui in foueam inciderat, educeretur: aut qui sub onere fatiscens collabascebat, subleuaretur. Quid vobis, Auditores, omnia hæc animalia denotare vidẽtur nisi curam & sollicitudinem, quam erga proximum, animal scilicet rationale, nos habere par est? Atque ita hoc Ioannes Chrysostom. intelligere videtur, qui locum hunc interpretaturus tandem concludit: *si asinus collapsus subleuandus est: quanto potius tenetur homo hominem erigere, qui cecidit*? vere igitur fraterna correctio necessaria est, sine qua vita hæc mortalis difficulter admodum ducitur.

*Eccl. 17.*
*Deut. 32.*
*Exod. 23.*
*Hom. ad pop. Antioch.*

Ante omnia vero mirum est, diuinum illum Platonem, qui tantum ad naturæ ductum vitam moderabatur, tanti fraternam hanc correctionem fecisse, eam mundo adeo necessariam duxisse, reique publicæ, adeo vtilem, vt in sua quam descripsit republ. aliquem ei locum assignauerit. Primo namque libro de legibus hanc constitutionem reperio, qua iubet, vt eum qui ob aliquod delictum, improbitatemque in carcerem coniectus est, optimi quique ciuitatis ac vitæ in-

*Plato. lib. 1. de legibus.*

tæ inculpatæ viri adeant, eique benigne ac magno cum affectu peccati turpitudinem ac delicti grauitatem ob oculos ſtatuant, adque vitæ emendationem adhortentur. O vere egregium Platonem, & ob tam diuinas conſuetudines introductas diuinum! Id vero quod Philoſophus tam laudabiliter tamque diuine in ſuam rempubl. introductum voluit, Chriſtus in Eccleſia etiam obſeruari mandauit, *Si peccauerit in te frater tuus, &c.*

Ioſignis B. Iudæ Apoſtoli conceptus.

Apoſtolus Iudas, vt præcepti huius vtilitatem animis noſtris profundius imprimeret, inſignem in Epiſtola Canonica metaphorã adhibuit: *Illos* inquit, *ſaluate de igne rapientes*: perinde ac ſi dicere voluiſſet: Cum proximum veſtrum, Chriſtiani, peccantem videritis, quamprimum eum corripite, diligenter ei auxilium ferte, ac flammam peccati eius veſtræ correctionis aqua extinguite: niſi enim peccato iam commiſſo quamprimum manum ſupponatis, recta ad ignem infernalem deſcenſurus eſt: proinde vos veluti pii quidam Æneæ, Anchiſes illos ex incendio & peccatorum flamma educite. Quanto igitur affectu erga correctionem hanc fraternam nos duci par eſt, cum per illam animæ proximi in ſalutis portu conſtituantur? quamobrem nihil ea habere antiquius, eamque rebus cæteris anteponere debemus.

Allegoria. *Gen. 34.*

Ecce vobis præclaram in veteri Teſtamento allegoriam, quæ correptionem hanc eiuſque effecta mirabili quadam ratione ob oculos ponit. Cum agreſtis Eſau multo ſtipatus equitatu, Iacob fratri ſuo obuiam procederet, Iacob tam ſubito & repentino caſu conſternatus, vt ſe ſuaque ab iniuria fratris quam fruſtra metuebat, defenderet, omnem familiam armauit, eamque in tres turmas diſpertiuit: in prima namq; duas ancillas earumque filios conſtituit: in ſecunda velut in media acie Liam omnesq; filios illius collocauit: at in extrema, quæ præſidii & valli totius exercitus loco erat, velut tutiſſima formoſam Rachelem, filiumque dilectiſſimum Ioſeph ſubſiſtere coegit: omnia ſcilicet potius amiſſurus, quam horum duorum iacturam ſubiturus: duo hæc pignora integra conſeruare malens, quam cæteros omnes his amiſſis ſupereſſe.

Quid hic aliud edocemur, Auditores, quam, quando peccatum, quod per crudelem & agreſtem Eſau deſignatur, ſeſe offert, non modo bona corpuſque ipſum, ſed ipſam etiam vitam, ad animæ noſtræ per Rachelem figuratæ, ac ſimul proximi, per Ioſephi filium deſignati, conſeruationem, eſſe nobis impendendam: cuius tanta habenda eſt ratio, ac ſi res noſtra ageretur. In extremo nẽpe agmine, velut in ſecuriſſimo ac tutiſſimo loco collocanda ſunt cæteriſque rebus anteferenda.

*Si peccauerit ergo in te frater tuus.* Non eſt hoc conſilii modo verum etiam præcepti: ad cuius obſeruationem adeo aſtringimur, vt omnes omnino homines, ipſos etiam ſuperiores, corripere & corrigere teneamur. Quid ais? Scripturis videris contraria loqui: tot enim locis aliud nobis præcipitur, vt: *Qui tetigerit montem, morte morietur*: Qui vel minimum in ſuperiore ſuo erratum corrigere præſumpſerit, morte afficiatur ac plectatur. Quin & Oza Arcam Domini collabaſcentem ſuſtinere ac tantum tangere præſumens, repentina morte punitus eſt. *Exod. 19.* *2. Reg. 6.*

Fraterna correctio præceptũ eſt, non conſilium.

Nihil eſt, teneor enim in conſcientia ſuperiores quotieſcunque deliquerint corripere. Quidni? Teneor namque eos diligere: ipſa autem correctio fraterna dilectionis actus eſt, ergo ſunt corripiendi. Argumentum eſt in forma. Quod pluribus exemplis & ſacræ ſcripturæ locis inſinuabo. Sanctus Petrus quamuis caput & vertex totius Eccleſiæ ac ſimul ſummus Pontifex, tamen à Sancto Paulo Apoſtolo correptus fuit. Heli ſummus erat ſacerdos, totiusque legis Moſaicæ caput, nihilominus patuus Samuel eum corripere auſus fuit. David duorum regnorum, Iſrael ſcilicet, & Iuda Rex, à ſubdito acriter corripi ſeſe non indigne tulit, ſed præ compunctione clamauit, *Peccaui.*

Superiores delinquentes corripere tenemur. *Galat. 2.* *1 Reg. 3.* *2. Reg. 12.*

Verum hoccine præceptum adeo rigidum eſt, vt omnes omnino peccantes corripere & totum mundum tenear reprehendere? ſunt proh dolor! tot in Italia Iudæi, qui tantas tamque horrendas in Euangelium

blasphemias conuitiaque eiaculantur. Sunt tam multi in Gallia nostra hæretici, qui tantam in peccando libertatem induerunt. Tot meretrices ac prostitutæ libidinis fœminæ in magnis illis sunt vrbibus. An igitur omnes hos corripiendi, vitiaque eorum castigãdi mihi obligatio incumbit? Nequaquam. Sed sciendum est, duo esse præceptorum genera: alia enim negatiua sunt, & alia affirmatiua: illa semper & nullo non tempore obligant: vt, Non occides, Non furtum facies: numquam scilicet, quacunque etiam occasione oblata. Verum affirmatiua non adeo stricte seruanda sunt, neq; enim omni loco, omnique tempore parentes diligere aut proximo adesse tenemur: at tum cum sese occasio offert.

Præceptũ negatiuũ & affirmatiuum.

Neque etiam sufficit ipsos delinquentes corripuisse: verum id magno cum amore, dulcedine, charitateque fieri debet: non vero rigide, superbe, præfracte vel austere. Vnde Isidorus lib. de summo bono: *Qui delinquentem superbo vel odioso animo corripit, non emendat, sed percutit.* Et ecce figuras veteri testamento depromptas. Vidit olim Ieremias Propheta virgam vigilantem, quam ei Dominus ostendebat: ô virga, inquam Prophetica, cum te diligenter fuero contemplatus, emblematice mihi correctionem fraternam significare videris, quę oculos habere debet: neque enim proximus impetuose, nec stupide, sed discrete, suauiterque reprehendendus est.

Correctio fraterna verborum suauitate lenienda est.

*Ieram* 1.

Figuræ quib. fraterna correctio designatur.

Tam grauiter olim Deus aduersus Mosem commotus fuit, vt eum terra promissionis excluserit. Miserum! quid commiserat sanctus ille Propheta, vt tam rigide à Domino castigaretur? Dixerat illi nimirum Dominus vt petram Sinai tantum alloqueretur. *Loquimini ad Petram, & dabit vobis aquas*, sed Moses seuerius cum ea egit, diffidens enim verbis, baculo bis eam percussit. Ecce huiusce de qua agimus correctionis præsagium: Non vult Deus, vt peccatores instar petræ obduratos corripiẽtes, duris, sed mollibus verbis vtamur: indigne ferens sc. cum seueritatis virgam adhibemus.

*Num.* 20.

Ecce & aliud pro coniugatis mulieribus ac matronis exemplum. Abigail, vna de numero illustrium veteris testamenti mulierum, matrimonia cum stolido & emotæ mentis Nabal, licet opulento, quique semper vinum & crapulam redoleret, contracto, adeo tamen prudens, sapiens & morata extitit, vt numquam ad iracundiam commoueretur, omnesque correptiones quibus maritum insolentem corripiebat, tam scite temperauit vt eas tempore debito & loco opportuno adhiberet. Cum enim quadam, inter cætera, die, coniunx Nabal musto plenus ac vino madens serius domum reuersus, præ rabie & ebrietate omnia comminueret, & ira exæstuans in suppellectilem sæuiret: Abigail ne verbum locuta, omnia modeste ferebat: sed mane cum iam crapulam edormisset, eum adijt, & data opportunitate corripuit, insolentiæque hesternæ grauitate ei ob oculos posita, eum ad saniorem mentem perduxit. *Diluculo vero cum digessisset vinum Nabal, indicauit ei vxor sua verba hæc & emortuum est cor eius intrinsecus & factus est quasi lapis* Hinc discant vxores à coniugib. ad iracundiam excitatis, præque furore & rabie sæuientibus silenter ac patienter omnia sustinere: donec furor ille deferueat, ac donec vehemens illa rabies decoquat, & tum demum opportuno tempore turpitudinem illam vitæ, insolentiamque ob oculos ponere, & dissolutam illam agendi rationem arguere.

1. Reg. 25.

Pro mulieribus coniugatis moralis.

Quemadmodum enim tormenta bellica cum exonerãtur, si ex oppositolignum, ferrum, lapides, aut quid solidi habeant, omnia comminuunt, rumpunt, ac dissipant: at si in terram, vitgulta compacta, aut saccos lana oppletos impetus tendit, irritus ictus est & eluditur: ita quoque si vos, O matronæ, quando mariti domi veluti tormenta deronant, ira & passione inflammati, ex aduerso repugnetis, clamantes, vociferantes, ac præ rabie exæstuantes, si ferrum, & lapides improbitatis opponitis, omnia perditis, nunquam murũ illum iracundiæ maritalis propugnabitis: at si ea vestra prudẽtia est, vt omnia tela in humilitatis saccum & lanã dulcedinis excipiatis, in vanum omnes ictus cedent

Simile.

cedent omnesq; flammæ in fumum euanescent. Verum ad propositum reuertamur.

2 Reg. 12. Quam porro præclara est historia illa de Nathan Propheta, & quam multis mysteriis referta? docet enim nos illa, quonam modo magnorum peccata castiganda sint, ac quomodo fraterna iis correptio adhibenda. Propheta namque regis aulam ad eius adulterium castigandum, accedens, hac oratione, sed sub parabolæ inuolucris latente, se in eius gratiam insinuauit, & sermoni viam parauit. Tristis quidam, Domine Rex, casus in vrbe contigit. Quis ille, ait Rex: *Duo viri erant, inquit Nathan, in Ciuitate vnus diues, & alter pauper: diues habebat oues & boues plurimos valde, pauper autem nihil habebat omnino præter ouem vnam paruulam quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, & de calice bibens, in sinu illius dormiens. Cum autem peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus & de bobus suis, vt exhiberet conuiuium illi, qui venerat ad se tulit ouem viri pauperis & præparauit cibos homini qui venerat ad se.* Iudica tecum itaque Rex quid ille commeruit? Indignatus autem Dauid, & acerbo illo casu perculsus, ait, Tantamne in regno meo indignitatem, tantam iniustitiam committi? Moriatur impius ille, auferatur ex hominum medio sacrilegus ille & iniquus inuasor, mille cruciatibus mille tormentis omnibus denique supplicijs afficiatur. Nathan vero his à rege auditis, propriis eum verbis condemnare volens, ait, *Tu es ille vir qui feciſti hanc rem.* Tu scilicet sceleratus ille es, diues ille, qui cum totum regnum solus possideas, & pulcherrimas quasque mulieres, tibi in vxores acceperis: & Vrias miles pauperculus vnicam tantum ouem, fœminam inquam Bethsabee, habeat, eam viro eripere & violenter extorquere præsumsisti, eius tu honorem & animam adulterio sceleratæ & effrenatæ concupiscentiæ volens satisfacere, interfeciſti: quidnam igitur ob tam enorme facinus commeritus es Domine Rex? Dauid ita se constrictum & irretitum videns, & ore proprio condemnatum, oculis in cœlum sublatis, ac genibus in terram prostratis lugubri voce clamauit, *Peccaui.* Ego sum fateor, ô Propheta, ego sum impius ille & sceleratus qui mille pœnarum genera, mille mortes, mille gehennas commerui: Ego sum qui impium hoc facinus, ingens hoc delictum commisi, delictum illud sacrilegum, & infidelitatis plenissimum. Itaque *peccaui.* agnosco commissum meum, totoque id vitæ tempore eluere lachrymis conabor, pro eo misericordiam supplex à Domino postulabo, pœnitentiam agam, animiq; amaritudinem demonstrabo.

Quomodo Nathã Propheta Dauidem regem peccantẽ corripuerit.

An non igitur dulcis illa Prophetæ reprehensio eiuiq; prudentia, ad rem opportunè excogitata inuentio, ad Regi peccatũ suum declarandum plurimum adiumenti attulerunt? si enim magna eum vehementia ac seueritate aggressus fuisset, nihil forsitan apud excæcatum & obfirmatum animum profeciſſet, sed capitis forte periculum, vitæque non mediocre discrimen adiisset: vt Ioannes Baptista, qui ingenti honoris Dei zelo magnaq; animi contentione incæstum Herodis Regis coarguens, nihil apud eum profecit, sed oleum & operam, ac deinde vitam perdidit. Ipsa igitur fraterna correctio cibus quidam est, qui dulci & suaui condimento parandus est.

Vnam adhuc, vestra bona venia, figuram mihi liceat adducere. Elizæus Propheta 4. *Reg.* 4. suaui spiritu, & tantum oscitando viduæ filium ad vitam reuocauit, quem Giezi puer ne baculo quidem admoto, eo perducere potuit, seſe vt moueret. Figura quidem à me iam recenter excogitata, sed quæ alioquin euidenter demonstret, peccatores, qui vere propter peccatum in mortem ditissimam inciderunt, cum comminationis baculo & seueritate, ne minimum quidem moueri & concuti possint: sola aura & suaui placidorum verborum spiritu à peccatis vitaq; praua conuerti, aut è vitiorum sepulchro posse resurgere Hac igitur ratione in fraterna correctione seſe gerere oportet: magna, inquam, suauitate & modestia, interte & ipsum solum. Verum si is qui peccauit, postquam peccatum eius ab alio reprehen- Figura.

*Hippocrates lib. 1. Aphor.* Ecclesia visibilis est cõtra opinionẽ hæreticorum.

sum fuit, nihilo tamen minus obfirmatus perseuerat, beneque monentem procul à se reiicit: seuerius cum eodem agendum erit, & induendus rigor: extremis quippe morbis opportuna sunt remedia adhibenda. Si emendationem differat aut repellat, *dic Ecclesiæ*. Huc adsis ô Caluinista: hæc, quæso, verba iudicii tui lance pondera, ac cũ Christo Iesu sentire incipe, ille peccatorem, refractarium & corrigi nolentem ad Ecclesiam iubet deferri: at tu eam mihi inuisibilem, in occulto positam esse, ais, negas eam sensibus videri aut percipi, adeo vt quonam loco sit, ignoretur. Aperte mihi Christus ad eam hic accedere præcipit, eidem loqui, eidem obstinatos illos denunciare mandat, *dic Ecclesiæ*. Domine Iesũ vim à Caluinista patior, respondepro me. Sed heus, Audi dicentem Prophetam: *In sole posuit tabernaculũ suum*: quasi diceret, Thronus meus, Ecclesia mea, in propatulo est, palam videtur, instar solis splendet, tenebras odit, & à toto mundo cõspicitur. Non est igitur Caluinista, quod huic loco quicquam opponere præsumas; clarus quippe & manifestus est: neque enim par est de re tam aperta, ita visibili, sensibili, aç palpabili, ideam Platonicam efformare, merum ens rationis constituere, merum nihil, vmbram & phantasma quoddam condere; de Ecclesia penitus physica, sensibili, aliam metaphysicam, procul à sensibus remotam, à materia secretam, plenam conceptibus Mathematicis, punctis, lineis, zeris, nugis & apinis creare; ac ita denique hæc omnia constituere, vt non videantur. Nugæ meræ, blasphemiæ meræ: *dic Ecclesiæ*: quando ait, præsupponit eam Dominus visibilem; & accessibilem, cum ad eam nos mittit, vt eidem loquamur.

*Psal. 12.*

*Matt. 18.* *Sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Ecce tibi hic gladium & fulmen excommunicationis, ecce potestatem & auctoritatem Ecclesiæ, Prælatis eiusdem concessam, quibus dicitur: *Quæcunq; ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlis.*

III. Capita Ecclesiæ duplici

Hic igitur obseruandum est, duplicem Ecclesiæ Præsules & Antistites potestatem habere: primam quidem cum ordine Sacerdotali coniunctam, & eidem essentialiter inhærentem, potestatem scilicet peccata in Sacramento pœnitentiæ soluendi & ligandi: deinde vero potestatem Iurisdictionis, qua rebelles, refractarios & peruicaces condemnare valent, & condemnatos iterum absoluere. Primam contulit Dominus, Ioan. 20. his verbis: *Quorum remiseritis peccata*. Alteram Matth. 18. *Quæcunque ligaueris super terram*: vbi notes velim, excommunicationem actum quendam Iurisdictionis esse, & eam quidem duplicem: alia enim excommunicatio minor est, alia vero maior. Minori quicunque condemnatus est, nefas ei est Sacramenta Ecclesiæ recipere, aut frequentare: at qui maiori innodati sunt, Sanctorum communione penitus priuati viuunt: minor Ecclesiæ ingressum non interdicit, nec templorum aditu arcet, nec sacris diuinisque officiis vetat interesse: at maior hæc aliaque multo grauiora damna causatur.

potestate pollent.

Discrimẽ inter excommunicationem maiorem & minorem

O miser, & infelix, ac vere deplorande peccator, qui hoc te tangi fulmine permittis? Impius Cain hac maledictione perculsus, nihil deinde prospere gessit, sed quicquid aggrederetur infelicissimum habuit: Cham à patre maledictus toto vitæ suo tempore errans, spectaculum fuit miseriæ & calamitatis, neue vnquam ad patris sui faciem videndam admissus fuit: Esau in paterna benedictione à fratre præuentus, profanus semper vixit, atque infelici termino vitam concluſit. E quibus omnibus quantum mali calamitatisque excommunicatio pariat, facile coniici potest. Vix à Domino ficus illa Euangelica, si memineritis, maledicta fuit, quin statim arefacta emarcuerit, priusque vniuersum virorem amiserit. Hanc ego te ficum esse dicam excommunicate: qui quamprimum vt graui illa maledictione percussus es, radicum tenus exaresces, omniumq; virtutum & meritorum virorem amittis.

*Gen. 4.*

*Gen. 9.*

*Gen. 27.*

Insignis cõcepres. *Matt. 21.*

At hic nondum finis. Sunt & alia infortunia, calamitatesque in quas excommunicationis fulmen hominem deiiciat. Ex Christiano te illa Turcam, Ethnicum & veluti Mahometanum cõstituit: *Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*: detrudit te illa cælo, & infernali voragini immergit: Angelorum

Quid excõmunicatio pariat

lorum te consortio eliminat, ac dæmonum societati ac contubernio copulat. Audite, obsecro colluuiem malorum & miseriarum Iliadem, quas funesta hæc Pandora in excommunicatos inuehit. Arcet illos templorum introitu, ac sacris locis interdicit. Tunc, tunc, inquam, vos excommunicati instar Cain, erratis & vagamini, miserè à conspectu Patris æterni, & matris nostræ Ecclesiæ, militantis scilicet, exulantes & profugi.

Tunc instar Nabuchodonosor, per solitudinem locaque deserta, in bestiarum naturam degenerantes, ac tam sublimi regno, regno nimirum cœlorum, vel Ecclesia, si malitis, quæ regnum Iesu Christi est, expulsi, eiectique, dispersi vt errones palantes, discurritis. Tunc non est quod speretis templa vos subire, aut diuinis officiis sacrisque mysteriis interesse, aut in sacra terra posse tumulari. O triste exterminium! ô exilium vere deplorandum! audite exemplum. Imperator Theodosius Magnus à beato Ambrosio Mediolanensi Episcopo sacris interdictis, octo mensium spatio templi aditu prohibitus fuit; quod adeo ei graue & acerbum videbatur, vt, teste Cassiodoro, præ mœrore expirasset, si diutius in excommunicatione eum manere necesse fuisset.

Theodos. Imper. octo mens. excõmunicatus fuit.

Præterea, ipsa te excommunicatio Sacramentorum gratia & efficacia priuat, impedit, ne per sacros illos canales, diuinos illos aquæductus, aut potius sanguini-ductus, per quos pretiosus Christi Iesu sanguis à primo passionis fonte ad intimum vsq; Ecclesiæ sinum, dimanat ac fluit, vlla in animas vestras gratia descendat. An non certo certius est, ô Philosophi, omnia quæ hoc inferiori mundo continentur, adeo ab influxibus, & motibus corporũ illorum cælestium dependere, vt si cælestem illum motum semel deficere contingeret, omnia elementa pessum irent,

Excommunicatio à Sacramẽtorum frequẽtatione arcet.

——— *totaque discors*
*Machina diuulsi turbaret fœdera mundi.*

Quid ergo de anima dicendum est? an non illa à diuino illo motu, influxuque supernaturali sacrosanctæ crucis dependet, qui nobis per septem Sacramenta, quæ in Ecclesia instar septem Planetarum collucent & resplendent, infunditur? Quid igitur miser excommunicatus agit, quid de eo fit, qui omnibus hisce influxibus destitutus est.

Tertio accedit huc quod excommunicatio omnium orationum & precum, quæ in Ecclesia funduntur meritis nos priuat. Nam omnium nostrum, qui in Ecclesia sumus, merita & preces communes sunt: quotquot enim in Ecclesia fideles viuimus, vnius velut corporis membra sumus: & ipse summus Pontifex, omnes Cardinales, omnes Episcopi, tot Monasteria Religiosis repleta, tot solitudines Anachoretis refertæ, vniuersalis denique Ecclesia, tam in Gallia nostra quam in Hispania, Italia, Iaponia, Indiis, Brasilia, China, apud ipsos etiam Antipodes tam in terra quam mari constituta, & quotquot vtroque polo fideles comprehenduntur, & totus demum orbis, pro nobis etiam nascentibus orat, & nobis, saltem de congruo, conuersionem ad Deum, vt Theologi loquuntur, promeretur. Vnde vates ille & Rex Dauid: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Verum vbi excommunicationis fulmen in nos semel euibratum est, omnium hisce thesauris orbamur, ac nudi penitus constituimur.

Priuat nos excõmunicatio orationibus quæ fiunt in Ecclesia.

*Psal.* 113.

Audite obsecro rem admiratione dignissimam, quæque nos ad solum excommunicationis nomen merito percellat. Consueuit ipso sacro Paraseues die Ecclesia pro Turcis, Iudæis, & paganorum multitudine, gentibusque in infidelitatis tenebris adhuc versantibus, Deum exorare, vt illos in misericordiæ sinum recipiat, & amplectatur, nulla excommunicatorum mentione facta.

O vere reformidanda excommunicatio, quot præterea in animam mala inuehere consueuisti? Tradit nos illa potestati dæmonum, & mancipia illorum constituit, vt in animas nostras pro libitu sæuire & efferascere, quotiescunque voluerint, valeant. Audite rem exemplis confirmabo. Fornicatorem illum Corinthium, qui præter fas & nefas nefando nouercæ suæ concubitu sese polluerat Paulus Satanæ tradidit. Tantun-

Per excõmunicationem in diaboli potestatem tradimur. 1. *Cor.* 5.

dem & Hymenæo & Alexandro fecit, de quibus scribit. *Tradidi eos diabolo, vt discant nō blasphemare.* Quin & Origenes iam à mille quadringentis annis scripsit; *Per eos qui Ecclesiæ præsident, Deus tradidit delinquentes in manibus inimicorum.* Quamobrem, Christiane, si excommunicationem non perhorrescis saxeus, petra durior æneus es, ac desperatæ salutis.

1 *Tim.* 8.

Excōmunicatio nos sepeliri vetat. *C. Sacris extrau. de sepulturis.*

Denique velut omnium malorum & miseriarum caput huc accedit, quod ipsa excommunicatio nos iure sepulturæ, exequiis, iustisque sepulcralibus priuet: neque enim par est eum qui viuens mortalium consortio excluſus fuit, vllum cum mortuis commercium habere; sed consentaneum rationi videtur, eum, quemadmodum viuens à cæteris secretus fuit, ita quoque mortuum, communi fidelium sepultura carere debere. Hinc Ioseph Patriarcha in vltimo vitæ articulo constitutus, fratres orauit, vt corpus suum in terram Chanaan secum asportarent neve id inter prophana Ægyptiorum corpora in Ægypto relinquerent. Quo edocemur, excommunicatos & infideles non eodem cum Christianis & veris Ecclesiæ filiis loco, sed sepultura asini esse sepeliendos, & instar Saracenorum Ethnicorumque terra condendos: *Sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.*

Quæ cum ita sint, fulmina obsecro hæc, Christiani, pertimescite, excommunicationis illa vos iacula terreant, iisdem vero sauciatos fugite, honorem iis nolite exhibere, eorum familiaritatem declinate, nullum cum iis sermonem miscete; imprimis vero cum ipsis hæreticis, qui excommunicati sunt & ab Ecclesia reiecti, Sacramentorum communione priuati, omnium orationum nostrarum merito destituti, ac sepultura communi penitus indigni sunt.

Tu vero, Deus clementissime, qui nobis hodierna die præclarum hoc, & adeo necessarium, ac tanti momenti præceptum de correctione fraterna proposuisti, concede nobis gratiam, qua id magno cum animo, confidentiaque ac summa prudentia perficere, & ad effectum producere valeamus. Sunt, heu Domine tot in mundo peccatores, sed tam pauci qui eosdem corripiant & peccantes coarguant. Toties offenderis & contemneris, tot in te blasphemiæ vbique locorum euomuntur, at nemo reperitur, Domine, qui causam tuam agat, ac honoris tui defensionem in se suscipiat. Non inueniuntur amplius Baptistæ, qui Herodes coarguant, desunt hodie Nathanes, qui adulteria Dauidibus ob oculos ponant. Nobis igitur hunc zelum & hunc animum suggere, hocce vt præceptum exequi valeamus: verum magna cum suauitate ac modestia, non autem seuere, aut rigide; nullis prauis affectibus incitati, aut amaritudine animi inducti, sed charitate magna commoti. Si tamen hac nostra suauitate nihil efficere valeamus, præsta, vt eos Ecclesiæ tuæ denuntiemus, cui plenariam refractariorum excommunicatione castigandorum potestatem contulisti: qua nihil aut horribilius, aut terribilius, nihil timendum magis homini Christiano in hac mortali vita queat contingere. Quare ab eadem nos Domine defende, nobisque gratiam elargire, qua semper in Ecclesia tua perseuerando, tam digne t bi in hac militanti Ecclesia seruire valeamus, vt mercedem in triumphanti percipiamus amplissimam.

## FERIA IV. POST DOMIN. III. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. Cor esse dandum Deo.*
*II. De cogitationum malarum incunabulis.*
*III. De verbis cordi operiq; consonis.*
*IV. De traditionibus paucula.*

*Populus hic me labiis honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth. 18.

### FIGVRA.

CVM magnus ille Assyriæ Rex Nabuchodonosor lecto reclinatus, variis cogitationibus agitatus insomnem noctem traduceret, ingentem subito statuam vidit, cuius caput aureum, brachia argentea, pectus Dan. 2.

pectus æneum ac pedes lutei erant. Sæpenumero profecto ingentem illum colossum mecum tacitus demiratus, aliud eum nihil esse putaui, quam fictam illam hypocrisin, quam hodierna die in Euangelii nostri tabella, Pharisæorum & Scribarum frontibus inscriptam depictamque videmus: populus namque hic hypocrita vastæ illi statuæ persimilis est: cuius caput ex auro solido compactum, lingua aurea, & auriflua texens ex ore catenas: qui non nisi de Deo loquitur, vnicum Dei honorem spirat & sapit. *Populus hic labiis me honorat.* Caput igitur aureum est, sed pectus æneum, cor non nisi mera & sincera malitia, nefanda flagitia intrinsecus fouet anima: *Cor autem longe est à me.* Quicquid exterius apparet, aureum est, verba & sermones diuini, ac fucata agendi ratio; at interius adulterina sunt omnia; & sub auro æs vilissimum latet, æs inquam improbitatis. An non igitur statua illa hypocrisis est, magnitudine infinita & incomparabili. De cuius magnitudine plura vobis hodie dicere proposui, si paracletum Spiritum prius inuocauerimus, ac Virginem Deiparam salutauerimus. Igitur cum Angelo dicamus:

AVE MARIA.

I. Inter omnia creata potissimũ excellit hominũ cor. Nihil est quod magis Deum designet, quam cor humanũ.

Inter omnia, quæ summus ille rerum architectus ex nihilo condidit, & in mundi huius theatro spectanda proposuit, nihil est, quod maiorem admirationem mereatur, aut quod sibi præ cæteris Deus seligat, aut complectatur ardentius, quam ipsum cor hominum. Hinc in Prouerbiorum libro inter omnia humani corporis membra & compages, hoc vnum præ cæteris sibi à dilecto dari postulat, *fili præbe mihi cor tuum.* Dein nihil est, quod magis ipsam diuinitatẽ repræsentet, aut propius ad Deum accedat, quam hoc ipsum cor. Quemadmodum enim Deus primus ille motor est, qui à nullo mouetur, & tamen mouet omnia; ita cor membrum illud organicum est, quod omnia quidem in microcosmo illo moueat & dirigat, ipsum tamen à nullo moueatur. Ac veluti Deus quoque prima & originalis causa est, qua ingens hæc mundi machina viuat, sentiat & moueatur: ita cor regulus est, qui paruo huic mundo spiritus tum vitales, tum animales suggerat & conferat. Quamobrem nihil est omnino quod propius ad Deum accedat, eiq; sit gratius, corde humano: quod infinitis propemodum exemplis in lege Mosaica declarauit.

Voluit sibi Deus olim sanctificari omne primogenitum quod vuluam aperiret in filiis Israel, tam de hominibus, quam de iumentis. Quo liquido demonstrabat, inter omnia sese membra cor hominis deligere, sibique illud offerri velle, quod nostrum primogenitum est, ac primum quod in nobis viuere incipiat: nam, teste Aristotele, cor est primum viuens & vltimum moriens. *Exod.13.*

*Votum vouit Iephte Domino dicens, si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit eum holocaustum offeram Domino.* Quod aliud quoque documẽtum est, quo edocemur, integre cor nostrum Deo esse offerendum & immolandum, quod nimirum primum est quod in nobis vitam habeat. *Iud.11.*

Celebris ille Rex Salomon lectum regiũ construxit, sublimem & superbum, in quo infinitis perfruebatur deliciis; quemque sexaginta fortes ex fortissimis Israel ad custodiendum ambibant. Ecce vobis in hoc lecto ad oculum ipsum cor humanum expressum, in quo si pacificus ille Rex Salomon, Deus inquam, requiescat, innumeras ibidem voluptates hauriet. Cor quippe regius lectulus est, conopæum illud sublime, in quo Salomon noster dormiat, à sexaginta semper fortissimis strategis custoditum. Vultis eos vobis recenseam, & nomine quemque suo compellem: occurrent primo decem DEI præcepta, ac totidem Ecclesiæ, quæ simul viginti constituunt: duodecim deinde fidei articuli, & octo beatitudines; ecce vobis quadraginta; septem mox sancti Spiritus dona, septem quoque Ecclesiæ Sacramenta, ecce quinquaginta quatuor; postremo tres virtutes Theologicæ, & tres SS. Trinitatis personæ, quæ eius beatitudinem explebunt; an non simul hi sexaginta fortissimos *Cant.3.*

mos duces constituent ? & an non vere regius hic lectulus erit?

*Num.21.* Præcepit quoq; Deus principibus & tribunis populi Israelitici, vt Arcam testamẽti in medio castrorum, velut in loco tutissimo, constituerent: quo iis ostenderet, quanti cariſſimum hocce pignus faceret, vt omnia potius, periculum & discrimen subire cuperet, quam Arcam ab hostibus diripi. Verum erat hoc figura, qua declarabatur, cor hominum præ cæteris mẽbris à Deo diligi, & arctissime foueri: quod ipse in medio corporis, in medio scilicet potentiarum naturaliũ, collocauit, & in medio tot spiritualium militum, gratiarum nimirum, donorumque supernaturalium constituit. Quocirca non est mirandum, Deum, cum tantam cordis rationem habeat, tot id rebus munire & circumsepire, tot id custodibus circumcingere; præsertim cum ipsa in homine velut armamentarium quoddam sit & arx, in qua omnes thesauri, diuitiæ, armaq; spiritualia reposita sunt ac tanti momenti, vt illo perdito & expugnato, de tota hominis animęque salute sit desperandum.

*2.Mach.1.* Cum gentes vicinæ, Machabæorum tempore, mõtem & arcem Sion inuasissent, muniuerunt eam muro magno & firmo, & propugnaculis validissimis: ita vt eam sibi in ciuitatem fecerint, armaque & escas in ea posuerint: spolia, quæ in ciuitate agebant, illic coaceruarent. Quo quid aliud designatur, ô homo, quam statim vt dæmones, gentes illæ barbaræ cordis nostri arcem quæ nobis penitus dominatur, inuasere; hinc eos animę gratias virtutesque expugnare, & quicquid meritum nobis afferre potest, diruere, euertere, ac dissipare: adeo vt lapis super lapidem, gratia super gratiam non remaneat, sed omnia miserum in modum destruantur. Hinc Salomon nos omnes exstimulat & adhortatur, vt omni custodia cor nostrum custodiamus; idque velut arcem animæ, arcisque vmbiculum vndique communiamus, quo amisso & perdito, omnis nostra salus periculum incurrat.

*2.Reg.4.* Cum ostiaria domus Isboseth purgans triticum in meridie obdormisset, sicarii domum latenter ingressi miserum Isboseth in lecto iacentem secundum inguina percussere. idipsum nobis euenturum proculdubio sciamus, si in lecto voluptatis deliciarumque stertentes, cordis ianuas non occludamus, per quas homicidæ, hostes nostri iuratissimi, mundus, caro, & diabolus in meridie, in mediis scilicet voluptatibus, intrantes nos obtruncant, & in pluma deliciarum misere trucidant. Omni igitur custodia custodiamus cor nostrum. Nam quemadmodum Deus præ cæteris hunc locum earum habet, ita quoque diabolus eidem omni ratione insidiatur, ac semper elaborat, quo eũ expugnet & inuadat; modo enim eidem vallum quatuor ingentibus balistis & arietibus munitum obiicit, suggestione scilicet, delectatione, consensu, & opere ipso: modo tres tantum bombardas opponit, verum priorib. non minus metuendas, cogitationes nimirum, verba, & opera.

De tribus igitur hisce bombardis hodiernam concionem instituemus: idque conformiter verbis ipsis Euangelii, in quo de corde, cogitationibus, de verbis & operibus agitur. *Populus hic labijs me honorat*, ecce verba, *Isa.29.* *cor autem eorum longe est à me.* Ecce cor, cogitationes & opera.

Quod ad primum igitur spectat, Thales Milesius interrogatus olim, num Deus vllam scelerum nostrorum, actionumque peruersarum notitiam haberet; non operum tantum, inquit, sed etiam prauarum cogitationum. Diuinum plane in ethnico homine apophthegma, ac sufficiens, vt hinc Christiani & probi omnes tam malas cogitationes, quam ipsa opera discant fugere. Docet idipsum Isa. Propheta: *Auferte malum cogitationum vestrarum*, id est, ipsas cogitationes malas. Sunt enim illæ veluti furunculi, quas vbi semel domum nostram contigit ingredi, confestim ianuas magnis illis prædonibus, peccatis inquam, aperiunt; quæ animas infestant, diripiunt, & deprædantur. Ecce exempla.

Lucifer ille Angelorum olim princeps, ac vnicus quodammodo dęmonum coryphæus, vnicam solum in animum cogitatiunculam ambitionis, qua similis esse Altissimo desiderabat, admisit: & ecce confestim magnus ille prædo creat.

II. *Lact.3.c.*

Vnica cogitatio malum

ſuperbiæ intrans, eum deprædatur, diripit, ac miſeris caſibus inuoluit.

Gen. 3. Primus mundi incola Adam nonniſi oculos in noxium illud ac vetitum pomum cõiecit; & ecce magnus ille miles ac ſicarius ſubintrat, & omnem ei iuſtitiam originalem, aliasq; gratias infinitas diripit, aufert, & violenter extorquet, inq; extremum exitium demergit.

Dauid Rex, conſpecta tantum è ſolario pulchram illam Bethabee, quæ ſeſe lauabat, eiuſdem quamprimum pulchritudine illectus & captus fuit: quin & eodem momento, quo furunculi illi complacentiæ & concupiſcentiæ per oculorum feneſtras cor eius ingreſſi ſunt, nobiles duo latrones per eaſdem intrarunt, adulterium ſcil. atq; homicidium; quæ tantam in domo eius ſtragem edidere, vt totum regnum Iuda pariter peruertere & euertere conati ſint. O infelices igitur cogitationes ac multorum malorum ſeminatrices.

Illæ namq; calamitatum omnium malorumque ſeminarium ſunt, ac vitiorum fomenta: nam, vt Philoſophi aiunt, *paruus error in principio, maximus in extremo eſſe conſueuit*, & paruum paruæ cogitationis initium, magnum ſæpenumero peccatum producere. Venit mihi hic in mentem ſymboli, quod nobilis quidam, huius ætatis princeps Italico ſermone inſignibus ſuis inſcripſit, *ex parua flamma, magnus ignis*. Quod de primis cogitationibus vere quoque dicere licet: paruam ſcilicet cogitationis ſcintillam, magnũ ſæpenumero calamitatum, infelicitatumq; excitare incendium.

Symbolũ nobilis cuiuſdã noſtri temporis.

Ariani ꝓpter vnũ iota orbẽ terrarum incenderunt.

An non propter vnum iota Arianorũ hæreſis ingens illud ſchiſmatis incendium excitauit, quod totam Eccleſiæ noſtræ domũ abſumere, & flamma inuoluere nitebatur: ipſi namq; Chriſtum ὁμοιούσιον id eſt, ſimilis eſſe cum Patre ſubſtantiæ, Catholici vero eundem ὁμοούσιον, id eſt, conſubſtantialem Patri eſſe aſſerebant? An non quidam lapillus monte deſcendens ingentem illam Nabuchodonoſoris ſtatuam in fruſta comminuit? quo nihil denotatur aliud exẽplo, Auditores, quam lapillũ quendam cogitationum, è peccati monte deſcendentem, ſufficere, vt

Figura.

pulcherrima quæq; ſtatua, perfectiſſima inquam, quæ in mundo reperiri queat anima, deiiciatur, & in fruſta comminuatur.

Dixiſſe te olim parabolam memini, Domine, qua id de quo modo agimus, non obſcure innui poſſe putem, *Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus: cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius.* Cæterum videor mihi Domine de parabola tua alium conceptum, haud incommode poſſe cudere, & quidẽ penitus contrarium, ac parodice dicere: *Simile eſt regnum inferorũ grano ſinapis.* Per regnũ hoc, primam & exiguam adhuc cogitationem intelligo; quæ cum à ſe quodammodo nulla ſit ac nihil, ſtatim mirum in modum exeſcit, ac magnam illam peccati arborem conſtituit, in qua diaboli, volucres illæ rapaces, ac rapto viuentes, habitare cõſueuere. Quin & axioma, quod Philoſophi dicere ſolent, *Nihil eſt in intellectu, quod prius non fuerit in ſenſu*; hic mihi liceat vſurpare, ſed alijs terminis & verbis: nihil ſcilicet eſſe in anima, quod nõ prius fuerit in concupiſcentia: nihil exterius opere ipſo aut actione deſignari, quod non multo citius in cogitatione fuerit efformatum. Quocirca ſi opus ipſum improbum ſit & iniquum, cogitationem infinitis partibus peiorem eſſe, conſentaneum eſt: modo & illud axioma verum ſit, *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale.*

Quare ſuffoca in ſemente hanc improbam propaginem, ô homo! elide in tempore prauas haſce cogitationes, antequam exeſcant, ac curſum improborum horum deſideriorum ſiſte. Occlude fores ſceleſtis illis latrunculis, in extremam te alioqui perniciem pertrahent. Exemplo tibi ſit inſanus ille ac barbarus Pharao: qui, vt inimicos ſuos exſcinderet & penitus extirparet, poſteritatemq; omnem deleret, paruulos omnes iuſſit interfici; è quibus quoniam vnicus Moſes ſeruatus fuit, factum eſt vt ſibi ipſi rex exitium attulerit. Ita quoque ad peccatum eliminandum, ac nefariam illam propaginem abolendam, paruulos eius in ipſo ortu & primordio eneca, cogitationes ab

Infignis cõceptus.

*Ariſt. 2. de anima.*

*Ariſt. 3. de Poſte.*

Prauę cogitationes initio repellendæ ſunt.

*Ezech 2.* Allegoria.

anima, quamprimum in ea naſcuntur, expelle, ac diligenter aduigila ne qua ſubterfugiat, & inexſtincta maneat: ſufficit namq; vnica, vt extremum periculum ac pernicię capiti tuo arceſſas.

Inſignis cōceptus.

Impius ille tyrannus Herodes, eoque nomine potiſſimum notus, vt ſe in ſolio confirmaret, & a ſucceſſore tutus foret, omnes paruulos etiam lactentes a bimatu & infra iuſſit interfici, adeo vt ne proprio quidem

*Matt. 2.*

p̄percerit filio. Eadem, ô homo, crudelitate ſæui in teipſum, eandem generoſitatem oſtende, atq; ad cōſcientiæ ſtatum & regnum conſeruandum, eneca & obtrunca prauas haſce cogitationes, interea dū teneræ ſunt, & lacte delectationis eas adhuc paſcis; ac ne minimæ quidem parcito. Quod qui fecerint, beati ac ter felices à vate Regio proclamantur:

*Pſal. 136.*

*Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram*: per paruulos hos cogitationes adhuc crudas & teneras intelligi vult, quæ ad petram, quæ Chriſtus Dominus eſt, (*petra autem erat Chriſtus*) allidendæ & frangendæ ſunt.

Hac porro ſeſe ratione eaſdē expugnaſſe gloriatur Auguſtinus; aitque ſe tum, cum cogitationes expugnare animum geſtiebāt, & violenter irrumpere, ad crucifixi Chriſti pedes multis cum lacrymis proſtratum, eaſdem repuliſſe, & ad petram hanc illiſiſſe. Id-ipſum conſilium inſinuare mihi videtur &

*Cant. 2.*

Salomon in Canticis, ait *enim*: *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas.* Per quas, niſi diuinans fallar, cogitationes ſubdolas & occultas intelligit, quæ vbi ſemel animæ noſtræ vineam intrauerint, omnia vaſtant, perdunt & demoliuntur.

Allegoria. *Exod. 17.*

Cum populus Iſrael cum Amalecitis prælio decertaret, quamdiu Moſes manus ad cælum extendebat, Iſrael vincebat; quando vero illas dimittebat, profligabatur, & Amalec ſuperabat. Denotare hoc mihi videtur, Auditores, tamdiu animæ noſtræ facultates in prælio, quod inter animam, Iſraelem inquam, & diabolum, ſatanam ſcilicet, quotidie pugnatur, victoriam habere, quādiu cor noſtrum & voluntas, quæ inſtar Moſis eſt, cogitationes intentioneſque ſurſum erigit; nihilq; aliud q̄ Deum meditatur & cogitat: verum vbi eaſdem ad terram concidere cōtigerit, animam quoque profligari & debellari.

Refert Plinius, aquilam pullos ad ſolis examen prouocare conſueuiſſe: eoſque eiuſdē radiis medio die opponere; quos qui oculo irretorto & infracto intuerī poterint, educat, ac verum fœtum exiſtimat; at ſi qui conniuent oculis, palpebraſque demittunt & ſolares radios, vehementem que illum ſplendorem declinant, ad terram deiicit, & adulterinos, ſuppoſititiosq; exiſtimat, ac veluti indignos, qui inter tam generoſam aquilarum progeniem numerentur. Ad eūdem te modum agere par eſt, ô anima, aquilamque hic imitari: omnes namque cogitationes quas procreas, ad ſolis iuſtitiæ radios examinandæ ſunt, & probandæ, & quas facem illam rutilantem intrepide & inconcuſſe videris poſſe intueri, rectaq; ad Deum contendere, eas educa, nutri, & toue; bonæ namque ſunt & generoſæ: verum quarum oculi lippient, ſolem fugient, ac terram aſpicient, eas deiice, eneca occide, ad nihil enim ſunt vtiles, ſed indignæ quæ in anima commorentur.

*Lib. 8. Inſignis cōceptus.*

II. Laudes Dei verbis.

Hactenus quidem de cogitationibus, iam ad verba veniamus, quæ conceptum & cogitationum ſigna ſunt, vt docti aiunt; per quæ etiam Deus vult laudari. Hinc Dauid:

*Pſal. 62.*

*Labia mea laudabunt te*, non modo cor, & cogitationes, ſed & os meum, lingua mea, oratione ſc. vocali. Obſeruat quoq; Ezechiel Propheta, quatuor illa animalia q̄ videbat, clamaſſe, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: quo ſignatur Deum etiam verbis à nobis laudari & ore noſtro benedici velle: veruntamen vt cor verbis reſpondeat, nulla diſcrepantia inter cor & linguam, aut fucata quædam fictio reperiatur. Hoc ſcilicet Dominus hodie in Euangelio in Phariſæis reprehendit, dicens,

*Iſai. 29.*

*Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Verbis egregiis lingua populi huius reſonat, ſed cor ſiniſtra machinatur: cor multum a verbis diſcrepat.

Sæpius lingua tua, ô anicula, in templis orat & ſupplicat, & mens tua lōgiſſime foris procul a roſario, peregrinatur. Sæpius vtrū-

que

que oculum in libro defixum habes, ô filia & cor tuum amoribus occupatum est. Quoties in templo oras mercator, & mens tua in officina versatur? Hoc nempe Pharisaico modo orare est, atque hoc est quod Euangelium hodiernum in Pharisæis reprehendit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.*

Deus q̃rit exteriora & interiora.

Non sufficit Deo exterior illa modestia: & gestus ille ad oculum apparens, cupit etiam interiorem animi attentionem. Erat in veteri Testamento tabernaculum exterius quidem pretiosis auleis coopertum; interius vero ignis continuo in altari collucebat, in quo mundissimæ victimæ Deo immolabantur. Quo denotabatur, mea quidem sententia, virtutes exteriores, qualis est humilitas, deuotio, aliæque infinitæ, non sufficere ad interius animi tabernaculum ornandum: si interius, in animæ nostræ altari, ignis charitatis continuo non ardeat, tum vt bona desideria, castæque cogitationes in eo offerantur, tum vero vt sancta proposita ibidem immolentur.

Hæc est illa pulchritudo, quam sponsus in dilecta demiratur, & deprædicat: *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra es.* Quod D. Ambrosius ita interpretatur, & conuertit: *Ecce tu bona es amica mea. Ecce tu bona es:* & mox quarto capite: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Non alia sane de causa reduplicationem hanc adhibet, quam tum ad interiorem tum exteriorem pulchritudinem designandam. Pulchra scilicet es, ait idē Ambrosius, verbis, & pulchra moribus: pulchra es bonis operibus exterius, & pulchra in anima interius, ait Glossa Linearis. Pulchra es, inquam, operibus (nihil enim facis, quod non oculis meis sit longe gratissimum: (& pulchra verbis) neque enim sodales tuas filias Ierusalem, inuitare desinis, vt incarnationis meæ mysterium euulgent) vt interpretatur D. Thomas. Intelligas deniq; vtcunque volueris, semper inde efficies, animam quæ per sponsam hanc designatur, vt à dilecto suo Deo diligi queat, duplici pulchritudine enitere debere, interiore sc. quoad intentiones & cogitationes: exteriore vero quoad verba & pietatem extrinsecus declarandam. Ecce figuras, q̃ot habere collibitum sit.

Præcepit olim Deus Arcam Testamenti, in qua Decalogi tabulæ asseruabantur, intus & foris auro mundissimo cooperiri: vt declararet nimirum, animam quæ tabulas legis diuinæ, præcepta scilicet Dei inuiolate seruare desiderat, auro charitatis interius in corde, & exterius in ore effulgere oportere: illic cogitando, hic vero loquendo. Quid hic igitur de illis imaginum crucifixorumq; basiatoribus, ne dicam voratoribus dicendum est, qui sex horarum spatio eodem in templo labia quasi orātes mouebunt, oculis voluēt, ludicros gestus efformabūt: qui vbi è templo domum redierint, deteriores sunt diabolis, aliud nihil machinantes, quam vt proximū aliqua ratione & arte incautum circumueniant, & decipiant? Non possum quin eos semper statuis Babylonicis conferam, quarū Propheta Baruch meminit, quæ exterius quidem auro & argento coopertæ erant, verum interius, vt aiebat, à serpentibus erodebantur. Ita quoque hi exterius quidem sanctissimi esse, imo veri sancti, & diui, atque aurei penitus & argentei videntur, cum reuera sint pessimi: non sunt fateor, homicidæ; de adulterio aut fornicatione ne minimus quidem apud eos est sermo, aliis non sunt scandalo: at interius serpētes, viperæ, echidnæ & dracones sunt, auaritiæ, ambitionis, vsurarum veneno oppleti, omnia virulenta sunt introrsum, ac præter praua desideria & impudicas cogitationes nihil apparet.

*Exod 25.* Figura.

Luculentus conceptus.

*Baruch 6.*

Erant antiquitus Æthiopū palatia splendida & magnifica, exteriusque luxum quēdam regium ostentabant: quæ tamen à Mauris nigris inquilinis incolebantur: Iis palatiis hypocritas esse dico quam simillimos. Exterius namque nil nisi bonitatem, humilitatem, & patientiam præ se ferunt: cum illorum interiora non nisi Mauri, Æthiopes, ac nigerrimi diaboli inhabitent. An non meministis inter cæteras aues, quarum vsum & esum Deus populo suo olim interdixit, & cygnum numerari? nonne hoc mirum cuiquam videatur, cum præsertim cygnus auis sit pulcherrima, plumis instar niuis albentibus, ac cantus suauissimi? exterior, fateor,

Alius non inferior.

forma peregregia est, ac plumæ plurimi fiunt: at caro eius atra est, saporis ingratissimi, palatoque omnino insipida digestuque difficilis. Egregium hoc hypocritæ, qui ab hominibus velut immundus repudiandus est, emblema est: exterior namque eius agendi ratio laudem promeretur, plumæque virtutum fucatarum & ementitarum omnium oculis placent, at caro eius interiorque homo sordent, & insipida sunt.

Quam multos hodie, Deus clementissime, cygnos reperire est: quam multos nimirum Pharisæos: quam multos religiosos albis vestitos, cygnos veste, cygnos voce imitantes: quorum tamen anima hypocrisi deturpata est! Quã multi, proh dolor! Ecclesiastici sunt, qui niueis quidẽ superpelliceis exterius induti incedunt, quorum corda simoniæ fuligine inquinata sunt? Quot etiã mulieres reperire est, quæ albicãtes & farina infectas comas gestant, quæ tamen eas natura instar mulierum per agros & deserta euagãtium (Ægyptias nominamus) nigras habent, vt corui plumas? Tot denique orbe reperiũtur, qui coram hominibus sanctitatem quãdam Angelicam induisse videntur, qui tamen in oculis diuinæ Maiestatis diabolis lõge sunt deteriores. Hic vos velim recordari eorum, de quibus in Euangelio legimus, qui licet dæmones è corporibus fugarint, res futuras prædixerint, voce Angelica verbum Dei promulgauerint, tantaq; in mundo fecerint, vt Seraphini quidam mortales viderentur, à Deo tamen non obstantibus miraculis condemnati, & æterno incendio traditi fuerunt. Qui frustra clamabunt: *Domine nonne in tuo nomine prophetauimus?* Erant hi veri hypocritæ, similes iis de quibus Dominus in Euangelio dicit: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me.* qui quidem Pharisæi vocem Iacob, at manus habebant Esau, ac veri hypocritæ erant: Exteriora enim tantum curabant: exteriores quasdam ablutiones & purificationes corporis spectabant, de interna ne hilum laborabant: videbant festucas in oculis aliorum, ac trabes oculis propriis insidentes ne videbant quidem. Quotidie Dei mandata transgrediebantur, & ad naturæ legem viuere recusabant: & ecce hodie Apostolos reprehendunt, quod traditiones obseruari solitas non obseruent: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum?* Ecce hic tertium concionis nostræ membrum, de operibus scilicet, idque occasione traditionum: in quo ad vos præsertim ô hæretici mea tela dirigentur, vos inquam traditionum hostes acerrimos.

*Matth 7.* Pharisæi de exteriori tantũ erant soliciti.

Principio igitur statuendum est, duo traditionum esse genera: alias quidem, quas Apostolicas nuncupamus, & alias, quas Ecclesiasticas. Illa sunt documenta quædam & obseruationes, circa viuendi rationem, aut doctrinam quas Apostoli ex SS. Domini ore auditas, aut Spiritus Sancti inspiratione cognitas, scriptis non prodidere, sed viuo vocis oraculo Ecclesiæ suisque successoribus tradidere. Hæ vero sunt certa quædam doctrinæ capita, ad fidem aut vitæ rationem spectantia, quæ fideles diuturna quadam consuetudine obseruata approbarunt, ac continua serie & catenata successione in Ecclesia de manu in manum tradita, per multos annos inuiolate custodierunt: quæ tamen non ab ipsis Apostolis, sed ab antiquis Patribus profecta, diuturna successione ad nostra vsque tempora descenderunt: in eoque ab Apostolicis traditionibus discrepant, quod non à primis fontibus, Apostolis videlicet, neue adeo longe petita sint, sed vel à SS. Patribus, ab Ecclesiastica sanctione, vel summis denique Pontificibus, immediate originem ducant. IV. Traditiones duplices sunt Apostolicæ, & Ecclesiasticæ.

Ipsæ iterum Apostolicæ bifariam diuidũtur: aliæ namque meræ speculatiuæ sunt & rhetoricæ: quæ scil. solum doctrinam & fidem spectant: vt nimirum est, scire personarum in Sacrosancta Trinitate distinctionem relatiue fieri: Virginem matrem semper virginem permansisse: Christum Dominum eam Sacramenti Confirmationis, Ordinis, atque extremæ Vnctionis materiam instituisse, quam hodie in Ecclesia adhibemus: omnes hæ traditiones Apostolicæ primigeneris sunt: nihil enim eorum apud Euangelistas scriptum reperitur. Traditiones Apostolicæ duplices.

Aliæ vero practicæ, & ad mores spectantes: vt paruulorum Baptisma, aquæ benedictæ vsus,

ctæ vsus, ipsa Sacrosanctæ Crucis adoratio, imaginum & Sanctorum cultus, tonsura clericalis, Altarium consecratio, aliæque plurimæ. Quæ omnes traditiones Apostolicæ sunt, voce in Ecclesia relictæ, ac verbis traditæ, nec sacris litteris expressæ.

Quomodo probetur traditiones esse.

Huic igitur fundamento, valida propugnacula inædificabo: mihique credatis velim, multas traditiones Apostolicas esse, cum circa fidem, tum etiam mores, quæ in nullo scripturæ loco, nec obscure quidē expressæ leguntur. In primis, Sacra Biblia verum & sincerum verbum Dei esse: Euangelium S. Matthæi, sanctum, authenticum, & canonicum esse: quod tamen, licet nullis id scripturæ verbis declarari possit, indubitate per traditiones acceptum credimus: vnde necessario fatendum est traditiones aliquas in Ecclesia esse. Deinde, quod paruuli baptizandi sint, ac sacro fonte tingendi, non vero grandiores, nullis scripturæ testimoniis ostendi potest: cum potius inde colligi queat neminem nisi credentē baptizari posse: quod in paruulis locum habere minime potest, quippe qui nondū credunt, cum tinguntur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit* &c. nihilominus paruulos baptismo tingimus iam inde ab vtero materno: & vnde hoc nisi a sacris traditionibus profectum est?

Multa credimus, quæ tamē scripta nō sunt.

Ecce tibi & alium ictum vehementem admodum ô traditionum hostis, quem, ne tibi traditiones esse, ad oculum demonstret, impedire nequeas. Scribit in Epistola ad Hebræos Paulus, summum in veteri lege Pontificem sanguine populi capita aspersisse: ac simul meminit lanæ & hyssopi, quorum omnium ne minima quidem in veteri Testamento reperitur mentio, licet diligenter id & accurate hæretici singula peruolutantes, quæsierint. Vnde hæc igitur hausisti Paule, Ecquis hanc te cæremoniam edocuit? Traditio est, Auditores, mera traditio est. Idem Paulus in Actis Apostolorū, ait dixisse olim in vita Dominum: *Beatius est magis dare quā accipere*, quod tamen nusquam in vllo Euangelistarum legitur: Ergo a traditione eum id accepisse dicendum est.

*Hebr.* 1.

*Actor.* 20.

Quid? nihilnē igitur recipere vultis, nisi quod sacris literis aperte proditum est? cur ergo ait Ioannes multo plura Christum & dixisse & fecisse quæ non sint scriptis tradita. Audite vero, quid Paulus Thessalonicensibus scribens dicat: *State*, inquit, *ac tenete traditiones, quas accepistis siue per sermonem, siue per Epistolam.* item alibi: *sicut tradidi vobis præcepto, tenete.* Duobus annorum millibus homines in naturali lege degentes traditionibus vsi sunt, nullisque scriptis ea, quæ ad Dei cultum spectabant, comprehendebantur: nihil præter traditiones erat; & nouum tibi & peregrinum penitus, ne dicam ineptum, videtur, si, præter sacras scripturas, multorumq; scripta traditiones aliquas seruemus. O hypocritæ! similes plane vos estis Hæretici Pharisæis: hisce traditiones quidem recipere similes non audetis, & tamen enormes & horribiles Pharisæis, blasphemias, quibus similes nullæ vnquam auditæ sunt, admittere & laudare, imo credere non reformidatis; credere scil. Deum omnis mali peccatique causam & auctorem esse Christum in cruce pendentem desperabundum ad patrem clamasse: ac Virginem Deiparam a cæterarum mulierum conditione non differre.

1 *Thess.* 2. 2. *Cor.* 11.

Hæc tuta conscientia, absque vllo remorsu, admittere nō timetis, cum tamen aquam lustralem, signi crucis impressionem, benedictionemq; omnem concedere non audeatis. O Hypocritæ, ô Pharisæi! Deum ore & verbis colere & honorare videmini, cor vestrum procul ab eo remotum est. Hos igitur Christiani euitate, ac velut pestem teterrimam fugite.

Tuque Pater æterne, qui nobis esse contulisti, qui filium tuum vnigenitum ad nostri redemptionem in mundum descendere permisisti, quiq; nobis animam, qua in hoc mundo honoraremus ac seruiremus, elargitus es: concede, obsecro, eam nobis gratiam, vt id sine fuco, sine simulatione, sine fictione vlla præstare possimus: da, vt cogitationes semper sanctæ sint, verba sincera, atque opera nulla contagione aut peccati macula inquinata. Denique vt & cogitationibus, & verbis, & operibus colamus, nec modo externa tibi agendi ratione instar Pharisæorum, sed interna simul honorem exhibeamus: idque tanta humilitate, fide &

sanctitate, vt quod merendi hic nobis materia extitit, idipsum, postquam debitum tibi in terra cultum honorem & obsequium præstiterimus: in supernis domiciliis gloriæ sit, nosque ad tui conspectum in æterna beatitudine perducat. Amen.

## FERIA V. POST DOMIN. III. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De afflictionibus.*
*II. De Petri, Ecclesiæq; cœlibatu.*
*III. De socru Petri febricitante.*
*IV. De febri varia.*

*Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.* Luc. 4.

### FIGVRA.

2. Reg. 6. STATIM vt Arca fœderis à Dauide Rege à Cariathiarim in ciuitatem Ierusalem delata, in domo Obededom Leuitæ collocata fuit, plurimis eum, totamque eius familiam benedictionibus & fœlicitatibus cumulauit: *Et habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum eius.* videtur hoc mihi figura fuisse eiusce rei quam in Euangelio legimus hodierno. Cernas hic enim Arcam testamenti, sacrã, inquam, *Iesu Christi* humanitatem, Arcá Noë, quæ nos omnes à damnationis diluuio tutata est: Arcam illam fœderis & reconciliationis, per quam Patri æterno reconciliati, in gratiam redimus: veram denique Arcam; quæ quamprimum vt domum Petri, non quidem Leuitæ, sed Leuitarum, Sacerdotum & Apostolorum Principis intrauit: eam benedictionibus, fauoribus, gratiis, miraculisque compleuit. Enucleatius rem explicabo, postquam sanctum Pneuma inuocauerimus, ac Nympham illam Deiparam, cum Paranympho Gabriele salutauerimus. Simul igitur in genua prouoluti recitemus:

AVE MARIA.

Consul ille vigilantissimus, ac reipub studiosissimus Quintus Metellus, cui parem Roma vix habuit: cum Carthago à Scipione expugnata ac deuicta diceretur, omnisque ideireo populus gaudio ac lætitia efferretur: in pleno senatu nescire sese dixit, plus boni an detrimenti vrbis illius excidium reipub. Romanæ esset allaturum: quoniã vt pacem restituendo profuisset: ita Annibalem submouendo nonnihil obfuisset. Videoquidem, ait, per infidæ huius vrbis cineres & ruinam, nobis pacem ac rerum tranquillitatem partum iri: verum simul vereor, ne tam exercitato & indomito milite, Annibale scilicet, ac tam acri æmulo liberata, iuuentus nostra torpeat otio, ac deliciis indormiens in somnum resoluatur: eo namque sublato, qui iuuentutem in armis exercebat, bellis, tubarum clangoribus, laboribusque subeundis assuefaciebant ac populi Rom. virtutem excitabat, fore auguror, eorum virtus & fortitudo otio ac voluptatib⁹ reddita torpidior, deferueat & consenescat. 1. Dictum Metel.

Eiusdem omnino opinionis fuit & Appius Claudius, magnæ quoque auctoritatis vir: cum plus emolumenti ac splendoris Senatui populoque Rom. bellis quam pace & rerum tranquillitate diceret accedere: otium namque quam negotium melius ei committi, ac potentia imperia agitatione rerum, ad virtutem capessendam excitari, nimia quiete in desidiam resolui. Idipsum mihi post Romanos hoc dicere liceat: tribulationum scilicet incendia, ac molestiarum turbines magis ad animæ salutem, quam Zephyros prosperitatum, auraſque deliciarum conferre. quod liquido Deus olim ostendit, cum filiorũ Israël hostes numquam radicitus voluit euellere: sed semper eis aliquos rebelles ac seditiosos reliquerit, qui bellum mouerent, eorumque virtutem ac robur semper præliando exercerent: vt in Pentateucho ac Mosi libris sæpius videre est. Appius Claudius vtilior esse dat bellum pace. Gen. 7.

Docet nos idipsum & natura cum mundi machinam eiusq; generationes nonnisi bellis & dissensionibus, quæ inter ipsa elementa perpetuo sunt, videmus subsistere: adeo vt si vel minimo temporis spatio cũ se mutuo in gratiã redirent, omnia quæ hic habemus aut vide- Elementorum dis-

sensio mũ dimachinam conseruat.

videmus pessum irent: ac frigida miscerentur calidis, humentia siccis, vnde nõ nisi ingens confusionis chaos esset emersurũ. Quo reuera edocemur, animam sine tribulationum, quas Deus ei interdum immittit, impetu non posse subsistere: sed nihil illi aut vtilius aut commodius accidere posse. Hinc propheta regius: *Bonum quia humiliasti me*, quod August. vertit: *Quia tribulasti me*.

Psal. 118.

Tribulationum vtilitas.

Psal. 89.

Hoc vero non nisi de seipso dixit Dauid: videamus quid de omnib. in communi Sanctis scripserit: *Letati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala.* Paulus quoque Apostolus vas illud electionis singulari quadam ratione id insinuauit,

2. Cor. 12.

Deoque immensas egit gratias, quod sibi Angelum satanæ dederit, qui perpetuo colaphos ei impingeret, & hac ratione impediret; ne forte propter reuelationes, quas interdum ei Dominus immittebat, factus elatior, ab humilitatis tramite deflecteret: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ Angelus satanæ, qui me colaphizet.* Perinde est ac si dicere voluisset, inquit Ambros. Quoniam ad tertium vsque cœlum sublatus sum, & adusq; paradisi interiora admissus; vbi vidi arcana, quæ non licet homini loqui: ne forte tantæ prosperitatis recordatio me insolẽtem reddat, aut arrogantem: Angelus tribulationis mihi datus est, qui me humiliet, affligat, ac tantum deiiciat, quantum me forsitan sustollere cuperem.

Allegoriæ

Quemadmodum aquæ diluuij post multas tempestates & procellas, tandem arcam Noe in montibus Armeniæ collocarunt: adeo vt quo aquæ magis intumescerent, eo arca nubib. redderetur vicinior: *factum q; est diluuium quadraginta diebus super terram & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra.* Ad eundem modum & aquæ tribulationum, quæ post plurimos toleratos labores & molestias, animas tandem in montibus cœlestibus sistunt: quo enim crebrius & frequentius insurgunt, quo & animæ propius ad cœlestem gloriam accedunt. Quam sublime, illæ Iob verum patientiæ exemplar euexerunt? duplo sane sublimius, quam eius opes & facultates erant.

Gen. 7.

Iob. vlt.

*Omnia reddita sunt illi duplicia.* Exclamem igitur, & vere quidem, sanctas tribulationes, ac vere diuinas afflictiones! vos namq; peccatorum nostrorum virgæ & flagra estis, vos examina patientiæ, pietatis fomenta, vos vera prædestinationis indicia. Vos denique estis, per quas merita nostra excrescunt, & nimium quantum augentur.

Præclarus cõceptus. Mar. 13.

Scribitur in Euangelio: *simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tribus.* quod cum attentius mecum ipse voluo, tribulationes verum hoc fermentum esse comperio, quæ natura quidem acerbæ sunt, tres tamen massas faciunt fermentescere & augeri: castigant nimirum peccata, examinant patientiam, ac meritis augmentum tribuunt. an non hæc tria farinæ sata esse videntur?

Datur reactio in patiente.

Docent Philosophi quandam in rebus, quæ ab alio quid patiuntur, reactionem inueniri: adeo vt quantum agens natura eas destruere & perdere moliatur, tantum illæ vicissim ac reciproce è contra agant ad naturam suam conseruandam.

Hoc apertissime in anima locum habet: nam pro mensura qua tribulationes & afflictiones perfert, patientiam & meritum pro reactione opposita habet: ita vt patiendo promereatur, & promerendo simul patiatur. O vere egregiam reactionem!

Plus Patiendo quã agendo promeremur.

Consolamini igitur qui molestiis variis obruimini, & afflictionibus vndique expositi viuitis: consolamini inquam qui tribulamini, & iniurias æquo animo toleratis: & hoc animis vestris penitus infixum hæreat, plus vobis patiendo, quam bene agẽdo meritorum accedere. Insolens hoc & nouum cuiquam videatur, quod tamen ita esse habere certo certius est. Ipsæ namque Domini Iesu Christi actiones, opera admirabilia quidem fuere, at si cum passione eius suppliciisque & cruciatibus quos pertulit, eadem cõparemus, longis hæc interuallis operum merita antecedent. Admiramini eius ieiunia, labores, miracula, Euangelizandi ardorem obstupescite, per me quidem liceat: at si passionem eius cõtemplemini, nihil in ea quod non summam admirationem mereatur, reperietis.

Suffra-

Suffragatur mihi hic Paulus Apostol. qui non tam actiones quam passiones, nec iniuria, ponderat: *Non sunt*, inquit, *condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam*. Non dicit, *actiones* sed *passiones* quod has maioris esse momenti existimaret. Ne igitur nouum vobis, ô animæ, videatur, si Deus interdum dilectis, sibiq; carissimis grauissimas ærumnas, diuturnos morbos, ac tribulationes assiduas: persecutionem Iobo, cæcitatem Tobiæ, tempestatem Apostolis, mortem Lazaro, & in hodierno Euangelio febrim Petri socrui immittat. De eo lectio Euangelii hodierna die agit: *Surgens Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis: socrus autem Petri tenebatur magnis febribus, &c.* De ægra hac ac febriente fœmina nõnihil loqui mihi hodie est animus, ac deinde morbum eius ac febres examinabimus.

Non est mirãdum si Deus dilectis suis tribulationes immittat.

Solus Petrus inter Apostolos matrimonio iũctus fuit.

Principio igitur, cum de fœmina hac loqui incipimus, aduertere licet, Petrum matrimoniũ aliquando iniisse. Docuit hoc ante magnus ille Afer Tertullianus cum ait: *Petrum solum inuenio maritum propter socrum.* Tu vero hostis Ecclesiæ, castitatis, eiusque ministrorum oppugnator, hic pedem noli figere, procedendum est vlterius: nullum hoc namq; cœlibatui sacerdotali præiudicium affert. Petrus matrimonio iunctus fuit, fateor. fatetur & mecum ipsum Euangelium, sed antequam in Apostolum cooptaretur: at quando ad tam sublimem honoris apicem subuectus fuit diuortium cum vxore fecit, ac mutuo consensu copula illa coniugalis dissoluta est. Id namque ipse me cogit credere, qui aperte in Euangelio confessus est. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te* Cum ais, *omnia*, Petre, sine vlla exceptione, etiam coniugem tuam comprehendis, nisi enim hanc simul comprehendas, inani te ratione efferas, ac non sine aliqua mendacij admixtione.

*Tertul. lib. de Monogamia.*

*Matt. 8.*

Permisit quidem fateor, olim Ecclesia, propter exiguum fidelium numerum, vt etiam coniugati sacris Ordinibus initiarentur: non vero vt post ordines iam susceptos aliquis coniugium iniret: nec vt Sacerdotes, olim coniugati, sacris Ordinibus iam susceptis, cum vxoribus suis commorarentur. O igitur sacrosanctum cœlibatum, ô vere angelicam continentiam.

Ipsi quoque Græci; licet schismatici, tanto honore Sacerdotium prosequuntur, vt prius coniugium ineant, quam sacros Ordines suscipiant: quibus susceptis, si eorum coniuges hinc morte discedere contingat, matrimonium iterare nefas ducunt, sed perpetuam deinde continentiam seruare tenẽtur. Sexcentas è sacris litteris figuras, quibus cœlibatum designatum putem, queam producere. Sed hæ paucæ quas afferam, sufficiant.

Apud Græcos Sacerdotes prius matrimonium contrahunt, ordines suscipiant.

Primus in lege naturæ Sacerdos Abel, nunquam matrimonium legitur contraxisse: alius quoque Sacerdos, non minus celebris Melchisedech, semper virgo & cælebs vixit: Christus Dominus, Princeps Sacerdotum, etiam Princeps virginum & cœlibum esse, & è Matre virgine nasci voluit, quin & vndecim Apostolos omnes virgines sibi segregauit. S. etiam Paulus numquam matrimonio voluit copulari, quod ipse de se aperte confitetur: *Volo autem omnes esse sicut meipsum, dico autem innuptis & viduis, bonum est illis si sic permanserint, sicut & ego.*

*Gen. 4.*
*Gen. 14.*

Sacerdotes quoque in lege veteri, teste D. Hieronymo: qui non nisi boues & oues Deo in sacrificium mactandas tractabant, adeo munditiam & puritatem colebant, vt si quando sacrificium Deo offerendum esset, non modo domi suæ non manerent, sed ab vxoribus ad tempus remoti, multis ante diebus rigida corpus suum emacerarent inedia, vinum & siceram non gustantes. Quænam igitur Sacerdotum Euangelicorum, ac nouæ legis puritas esse debet, qui iam non animalia & bestias, sed Filium Dei vnigenitum, ac Virginis primogenitum manibus immolant: qui Iesu pretiosum Christi corpus quotidie contrectant, offerunt, & Anne illis de mulieribus loquendum est? nemo igitur alienum à ratione esse iudicet, si cœlibatum seruent, si coniugio abstineant. Quemadmodum enim vas, in quo manna custodiebatur, aureum fuit: ita & anima Sacerdotalis, quæ aptissimum vas est, in quo cœleste illud manna, corpus, inquam, Iesu Christi, custodiatur & excipiatur,

*1. Cor. 1.*
*Hier. contra Iouinia.*
*Figura. Hebr. 9.*

piatur, puritate, castitate & continentia, instar auri, debet enitere.

Lege apud Romanos cautum erat ne fœminæ castra sequerentur.

Cautum erat apud veteres illos Romanos, disciplinæ militaris obseruantissimos, ne quæ fœminæ, ne vxores quidem, castra sequerētur. Atq; hinc forsitan accidit, quod duo summi Imperatores, Darius & Antonius, qui fœminas ad bellum secū proficisci permiserunt; castris exuti sint, ac cum toto exercitu profligati, hic ab Augusto; ille ab Alexandro Macedone Refert quoque Valerius Maximus Scipionem Africanum in obsidio Numantiæ bis mille meretrices castris Romanorum expulisse: vnde Isidorus ait castra, quasi casta, à castrando nomen accepisse.

*Cant. 6.* Et quis ignorat, Ecclesiam etiam aciem & dici, & esse? de qua dicitur, *Terribilis vt castrorū acies ordinata:* cuius duces ipsi sunt Sacerdotes. Quod igitur olim Romani in militia sua & castris vetabant, id lex Euangelica in acie Iesu Christi, militibus, ac præsertim Sacerdotib. ipsis ducibus, prohibet. Accedere huc mihi visus est, ac respexisse D. *1. Tim. 2.* Paulus, cum ait: *Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus:* nemo Ecclesiasticus qui sub vexillo Iesu Christi meretur, mundi negotia assumat, ante omnia autem connubio abstineat.

Apophthegma. Rogabat olim Ciceronem Hircius, vt repudiata Terentia sororem suam educeret: cui ille: Qui possem, Hirci, simul & rei vxoriæ & Philosophicæ operam dare? Longe equidem maiori cum ratione idipsum modernis hæreticis respondebo, contendentibus semper vt Sacerdotes nostri vxores ducant, ac filios procreent: fieri nequaquam posse, vt & vxorum suarū & Ecclesiæ Christi curam gerant.

Cum milites olim nomina militiæ darēt, ac Sacramento sese obstringerent militari, proposita sibi disciplina castrensi, ac simul legibus, quibus fœminas secum ad militiam ducere vetabantur: lætabundi & gaudentes patria exeuntes dicebant:

*Castra peto, valeat q; Venus valeant q; puellæ.*

*Idipsum* vos, ô Sacerdotes, vos Ecclesiastici, dicere par est. Cum ergo iā sacræ huic militiæ, Ordinibus scilicet sacris, nomina dedistis, fœminis valedicite, matrimonia reiicite, & ad vnicam continentiam castitatemq; aspirate. Hæc igitur de Sacerdotum cœlibatu dicta sufficiant; quorum mentionem Petri nos matrimonium facere coegit.

III. Per socrū Petri humana natura intelligitur.

Redeamus iam ad propositum, ac videamus, ecquæ sit illa Petri socrus quænam illa febricitans fœmina. Per illam itaque, Auditores, miseram naturam humanam, quæ Ecclesiæ quodammodo mater est, optime designari credo. Cum enim Ecclesia è fidelibus constet, qui ab humana hac natura originē ducunt, ac S. Apostolus Petrus Ecclesiam sibi veluti sponsam despōderit, quæ eius quodammodo filia est; facile inde colligi potest, naturam humanam per Petri socrum designari. Laborabat, proh dolor, misera illa socrus, iam à longo tempore multis cruciata febribus, lentis, violentis, cōtagiosis, ac deniq; letalibus. Dæmoni illa parebat, eique subdita erat, æternæ damnationi mancipata, filia iræ, mācipium peccati, vndiq; extremis ærumnis cōflicta. Hem quænam febres! Quam vehemens naturæ humanæ febris tempore diluuii. *Gen. 7.* Tam violentos ac vehemētes interea febriū paroxismos habuit, vt sæpenumero parum abfuerit, quin exspiraret. Deum immortalem! quam ægra & affecta decumbit; quam vehementer laborat; quantum sudat, enitur, quam male habet ipso diluuij tempore? quosnam & quot tunc illa dies criticos habuit? quadraginta siquidem dierum spatio, noctu & interdiu, singulis momentis, ac sine vlla cessatione, tum luctatur. *Matt. 27.*

Magnus profecto ac vehemens, fateor, fuit ille tuus paroxismus, Domine Iesu, quē in horto Oliuarum passus es: cum scilicet peccatorum nostrorum grauitate ac cruciatibus, qui tibi in ipsa passionis serie pro ijs eluendis subeundi erant, ante oculos constitutis, tanto intrinsecus affectu, & dolore commotus es; vt sanguinem simul & aquam exsudares: verum id horæ vnius ad summū duarum spatio peractum est. At misera illa febricitans natura, quadraginta ipsis diebus ac noctibus continuo sine vlla respiratione, acerbissimo febris accessu diuexata est: *Factumque est diluuium, quadraginta diebus super terram, & multiplicata sunt aquæ.* Hem quænam crisis?

Dolores & cruciatus vehementes quos natura humana pertulit.

Vix sudores hi, & luctæ præter modum graues præterierant, quin ecce noui eam rursus dolores in Ægypto sub Pharaone, quadringentorum annorum spatio diuexant. Extremi iterum cruciatus in captiuitate Babylonica sexaginta ipsis accesserunt annis; quibus misella ita afficiebatur, vt perpetuo fletu miseram suam sortem deploraret: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus.* Calore quoque continuo exæstuat. quos enim ignes, quosnã ardores in conflagratione illa Gomorrhæa, quænam incendia tempore Eliæ cum cælitus ignis descenderet, sustinuit? Hem quamnã sitim? quãnam alterationem! cum trium annorum & medij spatio pluuia cælo non cecidit! quã grauiter quoque in deserto laborauit? nisi enim è petra aquã Moses elicuisset, tota proculdubio interiisset; audi eius querelas: *Da nobis aquam vt bibamus, cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos & liberos nostros, ac iumenta siti?*

Psal. 136. Gen. 19. 4. Reg. 1. 3. Reg. 17.

Luc. 2.

Misertus es aliquando miseræ illius Hæmorrhoissæ, quæ iam duodecim annis fluxum sanguinis passa, omnem suam substantiam, & quidem frustra, in medicos erogauerat. Sed quanto magis deploranda, infelicis huius socrus fortuna, quæ quinque millium annorum spatio peccati originalis febri semper laborauerat, febri, inquam, adeo pestilenti, vt ad totum omnino mundum eius tabes & contagio permanarit: febri quæ sexcentos sudores, sexcentos dolores, sexcenta paroxismorum genera excitarat: exilium scilicet, mentis cæcitatem, voluntatis deprauationem, concupiscentiæ infirmitatem, sexcentas ærumnas, mortem, damnationem, ac millies denique millena morborum genera. Quam vere de hac ægra natura dici poterat illud Prophetæ? *A planta pedis vsque ad verticem non est in ea sanitas*: iam inde siquidem ab Adam vsque ad vltimum posteritatis surculum omnia contagione, & morbo deprauata sunt, vnde non immerito vates ille & rex Dauid originalem hanc infirmitatem deplorat. *Et in peccatis concepit me mater mea.*

Isai. 8. Psal. 50.

Omnes modos

Consumpserat misella hæc omnem suam substantiam, sanitatis recuperandæ ergò, omnes artes adhibuerat, omnemque mouerat lapidem, vt morbo hoc posset liberari. Tot experta fuerat balnea, tot ablutiones modo natans in mari Rubro, modo Iordani sese immergendo, modo tot se victimarum, sacrificiorum & holocaustorum sanguine lauando: sed omnia frustra. At cum nec hac ratione sanitati locus esset, diæta opus esse videbatur; quam rigidam admodum sustinuit, septem scilicet annorum famem in Ægypto: aliam magis temperatam in deserto, quam sibi ipsi Moses indixit, quadraginta scilicet dierum; aliam item totidem dierum, quam Elias vltro assumpsit; & hæc quidem frustra. Adhibentur cauteria, ferramenta, aliaque diuersi generis remedia, quæ Chirurgia suggerebat. Venit deinde spiritus exterminans, magnus quidam artifex, & peritus, in vanum omnia. O pertinacem morbum! Mutat æger cœlum, egreditur Ægypto, quadraginta annis in deserto Sinai commoratur, suauissimo reficitur cibo ac iucundissimo, manna cœlesti, omnem ambrosiam superante: hinc in terram promissionis descendit. Non ideo tamen reliquit eum febris, sed pertinaciter ei adhærescit.

quib. sanitati restitueretur, natura scrutatur. Exod. 24. Ioan. 3. Gen. 41. Gen. 17. Ios. 5. Exod. 16. Exod. 15. Exod. 16.

Quid iam tibi faciendum restat, ô misera; ô afflicta? Inquire adhuc remedia, consule omnes peritos, ac vide, quid de hac tua ægritudine iudicaturi sint. Quot non illa medicos consuluerat, Deus bone? Consuluerat nimirum Patriarchas, Prophetas, Reges, atque omnes omnino mortales, imo vero & Angelos. Hinc in persona afflicti Iob clamabat: *Miseremini mei saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* amicos hic vocat Angelos, atque ita Patres omnes vnanimiter exponunt. Erat, erat ipsa, quæ iam in extremis constituta, ac morti proxima, per Dauidis os loquebatur: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam.* adiuua me, & ab hoc me morbo libera; nihilominus tamen oleum & operam perdidit; ac persanari non potuit, donec ipsa Dei verbum produxit, quod hodie generi domum accedens, omnem penitus ab ea morbum abstulit.

Natura humana varios de morbo suo consuluit. Iob. 19. Psal. 84.

Designauit hoc nobis in Apocalypsi sua Ioan-

Ioannes, cum nobis fœminam duodecim stellis coronatam, & in partus doloribus cõstitutam describit: *Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & in vtero habens & clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.* Exprimitur hoc emblemate, Auditores, misera natura humana, quæ ex duodecim Patriarchis, duodecim Tribubus, aut duodecim, si malueritis, Apostolis grauida, cum Messiam hunc eniti & parere vellet, clamabat, gemebat, & continuis cœlum precibus fatigabat. Sed sumite iam animos, ægri, amplius nolite ingemiscere, consolamini in ægritudine vestra: ecce exoptatus aduenit medicus, summus ille artifex ac peritissimus chirurgus descendit, qui omnem languorem quamprimum depellet. Vnde August. *Tunc magnus de cœlo medicus venit, quando magnus in terris iacebat ægrotus.*

Apoc. 12.

Quid sit domus Petri.

Quamprimum igitur vt verbum Dei in hunc mundum venit, & è virgine natum est, ac Petri domum intrauit; misera illa socrus, misera, inquam, hominum natura, persanata fuit. Sed quænam est, obsecro, felix illa domus, domus illa fortunata, quæ Dei filium hospitio meruit suscipere? Anne forsitan erit gloriosa virgo & mater Maria, in qua & apud quam nouem mensibus Dominus diuertit? quæ domus illa regia est, domus illa sancta. Vadimonium hic mihi præstat Dauid Propheta dicens: *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.* An vero nostra humanitas est, de qua dictum est: *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*; nostra scilicet humanitate. Et triginta tribus quidem annis Verbum Patris, hoc in mundo nobiscum cõuersatum est, in altero semper, & in perpetuum nobiscum commoraturum: quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit.

Psal. 92.

Ioan. 1.

Domus egregia est mundus.

Quid etiam vetat, quo minus domum hanc mundum esse dicamus? Næ mundus domus est, & quidem amplissima. Montes namque eius, muri sunt; maria, aquæ ambientes; cœli, ipsi fornices, poli, bases ac fulcra; terra, pauimentum, quatuor elementa, atria inferiora; nouem sphæræ cœlestes, nouem diuersa habitacula in superioribus constituta. Sol & Luna hic sunt velut fenestrarum commissuræ; stellæ loco fenestrarum; Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies, quatuor late patentium portarum. An non igitur mundus domus est? an non in ea Dominus commoratus est, an nõ in eadem & mortuus, in eadem etiam sepultus? bene quidem hæc. An non sunt hæc omnis domus illa, in quam hodie Redemptor noster diuertit? Ecclesia igitur est domus, quam fundauit, & incoluit; quamque ipse domus aliquando nomine insigniuit: *Domus mea domus orationis vocabitur.* In hac domo facta sunt miracula, in hac, piscina & Iordanis sunt, in quibus paralytici curantur: in sola hac Sacramenta reperire est: deniq; in hac eadem domo, Petri socrus, depulsis febribus, sanitati restituta est.

Matth. 28.

IV. Quotuplices febres sint secũdum medicos.

Secundum hoc est concionis hodiernæ membrum: *Tenebatur magnis febribus.* Quid febres has aliud denotare putatis, Auditores, nisi peccata? quot enim peccatis anima grauata est, tot sese febribus putet distineri. Diuersa febrium genera medici constituunt: febres scilicet quotidianas, tertianas, quartanas, continuas, hecticas, quin & febres pestilentes. Febris quotidiana, gula est qua laborauit diues epulo; qua & deinde mortuus est. Vehementer hæc febris primũ parentem Adamum, quamprimum vt creatus, in paradiso à Deo fuit constitutus, inuasit: in quam non alia de causa incidit, quam quod crudum nimis ac nondum maturum pomum comedisset. Quin & pilosus Esau grauiter eadem laborauit, cum propter vile pulmentum & lentis edulium primogenita sua diuendidit. Hac febri interiit Sodoma, periit Gomorrha, ac circumiacentes ciuitates hac eadem extinctæ sunt. Vnde Ezechiel vates: *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & otium eius & filiarum eius.* Cæterùm sicuti quotidiana illa febris facile in aliam mutatur; ita quoque gula facillime in libidinem & Venerem conuertitur; ac facilis ab vna in alteram transitus est. Loth vino obrutus statim incestum passus est. Turpitudinem suam Noë, quam sexcentis annis semper texerat, ebrius ac temulentus detexit. Quin & quod longe grauius,

Quotidiana febris gula est.

Luc. 16.

Gen. 3.

Gen. 25.

Gen. 19.

Ezech 16.

Gen. 20.

Gen. 3.

sæpenumero è gula in idololatriam deuoluimur: testes mihi sunt filii Israël, de quibus scribitur: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorũ.* *Psal.72.* Quam grauiter igitur vos Hæretici, qui sacro Quadragesimæ tempore sine vllo respectu carnibus vescimini, & vos helluones & lurcones, qui indicta ab Ecclesia ieiuniorum tempora non seruatis, hac febri discruciamini?

Tertiana febris inconstãtes denotat.

Tertiana febris, quæ non continuo vrit, sed alternis diebus redire consueuit, inconstantes repræsentat: qui hodie quidem bona facere proponunt, & cras propositi obliti, ad priorem viuendi rationem reuertuntur. Hi sunt *arundines vento agitatæ.* *Matth.11,* Huiusmodi febri laborauit Pharao, item Achab; ille populum Israël à seruitute liberare cupiens, ac nunquam dimittens; hic vero hodie sese coram Domino deiiciens, & crastino die ad priora scelera & iniquitates reuertens. *Exod.9.*

Quartana febri Luxuria venerea designatur.

Quid vero quartana vobis significare videtur? aliud sane nihil, quam luxuriam, & voluptatem carnis: prima namque dies eius, ipsa est cogitatio & suggestio; secunda, delectatio; tertia, consensus; ac quarta, ipsa operis praui executio. Quam multi, proh dolor, hac febri laborarunt? Non dico hic Magdalenam, taceo Samaritanam, prætereo mulierem illam in adulterio deprehensam. Eadem & Dauidem inuasit; ac multo violentius Herodem Herodiadis amasium; septem Saræ mariti eadem subito extincti sunt: duo senes illi adulteri Susannam constuprare molientes, misere eadem perierunt. Febris hæc quartana omnium grauissima est; quippe quæ diutiusculè durare soleat, & ægerrime recedat, teste Galeno lib.2. de diffic.feb. cap.50. *2.Reg.11.* *Marc.2.* *Tob.3.* *Dan.13.*

Continua febris auaritiam repræsentat.

Quid porro de continua febri dicemus, aut cuinam peccato eam assimilabimus? auaritiæ potissimum illa videtur conferenda. Nam cum aliæ febres per temporum interualla hominem inuadere soleant, hæc, vt assiduus & indiuisus comes, semper ei adhæresci: non enim adulter aut luxuriosus semper adulterium, vel actum Veneris reipsa committit, nec lurcones semper manum, semper licet animum, in patinis habent; at auaritia continua febris est, nulla non diei hora, noctu & interdiu, & vbique locorum, ac nullo non temporis momento, animas cruciat. Diues ille, de quo in Euangelio, semper in anxietate versabatur; semper solicitus & anxius erat, dicens: *Quid faciam? destruam horrea mea:* cuius solicitudo & febris cum non quiesceret, audiuit tandem: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam à te, & hæc quæ parasti, cuius erunt?* Hac eadem febri ita Iudas exæstuauit, vt præ molestia dormire non posset: an non vidimus eum intempesta nocte cum cohortibus & militibus hortum intrantem, triginta denarios vt lucrifaceret? Sane totus, mihi credite, orbis hac febri infectus est. *Luc.12.* *ibid.*

Lenta febris acediam significat. *Matth.24.*

Per lentam febrim ipsi iam scitis desidiam & socordiam designari. Hac febri tenebantur illi, quibus vineæ Dominus in Euangelio ait: *Quid hic statis tota die otiosi?* Eadem etiam laborarunt filiæ Sodomæ & Gomorrhæ: quæ & interdum adeo in miseros mortales sæuiit, vt vrbes integras ac regna florentissima extinxerit; vnde Poëta:

*Otium reges, prius & beatas*
*Perdidit vrbes.*

Sunt vero & alia febrium genera, pestilentes scilicet & contagiosæ: ipsæ nimirum hæreses, quæ tam difficile curantur, vt multa animarum millia ab eadem potius fuerint extincta. O pernicioſas & damnosas febres! Vos vero miseri, qui ab iisdem torquemini, ad domum Petri diuertite, ad Ecclesiam properate; in ea namque verus medicus reperitur, in ea omnia febrium genera sanantur: Quamobrem eo vos conferte, si sanitati restitui vultis.

Tuque ô cœlestis medice, qui tot febricitantes sanasti, tot morborum genera curasti: tu, inquam, qui leprosos mundasti, claudos ambulare fecisti, energumenos à spiritibus immundis liberasti, paralyticos consolidasti, mortuos ad vitam reuocasti: tu qui hodierna die ad domum Simonis diuertens eius socrũ grauiter febricitantem nouo sane miraculo sanitati pristinæ restituisti: tu qui summus medicus es, ac medicorũ summus, nobis quoq; eadem infirmitate laborantibus propitius succurre. Exæstuat quippe anima innumeris febribus, ac misere affligitur:

modo

modo gula, modo luxuria, & vt plurimum auaritia & socordia: tu vero omnes hasce, si modo velis potes auferre, & violentiam earum infringere, ac molestias tollere. Et, quemadmodum pia hæc tibi mulier sanitate recuperata, lecto surgens, sedulo ministrauit, ita quoque, benignissime medice, eandem à te adepti gratiam, vitiorum lecto, à febribus his liberati, surgētes, omnem tibi vitam impendemus quo dignum hic nomini tuo obsequium & cultum, in cœlis vero laudem & gloriam exhibere possimus. AMEN.

## FERIA VI. POST DOMIN. III. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De gratia præueniente.*
*II. De Iesu fatigato.*
*III. De petente Iesu bibere.*
*IV. De causatione Samaritana.*

*Venit Iesus in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar.* Ioan. 4.

### FIGVRA.

Gen. 29. CVm olim Rachel pecora adaquatura ad puteum venisset, forte fortuna, nihilque minus cogitans, Iacob ibidem obuium habuit; qui cum se consobrinum eius esse diceret, ei osculum dedit; simulque futuri matrimonij fundamentum posuit. Cum oculos in Euangelium hodiernum conicio; similem plane illic historiam reperio. Video namque in eo Samaritanam fœminam, quæ aquam hausturа, circa puteum, verum Iacob Iesum Christum, nec opinata offendit: qui cum se Messiam esse demonstraret, multis vltro citroq; sermonibus habitis, ad spirituale cum ea matrimonium ineundum, eamque à peccatorum sordibus expurgandam, viam præparat. Res ipsa & materia iucunda est, ac benigna: quam vt pro dignitate deducere possimus, cœlestem opem, B. Virginis intercessione implorabimus, dicentes:

AVE MARIA.

I. Gratia præueniens.

Non iniuria mihi Theologi, Auditores ornatissimi, cum de peccatorum iustificatione, deque gratiis cœlestibus, quæ eam progignunt, disputant, de gratia quadam præueniente, vti nuncupant, mentionem facere videntur. Quam hoc potissimum nomine appellare consueuêre, quod opera nostra eadem præcedere; ac quodammodo præcurrere videatur: illa namque nos nihil minus cogitantes excitat & incitat, in vitiis nostris sepultos, ac veluti lethargo oppressos expergefacit; atque omnia denique merita præuenire consueuit.

Sexcentis illam locis in sacris litteris expressam habemus; at euidentissime in mirabili illa Pauli Apostoli conuersione, de qua legimus: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad Principes Sacerdotum, &c.* & mox mutato stylo, *subito circumfulsit eum lux de cœlo.* Quid porro lux isthæc aliud, quam gratiam præuenientem designabat, quæ nos per vitiorum abrupta abreptos circumfulget, densam oculis caliginem inducit, & cæcutientes in terram prosternit? Illa scilicet lux est, quam olim vates Regius à Deo postulabat: *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum.* Act. 9. Psal. 43.

Figuræ quibus gratia præueniens designatur.

Tres illi Orientales Magi, cum inde ab extremis auroræ partibus Messiam natum adoraturi, in Iudæam descenderent, stellam ducē itineris habuêre, *Stella antecedebat eos.* Lucidum illud iubar, ac micans sidus, aliud nihil quam gratiam præuenientem denotabat: quæ instar astri lucidissimi opera nostra semper antecedit, nosque ad Deum in Ecclesia adorandum conducit. Matth. 2.

Tres piæ matronæ, post Domini passionem, Hierosolymis cum aromatibus, vt vngerent sepultum, egressæ sunt: sed notat Euangelista, *id orto iam sole* cōtigisse. Per egressionem & profectionem piarum illarum fœminarum, peccatorum iustificatio exprimitur; qui post passionem, post peccatum nempe iam commissum, vbi Christus, vt Apostolus ait, iterum crucifixus est, Ierosolymis, id est, peccatis, aromatibus doloris, tristitiæ, contritionis, ac de peccatis Marc. 16.

pœnitentiæ onustis, egrediuntur, & Christum cum his Mariis quærunt & inuestigãt: verum id orto iam sole gratiæ prævenientis, sine qua è peccatorum suorum vallo & muris egredi vix possent. Credite Psalmistæ dicenti: *Vanum est vobis ante lucem surgere; surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Ac si diceret, frustra conantur homines è Cymmeriis peccati tenebris emergere, si nondum lucidus ille gratiæ sol surrexerit, ac radios emiserit. Reuocate quæso in memoriam, quomodo Angeli Sodomam venerint, ac mecum perpendite monita, quæ Lotho eiusq; generis dederẽt: *Surgite & egredimini de loco isto, quia delebit Dominus ciuitatem hanc.* Quid Angelos illos significare arbitramini, nisi diuinas inspirationes, & gratias prævenientes, quæ Deus peccatoribus elargiri solet, vt eos è peccato, quod per Sodomam denotatur, educat; indesinenter cõscientiæ auribus inclamans; *surgite*, scilicet è peccatis, *& egredimini de loco isto*, loco adeo periculoso, & ad montem pœnitentiæ, in quo saluemini, confugite.

Psal. 126.

Gen. 19.

Statim vt Dauid duo illa horrenda peccata commisit, adulterium nimirum & homicidium, accessit eum Nathan Propheta, eiq; peccati grauitatem aperit, lacrymas doloris excutit, & ad pœnitentiam agendam inuitat. O Nathan, præterquam quod Prophetam te esse agnoscam, simul gratiam prævenientem denotas, quę statim vt deliquimus, nos accedit, nobisque oculos aperit, vt peccati fœditate perspecta, eiusque animis odio indito, ad pœnitentiam faciendam prouocemur. Desuntne igitur figuræ, quibus quid gratia præveniens sit, & quomodo semper opera ac merita præveniat, & antecedat explicemus.

2. Reg. 12.

At nihil est meo quidem iudicio, quod magis illam ob oculos ponat, quam Euangelij hodierni historia, in qua non ipsam gratiam, sed omnis gratiæ auctorem; non aliquam stellam, sed solem ipsum; non aliquem Angelorum, sed ipsum reuera Deum; non Prophetam, sed Christum, Regem ac Prophetarum omniũ Regem; fœminam, fœminam inquam peccatricem, & Samaritanam videmus prævenire, conuertere; eamque inducere, vt hydria peccatorum relicta, in Sichem ciuitatem velut in locum pœnitentiæ se recipiat, ibiq; laudes eius deprædicet. Historiam autem aggrediamur; *Iesus autem fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem.*

II.

Scribit ecce Ioannes Euãgelista, Redemptorem Samaritanam hanc, quæ non vsque adeo probatæ vitæ erat, sed adulterio inquinata quæque iam quinque maritis iuncta fuerat, ac modo in alterius lenocinio viuebat, conuertere volentem, Sichem Samariæ metropolim, ac regni Israëlitici olim sedem, accessisse, adque puteum venientem, qui haud procul à ciuitate aberat, ex itinere defatigatum, super eum sedisse. Quid audio, Catholici, videte Seruatorem nostrum hic defatigatum, videte iuxta puteum prostratum, & sub graui peccatorum vestrorum onere fatiscentem.

Sichem Samariæ metropolis.

Christus ex peccatorũ onere defatigatus fuit.

Videte, obsecro, vastum illum Atlantem, humeris suis totam mundi machinam sustinentem, & hodie sub scelerum vestrorum pondere succumbentem. Prævideratid olim Dauid vates, eum de sese vaticinans, ac sortem suam deplorans, ait: *sicut onus graue grauata sunt super me.* Hem, ait in Propheta Deus, quam graues sunt iniquitates tuæ, peccator, quam ponderosa sunt peccata, iam defatigatus sum, eadem, à primo natiuitatis die, vsque in Samariam, sustinendo & portando: si vlterius me procedere necesse sit, certissimum est sub onere me exspiraturum, idque in monte Caluariæ.

Psal. 39.

Videte magnum Patriarcham Iacob, iuxta puteum reclinatum, magnam scalam crucis admirantem, quippe quæ vna parte cœlum Angelis gloriam communicando; altera vero terram, homines iustificando tangebat.

Gen. 28.

Videte hic miserum Ismaelem, Ægyptia ancilla, natura scilicet humana prognatum in desertis Samariæ siti morientem: *fatigatus*, inquit Augustinus, *erat, vt verum esse hominem, ac humanis subditum miseriis demonstraret.* sed, *fatigatus ex itinere.* contraxit hanc defatigationem ex longo & duro itinere, quod nostri quærendi ergo suscepit. Videte hic magnum illum viatorem, qui olim summo cœlo egrediens, *exultauit*

Gen. 21.

Psal. 18.

*tauit vt gigas ad currendam viam*, iam prostratum ac lassum, ne pedem quidem mouere valentem.

Videte hic bonum illum pastorem, qui nonaginta nouem ouibus in cœlo relictis, vt centesimam in mũdi huius deserto quæreret, tantum itineris confecit, & tamdiu per deuia, & auia, locaque confragosa quærendo errauit, vt ad puteum iuxta Samaritanam sederit defatigatus.

Itinera Christi & viæ eius.

Audistin' vnquam, ô anima, Redemptoris tui itinera & expeditiones? nunquam tecum ipsa labores eius & molestias, quas vt te quæreret, & ad ouile, id est, in cœlestia habitacula perduceret, subiuit? Arrige aures, *& summo cœlo egressio eius*: è cœlo descendit in terram, inde in virginis vterum ex vtero in præsepe: cumq; te illic non reperiret, descẽdit in Ægyptum, in qua te septem ipsis annis quæsiuit: rediit deinde in Iudæam, ac mox in Palæstinæ sese solitudinem contulit, in qua te quadraginta diebus quæsiuit. Hinc egressum eum hodie in Samaria videas iuxta puteum ex itinere defatigatum sedentẽ, reclinatum, ac præ labore pedem mouere non valentem.

Psal. 18.

Quænam igitur, Domine, mea erga te obligatio est: at maior sane eadem erit, si vlterius adhuc & longius procedere disponas, vt me errantem ouiculam inueniat: quoniam alia tibi & grauior facienda restat via. Quid? tene, tam cito, Domine Iesu, defatigari, cum vix medium itineris confectum sit? Dixere olim Eliæ Prophetæ ex itinere defatigato, ac sub vmbra iuniperi reclinato, Angeli: *Surge, comede, ambula, longa tibi restat via*: Cur non idipsum, O Angeli, hodie Christo Redemptori meo dicitis? videtis namque eum iuxta puteum sedentem: dicite ergo confidenter (Dominus enim vester est) *Surge Domine, bibe & ambula, longa tibi restat via*: ad montem oliueti adhuc tibi procedendum est, in quo adeo defatigaberis vt sanguinem simul & aquam nouo quodam sudandi modo è corpore tuo profusurus sis. Hinc per omnia Ierosolymorum compita, per omnia Principum ac Pontificum palatia discurres; è quo discursu & itinere adeo exhaurieris, & eneruaberis, vt crucis ferendæ vix vires tibi futuræ sint: neue hic labores tui exitum habebunt, ad montem vsque Caluariæ, & ad vsque crucem properandum est, in quo ita clumbatus eris & exhaustus, vt præ lassitudine sis exspiraturus: quin & vltra crucem procedere necessum erit, & etiam post mortem ad sepulchrum scilicet, ad limbum, ad purgatorium, ad ipsos vsque inferos. O labores inauditos, ô itinera insuperabilia! *sedebat fatigatus ex itinere*. humi prostratus iuxta puteum iacebat, omni humano solatio destitutus. Fierine potest, ô cœlum, ô terra, Creatorem ab omnib. creaturis suis ita derelinqui?

3 Reg. 19.

Christus ab omnib. derelictus est.

Abigail Dauidi in deserto commoranti cum commeatu rebusque ad vitam necessariis, occurrit, eiusque quidquid haberet, vltro obtulit. Angeli Eliæ miserti, ad eum accessere, eumq; consolati panem & aquam ad corporis sustentationẽ obtulerunt: Abacuc propheta Daniel in lacũ leonum in Babylone cõiecto cibo dato succurrit. Et Christus vnigenitus Dei filius, & Prophetarum omnium Deus à cunctis derelictus est, omni humano solatio destitutus, ærumnis & doloribus saturatus. Herodes illum adhuc inter arcta conditum præsepia vagientem è medio eripere machinatus est, diabolus in deserto eum tentaturus est aggressus: & ecce Samaritana eum hodie coarguere etiam satagit; *Et ecce mulier Samaritana*.

1. Reg. 25.

3. Reg. 19. Dan. 4.

Matth. 2. Matt. 4.

Christo igitur ex itinere defatigato ad puteum sic sedente, ecce mulier Samaritana, vrbe ad hauriendam aquam egressa, ad eum conuertitur. O rem admirabilem! Sampson cum in terram Philistiim, amore puellæ captus, descenderet; leonem in via inuentum suffocauit, ex cuius mandibula, quod vere mirabile, fauus mellis prodiit. Eodem prorsus modo hic videmus contingere; Christus enim in Samariam, animarum amore captus, descendens, siluestrem leænam obuiam habens, Samaritanam inquam, eandem in peccatis suffocat, omnia eius vitia enecat; deque ore illius suauissimum mel, laudum scilicet encomium producit.

Figura. Iuaic. 14.

Rebec-

Gen.24. Rebecca olim ad fontem nec opinato veniens, felici sane omine Abrahæ pastori occurrit, qui eam heri sui filio Isaac quam primum despondit. Hodie porro videmus Samaritanam, ad hauriendam aquam properantem, & nihil minus quam de salute cogitantem filio Dei, fausto profecto auspicio, occurrere, qui eandem à vitiis vitæque prauitate conuertit, sibique in sponsam selegit, *Desponsabo te mihi in fide*; Notate hic obsecro gratiam præuenientem, quæ nos vltro semper præuenit, ac merita nostra præcedit, Samaritana hoc ne somniarat quidem nedum commerita erat.

Osee 2.

1. Reg. 10. Saul humili prognatus stirpe, & in montibus educatus, nullis meritis aut diuitiis ornatus, asinas patris sui quærendo in Regem Israel coronatus est: adeo vt Deus eum ideo quæsitum misisse, vt ad coronam deinde eucheret, videatur. Dauid ouium pastor, nihil vnquam quoque meritus fuerat, aut nunquam antea ad regiam dignitatem aspirarat, & ecce Deus nihil minus cogitanti regnum Israel pure & sincere decernit: *Et de post fœtantes accepit eum*. quæ sane magna diuinæ bonitatis sunt indicia. vnde Psalmographus: *Suscitans de terra inopem & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus*.

1. Reg. 16.

Psal 77.

Psal. 112.

Sunt hæc manifesta gratiæ præuenientis argumenta, quæ sine vllo meritorum intuitu nos è vili paupertatis originalis humilitate ac luto educit, vt deinde ad solium gloriæ cœlestis subleuet. Verum his relictis ad puteum accedamus, ac diuinum illud colloquium quod Redemptorem inter ac Samaritanum habitum est, audiamus.

III. Leuit. 6. Christus primas loquendi partes suscipit, dicens, *Mulier da mihi bibere*. Ecce primum aditum, appellationem, ac insinuationem, quam gratia præueniens peccatorum auribus, cordibus, & animis instillare consueuit. Deus igitur primo loquitur. Præclarum huiusce rei in sacris litteris indicium & figuram videre est. Præcepit olim in lege veteri Deus, vt Sacerdotes summo mane strato surgerent, atq; in templo sacrum ignem accenderent, sacrificiaq; pro vniuerso populo offerrent. Alibi quoq; Prophetas tempestiue surgere, ac summo mane ciuitatem circuire voluit, vt populum ad conuersionem, pœnitentiamque pro peccatis faciendam adhortarentur. Hinc videtis hodie summum illum Sacerdotum & Prophetarum Principem summo mane surgentem, gratiæque suæ ignem accendentem, vt Samaritanam reperiat, sacro igne succendat, salutem eius procuret, ac placida voce dicat: *Mulier da mihi bibere*.

Elias Propheta his olim, Regi Achab, ad Nabothi, quam iniuste occuparat, vineam properanti occurrens, verbis comminatus est: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua & interficiam te Achab mingentem ad parietem & clausum, & vltimum in Israel*. quoties ô homo, Deus tibi occurrit, modo inspirationibus te commouendo interius, modo prædicationibus exterius: sacris te literis interdum adhortando, interdum infernalibus, quas pro peccatis commeruisti, pœnis comminãdo: offert tibi gratiam suam dicens, & exclamans: *Da mihi bibere* quasi diceret: Salutem tuam sitio, peccator da mihi parum aquæ conuersionis tuæ: hoc mihi denegare noli, quod & multo quidem amplius, tot annis, tuæ salutis ergo discurrendo, tuaque causa tot itinera vsque ad defatigationem conficiendo, promeritus sum.

Cæterum ita sponsam in Canticis alloquitur dilectus: *Aperi mihi soror mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium* Perinde ac si dicere voluisset: Aperi mihi dilecta, ac vide vt caput meum madeat, & cincinni mei rore distillent: introitum igitur quæso ne deneges: tota namque nocte tui caussa discurri, laboraui, sudaui, quod ros quo crines mei madent, facile testari poterit. Sic te sponsus hodie, ô anima mea, inuitat, vt cordis ei ianuam aperias qui integros dies & noctes tui amore cucurrit, à primo se natiuitatis momento, ad vltimum vsque vitæ spiritum: testis est hæc ipsa defatigatio.

Cant. 1.

*Mulier da mihi bibere*: O verba suauissima, ac nectare dulciora! non rigide cum illa agit, non conuitiis eam insectatur, non exprobrat ei adulteria, non appellat pellicem,

Christus mansuete cũ Samaritana agit.

cem, lasciuam, libidinosam, non obiicit quod quinq; maritos habuerit, ac modo adhuc in lenocinio agat. Cõniuet ad hæc omnia, ac suauiter mulieris eam nomine compellat: quo nomine & matrem, in cruce pẽdens nominauit, dicens, *Mulier ecce filius tuus*: ô bonitatem ineffabilem, ô dulcedinem infinitam! tantone Deus bone amore peccatores cõplecteris? Tantane tua sitis est, vt ab iis potum postules? & à Samarit. postules? *Da mihi bibere*. Audebisne ô mulier haustam aquæ frigidæ misero ita defatigato, ita exhausto, ita confecto denegare? tantane tua erit crudelitas, adeone ab omni humanitate, pietate & clemẽtia futura es aliena, vt ei potum denegare præsumas. Dauid cum olim aquam è cisterna Bethlehem desideraret, quæ circũquaq; ab hostibus cincta erat, dicens: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam!* ecce tres validi duces per media castra, hostilesq; turmas penetrantes, mille sese periculis exposuerunt, vt aquam inde haurientes eam Regi afferrent. Tu vero Samaritana, cũ Dominus gustare aquam tuam hodie tantopere desideret, illam ei recusabis? Poterisne Dauidi tuo, Seruatori tuo, Messiæ tuo, Deo denique tuo aquam cisternæ huius denegare, quam ei præbendo nullum vitæ discrimen, nullumque periculum incurres? hoc namquetibi factu facillimum est.

Tantahominum cæcitas est, vt diabolo det quodcunque petierit, Deo vero ne minimũ quid.

O cæcos mortales! ô tenebras plusquam Cymmerias! omnes, obsecro, mecum hanc hominum dementiam deplorate. Quod Deus à nobis exigit, quam exiguũ est, imo prorsus nihil, ac vix dignum quod à quoquã petatur: ea tamen nostra peruersitas est, vt id ei negemus: è contra vero quod diabolus & mundus à nobis efflagitant, adeo magnũ & enorme est, vt dici vix queat, & vltro tamen id ipsum offerimus. Exigit à te Deus paululum aquæ, ô homo, tres aut quatuor lacrymulas ad peccata tua eluenda, & proh dolor! dare recusas, diabolus vero iubet te laborare, sudare, sexcentas subire molestias, ac mille difficultates perpeti, & eheu! promptissime præcipienti obsecundas. Proferant ibi è diuino instrumento figuras; falsi illi Proph. Baal vt à Deo suo clamantes exaudiri possent, cultris sese & lanceolis vltro incidebant, donec toti sanguine vndequaque emanante perfunderentur. Idololatræ illi apud Ezechielem monilia, inaures, brachialia, armillas, gemmas, thesauros proprios, denique filios idolis offerre, & immolare cogebantur. O crudelitatem & barbariem inauditam! Christus vero, Deus ille verus, fatigatus ex itinere, haustum frigidæ postulat, & impetrare ne tantillum quidem potest.

Ioan. 19. 2. Reg. 23. 3. Reg. 18. *Exod.* 23.

Insurgebat olim aduersus Roboam Regẽ populus Israel, propter iniquas extorsiones & graue tributorum flagellum, dicens: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis: tu itaque nunc immmue paululum de imperio patris tui durissimo, & de iugo grauissimo, quod imposuit nobis, & seruiemus tibi.* Cum igitur peccator aduersus mundum & diabolum rebellionem non concitas, aut aduersus veteranos illos tyrannos, tam iniqua & crudelia grauamina, pondera, & onera humeris tuis imponentes non conspiras, vt hac ratione iugum Christi tam parum à te postulantis subeas, eiq; obedias? quippe qui aliud nihil à te exigat, quam aliquantum aquæ & aliquot lacrymas. Clementissime Saluator mundi, quam merito olim dixisti: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*: O Christiani, vos inquam subditi mei, ac legitimi vasalli, nunquam, si sapitis, meis cõstitutionibus repugnate, nunquam eas, vt graues & iniquas, aut seruari difficiles, coarguite: nã nihil, aut melius, aut suauius, reperire, ac nullum benigniorem me Principem habere possetis. Quam bene etiam olim vaticinatus es ô Propheta, vbi placidum & tranquillum Principis huius aduentum futurum designasti? *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.*

3. Reg. 12. *Matt.* 11. *Matt.* 21.

Noli igitur tam exiguum quid Saluatori tuo denegare, Samarit. at recordare potius, quomodo magnus Patriarcha Abrahã Angelos hospitio exceperit: ac conuiuium ijs exhibuerit. Tu vero ingrata, Iesum Saluatorem tuum in agris repertum illum omnium Angelorum regem, ac Dominum dominantium ne haustu quidem frigidæ reficere, ac recreare dignaberis? O crudelitatem & in-

*Cant.* 28. *Gen.* 27.

humanitatem inauditam! Pius Isaac plenus dierum, antequam filio benedictionem dare ante obitum vellet, dixi ei: *Affer mihi de venatione tua, & benedicat anima mea.* An nõ exigit hoc à te Deus, ô mulier: non postulat, vt per montes & valles eius caussa discurras: non petit, vt per agros euageris: non quærit, vt de venatione ei cibum pares: modicũ quid aquæ postulat.

Præceperat quidem ipse olim in rigida illa lege Mosaica, vt filij Israel omnes in fabricam tabernaculi diuitias erogarent: cui præcepto nemo ne verbo quidem ausus est refragari. *Obtulerunt mente promptissima atq; deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi testimonij quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat: viri cum mulieribus præbuerunt armillas & inaures annulos & dextralia.* At modo in lege Euangelica aliquot tantummodo guttas postulat, dicens: *Mulier da mihi bibere.*

Exod. 36.

Festina igitur anima peccatrix, expedi aquam Samaritana: profer lacrymas, age cito pœnitentiam, ac Christum sitientem refice. imitaberisne forsitã impios illos carnifices, & sacrilegos tortores, qui vbi Dominum exhaustum laboribus, ac supplicijs fatigatum, *Sitio*, clamantem audiuere, *dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum?* Adeone barbara & inhumana tu futura es, vt ei salutem tuam ardẽtissime sitienti, ac præ siti penè emoriẽti, amarum illud continuationis peccatorũ fel, ac peruicaciæ acetum, & myrrham duritiei audeas porrigere?

Matt. 27.

Gen. 40.

Quale putatis fuisse gaudium, qualem lætitiam & voluptatem pincernæ illius Pharaonici carceris ergastulis mancipati, quando à Ioseph, qui simul in vinculis detinebatur, audiuit? *Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum, dabiq; ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras.* At quodnam tuum esse gaudiũ deberet, ô anima quæ summo illi Principi aliquãdo à poculis fuisti, & ad tam sublime dignitatum culmen euecta eras: quæque modo in peccati carcere conclusa in extremis ærumnis viuis: cum nimirum intelligis, Deum de manu tua potum sibi velle ministrari, ac te in pristinum dignitatis gradum, & in priores honores, modicam ei aq̃ præbendo, collocandam.

Iam satis ô Rachel cameli tui biberunt, iam satis voluptatibus indultum est, satis iam armenta biberũt, coge pecus: iam tempus est, vt & pastori Abrahæ potũ præbeas, vt Iesu Christo, qui te sibi matrimonio copulare vult, aquam haurias: ille namq; sitit da ei bibere, ac pristinæ dignitati restitueris. Quid ais ad hæc ô mulier? quid respondes; *Quomodo, tu Iudæus cum sis, à me potum petis, quæ sum mulier Samaritana?* an ignoras nobiscum tibi in religione, & cæremoniis non conuenire, ac proinde nullum inter vtramq; gentem esse commercium?

O ingratam & cæcam mulierem! Quidquid hausit, lenoni dabit, & Christo vel guttam denegat. Ad eundem modum & tu agis peccator: suppetunt tibi vires, nec desunt animi, vt diabolo & mundo obsequium præstes: sed vt Deo cultum aliquem exhibeas, ieiunes, vt pœnitentiam agas, desunt vires, & animus tibi concidit. Vt semel in septimana ieiunes, dolebit tibi cerebrum, hemicrænam timebis, stomachus non patietur, animus deficiet: sed vt integram hebdomadam comesseris, popineris, & solidas noctes & dies tripudijs, iocis, lusu transigas, herculeas quasdam vires, ac gladiatoriam quãdam firmitatem te habere ostendes.

IV. Gen. 24.

*Quomodo tu Iudæus cum sis?* O futilem excusationem! ô friuolum prætextum! Adam peccato commisso consuit folia ficus, ac nuditatem velat. Quid hæc folia designare opinamur, Auditores? non aliud quam excusationes & tegumenta quibus peccata nostra palliare conamur, quæ non plus apud Deum virium habent, quam fragilia & caduca folia de quibus scriptum est: *Quærunt excusationes in peccatis.*

Non possum tamen, quin te laudem mulier, propter zelum, quo erga religionem tuam afficeris: ostendis namq; te eius amore teneri. Quamuis enim ipsa peccatrix sis & adultera, Iudæos tamen, qui à Samaritanis in religione & cæremoniis discrepabant & ab ipsis hæreticorũ loco habebantur, abhorret & fugit. Quid ad hæc respondebis, mulier

Psal. 140. Pia meretrix.

mulier Catholica? anne te, quæ Samaritanos, id est, hæreticos, sinu complecteris, foues, educas, hospitio excipis, ac matrimonio tibi iungis, Catholicam esse credam.

Zelum quidem quem erga religionẽ habes laudo, ac mirari satis non possum, quod tam parum miseris ordem erga hunc defatigatum & sitientem te ostendas, quid cogitas, quid animo voluis? *si scires donum Dei*, misella, & superstitiosa: si intelligeres quid frigidæ haustus Deo & in Dei honorem pauperi datus promereatur: si scires donum gloriæ cœlestis ac beatitudinis æternæ. Pulchra illa Abigail, quod aliquot tantum panes Regi Dauid rerum penuria laboranti dedisset, regina in Israël facta est. Si scires, quantum sit donum beatitudo: Paulus eam *donum inenarrabile* appellat. Sed quale hoc donum sit, tu nobis Domine declara. Eritne forsitan sancti Spiritus gratia, quem Ecclesia *donum Dei altissimi* nominare consueuit: donum scilicet æternum, quod Pater & Filius semper donãt: donum omnium donorum primum, atque omnia dona longis interuallis antecedens. O mulier! si scires, ille qui tecum loquitur, Deus est & simul homo: vt Deus, hoc tibi donum poterit elargiri, vt homo, hoc ipsum tibi sæpius promeruit.

1.Reg 13.
2.Cor.9.
IV. Gen.14.

O Samaritana, *Si scires donum Dei*. Laboras in turbida hac aqua haurienda, quæ non satiat eos, qui ex ea gustauerint, quæque sitim non extinguit: hauris aquas illas amaras & fœtidas Mara, aquas illas pestiferas & contagiosas Iericho. At ipse aquam do vitæ, aquam ex petra humanitatis meæ, crucis virga percussa, scaturientem: *Qui biberit ex hac aqua, non sitiet in æternum*. Accedite ergo ad fontem hunc animæ sitientes, & siti propemodum exhaustæ & quemadmodum cerus à venatoribus pressus & canum impetum declinans, in aquas sese immergit: ita vos ô animæ, quas quotidie magni illi venatores insequuntur, (de quibus Psalmista loquitur: *Anima mea erepta est de laqueo venantium*) quandoquidem iam dudum per mundum cucurristis, exhaustæ, defatigatæ: ad has aquas accedite, hisce vos vndis immergite, si canum & venantium rabiem euitare fatagitis. Regius vates, è quo hunc conceptum hausi, experientia id probasse videtur, dicens: *Quemadmodum desiderat cerus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Deum fontem viuum*. Ad has igitur aquas diuinas, ad sanctas has vndas properate, peccatores, ac mundi latices turbidos & luculentos relinquite.

Exod.12.
4.Reg.2.
Num.20.
Psal.113.
Psal.41.

Filij Israël siti in deserto emorientes, in Ægyptum reuerti iam destinauerant: at postquam aquas è petra prosilientes videre, sententiam mutarunt. O anima, si paupertatis aut pœnitentiæ siti in deserto monasterij prope modum emoriens, ad mundi Ægyptum reuerti vnquam decreuisti, cum hodie Christum aquam viuentem in hoc deserto sitientibus audis promittentem, muta sententiam, & aliam indue mentem, firmiterq; propone si donum Dei & gratiam scires, quã tibi Deus, ex hoc mundi naufragio te euocando, contulit, mille potius vitas, si tibi essent, Deo impendere, quam vel vnam mundo elargiri.

*Num.20.* Allegoria.

Si igitur scires quid sit cœlum, quid Dei gratia, quid æterna felicitas, omnia proculdubio quæ hoc in mundo possides, quo Deũ sequi posses, relinqueres.

Putabat quidem initio Naaman aquas Iudææ non esse maioris efficaciæ, quam aquas Syriæ. at vbi reipsa & experimento virtutem illarum didicit, statim mutata mente omnes opes & facultates Elizæo, qui sibi easdem tantum demonstrauerat, volebat elargiri.

4.Reg.5.

Cogitatis quidem, mundi amatores, delectationes cœlestes & gaudia Beatorum nullius esse momenti; sed si semel ea vel modo gustassetis, aliam puto mentem, aliamque opinionem indueretis, mundique fallaces & inanes voluptates desereretis: quo æternis aliquando deliciis perfrui posseris.

Quare agite, ô Samaritanæ, animæ inquã peccatrices, animæ mundanæ, fugite turbidos hosce & lutulentos mundi torrentes, relinquite hydrias, accedite hodie ad aquas, quæ saliunt in vitam æternam: quarum hic scaturiginem videtis. Hæ namque puræ sunt, at mundi aquæ turbidæ & periculosæ. Hæ sunt aquæ illæ, in quibus milites suos Iephte collocauit, qui Ephratæos inuadere

Allegoriæ de aquis mundi huius.

Iudic.12. parantes, inde abactos interfecerunt: *Occupaueruntque Galaaditæ vada Iordanis per quæ Ephraim reuersurus erat* Ita etiam Satan milites suos in ripis aquarum voluptatum collocauit, qui omnes ad bibendum accedere volentes, in mille pericula conficiunt.

Iudic.5. Holofernes Princeps militiæ Assyriorum, constituit in obsidio Bethuliensi per gyrum centenarios, per singulos fontes, vt omnes aquarum hauriendarum gratia venientes, inde eiicerent, & eiectos necarent.

Isai.55. Magnus ille Holofernes Satan plurimos quoque diabolos in insidiis ad fluuios voluptatum collocauit, qui omnes ex iis bibere volentes, incautos & nec opinantes interficerent. Infelices igitur hasce aquas velis remisque fugiamus, ac nullas, præter has sanctas desideremus, nullas, nisi cœlestes, expetamus, aquas, inquam, quas qui bibunt, in perpetuum mortis expertes viuent.

3. Reg. 18.

O Deus æterne, qui omnis bonitatis abyssus es, perfectionum omnium thesaurus, & aquarum viuentium Oceanus, qui omnes omnino homines ad hauriendum & bibendum per Prophetam inuitasti, dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas*: quique toties eas in figura destillare fecisti, modo magna copia cœlitus ad preces & postulata Eliæ dimittens, modo easdem mirabili quadam ratione petra, ad Mosis vocem, eliciens: Respice obsecro animas nostras anhelantes, ac siti propemodum enectas: ecce amaræ illæ aquæ mundi huius, eas adusserunt, adeo vt præ siti penè deficiant, & *Anima nostra sicut terra sine aqua sit tibi.* Nos, nos inquam, miseri illi Ismaeles sumus, qui in deserto mundi huius siti emorimur. Da nobis bibere, aut minimum quid ex aquis vitæ, aquis, inquam, gratiæ tuæ, degustare: interea dum hic exspectamus donec torrentibus illis inebriemur & satiemur, de quibus Psalmista: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*: torrentibus, inquam, æternæ beatitudinis, quorum nos consortes efficiant Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus,

Num.20. Num.23. Psal.35.

AMEN.

## SABBATO POST DOMIN. III. QVADRAGESIMÆ.

### Partitio.

*I. De adulterio.*
*II. Punitiones & detestationes adulterij.*
*III. De adulteræ absolutione.*

*Adducunt ei mulierem in adulterio deprehensam.* Ioan.8.

### FIGVRA.

PRÆCLARVM castitatis speculum & cõtinentiæ exemplar Susanna, cum iniquè in Babylone à duobus senibus adulterij accusaretur, ad summum sacerdotem deducta est, vt secundum legem lapidibus obrueretur. Quod cum attentius mecum ipse considero, ac rei seriem penitus intueor, similem plane historiam in Euangelio hodierno videre videor: occurrit mihi namque hic mulier, non iniquè quidem adulterij accusata: sed in facto deprehensa à duobus item senibus, Scribis scilicet & Pharisæis, quæ Iesu summo legis Euangelicæ Sacerdoti sistitur, vt ab eo lapidibus obruenda iudicetur: Susanna quidem per Danielem libertatem adepta est, hæc vero per Christum, vt singula singulis optime respondeant. Verum antequam ad reliqua procedamus Pneumatis diuini auxilium, mediantibus Beatæ Virginis precibus, inuocandum est:

Dan.13.

### AVE MARIA.

I. Magnum Episcoporum lumen & decus Ambrosius, cum singulorum scelerum enormitatem ac turpitudinem diligentius ponderasset, tandem concludens ait: nullum esse aut reperiri posse scelus, quod cum adulterio comparandum videatur: *Adulterium*, inquit, *etiam feris & barbaris detestabile.* Hinc Plutarchus refert, tantam Lacænarum olim mulierum pudicitiam ac modestiam fuisse, vt fieri non posse existimarent, aliquam hoc sese scelere aut dedecore,

Lib. de Abraham. In Apophth. Lacæn.

core, contaminare, nihilque magis fugiendum aut detestandum, quam ipsum adulterium iudicarent. Et sane nihil eo fœdius, nihil eo turpius est, nihilque quod maiora secum mala, calamitates, & ærumnas trahat. Hinc vniuersalis ille cataclysmus terræ superficiem cooperuit; Hinc Gomorrha flagrauit, hinc in cineres redacta est Sodoma, hinc ipsa tribus Beniaminica radicitus prope fuit deleta, hinc denique totum Dauidis imperium in extremum discrimen adductum est.

*Gen.8.* *Gen.16.* *Iud.19.* *2.Reg.12.*

Mala quæ ex adulterio prouenient.

Huc accedit, ô matres, quod maximam hoc peccatum iniuriam faciat, tum naturæ, quoniam tam magnam corruptionem secum trahit, tum etiam Deo, quoniam eius legibus ac præcepto aduersatur: facit deinde iniuriam Angelis, quod castitati & puritati, quæ ipsis propria est, repugnet: facit iniuriam marito, quod eidem struat insidias, ac promissam vtrimque fidem violet: facit iniuriam regnis legibusque ciuilibus, quod degeneres furculos & adulterinas propagines in Reipub. horto proseminet: denique toti mundo iniuriam facit, quod familias ac domos illegitima & spuria sobole inducta, confundat, ac merum quoddam chaos inducat. Imprimis vero peccatum hoc detestandum est, quod magnum illud Ecclesiæ Sacramentum, Matrimonium scilicet destruat & euertat: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* Quicunque igitur eo impietatis processit, vt tantum Sacramentum audeat prophanare, næ ille in Christum & Ecclesiam deliquisse putandus est.

*Ephes.5.*

Sacramẽti matrimonii dignitas.

Et profecto ingens abominatio adulterium, cum Sacramentum matrimonii, quod à Deo in Paradiso institutum est, quodque præsentia sua ac primo miraculo in nuptiis Canæ Galileæ Christus cohonestauit, audeat violare & polluere. Sacramentum inquam, quod gratiam confert: Sacramẽtum, quod variis modis designatur: modo per coniugium Christi cum Ecclesia, modo per connubium Dei cum anima: alias per matrimonium & copulam quam Verbum illud Patris cum natura humana iniit, ad cuius imitationem hic in terra vir cum muliere copulam coniugalem init. O res admirabiles! illic duæ naturæ vna continentur hypostasi & persona, hic duæ personæ in vna natura, & in eadem carne coalescunt. Hinc dictum est: *Erunt duo in carne vna.* Hæc porro vincula & connexiones dissoluit adulterium.

*Ioan.2.*

Vnde haud iniuria exclamare possumus, ô vitium detestandũ! ô scelus procul eliminandum!

II.

Veteres adulteros odio habuerunt.

Veteres Ethnici solo naturæ lumine illustrati, adulterium semper veluti pestem quãdam terrimam, ac contagionem abhorruerunt & detestati sunt: apud Græcos sane adulterum interficere cuicunque etiam fas erat. Ægyptij vero grauius adulteria, quam homicidia aut furta castigabant. Hinc Abraham, si forte vnquam attendistis, cum in Ægyptum veniisset, aiebat Saram vxorem suam, sororem esse, ne eum velut adulterum Ægyptij, in quos seuerius animaduertere solebant è medio auferrent: hinc ad vxorem ait: *Dic ergo obsecro, quod soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Apud Romanos autem adulterium cum crimine læsæ Maiestatis conferebatur: hinc iisdem pœnis castigabant eum, qui ria animthorum cõnubialem violasset, quibus eum, aduerte- qui in Principem quidquam deliquisset, aut rint. in patriæ salutem ac Reipub. commoda peccasset.

*Gen.12.*

Vt veteres in adulte-

Lacedæmoniorum legislator Lycurgus eodem adulterium, quo parricidium, statuebat loco, decreuitque, vt iisdem in Rep. sua suppliciis afficeretur, qui alterius fœminæ pudicitiam tentasset, quibus, qui parricidali manu è medio parentem sustulisset. Et sane cum leges de omnibus sceleribus delictisque statuisset, nullam vero de adulterio aut parricidio tulisset: causam rogatus, ait, quod neminem adeo nefarium existimaret, qui alterutrum horum committere præsumeret.

Iudæi vero adulteros lapidibus viuos obruebant: cuius hodierna die rei exemplum in Euangelio habemus, in quo Ioannes refert Pharisæos & Scribas Christo, in templo ad populum verba facienti, mulierem adduxisse in adulterio deprehensam; vt ab eo ad

lapides condemnaretur. De hac hodie historia verba facere decreui: primo itaq; de crimine eiusque probatione loquamur, deinde actionem & condemnationem eius examinabimus.

Principio igitur firmum hoc inuiolatumque habeatur; adulteros vbiq; gentium, adeo semper in naturam & reipub. commoda apud omnes iudicatos esse peccare, vt nulla vnquam natio, aut gens, barbara licet atque omni humanitate aliena, fuerit, quæ non seueriſſime semper & grauiſſime in adulteros animaduerterit.

Id vobis ad oculum, tum ex lege naturæ, Mosaica, ac lege Euangelica, tum iure diuino, Canonico, ac ciuili demonstrabo.

Quomodo adulteria lege naturę castigata sint. *Gen. 20. Gen 34. Gen 39.*

Primum quidem in lege naturæ, iam à quinq; annorum millibus Abimelecho regi Gerar, Abrahæ vxore rapta, Deus mortem interminatus est, dicens: *En morieris propter mulierem quam tulisti: habet enim virum suum.* Duo Iacob Patriarchæ filij Simeon & Leui, Sichem Syriæ metropolim deleuêre, atque omnes Principes eius, in adulterij & raptus pœnam gladio interemerunt. Castus ille adolescens Ioseph contra fas & æquum adulterij cum Putifaris vxore commissi accusatus, in carcerem coniectus est, ac vitæ perdendæ discrimen adiit. Taceo hic tristem illum ac plusquam tragicum diluuij casum, prætereo Sodomiticum incendium, de Gomorrhæo cinere nihil dico. Quis enim ignorat omnia hæc propter adulteria & illegitimos cõcubitus euenisse? Et sane nulla Deus vnquam scelera tam horrendis, tamque grauibus flagellis castigauit.

Vti Ethnici adulteria punierint. *Valer. lib. 6. c. 5.*

Ad exteros iam populos, natione barbaros, ethnicos, inquam, ac solo naturæ ductu viuentes, veniamus. Zaleucus Locrensium ciuitate salubertimis atq; vtilissimis legibus à se munita, cum filius eius adulterij crimine damnatus, secundum ius ab ipso constitutum vtroque oculo carere deberet, ac tota ciuitas in honorem patris necessitatem pœnæ adolescentulo remitteret, aliquandiu repugnauit. Ad vltimum precibus euictus, suo prius, deinde filij oculo eruto, vsum vtrique videndi reliquit. Ita debitum supplicij modum legi reddidit, æquitatis admirabili temperamento, se inter misericordem patrem & iustum legislatorem partitus.

Erat Ægyptiis consuetudo, viris adulterij insimulatis mille flagrorum ictus infligere: fœminis vero nasum præcidere. Hinc à Diodoro & simul Herodoto de Pharaone Ægypti Rege Sesostridis filio, historia sane memorabilis refertur: hic cum decem annorum spatio oculorum vsu priuatus, omni ratione visum recuperare satageret, ac frustra omnia tentasset: oraculo admonitus, non prius sese sanitati restitutum iri didicit, quam fœminę alicuius, quæ fidem coniugalem non violasset, aut ab alieno concubitu immunis esset, vrinam oculis adhiberet. *Diod. lib. 1. Herod. l.*

Quibus ille intellectis, ratus sese tam facili remedio oculorum vsum facile etiam recuperaturum, reginam coniugem suam ante omnes adiit, cuius cum pudicitiam fidemque erga coniugem vacillare vidisset, nec alienis eam abstinuisse amplexibus didicisset, omnes pene quotquot in aula versabantur fœminas adiit: sed frustra. Vnde cum plurimas alias in regno mulieres tentasset, & omnes perfidas & fide coniugali fracta infames deprehendisset, tandem pauperculam hortulariam reperit, quæ sola fidem seruasse coniugi iudicabatur: per quam & oculorum vsum recepit. Quo facto, tantam fœminarum in regno suo corruptelam & perfidiam demiratus, omnes quotquot violasse fidem repererat, igne consumpsit: pauperculam vero ac plebeiam illam ob recuperatum eius adminiculo visum, repudiata coniuge, sibi matrimonio copulauit.

Parthi, teste Iustino, nullum crimen maiori seueritate castigabant, quam adulterij: hinc vxores suas arcte habitas domi velut custodiæ includebant, ne aliorum commercio & contubernio, aliorũ colloquiis & consuetudine, frequentiq; vsu corrumperentur, atque ita adulterij pœnas incurrerent. Egregia sane & diuina consuetudo, vtinam & illa per Galliam nostram in vsu esset: neq; enim tot scelera ac delicta circa fidem cõiugalem videremus. Refert de Aug. Suetonius, tanta eũ odio adulteria & adulteros prosequi solitum, vt amicorum veterrimo Proculo, adulterij *Iust. l. 4. Suet. in c. 26.*

Nat. Apoph. Re. & Princip.

terii. cum Romana quadam fœmina commissi reo, caput iusserit præscindi.

Prodeat post tot historicos Plutarchus, qui dignam Alexandro de Alexandro refert historiam. Cum enim milites mulierem quandam melioris forsitan formæ, quam famæ ad eum de nocte adduxissent, vt cum rege cubaret, & ille venientis strepitu & motu excitatus, quia iam tertia noctis vigilia præterierat, rogasset, vbinam tãdiu hæsisset: & illa respondisset: Expectaui, inquit, rex, donec maritus somno sepultus sterteret, ne me exsurgentem inauditet: suos rex aduocat, iubetque mulierem, vnde eam duxerant, reduci, dicens: Ergone me adulterũ putatis, aut alterius me thorum violare aut profanare velle: apage nihil enim est quod magis abhorream ac detester.

Annon vos, Principes & Reges, Ethnicus ille Rex confundit, & nunc reges intelligite, atq; Ethnicos in hac saltem re æmulamini, pudeat illis vos in hos deteriores existere, eorumq; continentiam non imitari.

Plutarch.

Hac porro Cynnenses seueritate in adulteros animaduertebant. Fœminam quæ adulterii conuicta erat, in medium ciuitatis deducebant, eamque saxo insidentem calumnijs & conuitijs proscindebant: cui eum longo tempore omnium ludibrio, & risui expositio insedisset, asinæ impositã per omnes ciuitatis plateas & vicos deducebant, vt tota ciuitate eius delicti conscia, in perpetua infamia ignominiaque vitam transigeret. Video vos barbarorum illorum iustitiam demirari: video vos in stuporem rapi, cum eos qui solo naturæ lumine illustrati erant, tam rigide in adulteros animaduertisse audiris. Non est porro, cur adeo in admirationem rapiamini, cum peccatum hoc naturæ ipsi aduersari videatur. Ita namque

Lib. 5. hex. Mahum. in Alcor. c. 34.

id Ambr. describit dicens: *Adulterium naturæ iniuria est.*

Et vero Turcæ & Saraceni non minori idipsum odio prosequuntur, ac cane peius & angue esse asserunt: quin & Pseudo ille Prophetes Mahumetes Alcorano suo cauit, ne adulterium quis suorum perpetret; cuius si quis reus constituatur, mille ictibus per flagella inflictis luat. Addit hic Procopius, etiam legatos, licet alioqui omni iure exẽpti sint & multis prærogatiuis gaudeãt, si adulterii conuincantur, morte affici posse.

Quonam modo adulteros lex Mosaica punierit.

Iam tempus est, vt ad legem Mosaicam descendamus, ac diligentius inspiciamus, quibus illa pœnis, quibusque supplicijs in adulteros voluerit animaduersum. Quam sancta instituta sunt, quam diuina præcepta, ac leges vere regiæ, quas iam eminus in Leuitico videor contemplari? *Qui adulterium perpetrauerit cum vxore proximi, morte moriatur, & mœchus & adultera.* Et aliam haud dissimilem in Deuter. *si dormierit vir cum vxore alterius, vterque moriatur.*

*Leuit.* 20.

*Deut.* 22.

Dicet forsan aliquis: Lex vetuit, at exempla desunt, è quibus castigatio hæc manifesta euadat.

*Dan.* 13. *Iudic.* 20.

At videat ille miseram Babyloniam, adulterii falso liceat accusatam, iamiam ad lapides depoſci. Videat integrã tribum, sumptis armis adulterium cum Leuitæ cuiusdam vxore commissum, vlcisci voluisse. Videat quibusnam Dauid Rex propter adulterium cum Vriæ vxore perpetratum, à Deo flagellis fuerit castigatus. Sapiant itaq; adulteri ac resipiscant: nam

*Felix quem faciunt aliena pericula cautum.*

Quanam pœna ius ciuile in adulteros animaduerterit.

Videamus modo leges ciuiles, examinemus Codicem Iustinianeum & Digesta; inquiramus quonam illa adulteros supplicio pœnaque dignos iudicauerint. At non nisi de sanguine, eculeo, morte ac supplicijs extremis hic agitur. Principio Dion. Cassius asserit, Imperatorem Seuerum seueras admodum aduersus hoc crimen pœnas cõstituisse, & mortem omnib. esse comminatum, qui eius sceleris insimulati essent: quam cõstitutionem seuere ab eo seruatam voluit, ac reipsa seruauit, vt pauxillo temporis spatio, plusquam tria adulterorum millia morte dãnarit.

Refert Herodius quinto Decretorum suorum libro, titulo sexto de L. Iulia de adulteriis, quasi aliud agens, insignem plane historiam. Cum Tennes Tenediorum rex legem tulisset, qua omnes adulteros morte multari volebat, accidit filium eius adulterium committere, eiusdemque accusari. Hic cum à patre quæreretur; quid facto

cto opus esset. Lex, inquit, ad amussim & inuiolabiliter seruetur, filioque non minus, quam ceteris parcatur. O vere generosum ac sincerum Principem, ac validum castitatis protectorem!

Leges ciuiles contra adulteros.

Vos porro Iurisconsulti, qui toties de L. Iulia, de adulteriis loquimini, eamque toties repetitis, legitis, inculcatis, anne obseruastis vnquam, quid lege 30. ad finē cap. ad leg. Iuliam de adult. scriptum, velut omnium legum compendium & recapitulatio legatur? *Sacrilegos nuptiarum gladio puniri oportet.* Et in legibus vestris XII. Tabularum, titulo II. de iniuriis, annon aperte legitur: *Mœchum in adulterio deprehensum necato.* Imperator vero Leo constitutione XXXII. seueritatem omnium priorum legum moderari volens, decreuit vt adultero nasus præscinderetur, mœcha vero monasterio includeretur.

Inuectio in adulteros.

Quid vero vos adulteri, vos inquam impuri & scelerati mœchi, cogitatis? vbinam mens vestra est, vbinam ratio? an non vobiscum ipsi perpenditis, cum horrendum hoc, & enorme crimen committitis, omnes vos tam naturæ, quam Dei & hominum leges violare & peruertere, toti vos mundo iniuriam facere, Deum, naturam, & homines grauissime offendere? At quibus vos suppliciis, quibus pœnis, quibus cruciatibus, quibus, vt ita dicam, infernis digni estis? Quantam vobis ipsis familiæque vestræ infamiæ notam inuritis, qui instar brutorum obmutescitis, brutis ipsis deteriores, ac mente capti? ita non pessimum vxoribus vestris exemplum datis, perfidi, raditores, ac fidei violatores, ratione, iudicio, ac conscientia priuati? Anne obliti estis, vbinam matrimonium vestrum contractum sit, vbinam sponsio illa coaluerit, quinam testes adfuerint? scilicet in templo, coram Deo, vbi Sacerdos veluti Secretarius, Angeli instar testium astiterunt. Non est sane mirum, si qua vos alijs mensura metimini, vobis eadem alii metiantur: si nimirum vobis ab vna parte mœchantibus, vxores vestræ ab altera mœchentur, ac

*Frangenti fidem, fides frangatur eidem.*

qui versus, etsi numeris non constet, ad rem tamen nostram facere non parum videtur: vti & ille, qui Gallice multo sonat disertius:

*Cornua qui facient, ne cornua ferre recusent.*

Vos vero vxores, iam discite sapere, pudorem induite, lubricos illos mores exuite, de honore ac fama solicitæ sitis, æmulamini castas illas Susannas, pudicas Iudith, ac masculas Lucretias.

Porcia gaber. honestū appellat posse, & secundū nuptias iniisse.

Reducite in memoriam, quod olim magni illius Catonis filia Porcia, tali patre dignissima, cuidam, iuuenis fœminæ pudicitiam, quæ iam ad secundas nuptias transierat, laudanti, respondit, nequaquam honestæ sese fœminæ nomine dignam censere eam, quæ plures vno maritos habuisset. O nupera vere pudicam Porciam, sexcentis encomiis deprædicandam! si tam viles apud te erant, quæ ad secundas nuptias transirent, quid igitur de adulteris iudicasse te putamus? Quare agite, ô Christianæ matres, eius quæso vobis in mentem veniat, pudori vestro consulite, infamiam atq; ignominiam vobis ob oculos statuite, suppliciaq; quæ vos manent, si delinquitis, attendite. Sed heus video hic adulteram ad supplicium rapi lapidibus iamiam obruendam. Atq; hæc secunda concionis nostræ pars esto.

*Adducunt ei mulierem in adulterio deprehensam, & eam statuunt in medio:* quod cum diligentius mecum perpendo, perfectam hic causam, actionemque ciuilem video intueri. Accusatores ipsi sunt Pharisæi, informationes & accusationes, ac rei caput, *in adulterio deprehensam.* Lex quoque, inquam peccatum est, simul adducitur: *Moyses mandauit nobis lapidare*, quæ Leuit. 20. cap. scripta habetur: *Qui adulterium perpetrauerit*, &c. Ad Christum, velut ad iudicem eam deducunt, vt eam condemnaret, qui tamen sententiam suam non interposuit. Quid? tam grauibus olim ac diris suppliciis delictum hoc castigasti, Domine, cum videlicet flammarum globos, sulphureos imbres, ac diluuij rabiem in eius punitionem adhibuisti, & idipsum iam tibi indemne est? Leges & præcepta tua Domine clementissime, ac simul iustissime, quæ olim dedisti, morte iubent affici adulteros; & ipse, qui alias quoque dixisti: *Non veni soluere Legem* Leuit. 20. Matth.

*gem, sed adimplere*, hodie adulteræ patrocinium susscipis? Ecce hodie mœcham in flagranti delicto deprehensam, & indemnitatem concedis?

Sumite igitur animos peccatrices, nondum vobis cœli aditus occlusus est, datur adhuc accessus. Itaque

III. *Non desperetis, vos quæ peccare soletis.*

Vos, inquam Chananæ, Magdalenæ, Samaritanæ, vos mœchæ, adulteræ, lubricæ, vagæ. Peccata vestra ac dissolutiones deplorate, pœnitentiam agite, peccata relinquite, ante omnia vero ne de venia impetranda desperetis; videte namq; vt hic adultera gratiam in oculis Domini inuenerit, & ab alijs condemnata, ab eodem absoluatur.

Cur Dominus hãc adulterã non condẽnauerit. Exech. 18. Osee 6.

Hic scilicet re ipsa demonstratum video, ꝙ toties olim in veteri testamento repetitum; *Nolo mortem peccatoris*: hic iam locum habet illud: *Misericordiam volo & non Sacrificium.* Hinc quoque Ecclesia in officio canere præsumpsit: *Deus cui proprium est misereri semper ac parcere.* O infinitam & immensam misericordiæ abyssum! Non enim Dominus ad iudicandum & condemnandum, sed ad sanandum & miserendum venerat, non mortem sed vitam daturus.

Alia causa cur Dominus hanc mulierem absoluerit.

Deinde quod videret eos, qui ei actionem intendebant, iudices sceleratos esse: ac re ipsa longe deteriores, magisque mortem millies promeritos, quam illa: Hærebant illi quotidie aurium tenus vitiis sceleribusque immersi, mille grauissimis criminibus, milleque adulterijs cooperti. Toties eos in faciem castigauerat Dominus dicens: *Gens praua & adultera.* Et Propheta olim: *si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* & ecce miseram adulteram hodie in delicto deprehensam morte plecti, adque supplicium confestim rapi volunt. O vere iniquos ac sceleratos iudices! Hinc Dominus ad illos: *Qui sine peccato est, primus in eam lapidem mittat.* Perinde ac si innueret: Æquum est, lex iubet, mandatis Dei consonum est, adulteram hanc morte plecti; quare expedite vincula, ferrum, lapides, saxis obruatur, & qui sine peccato inter vos est, primus lapidem iaciat. Diuinum plane iudicium, ac nouum sententiæ genus, nouaque absoluendi ratio.

Matt. 12. Psal. 49.

Vos vero iudices, erudimini qui iudicatis terram: hæc ad vos pertinent, culpa enim vacet oportet, atque omni careat vitio, qui alterius castigare & corripere delicta præsumit. Vt quis adulteros, adulteriaque coarguat, caste viuat oportet, atque ab omni se libidine contineat: ad delicta criminaque castiganda, procul à crimine abesse par est. Meministisne quid Ciceroni olim obiecerit C. Salust. *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus est dicere*: ac si diceret: Te miror Marce, tuamque audaciam, vt in omnes omnino homines dicere audeas: atque eo deuenias impudentiæ, vt equites Romanos, viros honestissimos, ac singularia reipub. membra, corripere non verearis; & ipse nouus homo cum sis, Arpinas; aut potius Rapinas, ante triduum scilicet in hanc remp. admissus (qui quicquid in ciuitate præclarũ iam spe deuorasti, ac locuples ærarium nostrum compilasti) aliorum tamen mores, vitæque rationem taxare, ac calumniari non metuas? Taceas igitur Marce, ac scias oportet omni vitio carere debere eum, qui quid in alijs reprehendere vult

Auctor tribuit Salustio, cum Cicero Salustio id obiecerit.

Ecce egregiam in hac re figuram, & allegoriam. Filij Israel, adulterio à tribu Beniamin in Leuitæ vxorem commisso, adeo cõmoti & indignati sunt, vt sumptis armis, sanguine id expiare decreuerint: ac prius eos in aciem procedere vetuit Deus quam propria delicta sacrificiis, ieiuniis, ac lacrymis expiassent. Vt hinc doceremur, prius nostra vitia esse castiganda, ac tum demum ad aliorũ delicta puniẽda accingi nos posse. An non hoc ipsum est, ꝙ olim Psalmista ait: *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas?* quasi de perfidis atque improbis iudicibus vaticinatus esset, & illis voce summi illius Iudicis denunciasset; Iudices iniqui, iudices improbi ac scelerati, audite Deum vobis dicentem: Quomodo iustitias meas exercere paratis?

Iudic. 20. Psal. 49.

At nondum hic satis est, ô Iudices, non sufficit bonæ vitæ esse, sed ad virtutem adiungenda est scientia & doctrina, hæc est namque iustitiæ bilanx, ac duo hæc ad mu-

Virtus & doctrina in Iudice.

nus vestrum cum dignitate obeundum, cumprimis necessaria sunt. Quemadmodum enim auis vnica ala destituta volare nequit, sed duas habeat necesse est: ita vos iudices, nisi duas hasce alas, virtutem scilicet ac doctrinam, habeatis ad sublimes dignitates euolare non poteritis. Audite rem notatu dignissimam. Cum Deus decalogi tabulas Moysi in monte Sinai traderet, nullas monti bestias voluit appropinquare: quo nihil monstratur aliud, quam bestias, stupidos scilicet homines ac bardos, aut eos, qui instar bestiarum in omne voluptatum ac dissolutionum genus effusi sunt, ad sublimem illum iustitiæ montem non debere accedere. Hinc est, quod variis prius tentaminibus, examinibusque probari debeat, qui ad Senatoris aut Consiliarij dignitatem in Parlamentis nostris aspirat? adeo vt sacrosancta illa lilia ante porcos & brutos homines non spargantur.

Christus noluit adulterã cõdemnare, & Pharisæi adulteram, & non adulterum adducunt.

Tertia, cur iudicum illorum sententia à Christo approbata non fuerit, ratio hæc est, quod adulteram solam, & non adulterum, qui magis culpandus videbatur, ad Christum adducant. Vir enim dum mœchatur, maiori sese crimine obstringit, quam mulier. Verum quidem est, si fides & pactum, quod inter vtrumque initum est, spectetur, virum mulierem pariiure, & sacramento teneri, nec maiorem esse fœminæ in fide marito, quam viri in fide coniugi seruanda, obligationem. Sed si scandalum & mala, quæ inde propter commistionem sobolis, & confusionem hæreditatis (vnde non mediocre rebus publicis damnum euenire solet) oriri possunt, spectemus, fœminæ sine dubio maius delictum censendum est. At naturam intuendo, quoniam maior viri est constantia, ac maius iudicium, fœmina vero imbecillior atque in casum pronior: grauius vir peccasse censendus est ac maiorem proinde pœnam promeritus. Hinc etiam dicimus, maius & grauius Adami peccatum fuisse quam Euæ. Vnde peruersitatem iudicium horum animaduertere potestis, quando præterito eo qui plus peccauerat, eam quo minus offenderat, castigare disponunt. O iudices non iudices, sed potius hypocritæ! Cur ô Pharisæi non huc Magdalenas adducitis, quæ in conspectu totius vrbis, & ante oculos vestros quotidie peccare non erubescunt? Cur Herodiadem huius criminis ream non constituitis, quæ regis vestri aulam improba sua vita & adulterio commaculat. Ne verbum quidem cõtra eas hiscere audetis, quod alicuius esse auctoritatis videatur; ac miseram hanc mulierem, quæ nullum forsitan hoc excepto crimen admisit, morti adiudicatis. Male à vobis iudicatum est; sed bene ab ea appellatum: patrocinatur namque ei ad quem appellauit.

Vter maius peccatum mœchando committat, vir an fœmina.

Vnde haud iniuria mihi visus est Anacharsis Scytha leges aranearum telis comparasse, quibus muscæ irretiantur, & quas leges maiores aues perfringant. Ita quoque potentes sæpenumero leges transgrediuntur, sed parui atque humiles iis comprehenduntur: latrunculi ac crumenisecæ ad laqueum veniunt, fures & sicarii indemnes abeunt. Hinc Diogenes cum populum ad miseri alicuius, qui iamiam supplicio afficiendus erat, mortem currere videret, & iudices stipantes, iocans dixit: *Magni fures paruum dant.* Vnde Poeta ipsum exprimere volens, iocatur:

Anacharsis Scytha leges aranearum telis comparasse, quibus muscæ irretiantur, & quas leges maiores aues perfringant. Ita quoque potentes sæpenumero leges transgrediuntur, sed parui atque humiles iis comprehenduntur: latrunculi ac crumenisecæ ad laqueum veniunt, fures & sicarii indemnes abeunt. Hinc Diogenes cum populum ad miseri alicuius, qui iamiam supplicio afficiendus erat, mortem currere videret, & iudices stipantes, iocans dixit: *Magni fures paruum dant.* Diogenis iocus.

*Dat veniam corui, vexat censura columbas.*

At non ea mens Dei est; ipse namque minoribus & ab aliis derelictis patrocinatur, mundus è contra fauet potentibus, cum Deus misericordiam præstet paruulis. Hoc exempli loco esto: *Nec ego te condemnabo mulier.* O benignitatem inauditam, ô clementiam immensam!

Tu autem summe Iudex, iudex æterne, iudex ante cuius tribunal omnes aliquando mortales venire habent: sed simul etiam iudex clementissime, qui nullos vnquam hoc in mundo peccatores condemnare voluisti, sed eorum semper patrocinium suscepisti, pro ijs orasti, ploraſti, ac denique mortem subiisti: Tu, inquam, iudex iuste & misericors, qui hodie miseræ huic adulteræ auxiliando affuisti; hanc obsecro nobis gratiam concede, vt quando animæ nostræ, quæ toties cum Satana adulterium commi-

sere,

stre, nefando cum mundo ipso concubitu commistæ sunt, toties cum carne pollutæ sunt, quando, inquam, animæ, quæ toties præcepta tua violarunt, coram tribunali tuo à diabolis accusatoribus sistentur, qui nos toties in flagranti delicto offenderunt quique præcepta tua proferendo dicent: *Secundum legem debet mori*; tunc Domine summe Iudex, licet clemens alioquin, eandem à te audire sententiam mereantur; idē iudicium, eandem misericordiam, quam hodie misera illa adultera experta est, experiantur. Concede etiam, vt eadem audire verba possint: *Nec ego te condemnabo.* Hoc scilicet nobis, cū iudicio tuo sistemur, vt eueniat, postulo ac vehementer etiam atque etiam oro: interea vero dum hoc hic exspectamus, omni tibi puritate, castitate, vitæque sanctimonia seruire proponimus, hac spe fulti, beatæ visionis tuæ, tandem aliquando nos compotes reddendos. AMEN.

## DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMÆ.

### Partitio.

*I. De pane transsubstantiato.*
*II. De mari à Iesu transito.*
*III. De incomparabili conuiuio Eucharistico.*

*Abiit Iesus trans mare Galilææ, & sequebatur eum multitudo magna.* Ioan. 6.

### FIGVRA.

QVIS vestrum, Auditores, non in admirationem rapiatur, ac diuinum plane opus esse iudicet, cum introitum Prophetæ in domum viduæ Sareptanæ, oleum repente videt excrescere, adeoque multiplicari, vt vasis ipsis domesticis nequaquam potuerit comprehendi, sed aliunde mutuo sumere necesse fuerit. Non minus quoque miraculum fuit, ad solam alterius Prophetæ benedictionem, viginti panes hordeaceos multiplicari, vt centum iis homines refecti & satiati fuerint, ac reliquiæ etiam ex iis superfuerint. At multo maius hodierna die miraculum in Euangelio nobis proponitur, cum in deserto & in agris vastæ solitudinis, quinque panes hordeacei, & duo pisciculi adeo multiplicantur, & inimmensum exrenduntur, vt quinq; hominum millia eis refecta fuerint & saturata, ac duodecim fragmentorum cophini reliqui fuerint, ita vt reliquiæ ipsis missibus maiores fuisse videantur. Priora illa miracula ab Elia & Elizæo patrata sunt, hoc à Christo: fuēre illi Prophetæ, hic Dei filius, omniumque Prophetarum rex simul & Deus. O dignū Christi miraculum, ac præclaram Sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramenti figuram, ac luculentum diuinæ prouidentiæ argumentum! Vt igitur vastum hunc Oceanum enauigemus, Spiritus S. nobis, veluti Phatos lucidissima, ac beata Virgo ac Deipara, vti Cynosura, ad cursum feliciter peragendum deligendi sunt. Atque ideo eam, vti solent Angeli salutemus:

4 Reg. 4.

### AVE MARIA.

I. Inter omnes, quas magnus ille Ezechiel Propheta visiones habuit, hæc non postremum mihi obtinere locum videtur, quando scilicet fluuium intumescentem, & aquas eius adeo turgentes & inflatas vidit, nulla vt ratione potuerit transuadari: *Torrentem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ torrentis profundi, qui non potest transuadari.* Ezech. 47. Quid nobis ô torrens aliud designare videris, quam vastum sacrosanctæ ac sacratissimæ Eucharistiæ Oceanum pretioso Christi sanguine rubentem, eiusq; meritorum fluctibus adeo intumescentem, nullus vt vnquam mortalium ingenij sui acie eum potuerit comprehendere.

Dicitur Aristotęles, quod Euripi fluxum & refluxum, qui septies in die reciprocans ludit, comprehendere non valeret, in eum se præcipitem dedisse. Verum quot Aristoteles, quot Philosophi, quot præclara ingenia, ac subtilia acumina, quot hæretici, cum Euripū Sacramēti huius (quod singulis dieb. ne dicam

Arist. Euripo sese iniecit, quod eius fluxus & refluxus causā non caperet.

dicam horis, septem fluxus & refluxus genera continet, sancti scilicet Spiritus dona) comprehendere ac capere non possent, præ indignatione miserè in eo submersi sunt. In eo quippe periêre Capharnaitæ; in eo naufragium fecere Lutherani, in eo submersi sunt Caluinistæ. Denique hoc ipsum mare illud Rubrum est; quod plurimos huiusmodi Ægyptios aquis inuoluit, ac sub vndis sepeliuit.

S. Eucharistia cõparatur fluuio, qui in Paradiso erat.

Constituit iam inde à primo mundi exordio, in medio Paradisi fluuium Deus, qui in quatuor deinde diuisus capita, illum voluptatis ac deliciarum locum irrigabat. Similiter iam inde à passione Domini, è medio corporis eius exundantem, Oceanum intueor, qui in septem dispersus flumina, septem videlicet Sacramenta (quorum primum ac præstantissimum est Eucharistia, & è qua veluti è primo fonte cætera omnia deriuantur) omnem paradisum, Ecclesiam nempe militantem, late irrigat & fœcundat. Huc respexisse mihi Psalmographus videtur, dũ

*Psal. 45.* ait: *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Quid enim aliud per ingentem hũc fluuium adeoque exundantem, Deiq; ciuitatem circum vndique irrigantem, designari potuisset, nisi sacer ille sacræ Eucharistiæ torrens? Hic est enim ingens ille fluuius, quem Ioannes in suis reuelationibus vidit, fluuius, in-

*Apoc. 4.* quam, aquæ viuæ, instar crystalli pellucidus,

*Dan. 12.* ac de sede Dei, & throno Agni promanans. Et sane sacrosancta Eucharistia fluuius est, è cruce Christi scaturiens, è qua & cætera Sacramenta originem sumpsere, quæq; veluti thronus ac solium est Agni purissimi, nullaque contagione sordidati, cuius aquæ crystallo splendidiores sunt.

Figuræ quibus Ven. Eucharistia exprimitur.

Eucharistia quoque puteus est, ad quem Samaritana accessit; puteus plenus aqua saliente in vitam æternam, puteus profundissimus; deniq; puteus, ô homo, è quo neq; in quo haurias habes, & qui altus est. Ipsa quin etiam puteus est Democriti, è quo ille latitantem in fundo veritatem eruere conabatur. In magno namque hoc puteo Philosophi & Theologi veritatem corporis &

*Ioan. 4.* sanguinis Iesu Christi eruere & quærere gestiunt, sed ad fundum præ ingenij imbecillitate non valentes pertingere, quod aoniueniunt, credunt.

O sanctissimam Eucharistiam, ô Sacramentum penitus diuinum!

*—tibi nomina mille,*
*Mille iuuandi artes.*

Milleque figuris in veteri Testamento expressum es. Tu namque es candelabrum illud ex solido charitatis, ac diuinitatis auro (si modo ita iubet) compactum, septem continens lampades, septem, inquam, Sacramẽta, omnes ab igne gratiæ tuæ collucentes: te etenim in septem illis Sacramentis, non secus ac solem in septem Planetis intueor. Et quemadmodum certum est, solem solum inter cætera astra essentia sua ac natura lucidum & splendidum esse, cætera porro sidera si quid aut luminis aut splendoris habent, id ab eo veluti omnis luminis fonte, participando mutuari; sic & tu inter cætera Sacramenta solum gratiam essentialiter, ac per naturam habes reliquis eandem à te non nisi mutuo sumentibus, & ex vberrimo ac locupletissimo tuo fonte in sese, quicquid habent gratiæ, deriuantibus.

Hic obstupescatis oportet, Auditores, hic *Exod. 16.* namque suauissimum illud atque Angelicum manna contemplamini, quo in mundi huius solitudine enutrimur. Videtis hic panem illum in cinere humanitatis nostræ coctum, qui magnas Eliæ æmulatoribus vi- *3. Reg. 19.* res atque animi robur subministrat, vt in fortitudine eius, ad vsque montem Dei Horeb, beatitudinem scilicet æternam, valeant *1. Reg. 17.* pertingere. Hic etiam, mutatis terminis, fundam Dauidicam reperiri posse affero, quæ quinque lapidibus limpidissimis sacris *Gen. 2.* nimirum Christi vulneribus, instructa, Philisthæos prosternit. Viderur & hic arbor illa vitæ, in Ecclesia velut in paradisi medio plãtata. Hîc quoniam de arboribus incidit mentio, est quoque magna illa arbor, de qua *Apoc. 22.* in Apocalypsi quæ singulis mensibus diuersos fructus, duodecim scilicet fructus Spiritus sancti & dona profert: *In medio platee eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.*

Hic

Gen.41. Hic est sacrum illud frumentum, quo sapiens ille Ioseph, famem venturam auguratus, horrea ac repositoria ecclesiæ suæ repleuit, frumentum inquam, de quo Psalmographus, Psal.147. *& adipe frumenti satiat te.* Hic est panis Angelorum, panis ille Cherubim ac Seraphim, & omnium cœli ciuium. Hic est panis ille suauissimus, panis ille mirabilis, cuius farina nostra est humanitas; cuius frumentum, diuinitas, cuius aqua sanguis Christi; fornax, vterus Virginis, ignis, charitas; cuius denique pistor, Spiritus paracletus est. Hic est postremo panis ille prodigiosus, qui hodie in deserto quinque hominum pauit millia. Atque hoc præsentis concionis thema est: *Abiit Iesus trans mare Galilæa, quod est Tiberiadis, & sequebatur eum multitudo magna &c.* Sequamur primo Dominum mare scandentem, ac deinde eum in deserto, ingens hoc & insigne miraculum coram quinque hominum millibus patrantem, quæsitum ibimus.

Ecce cum iam in procinctu sum, vt mare hoc Galilææ transnauigem, veniunt mihi in mentem vetera illa, quæ Deus olim per Exod.14. Moysem patrauit miracula. Eadem siquidem hic mihi videre videor. Moyses enim cum multis in Ægypto editis miraculis, Pharaonem induxisset, vt populum Israël dimitteret, sexcenta hominum millia per mare rubrum, in vastam solitudinem traduxit, in qua cœlesti deinde manna saturati & refecti fuêre. Videas porro hodie Christum, alterum Moysem, miraculis suis quinque hominum millia ex Ægypto mundi huius per mare Tiberiadis traducere, eosque in desertum cogere, in quo mirabili ac prodigioso quodam modo cibati sunt.

*Abiit Iesus trans mare Galilææ*, ait Euangelista. Semper tu Ioan. profundas illas abyssos nauigas, tu per inaccessum diuinitatis Oceanum semper vela pandis, & sinus laxas. Tu solus es, qui instar aquilæ sublime euolantis, semper in sublimibus & altis diuinorum mysteriorum apicibus confides. Tu quippe solus profundum illud SS. Trinitatis mare ausus es intrare, dicens: Ioan.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEVM.* Tu solus etiam qui maria cum Christo sulcas quique vndosum illud Ven. Eucharistiæ pelagus, littora prodigiosæ huius panum multiplicationis cymba radendo, audeas tranare: *Abiit Iesus trans mare Galilææ.*

Hem quot maria Domine Iesu transnauigasti? In primis namque transiisti vastum illud SS. Trinitatis æquor, æterna generatione ab æterno è diuina Patris essentia, velut è profundo quodam mari procedens. Et quemadmodum Oceanus, vt omnes norunt, in duos sinus diuiditur, in mare Rubrum, & mare Mediterraneum: ita quoque vastus ille & late patens gloriosissimæ essentiæ Patris æterni Oceanus in duos ingentes sinus diffunditur, duas, inquam, personas, quibus vniuersam naturam suam penitus communicat, filium scil. qui per mare illud rubrum designatur, & Spiritum sanctum, cuius mare Mediterraneum figuram gerit, quod inter duo ingentia maria, Patrem sc. & Filium medius internatet, & ab vtroque velut ab vno mari principioque procedat. *Abiit ergo Iesus trans mare.* Insignis cõceptus.

Cum itaque ab æterno in hocce maris prospero semper cursu, ac deliciis affluens, nauigasset, aliud mare nauigare decreuit, in quo mille ei pericula adeunda, mille discrimina erant subeunda: mare, inquam, incarnationis, in quo ei Maria mater eius, & simul virgo nauis vice functa est; humanitas nostra velorum; charitas & amor, funium loco fuêre, ac Spiritus S. naucleri & conductoris. Quinque ferme annorum millibus expectauit, antequam nauis huius ingrediendæ tempus aduenisset: quod vbi iam adesset, nouem mensium spatio in ea nauigauit. Atq; hoc esse mare illud videtur, de quo Psalmista: *In mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia non cognoscuntur.* Psal.72.

Ex hoc iterum mari in aliud descendit, in mare, scilic mundi huius, mare plenum syrtibus, scopulis infame, naufragiis notum ac fluctibus semper exæstuans. Perpendite, obsecro, quonam modo id regius vates præuiderit: *Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.* Psalm.76. Figura. Gen.8. Quot hoc in mari pericula adiit, quot tempestates, quot procellas perpessus est, quam aduersis iactatus est ventis? quã turbulentis

agitatus aquilonibus. Sicuti enim Noë statim vt arcam intrauit, quadraginta diebus, ac totidem noctibus vndarũ impetu & ventorum procellis fuit imperitus: ita quoque tu Redemptor, arcam humanitatis nostræ ingressus, ac mundi huius mare nauigans, variis vndique procellis & fluctibus, triginta trium annorum spatio, horride ac crudeliter iactatus es, ac varias tempestates expertus, in quo nulla tibi melior aut tranquillior aura affulsit, nec in quo prius tibi à laboribus quiescere concessum est, quam niueâ illâ columbâ, animâ, inquam, tuâ, euolante, humanitatis tuæ arca in montibus Caluariæ constitit. Vix quoq; natus erat Moses, quin *Exod. 1.* statim in perfluentem Ægypti proiectus est: ita quoque & tu Redemptor mundi, vix in lucem editus fuisti, quin confestim in mundi huius mare coniectus sis, ærumnis ac calamitatibus inuoluendus. Audite Euangelistam liquido id testantem: *Abiit Iesus trans mare Galilææ.*

II. Mundus mari cõparatur.

Vere te procellosum mare, ô infelix munde, dicere possumus, quo nullum aut magis pertimescendum aut periculosius reperiri queat: tu es nempe mare illud tempestatibus concitari solitum, & in quo sæpius tam horrendæ procellæ exsurgere consueuêre, vt animarum nostrarum naufragium, grauissimis passionum fluctibus ac tentationum vẽtis concussum, in magno naufragij patiendi periculo versetur. Næ tu munde turbulentum pelagus es, qui etiam fortissimos viros, ac magna animi fiducia præditos percellis, *Matth. 8.* & Apostolos clamare cogis: *Domine, salua nos perimus.* Tu es mare illud mortuum, in quo tota vitæ nostræ nocte laborantes, nihil meriti capere possumus, adeo vt cum Apostolis *Luc. 5.* clamare cogamur: *Domine, tota nocte laborantes nihil cepimus.*

*Dan. 7.* Tu es mare illud Babylonicum, in quo Daniel olim quatuor ventos digladiantes vidit, post quorũ prælium feræ bestiæ egrediebantur: semper enim furiosis carnis, diaboli, mortis & voluptatis aquilonibus agitaris, post quorum digladiationes peccata monstra terrerrima, prodire solent.

An non igitur vobis, Auditores, Christus plurima maria sulcasse visus est? an non id Ioannes in Euãgelio hodierno testatur, cum ait: *Abiit Iesus trans mare.* At nondum hic Æneæ nostri nauigationis finis, Christi scilicet, qui velut alter Æneas est:

*——terris iactatus & alto est*
*Vi superûm, sæua memorem Iunonis ob iram,*

id diuinæ iustitiæ. Quin & alia adhuc maria sulcauit. videas enim eum in turbulento passionis mari plenis velis enauigantem.

Quo tendis Domine? quid agis? *Eleuauerunt flumina Domine, eleuauerunt fluctus suos.* *Psal. 92.* Iam frementes audire videor vndas, ac rebo- Descriantes mirabiles illas elationes maris: quam ptionis turbulenti atque elati fluctus, quam vehe- quoad mentes agitationes! Si semel Domine id te Passio mare ingredi contigerit, non mediocre, mi- Christi hi crede, discrimen adibis, naufragium fa- *Psal. 68.* cies, vitam amittes, ac verum me dixisse aliquando scies, cum dices: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: &, *Omnes fluctus tuos induxisti super me*, quasi Patri diceres, in quod me pelagus, Pater æterne, deturbasti, omnes iræ ventos super me intonare fecisti, omnia iustitiæ tuæ fulmina in caput meum eiaculatus es: video namq; hoc in mari mihi certo certius esse moriendum. Mihi credas velim Domine, cum vltro ipse procellosum hoc mare ingredi volueris, nũquam te inde, nisi facto naufragio, egressurũ. Eris, eris ille Ionas, qui sæuum redemptio- *Ion. 2.* nis nostræ mare ingressus (in quo tempestatibus passionis agitaberis, vt humanæ naturæ nauim in tuto, ac velut in portu collocare possis) in profundum iacieris, in fluctib. crucis sepelieris, triduo in terræ centro velut in ceti aluo concluderis, ac deinde post triduũ rediuiuus solis lumen videbis, & vitam tuam nouo lumine illustrabis. At satis superq; iam in vndis hisce euagati sumus, tempus est vt ad littus cymbam applicemus, ac desertum petamus, magnum illud miraculum quo, quod Christus mare Tiberiadis emensus facturus est, ibidem contemplemur.

Atq; hæc altera concionis nostræ pars est, quam iam prosequamur. Tradit Euangeliũ, Christum mari iam emenso, quinque hominum millibus stipatum desertum petiisse, & illis penuria rerũ necessariarũ laborantibus, ac triduo ieiunantibus: quinq; panibus hordeaceis,

3.Reg.17. Matt.18 Marc.8. deaceis, ac duobus piſciculis omnem illam multitudinem pauiſſe, adeo vt omnibus refectis, duodecim etiam ſportæ reliquiis plenæ ſuperfuerint. Cuius rei ſignum Elias dedit, cum modicum farinæ quod Sareptana habebat, mirabili virtute multiplicauit. Matthæus quidē & Marcus aliud miraculū referunt, quod idem pene cum hoc eſſe videatur: ſeptem ſcilicet panibus Dominum quatuor hominum millia alio tempore pauiſſe ac ſeptem fragmentorum cophinos ſuperfuiſſe. At hoc miraculum multo mihi præſtantius videtur: quādo nimirum quinq; hominum millia quinq; panibus ac duobus piſciculis ſaturauit, duodecim ſportæ reliquiarum ac micarum collectæ fuerūt: quod egregie mihi poeta viſus eſt expreſſiſſe:

*Quinque Deus panes fregit, piſcesq; gemellos:*
*His hominum large ſatiauit millia quinque,*
*Implentur nimio micarum fragmine corbes*
*Eſſent, æterna tanta eſt opulentia menſa.*

Egregii verſus, at multo præſtantius ipſum miraculum eſt, & diuinum illud ac regale epulum, ipſaq; prodigioſa panis multiplicatio, quæ Tranſſubſtantiationem mihi noſtrā optime exprimere videtur. Illa eamdem ſubſtantiam benedictione multiplicat: hæc efficit vt vnum corpus per conſecrationem multis in locis eſſe queat: illa quinque panibus quinque hominum millia cibat, hæc vno pane infinita hominum millia, ac totum deniq; mundum. O egregiam ac ſtupendam multiplicationem! Et ſane quemadmodū tu olim duos ex Apoſtolis tibi maxime aduerſantes habuiſti, quiq; de tua excellentia ac ſplendore dubitarent, Philippum videlicet qui dicebat, *ducentorum denariorum panes non ſufficiunt, &c.* & Andream qui addebat, *Sed quid hæc inter tantos?* Ita quoq; Tranſſubſtantiatio noſtra duos Antichriſtos ſibi quam maxime aduerſantes experta eſt, qui de eius excellentia ac veritate dubitarent: Lutherum nempe, qui Chriſtum illic impanatum eſſe credit, & Caluinum, qui effrænatiori adhuc impudentia dicere auſus fuit, ſolam hic Chriſti figuram adeſſe. O inſenſate Caluine, ac plane rationis expers Luthere! Reuocatis mihi in mentem figuras, quibus veſtram Sacramentariorumq; omnium audaciam & impudentiā confutem.

Lutherus & Caluinus Tranſubſtātiationis hoſtes.

Duo ſcelerati effrenatæque libidinis ſenes caſtiſſimam olim Suſannam, qua nulla aut honeſtior aut caſtior in vniuerſo Babylonis regno reperiebatur, inique adulterij accuſarunt. Duos hic iterum veteranos veteratores prodeuntes in ſcenam videmus, Lutherum & Caluinum, qui caſtam illam Suſannam, ſacroſanctum ſc. Euchariſtiæ Sacramentum, ac præcipuum eius membrum Tranſſubſtantiationem idololatriæ accuſant: qua tamen nihil aut ſanctius, aut diuinius in mundo reperiri queat.

Lutherus & Caluinus cum Suſannæ delatoribus collati.

In paſſione Domini, cum multis aduerſus innocentem Ieſum teſtimoniis productis Iudæi euincere non potuiſſent, nouiſſime profligatæ audaciæ teſtes prodierunt, qui innumeras in eū blaſphemias eiaculati ſunt, quod tum in paſſione, idipſum hodierna die in Eccleſia contra Tranſſubſtantiationē accidere videmus. Tot, eheu! falſa & iniqua teſtimonia aduerſus Ieſum Chriſtū in venerabili Euchariſtiæ Sacramento latitantem prolata erant, tam multi falſarii veritatem contra teſtati erant, Berengarius imprimis, Bertrandus deinde ac Ioan. Huſs, VViclef, aliique innumeri: *nouiſſime autem venerunt duo falſi teſtes*: nouiſſime inquam, noſtro ſæculo, noſtra tempeſtate: iam recēter, abhinc quinquaginta, aut ſexaginta annis: duo falſi teſtes: duo Pſeudoprophetæ Lutherus & Caluinus, Germanus ille, Gallus alter, qui innumeras in ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum blaſphemias ac calumnias euomuere.

Infignis cōceptus. *Matt.2.*

Vt Chriſtus inter duos latrones crucifixus eſt medius: ita quoque in Sacramento Altaris contingere videmus, inter duos latrones, duos perditiſſimos hæreſiarchas cōſtitutus, variis blaſphemiis impetitur. Arbitrabantur Philiſtæi nouis ſeſe funibus Sampſonem captiuum vincire poſſe, ſed ille exertis manibus eos vt feſtucam confregit. Lutherus & Caluinus, noui illi Philiſtæi de Samſone noſtro qui Venerabili Euchariſtia cōtinetur, triumphum agere putabant, nouis eum hæreſibus conſtringere geſtientes: ſed ille brachia ſuſtollens, ac viribus ſuis

vſus,

vsus, omnia Philistæorum horum vincula, omnes fraudes & imposturas, & ipsos quoque hæresiarchas confregit & in nihilum redegit.

III. Psal. 115. Psal. 128.

Merito igitur exclames, ô sacra Eucharistia, *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*. ac tu ipse Domine: *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea*: Sæpe te namque Domine persecuti sunt, sępius in te blasphemiarum tela contorserunt, ac potissimum in transsubstantiationem. Sed non est hæretici, quod amplius de opere hoc diuino, ac penitus admirabili, deque veritate Sacramenti huius dubitetis: accedite, & videte, aperite oculos vestros, ac discussa caligine, videbitis, conuiuium, quod hodie a Christo in deserto paratur: conuiuii Eucharistici, quod quotidie in Ecclesia fidelibus exhibetur, veram figuram esse: Conuiuii inquam, regii, digni vt in eo animæ & ipsi Angeli epulẽtur: conuiuii de quo Ecclesia canit: *O Sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, & mens impletur gratia!* Conuiuij in quo animæ reficiuntur: in quo corpus CHRISTI cibus & ferculum est, sanguis eius, potus; altare, mensa; Angeli, ministri; Sacerdos, ipse œconomus: in quo non nisi de passione inter cõuiuantes est sermo.

Eucharistia cõuiuio comparatur.

Plutarch. in Anton. Splendidũ epulum Cleopatrę

Taceat iam superbas Cleopatræ epulas, & cœnam antiquitas, in quam duæ gemmæ ducentis quinquaginta coronatorum millibus æstimatæ, inductæ sunt, & conuiuæ Antonio propositæ. Conuiuium namque quod Christus quotidie in Ecclesia exhibet, multo sumptuosius ac splendidius est: illuc enim eius infertur diuinitas, & simul humanitas, duæ maximi pretii gemmæ, cœlestes plane ac valoris infiniti. Et sane de huiusmodi cõuiuio, aut de aliquo quod cum eo comparari queat, neminem vestrum putem vnquam legisse, vel fando audiuisse. Amplum quidẽ & splendidum cõuiuium fuit, cum quadraginta annorũ spatio cœlum Israelitas manna suauissimo in deserto pauit: at multo admirabilius est, populum Christianum atque adeo omnem fidelium cœtum, iam à mille quingentis & amplius annis, in deserto mundi huius, ipso sacratissimo Iesu Christi corpore, in sacro Eucharistiæ conuiuio refici & pasci, cibum tamen non consumi.

Exod. 18. Num. 13. Ios. 15.

Refert Antonium Getam Cos. Romanum Spartianus, ita nonnunquam conuiuium instruere solitum, vt tot missus, & in singulis missib. tot fercula inferrentur, quot Alphabetum literas contineret, velut in quo anser, aprugna, anas, item pullus, perdix, pauo, porcellus, piscis, perna, & quæ in eam literam genera eduliorum caderent. At longe splendidius ac luculentius epulum est, quod in Sacramento Altaris exhibetur: in quod missus iuxta seriem & Alphabetum, gratiarum inferuntur: primo namque octo Beatitudines, deinde sancti Spiritus dona, mox virtutes cardinales, ac Theologicæ: aliquando post gratiæ gratis datæ, ac postremo etiam gratiæ gratum facientes apponũtur. ô vere præclaros missus, ac diuina fercula, ô vere sacrum conuiuium!

Iulius Cæsar Dictator cum post domitum Pompeium, Romam victor ac triumphans ingressus esset, ac solus iam in vrbe dominaretur, vt populo Romano opulentiam ac splendorem ostenderet, epulum publicum dedit, in quo viginti mensarum millia ferculis lectissimis instructa fuere, simulque in populum infinitam auri vim velut missile sparsit. nolite, obsecro, splendorem & pompam Dictatoris huius tantopere demirari. Christus sane maius & magnificentius multo epulum dedit. Hic namque vniuerso terrarum orbe sub imperium redacto, conuiuium instruit Eucharisticum, non quidem pop. Rom. sed omnibus qui in mundo reperiuntur mortalibus: hic plurimas & varias mensas exquisitissimis ac lectissimis epulis refertas videbis: mensas nempe in cœlo ad reficiendos Angelos, qui non minus de huius Sacramenti communione, quam ipsi homines, participant, mẽsas in purgatorio, pro animabus illic distentis qui huius Sacramẽti beneficio etiamnũ gaudent: mensas in Oriẽte pro Abyssinis, Maronitis, Syris, Æthiopibus, alijsque plurimis qui venerabile Sacramentũ hoc adorant: mẽsas in Occidente, mensas in Septentrionali ac Meridionali plaga, in Africa & Asia: mensas apud ipsos Anti-

Cęs. Pom. Rom. epulum dedit in quo viginti duo mensarũ millia parata erant. Rachel l. 1.

Antipodas, mensas denique per vniuersum terrarum orbem, exclamare igitur mihi liceat, ô sacrum ac splendidum conuiuium! Deinde vt amplius magnificentiam suam & opulentiam demonstraret, infinitas quotidie gratias, in conuiuas, præter epulũ ipsum confert.

*Herodot. lib. 7.* Pythius totũ Xerxis exercitum inuitat ad prãdium.

Idem Sabellicus refert, quod magis adhuc miremur, plebeio cuidam Græco, cui nomen Pythius, & patria Celene, quem Democriti Philosophi patrem esse aiunt: tantas fuisse opes & facultates, ac tantum animi totum vt Xerxis exercitum, duodecies centenis hominum millibus constantem, ad prandium inuitaret ac laute exciperet: quin & regi inde abeunti quadringentas auri myriadas, ac bis mille talenta argenti dedisse, dixisseq; satis sibi adhuc prouentuum ad vitæ sustentationem reliquum esse ac se, his etiam ablatis, diuitem adhuc posse appellari. Epulum autem hoc regale, quod Christus quotidie exhibet, multo sane opulentius ac sumptuosius est: ipse enim iam à tot annis omnem Angelorum exercitum, & ingentem illum hominum cœtum pauit, & mẽsa semper instructa manet.

*Dan. 7.* Daniel Propheta Angelorum regiæ huic mensæ assistentium & ministrantium numerum volens subducere, ait: *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Ioannes porro inuitatos dinumerare non valens, præ stupore cõsternatus scribit; *Vidi turbã magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Confert deinde Rex post sumptas epulas, omnibus & singulis, singulare illud & eximium donum, beatitudinem videlicet æternam; quod omnia dona longe antecellit: & quatuor ad hæc talenta addit impassibilitatem, agilitatem, subtilitatem, & corporis membrorumque omnium claritatem, qualitates inquam, gloriam cœlestem semper solitas comitari. Dauid Propheta magnificum hunc & regium apparatum admiratus ait, nihil vnquam aut excellentius aut diuinius Deum fecisse, vel etiam facere posse; *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.*

*Apoc. 7.*

*Psal. 110.*

Potens ille Assuerus, qui alio nomine Artaxerxes, Persarum Rex, qui in centum & viginti septem prouincias imperium habebat, magnificum & opiparum olim in Susis conuiuium parauit, ad quod omnes regni Satrapas & Dynastas inuitauit: quod sex ferme mensibus durauit. Sed summus ille Assuerus, Rex ille cœlestis maius sane quid præstitit, quando epulum illud Eucharisticum parauit, ad quod omnes homines & Angelos, velut regni sui Principes inuitauit: quos ibi lectissimis ferculis reficit: hoc porro conuiuium iam à mille sexcentis annis incepit, & ad mundi vsque finem perseuerabit. An non hoc vere regium cõuiuium videtur, Auditores, aut simile vnquam vidisse vos meministis? an non ter & amplius felices vos dicere licet, qui ad ipsum à patre familias estis inuitati? *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Esth. 1.* *Matt. 11.*

*Ioan. 6.* Effecta sacræ Eucharistiæ.

Quare agite Christiani, ad hoc conuiuium festinate, ad sacram communionem, ad sacrosanctæ Eucharistiæ sumptionem properate: hic nempe animæ, quæ inopes sunt meritis, multas sibi diuitias acquirunt, & sufficienter ditantur: hic enim secundum Apostolum omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi sunt: Hic manducatur panis, qui sapientibus vitam immortalẽ ac perpetuam elargitur: nam *qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Hic est sacer ille Angelorum panis, qui vos, vbi sumpseritis, beatos efficit. Hic est Angelicum illud manna, quod suauitate sua iam à 5. annorum millibus vos mirum in modum recreat. Hic est panis ille, ô animæ purgandæ, qui vos consolidat, qui patientiam & spem mediis in flammis, inter supplicia & cruciatus suppeditat. Hic est ille panis, viatores, qui vobis animum suggerit, ac pusillanimitate sublata aduersus hostes audaces & dæmonibus formidolosos reddit. Hic est ille panis, quem vos hæretici execramini & odistis: ille denique panis qui vos, ô diaboli, ad rabiem & furorem concitat.

Hoc nempe est magnum illud ac mirabile conuiuium, quod hodie in deserto paratur, cuius vt participes reddi queamus, imitandus est ardẽs illius populi feruor, & pie-

tas; triduo Christus sequendus est: per quod triduum tres pœnitentiæ partes, contritio, confessio & satisfactio denotantur. Transeundum deinde est mare pœnitentiæ, super duram discumbendum est, ecce humilitatē. Substernendum est fœnū pedibus, & effrænis illa caro subiuganda, (*omnis* namque *caro fœnum*) ecce mortificationem, ac mundi contemptum. Turbæ quidem ad conuiuium hoc admissæ sunt, sed dignas sese meritis, ac dura subeundo reddidere. Quid igitur te par est facere Christiane, quando non amplius ad figuram, sed ad rem ipsam accedis: & non amplius in deserto, sed in templo: qualem præparationem tam pretiosi cibi sumptio requirit? quam diligentem excussionem, quam accuratum exigit examen? Si vasa, in quibus manna colligebatur, Deus esse voluit aurea: an non igitur anima, in qua non ipsum manna, sed is qui per manna præmonstrabatur, reponendus est, auro charitatis intus & foris exornari debet?

*Exod. 19.* Insignes allegoriæ.

Centum anni in construenda arca, in quam sese Noe cum suis recipere diluuij tēpore debebat, insumpti fuere. Anima mea, cum conscientia tua arca esse debeat, in quā sese verus ille Noe CHRISTVS recipere debet, quanto quæso tempore in ea per pœnitentiæ opera fabricanda occupari te par est? Septem annos Salomon in templo construendo impendit, in quo Decalogi tabulæ & arca Testimonii erant collocandæ. Tibi vero anima, cum conscientia tua in magnificum templum præparanda sit, in quo non tabulæ legis, sed, ipse legislator commorabitur, quantum temporis in eo construendo insumendum est? Si Virgines, quas in Regis Assueri conspectū aliquando venire oportebat, anno integro in conclaui inclusæ tenebantur, quo venustatem & gratiam faciei compararent, vt cum in Regis conspectum prodeundum foret, gratia coram eo reperta ad eius concubitum admitterentur? quanto vos tempore ô animæ, procul a mundi tumultibus ac turbis seclusæ, remanere deberetis, nulli alii operam rei dantes quam interiori animæ pulchritudini parandæ, vt coram magno illo Assuero gratiam, quando illi sistendæ eritis, reperire possitis?

*Gen. 6.*

*3. Reg. 6.*

*Esth. 2.*

Et sane, si vos ipsos ad hunc modum præparaueritis, quinque etiam panibus cum turbis hisce saturabimini, hoc est, quinque Christi vulneribus, ac duobus pisciculis, duabus nempe, quæ in eo sunt naturis. Pisciculis inquam, qui in mari hoc incarnationis, vel in mari illo gratiarum, gloriosa sc. Virgine ac Matre Maria, si ita intelligere vultis, aut si malitis, in mari huiusce mundi, natarunt. Tanta porro magnificentia, tanta lautitia ac tanta superbia excipiemini, vt anima vestra plene saturanda sit, voluntas vestra reficienda, intellectus illuminandus, sensualitas hoc cibo gustato temperanda, & concupiscentia refrænanda. An non tū quinque hominum millia saturabuntur! At nondum hic finis, supererunt vobis etiam duodecim fragmentorum cophini: ipsa scilicet peccatorum remissio, gratiæ acquisitio, Dei amicitia, ecce tres: pœnæ apud inferos tolerandæ in purgatorij pœnam commutatio, pax & tranquillitas conscientiæ, Spiritus paracleti consolatio, ecce sex: carnis mortificatio, malarum consuetudinum & habituum prauorum exterminatio, gratiæ argumentum, ecce nouem: integra vitæ emendatio, magna ad benefaciendum promptitudo, ac denique æterna ac cœlestis gloria. An non 12. cophini hæc esse videntur? an non ille egregiæ ac mirabiles reliquiæ sunt, quæ ab hac mensa colliguntur?

Quid quinque panes & duo pisciculi designent.

Quid 12. cophini significent.

O magnifice ac potentissime Princeps, qui sumptuosum hoc, & opiparum epulum præparasti, atq; idipsum quotidie fidelibus tuis exhibes: conuiuium, inquam, quo nullum splendidius aut opulentius vnquam extitit; aut existet: hanc nobis, obsecro concede gratiam, vt quandoquidem in nostri idipsum gratiam præparasti, magna cum animi demissione ad ipsum accedere, & ad harum imitationem turbarum mare tecum transire, te in deserto pœnitentiæ sequi, & fœnum bonorum, dignitatum, mundanarumque voluptatum, pedibus substernere valeamus: quo humiliter, religiose ac pie in terram reclinati, gratiarum, benedictionum, deliciarumque quæ in sacro hoc conuiuio digne manducantibus conferuntur, parti-

participes effici mereamur. Deinde à te etiam obsecramus, vt animas nostras fame propemodum enectas, quæ iam triduo aut forsitan trimestri, ne dicam triennio, sacro hoc & cœlesti pane, & Sacrosancto Eucharistiæ conuiuio abstinuere, & eo frustratæ sunt, enutrias: operientes hic interim, donec ad aliud illud epulum, quod post hoc in æterna beatitudine sequi solet, inuitentur, ad quod nos Pater, & vnigenitus eius Filius, ac sanctissimus Spiritus perducere dignentur. AMEN.

## FERIA II. POST DOMIN. IV. QVADRAGESIMÆ.

### Partitio.

*I. In Deum cadere iram.*
*II. De templis Dei cultui construendis.*
*III. De antiquitate vsus templorum, ac vniuersalitate.*
*IV. De ementibus ac vendentibus in templo.*

*Prope erat Pascha Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes.* Ioan. 2.

### FIGVRA.

*Num. 25.* CVM magnus ille Phinees, Eleazari filius, Aaronis summi Sacerdotis nepos, honoris Dei ac castitatis zelo incensus, impudentem Zambri cum Madianitide in cõspectu totius multitudinis, magno diuinorum præceptorum contemptu, ac totius populi scandalo, fœdo concubitu commisceri videret: gladium arripuit, ac zelo feruens vtrumque in locis genitalibus vindice manu in flagranti delicto confodit. Quod factum diuinæ maiestati in omnem populum exacerbatæ adeo complacuit, vt ei Sacerdotis dignitatem in æternum sese daturum sponderit. Quem zelum cum accuratius intueor, exprimere mihi aliquatenus zelum CHRISTI Redemptoris nostri videtur, quem hodiernum Euangelium magnopere deprædicat: cernimus quippe hic non Eleazari, sed filium Dei vnigenitum, non ipsum Phinees, sed Iesum Christum: honoris & gloriæ paternæ zelo ardentem (cum non Zambri, sed plurimos Iudæorum publice fornicantes, aut potius magna cum ignominia templi sanctimoniam profanantes videret) furore quodam sancto agitatum, & flagello è funiculis contorto, gladii loco in manus accepto, eosdem inuadere ac templo pellere. Vt porro pro dignitate iram tuam & furorem Domini explicare possimus, sancti Spiritus auxilium, per tuas ô glorioſa Virgo preces enixè postulandum est, quare vnanimes legamus:

AVE MARIA.

Non recte, mea quidem sententia, opinati sunt Stoici, cum magnanimum aliquem & omnibus numeris absolutum virum exprimere cupientes, eundem DEVM quandam appellare non sunt veriti: & iradum in summum illud Numen, æternum illum Spiritum, amorem quidem & pietatem clementiamque non vero iram, furorem & vindictæ appetitum cadere posse afferuerunt; Si enim inquiebant, Deus mutari non possit, & nullis affectibus moueatur, si denique Ens est vndequaque perfectissimum: quis tanta futurus est impudentia, vt affectibus prauis, passionibusque quæ inter peccata mortalia etiam locum occupant, vt est ira, & excandescentia, dicat concuti & commoueri? Modeste, ac ne quid nimis, ô Philosophi, non attigistis, mihi credite, scopum: at ipsi Prophetæ melius rem attigerunt, & videntes viderunt multo vobis acutius, cum scilicet oculos Dei ira flammantes, & eius faciem furore concitatam toties nobis descripserunt. I. Dicebant Stoici Deũ nunquam iratum sci.

Multo profundius ac verius Moses philosophatus est, cum Deum velut iratum alloquens, his eum verbis compellauit: *Quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.* Melius quoque Psalmista, dum ait: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Et Propheta Zacharias: *Effunde iram tuam* *Exod. 32.* *Psal. 4.* *Zach. 1.*

*ingentes.* Tu vero Paule Apoſtole, quid ais? cuius opinionis es? anne Stoicorum dogma ſequeris? audebisne dicere Deum iraſci
Rom.1. non poſſe? nequaquam, ſed noſtræ ille ſententiæ accedit: *Reuelatur*, inquit, *ira Dei in cœlo.*

Quid autem, an non manifeſtum iræ argumentum ac vehementis furoris ſignum
Gen.3. eſt, ob vnicum peccatum angelos cœlo, Adam cum poſteris Paradiſo terreſtri pellere?
Gen.7. quadraginta diebus & totidem noctibus pluuiæ habenas laxaſſe, & omnes aquarum cataractas reſeraſſe, omnis vt terræ ſuperficies ſub aquis natitaret, an non euidens,
Gen.19. & apertum ingentis paſſionis indicium? Sulphureum & igneum imbrem in quinque florentiſſimas Palæſtinæ Syriæque ciuitates, magno impetu vehementiaque immiſiſſe, eaſque in fauillam & cineres redegiſſe,
Exod 14. nonne vobis iram quandam horrendam re-
Num.21. dolere videtur? an non iram ſapit & furorem, tot hominum millia rubri maris aquis immerſiſſe, & in filios Iſraël ignitos ſerpentes immiſiſſe?

Non igitur recte, niſi quid iudicans fallor, ô Stoici, à Deo flammas iræ excluſiſtis, eumque procul à paſſionum motibus abeſſe dixiſtis: cum enim animo mecum perpendo, eum ob vnicum delictum tam grauiter in
2.Reg 24. dilectiſſimum ſibi regem eiuſque regnum animaduertiſſe, vt ſeptuaginta ſubditorum millia peſte & contagione lethali abſtulerit: credere non poſſum, aut in animum vlla ra-
Exod.11. tione admittere, quin hic ſaltem aliqua Dei aduerſus populum ſuum ira fuerit. Quid? quando Angelum Dei iuſſu ſtricto mucrone
4.Reg 18. in caſtris Aſſyriorum volitantem; ac centum octoginta hominum millia vna nocte proſternentem, ac caſtra natantia ſanguine & cæde contemplor: deinde quando omnes Ægyptiorum primogenitos ac eius mandatum vna nocte commorientes intueor: denique quando ob vnum idololatriæ peccatum populum Iſraël in captiuitatem, modo in Aſſyriam, modo in Babylonem abduci cõtemplor, tot mihi iræ argumenta & ſigna videre videor, aut ſane nulla prorſus ira poteſt reperiri.

Verum veteribus hiſce hiſtoriis relictis, ad Euangelium veniamus, in quo nouum iracundiæ ſignum, & euidens vehementis furoris indicium habebimus, cui ſimile Deus vix vmquam demonſtraſſe legitur. Aſcendens quippe hodie in templum Salomonis, & repertis in eo ementibus, & vendentibus, qui locum illum, omni cultu ac reuerentia dignum, indignis negotiationibus ac commerciis polluebant, tantum iræ indignationisque concepit, adeoque commotus eſt, vt facto è funiculis flagello, eos ſeuero vultu caſtigarit, templo eiecerit, & menſas eorum euerterit: *Cepit flagellum de funiculis, & eiecit ementes & vendentes de templo, &c.*

Quando hunc Domini furorem inſpicio, videre mihi Sampſonem illum videor, qui cum Philiſthæos idolis immolantes, inque
Iud.15. diuinam maieſtatem peccantes cerneret, iracundia & furore commotus, accepta aſinæ mandibula, mille ex iis proſtrauit. Et ſane non minus mirandum eſt, quod Sampſon noſter Chriſtus hodie in templo agit; cum accepto in manus flagello, Phariſæos templi ſui honorem violantes, ira & furore commotus, eodem expellit. Hiſtoriam Ioannes deſcribit: *Prope erat Pascha Iudæorum, & aſcendit Ieſus Ieroſolymam, & inuenit in templo vendentes.* Quod argumentum vt ſcite & ordine tractare poſſimus, primo templum ingrediamur, ac deinde ad negotiatores orationem conuertamus.

Quod ad primum igitur attinet, per vo- Quid ſi
cem, Templum, vt plurimum materialem pla ſigni-
templi fabricam intelligimus, locum ſcili- ficent.
cet adorationi & cultui diuino deſtinatum, locum in quo Deum adoramus, Sanctos inuocamus, imagines veneramus, verbum Dei audimus, ac Sacramenta percipimus: locum inquam, quem hæretici horrent, & fideles honorant: locum quem Sathan demoliri & deſtruere, Deus conſtruere & conſeruare conatur.

II. O maligne Spiritus cõtradictionis, nefande, inquam, hæretice, qui à primo ortus tui tempore bellum ſacris hiſce templis, locisq; piis indixiſti, quotidieque in iis deſtruendis & euertendis elaboras, ad quid, obſecro, dicis: Semirutis ingemiſcant templa tectis, &

—*lapſis*

*——lapsis ingentia muris*
*Saxa iacent:*

Ipse namque Deus vbique est, & vbique locorum potest adorari? Concedo, & tecum sentio: at non vides eum, præterquam quod omnia maiestate sua compleat & occupet (quod Dei solius est, eo quod infinitum ens existat, qui ait: *cœlum & terram ego impleo,*) & præterquam quod etiam in locis, quæ mēte secundum Philosophos finguntur, habitet; semper tamen loca quædam singularia, cultui suo dedicata delegisse, quibus inuocaretur, exaudiretur, & mirabilia sua opera ederet.

*Hieron.* Deus semper loca habere voluit in quibus adoraretur.

Erat quidem Deus, antequam carnem indueret, vbique locorum, & quatuor mundi plagas maiestate sua implebat; sacrum tamē Virginis vterum subire non est dedignatus, in eoque sublime illud incarnationis mysterium, omnium miraculorū maximum peragere. Vnde merito mihi canere Ecclesia videtur,

*——quem totus non capit orbis,*
*In tua se clausit viscera, factus homo.*

Ad eundem modum anima in toto quidem corpore habitat, inque omnibus eius partibus operatur & agit, idque eo prorsus modo quo Deus in toto mundo est & operatur. Est scilicet secundum Philosophos, tota in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte, & tamen in parte vna nobiliores effectus producit, quam in alia: quod enim in cerebro agit, multo nobilius est eo quod in talis & in pedis planta. Ita quoque Deus vbique & per totum terrarum orbem operatur & habitat, vel, prout Theologi loquuntur, est vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam. Et fieri non potest Domine, aiebat Dauid, vt à facie tua & vultu me abscondam, qui vtrumque polum perlustras & perspicis; nam, *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades:* adeo vt vbique sis; in templis tamē sublimiori quodam modo es & longe eminentiori: in quibus te adorabo, inuocabo, & peculiari ratione colam: *Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

*Psal. 138.*

*Psal. 114.*

Lucida illa Solis fax vniuersum mundi orbiumque cœlestium ambitum quotidie percurrens, ac quatuor mundi plagas singulis diebus lustrans, superius quidem in cœlo cæteris stellis, in mundo vero rebus inferioribus, lumen suum communicat; nunquam tamen Zodiacum, in quo duodecim cœlorum signa continentur, egreditur, & ex illo influxus suos in res inferiores emittit; ac quemadmodum Sol ille Creatoris sui figura est, ita quoque eiusdem actiones imitatur. Nam quamuis ingens ille Sol iustitiæ Deus tum Angelos, qui in stellis cœli adumbrantur, tum etiam homines, qui per hæc inferiora repræsentantur, gratiarum suarum influxuum participes reddat; tamen vt plurimum in templis, velut intra suum Zodiacum, in quibus duodecim Apostoli instar duodecim signorum sunt, reperitur, in quibus supernaturales gratiarum influxus communicat, quæ nobis per Sacramentorum deinde motum applicantur.

Sol cōfertur cum Deo.

Sæpius ipse mecum, sacras Scripturas volutando, demiratus sum, cur omnia penè opera, quæ aliqua ratione cæteris antecellere, ac præstare videntur, semper in rupibus aut in montium summitatibus peracta sint. In monte Sinai tabulæ legis datæ sunt, in monte Oliueti Transfiguratio Christi contigit; & in monte Caluariæ Christus moriens exspirauit: vbique reperimus montes, vbique rupes & petras, vbique præsagia super petras illas Simonis Petri, & in templis quæ instar montium eleuata sunt, Deum mirabilia sua cernimus operari. Et ecce manifestam eiusce rei rationem. Dicite, quæso, vos templorum euersores & destructores, an non æque Deus temporum Dominus est ac locorum? & tamen homines obligare noluit, vt eum omni hora & nullo non tempore adorarent, præterquam die Dominica: atque ita in Exodo scriptum legimus: *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua, septima autem die Sabbatum Domini tui est.* Cùm igitur Deus ex omni hac temporis vniuersitate certos quosdam dies sibi delegerit, quibus adoretur; cur non ex omnibus mundi adeo late patentis locis, templa sibi singulari quadam ratione delegit, in quibus adoretur.

Conceptus.

*Exod. 19.*
*Matth. 17.*
*Matth. 28.*

Ostenditur, Deū in loco aliquo certo coli velle.

Ostéditur idipsum & aliis rationibus.

Eece & alias rationes. Licet omnes omnino proles Deo, veluti Creatori, dicati & consecrari debeant; in Exodo tamẽ voluit Deus primogenitos sibi peculiariter offerri: an non hoc indicium est, licet ad Deum totus terrarum orbis spectet, quia *Domini est terra & plenitudo eius.* templa tamen ei & loca quædam particularia, quæ cultui eius dedicentur, esse erigenda. Deinde si satis sit, Deum vbiq; locorum colere & adorare, cur vos Magi, veluti superstitiosi, de longinquis terrarum oris, ab vltimo scilicet Oriente in Bethlehem vsque properatis, vt illic Christum in stabulo repertum adoretis? Cur tu Daniel in captiuitate Babylonica detentus, toties ad templum Hierosolymitanum absens oculos conuertisti, & ad eam partem potissimum in qua templum situm erat, orans & obsecrans manus sustulisti? *Quod cum Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo, contra Ierusalem, tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat.* Ad quid istorum manuum extensio, & cur has precandi cæremonias adhibet?

*Exod.13.*
*Psal.23.*
*Dan.6.*
*Psal.136.*

Vos quoque Israëlitæ in Chaldaicam captiuitatem abducti, cur toties ad templum istud Ierosolymitanum anhelastis, si tanti sint ponderis preces in agris locisque desertis effusæ? cur dixistis querentes & gemebundi? *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Vos vero glorioси Apostoli Petre & Ioannes, cur in templum ad horam orationis nonam ascendistis? Tene quoque superstitiosam appellabimus, sacratissima Virgo, ad templum, voti persoluendi, filiique Deo Patri offerendi, ac munerum in purificatione tui offerendorum ergo, ascendentem? Minime gentium; at sunt hæc potius argumenta & signa manifesta, preces in templis ad Deum effusas, longe ei gratiores & acceptiores, quam eas, quæ in agris, & alibi effunduntur, existere.

Templorum quasi modo habemus vsum.

Huc adsis ô templorum hostis iuratissime, deducam te expatiatum, tibique inter ambulandum demonstrabo, eadem templa, quæ modo in vsu sunt, iam à duobus annorum millibus & amplius, & eodem prorsus cultu, quo nos eadem dedicam⁹, in vsu fuisse. Desertum petamus, & statim in ipso eius ingressu Israëlitas tabernaculo Dei iussu cõstituendo occupatos reperiemus, in quo & Deum colerent, & sacrificia offerrent. Cur hunc laborem subitis, ô viri, in vanum, vt aiunt hærerici, laboratis? cur non in agris & in media solitudine Deum adoratis, quare non potius in late patenti deserto holocausta & victimas vestras, quam in augusto tabernaculo, immolatis?

duobus annorum millibus viguit. *Exod.26.*

Inde ad terram promissionis ascendamus, & in ea Regem & Principem adeo de templo ædificando sollicitum fuisse videbimus, vt dixerit: *Vtdeo quod ego habito in domo Cedrina, & arca Dei posita est in medio pellium.* Ingrediamur deinde ipsam Ierosolymorum ciuitatem, in qua ad primum introitum Dauidem Regem templi illius augusti & splendidi fundamenta ponentem videbis: cernes, inquam, triginta hominum millia quotidie strenue operantium, ac quatuor operum præfectorum millia; vbi si tibi modo vacet, & morari velis, septem annos fabricæ videbis impendi, ac tanta quidem dexteritate & industria, nullus vt mallei ictus fuerit exauditus. Quod porro Dauid templum inchoauit, ac perficere propter effusum sanguinem non potuit, quodque filius eius, pacificus Salomon, perfecit & consummauit; idipsum paucis post annis dirutum & destructum intueberis; sed haud longo interiecto tempore exsurget Zorobabel, qui priores ruinas sit restauraturus, ac post eum iterum legis patriæ æmulatores Machabæi.

*2.Reg.7.*
*3.Reg.5.*
*1.Esdr.2.*
*1.Mach.4.*

Apostoli templa construxere.

Nimis diu Ierosolymis hæsimus, egrediamur vrbe, & Apostolos per omnia mundi climata, & orbis plagas properantes sequamur. Videbimus Matthæum templa in Ægypto, Ioannem Ephesi, Bartholomæum apud Iudæos ædificantem. At dices vnde hæc hausisti, vnde hæc nosti? Eccetestem habeo Abdiam Babylonium, Apostolorum æqualem, qui eodem cum illis vixit tempore; Eusebium quoq; Cæsarienſem, qui & addit, temporibus suis, imperio scilicet Imperat. Claudij,

*Libr.2.hist. cap.17.*

Claudii, omni pœne loco templa Christianorum fuisse, ac loca oratione destinata. Transeamus deinde Antiochiam, vbi à S. Luca templum ex præscripto Apostolorum Petri & Andreæ cõstrui cernes. At in reditu Romam orbis caput transire nefas erit, vbi innumera propemodum templa extrui videbimus. Sic enim S. Balbina ad instantiam Alexandri Pontificis, Ecclesiam S. Petri ad vincula constituit; Helena quoque Magni Constantini matre, infinitas propemodum ibidem ædificat basilicas.

Hinc te haud procul Rupella tua deducã, quo loco te in memoriam reuocare velim; quid olim in eius agro peractum sit. Consule antiquitatem, euolue historias, ac vetera monumenta perscrutare, ac tum demum vide, num & apud vos vnquam templa sacra exstiterint. Et sane, si te quærere & indagari non pigeat, reperies iam à mille quingentis annis, S. Martialem, Apostolorum discipulum; & Aquitaniæ Apostolum; primam facem, quæ tibi fidei lumen suppeditauit, ô Gallia; primum tuum Apostolum, ô Aquitania, cuius doctrinam & miracula reuereris; primum fidei apud vos fundatorem, ô Lemouices (felices inquam tam magno & præclaro patrono, tutore, custode & conseruatore Lemouices; in cuius honorem tẽpla erecta, & cuius reliquias habetis:) reperies inquam, ô sanctorum sanctarumq; Ecclesiarum hostis, glorioſum hunc virum, Burdegalenses Epistolis adhortari & incitare, vt in beatissimi Protomartyris Stephani honorem templum ædificent. Viden igitur quam vetus & antiqua templorum apud Christianos sit memoria? agnoscisne & cognoscis eadem iam inde ab Apostolorum temporibus nota fuisse? Sane si ipsæ turres, si murorum ambitus, ipsa campanilium cacumina, quæ pluribus in Galliæ nostræ locis adhuc exstare conspicimus, loqui possent: ipsa tibi suæ fundationis initia; hæc quidem iam ab annis mille, illa etiam longe vlterius, arcesserent.

5 Martia. Aquitanię Apostoli laus.

S. Martia. epistol. ad Burdigal.

X. Concil. in quib. de templis fit mentio.

Si hæc tibi forsan antiquitatis memoria non arrideat, decem tibi Concilia proferam quæ te confutabunt, & quæ cum templorum meminerint, cum templa velut loca quædam sacra, & res quasdam sanctas, in honore habenda esse vnanimi consensu asserant, errorem tuum coarguent. Ecce tibi hæc eadem ad oculum depromam; Concilium Parisiense sub Ludouico & Lothario regibus: Concilium Aurelianense primum & quartum, Matisconense, Antisiodorense, Aquense, Ilerdense, Toletanum duodecimum, Gangense, & Arausicanum. Omnia hæc templorum honorem & cultum præcipiunt eorumque vsum approbant & indicunt: *Si quis domum Dei docet contemptibilem esse debere: anathema sit.*

An non igitur merito templa defendimus, eorumque cultum auctum & propugnatum imus? tu vero hæretice quam te sacrilegum & profligatæ audaciæ ostendis, cum eadem demoliri & euertere studes. Interroga patres tuos & dicent tibi, pete ab omnibus omnino hominibus, quantum temporis interfluxerit, ex quo in vsu esse cœperint: & dicent tam antiquam eorum memoriam esse, vt cum ipsis hominibus cœperint; & tam diu duratura, vt cum mundo finienda sint. Denique vt hic finem faciam, aperi hodie oculos hæretice, accede ad Euangelium, & videbis ipsum Christum Dominum accepto flagello, iniuriam & contumeliam, quæ templo suo irrogabatur, vindicasse, & ementes ac vendentes templo exegisse. Quid hic audio Euangelistæ: *Tantane animus cœlestibus iræ?*

IV. Qui perementes & vendentes intelligantur.

Quosnam vero, vt ad alterum concionis membrum descendamus, hos vendentes & ementes esse dicemus? quinam hi negotiatores & nummularii, qui in templo distrahunt & coemunt? Dicere possumus, per eosdem rerum spiritualium mercatores, beneficiorum proxenetas & distractores, Prioratuum Abbatiarumq; inuasores, designari. Hi sunt namq; qui domum Domini speluncam latronum, ac prædarum receptaculum constituunt; denique paucis vt complectar, per hos ipsos Simoniaci adumbrantur. Hi sunt namque noui illi Philisthæi, qui arcam Domini exercituum, & idolum Dagon sub eodem tecto collocare gestiunt: qui templum ad orandum destinatum, in peristylium mercantium conuertunt, auaritiæ suæ idolum. 2. *Reg.* 5.

Idolum iuxta arcam humanitatis Christi constituere satagentes. Hi sunt Tyrii & Sidonii illi, Babylonii illi, qui templa prophanant, violant, diripiunt ac deuastant, de quibus Ioel Propheta: *Argentum meum & aurum tulistis cito, velociter reddam vicissitudinem.* Hi sunt scelerati illi Nabuchodonosores, idolorum cultores, qui postquam plurima templa euerterint, ac multa beneficia distraxerint, in bestias commutati sunt, & instar bestiarum ad inferos quoque deturbantur.

*Ioel.3.*
*Dan.3.*

*Eiecit vendentes & ementes.* O Simoniaci, vos estis impii hi negotiatores & mercatores: vos estis impii illi Balthasari, qui Ecclesiæ opes diripiendo, nec vasa modo sacra, verum etiam ipsa beneficia deprædando, eademque cum concubinis vestris dissipando ac decoquendo, sæpius meritas & dignas direptionum vestrarum pœnas persoluistis. Veniat, obsecro, vobis in memoriam impij illius Heliodori, qui cum sacros templi thesauros, pecuniasq; depositas sacrilega manu auferre moliretur, tam insignes ab Angelo inflictas pœnas dedit, vt pæne exspiraret. Vos igitur Angeli templorum nostrorum protectores, & tutores estis. Ecce Angeli rebelles, cælo; gulosi Adæ, Paradiso; traditores Iudæ, Apostolatu; peccatores Ionæ, naui; corui, arca; & hodie sacrilegi mercatores, templo eiecti sunt. *Eiecit vendentes & ementes.*

*2. Mach. 3.*

O infelices Ecclesiastici, tamne tristem vobis casum imminere, tantum vobis accidere infortunium, vt vos è templo eiiciendi sitis, qui alios eiusdem introitu arcere consueuistis, & ipsos etiam Dæmones expellere? tantane vobis ignominia euenire, vt vos templo sitis eliminādi, qui eiusdem ianitores estis, qui claues eiusdem geritis, tantæ inquam potestatis claues vt Ecclesiam, regnum cæleste, & simul infernum reserare atque obserare queant? Vestræ auaritiæ, vestræ Simoniæ, vestræ hypocrises Christum hodie ad iracundiam prouocant, vt vobis dicere necesse habuerit. *Vos fecistis illam speluncam latronum:* ac si diceret. Vos ego Ecclesiastici, vos beneficiarii in templo meo constitueram, sperans fore vt ex eo domum orationis, domum pietatis, ac domum sanctitatis faceretis, & ecce vice versa in spelūcam, & receptaculum latronum, prædonū ac direptorum eam conuertistis, & omnia latrociniis prædisque infamia sunt.

Reuera ita se res habet Domine: eheu quot latrones è templo tuo egressi sunt, quā multi prædones è monasteriis prodierunt? Arius, Eutyches, Montanus, Berengarius, Lutherus, Oecolampadius, Caluinus, alijq; plurimi in templo tuo latrocinia exercuerūt, & ecce omnes aut Monachi, aut saltem Sacerdotes & Ecclesiastici fuere. Eheu quā sacrilegi hi negociatores erant? imo vero prædonum & latronum Principes, atq; illos omnes Domine templo expulisti. *Eiecit vendentes & ementes.* Non vendebant hi minutim ipsa beneficia aut Ordines, vt hodie Simoniaci facere cōsueuerunt, sed instar mercatorum maiorum totam simul Ecclesiam diuendebant. O sacrilegos, ac prædonum Principes! Vendebant hi mysterium SS. Trinitatis, vt Ariani; illi incarnationem Christi inuadebant, vt Nestoriani; alii vero recentiores diripuere sacras imagines, calices, Sacramenta, Sanctos, Vota, Monasteria, ieiunia, vt Lutherani & Caluinistæ: de quibus merito Dominus dicere potuisset: *Vos fecistis illam speluncam latronum.*

Omnes pœne hæresiarchæ quia hi Ecclesia defecerunt, plerunq; monachi aut Sacerdotes fuere.

Iam vero, ô Sacerdotes, & Ecclesiastici, vt ad propositum redeamus, ne quæso amplius Deum ad iracundiam prouocetis, neue illi materiam & occasionem detis, quo vos flagello è funiculis contorto, templo suo exigat. Sit vita vestra honesta, nemini vllū scandalum dando. At recordemini vos esse lumen mundi, ac sidera Ecclesiæ, Episcopos vero ipsos planetas, Pontificem ac caput Ecclesiæ, Solem. Sidera igitur & stellas imitemini, quæ in firmamento quidem semper micant, at nunquam eclipsim patiuntur: ita & vos bono exemplo vitæque honestate semper aliis prælucete, ac nunquam scādalo aliquo deliquium patiamini. Tanta namque vestra dignitas est ac sublimitas, vt ipsam Angelorum multis partibus antecedat. Hinc S. Franciscus citius sese honorem Sacerdoti; quam Angelo si eodem sibi tempore occurrerent, exhibiturum aiebat.

Quanta sit Sacerdotum dignitas

S. Anto-

S. Antonius quotiescunq; Sacerdotem obuium haberet; in genua coram eo prouolutus, benedictionem ab eo efflagitabat. Magnus ille Imperator Constantinus in Nicæna Synodo Sacerdotes Patronos & Patres nuncupabat. Imperator Theodosius ad pedes S. Ambrosii Sacerdotis & Episcopi prouolutus obnixe ab excommunicatione per eum absolui petiit. Orbis illud flagellum & Italiæ terror Attila, Hunnorum Rex, quo vix vllus vnquam immanior aut crudelior extitit, cum in conspectum Leonis Papæ totiusque Cleri Romani, qui ei imminentes Italiæ calamitates commiserati occurrerant venisset, tacita quadam in viro sancto elucente maiestate perterritus, arma deposuit, ac iussa sese facturum spopondit.

In vita Leonis.

Quamobrem Sacerdotes, quos Dominus in templo constituit, vt ex eo domum orationis faceretis, hæc ipsa templa honorate, in ijs debitum Deo cultum exhibete; nolite ea hypocritarum & Simoniacorum domum constituere, sed domum bonorum ac fidelium ministrorum, vt aliquando audire mereamini: *Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium.*

Matt. 20.

Ecce, Domine Iesu Christe, hodierna tibi die profitemur, zelum domus tuæ nos comedisse, & promittimus nihil tantæ nobis curæ fore, quam Ecclesiæ tuæ honorem, templorum cultum, & nominis tui gloriam, ac perpetuum in tuo obsequio affectum: ad hoc vnum contendemus, hoc vnum spirabimus. Deinde tanta diligentia, ac tam accurate munus nostrum, ad quod te donante vocati sumus, explebimus, vt nullam vnquam irascendi occasionem daturi simus, qua nos è tẽplo tuo exigere possis. Ipsa nos prius opprimat mors, quam loca hæc sacra profanemus, quam aliquid in ijs aut diuendamus aut emamus: mille potius mortis genera ingruant, quam in ijs Simoniam cõmittere, & hypocrisim aut fucatam pietatẽ fouere præsumamus. Ecce promittimus ac vouemus Domine, fidele tibi hic obsequiũ nos exhibituros, quo, sicut boni ac fideles serui Ecclesia militãte egressi sumus, aliquãdo in ipsa triumphante conspicere te mereamur. Amen.



## FERIA III. POST DOM. IV. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De Inuidia.*
*II. De Doctrina Christiana Isagoga.*
*III. De legis Christianæ admirabili præstantia.*
*IV. De scientia Christi.*

*Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum & docebat, & mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Ioan. 7.

### FIGVRA.

REGINA Saba ab extremi orbis partibus multo comitatu, ac multis nobilibus & Principibus stipata, Hierosolymam ad sapientiam Salomonis audiendam cum venisset, ea audita, ac visa eius magnificentia & splendore, adeo obstupuit, vt extra se rapta, & vltra spiritum non habens dixerit: *Beati viri & beati serui tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Attollite oculos, Auditores, ac videte synagogam illam nationum omnium reginam, per Prophetas scilicet ita nuncupatam, ab extremis Iudææ finibus, magna nobilium, Scribarum, Pharisæorum, summorumque Pontificum stipatam multitudine in templum proceuntem; & audita non sapientia Salomonis, sed doctrina & prædicatione Iesu Christi, præ stupore extra sese raptam, adeo, vt præ admiratione dixerit: *Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit?* Nonne id optime cum figura videtur coincidere? Est hoc hodierni Euangelij subiectum, de quo, vt aliquid ad maiorem Dei gloriam, vestrumque omniũ solatium dicere possimus, ad Spiritus sancti subsidium ac solitum Deiparæ Virginis patrocinium confugiamus, dicentes:

1. Reg. 10.

AVE MARIA.

Anacharsis dictū. Rogatus olim Anacharsis Scytha philosophus, cur toties homines tristitia afficerentur, ait: id non aliunde, quam ab inuidia proficisci; dolent enim & tristantur, cum alios læte & prospere agere vident, & virtutes in ijs perspiciunt, quas sibi deesse sciunt; adeo, vt tantum de alienis virtutibus, quantum de suis sceleribus doleant. Et sane ipsa inuidia pestis est, quæ vt plurimum Virtutes, fælicitatem, ac benefacta comitatur: quod diuinus Plato satis expressit cum ait: *Quibus prospere res succedunt, contingit oriri primo æmulationem, deinde inuidiam.* Iisdem pœne verbis Isidorus: *Nulla est virtus, quæ non habeat contrarium inuidiæ malum.* Quod Stobęus egregia similitudine declarat. Quēadmodum eos, qui in Solis lumine ambulant, semper vmbra sequitur, ad eundem modum eos, qui ad gloriam aspirant, inuidiæ œstrum comitari consueuit. *Iter facientem per solem necessario comitatur vmbra: incedentis vero per gloriam comes est inuidia.*

*Menox. li. 5 sent. de summo bono serm. 38.*

Apophth. Themistoclis. Hinc magno illo Athenienſiū duce de Themistocle refert Plutarchus, eum in iuuentute dicere solere, scire se ac perspectum habere, actiones suas non famam mereri, cum ipsa nondum eas inuidia comitaretur.

Hinc non immerito quidam inuidiam Antagonistam fortunatorum appellabat. Equidem cum draconē illo, de quo in Apocalypsi, non immerito eam posse comparare videor, qui cauda stellas è cælo trahebat: Ipsa namque inuidia caudæ suæ veneno virtutes, quæ instar siderum in anima collucent, inficere & euellere contendit, earumque lumen extinguere aut saltem offuscare nititur. Quot pestilens illa Megera tragœdias, quot turbas vbique excitauit? Ecce in cælo Angelos ad seditionem concitat, & aduersus diuinitatem conspirare cogit.

*Apoc. 12.*

*Gen. 4.* Vix quoque illa Auerno prodierat, quin statim mundi primogenitum Cain existimulat, vt necem fratri machinetur! Eadem hæc pestis filios Iacob inuasit, & decem fratres in Ioseph paruulum armauit. Eadem inter Iacob & Esau in matris vtero adhuc latitantes orta, vtrumque ad prælium commouit, vt sese mutuo calcibus impetierint.

*Gen. 57.*

*Gen. 25.*

Eadem inter Dauidem & Saulem, generum & socerum surrexit, & sane nunquam aliquis tot prælia vidit vel audiuit, quot ab vna inuidia promanarunt. O multorum malorum parens inuidia, quot ruinas & exitia in mundo produxisti: tu mortem ô infelix mater peperisti, tu peccatum in mundum inuexisti; sed cur non potius abortum feciſti? *Inuidia* nempe *diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Tu quoque es scelerata illa vipera, quæ matrem, quæ te produxit, enecas: tu mordax illa rubigo, quæ eum in quo habitas erodis: tu virulenta illa aranea, quę quicquid attigeris in lethale virus commutas.

1 Reg. 4.

Dixit olim quidam, & sane non ineleganter, tria in mundo reperiri, quæ res altissimas semper & eminentissimas impetere consueuere: ventum scilicet, fulmen, & inuidiam; quod egregie Poeta nescio quis conuertit, dicens:

*Summa petit liuor, perflant altissima venti,*
*Summa petunt dextra fulmina missa Iouis.*

Ælianus li. 12. c. 1.

Venti scilicet arbores proceras aggrediuntur, fulmina celsa turrium cacumina, inuidia vero virtutes heroicas. Vnde & alius.

*——nec magnas patiens exurgere laudes,*
*Inuidia.*

Hinc in Alexandro Macedone, velut rem tanto Rege indignissimam, ac magnum inuidiæ eius argumentum, obseruat Aelianus, tres eum præcipuè è ducibus odio esse prosecutum: Perdicam scilicet, quod æquo esset bellicosior, Lysimachum quod militiæ peritus; & optimi ducis munere optime fungeretur. Antigonum vero quod splendidus esset, ac regium fastum indueret. Verū relictis hisce Ethnicis, qui veram inuidiæ & liuoris imaginem intueri desiderat, expressam illam in Pharisæorum hic animis reperiet, qui iniquo semper oculo, & inuidiæ liuore suffuso, Christi miracula intuiti sunt, & immortali eum odio persecuti. Hinc in hodierno Euangelio interrogant: *Quomodo hic literas scit cum non didicerit?* O inuidiam, ô liuorem, ô æmulationis pestem! Nos vero primo Christi doctrinam, quam illi tantopere æmulati sunt, excutiamus, dein-

deinde de eiusdem ingenio scientiaque loquemur.

Principio igitur dicimus, doctrinam quã Christus cœlo attulit, hoc ipsum Euangelium esse, quod vobis hodie annuntiamus, Lycurgus nouas leges Lacedæmoniis scripsit, Solon Athenienſibus, Zaleucus Locrenſibus, Numa Romanis, at hodie Christus Christianos edocet, ipse est, qui Ecclesiæ ac toti mundo leges, easque recentes, & nunquam auditas promulgat. Prælecta est hæc doctrina olim in monte Sinai, cum ventorum procellarumque turbine, cum tubarum clangore, ac fulgurum sonitu, quæ omnia doctrinam hanc vere admirabilem futuram ostendebant: eam deinde Christus in natiuitate, vitæ serie, morte ac resurrectione, miraculis prodigiosisque operibus confirmauit: *Cæci vident, claudi ambulant, mortui resurgunt.* Ipse quoque Paracletus Spiritus nouis eam postea miraculis stabiliuit; quippe qui cœlo descendit, eius vt rector & director foret, & ipsos Apostolos, doctrinæ huius præcones futuros, erudiret. Scriptum est enim: *Spiritus sanctus docebit vos omnia.*

Legislatorum veterum doctrina Euangelica miraculis confirmatur.

*Exod. 19.*

*Matth. 11.*

*Ioan. 14.*

Ipsi vero Apostoli sub tam egregio Præside Doctores facti, eandem docuerunt, promulgarunt, ac per totum terrarum Orbem prædicarunt, semper plurimis miraculis in eius confirmationem patratis. Et sane ingens miraculum est mirabilem hanc doctrinam semper miraculis comitantibus incrementum sumpsisse. Quod mihi quadantenus in eo expressum videtur, quod in arca Testam. tabulæ legis semper cum virga Moysis asseruarentur: ad significandum, in Ecclesia, quæ vere arca est, legem Euangelicam nunquam progressum facturam, nisi virga illa miraculorum operatrix, nisi ipsa miracula eam semper comitarentur.

Figura.

*Iud. 2.*

Ecce & aliam figuram, Muri & propugnacula Iericho, quæ armis expugnari non poterant, ad primum tubarum Israëliticarum clangorem confestim conciderunt; quo denotabatur, muros & valla idololatriæ, ac sublimia illa superborum fastigia, quæ per veteris legis vigorem & fortitudinem euinci non poterant, ad tubarum Apostolicarum sonitum, ad primam sanctæ illius doctrinæ vocem, prosternenda, & euertenda.

III. Doctrina Iesu Christi vbique terrarum recepta est.

Vere igitur hæc doctrina admirabilis est, quippe quæ vniuersum terrarum Orbem peruasit, quæ ab omnibus hominibus recepta, & ab omnibus vniuersitatibus & scholis approbata est. Apollo, S. Paulus, Gamaliel, Ioseph ab Arimathia, quatuor Iudaicæ legis Doctores, eam synagogæ nomine comprobarunt: Hierotheus, Dionysius, Iustinus, Philosophi Platonici, ei velut dignæ, Academiæ Athenienſis nomine, subscripserunt: Quadratus, Agrippa, S. Marcus & Lucas magna sane lumina, virique magni medicorum nomine eam receperunt: S. Ignatius, Timotheus, Titus, & Barnabas viri omni literarum scientia excultissimi eam laudarunt, laudatamque in Cypro per omnes Africæ oras disseminarunt: Imper. Constant. Imperii Rom. nomine & Clodoueus Rex Galliarum, eam dignam quæ reciperetur, iudicarunt. Per omnia denique tribunalia & subsellia magni illius Parlamenti, mundi scilicet, vera & genuina iudicata est: in Africa, Asia, Europa, America, apud Antipodes, in Monarchia Græcorum, Persarum, Assyriorum, & Romanorum, inter Iudæos, in medio Gentiliũ & Ethnicorũ, quin & apud Barbaros. Quod vero omnem admirationẽ superat, est, quod eius auctor, institutor, ac promulgator in omnium conspectu inter duos nefarios latrones in ignominiosa Cruce, saturatus opprobriis ac magna cum infamia fuerit suspensus, & in eadem mortuus: quod duodecim tantum discipulos habuerit, viles piscatores, qui eandem disseminarunt, eiusq; rationem coram omnibus mundi Academiis iudicumque subsellijs, apud omnes Philosophos reddiderunt, ac per omnes mundi angulos fundarunt: nam *in omnem terram exiuit sonus eorum.* Quibus tamen non obstantibus, tantum breuissimo temporis spatio incrementum sumpsit, vt vtrumque polum omnis sui fama impleuerit, ac mille sexcentis ipsis annis durauerit.

*Psal. 18.*

Obiectũ principia & proprietates legis Euangelicæ.

Vere igitur doctrina admirabilis est, qua nulla vnquam in mundo aut præclarior, aut diuturnior extiterit, doctrina, inquam, cuius præstãtia verbis nequit explicari: cuius obie-

ctum est omne bonum, amare Deum & proximum: cuius principia sunt fides, spes, charitas: cuius proprietates sunt, credere Deum iustissimum, septem in Ecclesia Sacramenta esse, agendam pœnitentiam, confessionem peccatorum esse pernecessariam, quadragesimæ ieiunium seruandum, non committendam fornicationem, dandas eleemosynas, pro peccatis satisfaciendum, diligendos inimicos, aliasque res propemodum infinitas. Doctrina, inquam, ad quam velut ad principium, omnes aliæ scientiæ & doctrinæ referuntur: doctrina, quæ abstrahit ab omni materia singulari, sensibili, & intelligibili. Per eam namque voluptates, delitiæ, vanitatesque quæ sunt in materia sensibili, prohibentur. Docet illa amorem erga nos ipsos esse exuendum, non esse personarum acceptionem faciendam: & hoc quidem in materia singulari. Docet eadem sublimia quædam mysteria, modo de SS. Trinitate, modo de incarnatione Christi, quę res adeo purę sunt, & ita ab humano ingenio secretæ, vt abstrahant ab omni materia intelligibili, vt nos easdem mente comprehendere aut intelligere non valeamus.

*Psal. 18.* Egregium porro de doctrina hac elogium dedit Doctor ille regius Dauid: *Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis:* insignes profecto proprietates; inprimis, quod immaculata sit, nullo errore nullaque falsitate permista, & quod nihil fidei bonisque moribus repugnans contineat. Doctrina vero & lex Mahumetana scatet erroribus Iudæorum, plena est ineptiis, & anilibus deliramentis, Hæreticorum referta est horrendis blasphemiis & impietatibus sola nostra immaculata est. Scatet erroribus tuus Thalmud, ô Iudæe: barbarismi ac solœcismi reperiuntur in tuo Alcorano Mahumetista: errores, falsitates, ac mendacia Catechismus & Institutiones tuę continent Caluinista: tu vero Catholice nihil præter veritatem in Bibliis tuis reperire poteris.

Doctrina Aristotelis & Platonis plurimos errores continet. Errasti ô Aristoteles, cũ in libris quodam loco ais: Ex nihilo nihil fieri: item: Mundum esse ab æterno: errores sunt, meo & omnium saniorum iudicio grauissimi, ac cum veritate nimium quantum pugnantes. Diuini tibi cognomen veteres tribuant, quantumcunque velint. Plato, equidem dicere ausim & asserere, plurimos in scriptis tuis errores reperiri, plurimas absurditates & ineptias: vt in primis cum de idæis ab intellectu remotis agis, quas nescio qua subtilitate excogitasti quasque sine vlla necessitate in rerum natura vis subsistere. At tu solus, Domine Iesu, in doctrina tua ne minimum quidem errasti, sed illa sincera est, vera est, immaculata est.

Omnis illa veterum Philosophorum scientia, traditiones illæ Rabinorum, leges illæ Arabicæ, & Mahumeticæ, meræ sunt fabulæ, ac germanæ gerræ, si cum tua lege, Christe Iesu conferantur. Præiuit mihi Dauid, dicens: *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua.* Vos vero miror Mathemat. cur tantopere Euclidem vestrũ miremini, ac tanti eius regulas faciatis, quarum demonstrationes adeo euidentes afferitis, vt hominem quodammodo cogant, ac mentes violenter impellant, iis vt fidem habeat, easque verissimas esse fateatur: ac nullus vnquam extiterit, qui ne latum quidem vnguem ab iisdem recedere ausus fuerit, aut falsitatis eas vel minime coarguere. Quam infinitis partibus, quam longis interuallis doctrina Iesu Christi Euclidicis regulis certior est, & admirabilior: Iam 1600. anni effluxêre, & amplius, & ne minimum quidem aliquis errorem, in doctrina Euang. reperire potuit. Quin & ipse audacter à Iudaicæ legis doctoribus petiit, vt vel minimum si possent in doctrina sua errorem ostenderent, dicens: *Quis vestrum arguet me de peccato?* Quis vestrum ô Rabini, ô Doctores, quis vestrum ô Philosophi, qui scientiæ tantum innitimini vel minimum in vita defectum, vel errorem in doctrina reperiat? *Lex* nempe *Domini immaculata est.*

*Psal. 110.* *Ioan. 9.*

Et sane ea est doctrinæ Christi excellentia, & perfectio, vt si plane & integre, ad vnguem in aliqua Rep. vel regno seruaretur, ciues illius non in mundo, sed in paradiso quodam voluptatis esse se crederẽt. Si enim aliqua

aliqua ciuitas foret, in qua incolæ Deum præ reliquis rebus amarent, ac proximum vt seipsos, nullus alienum quid tolleret, abessent auaritia & cupiditas, omnes indigentibus & pauperibus succurrerent; an non aureum rediisse seculum aut eam Rempub. vere cœlestem iudicaremus? O igitur sacrosancta ac penitus cœlestis doctrina! Tu etiam *conuertis animas*, Turcas, inquam, & Saracenos, Iudæos & hæreticos. Et sane hæc ipsa miracula patrat, peccatores conuertit, Idolorum cultores, Simoniacos & adulteros. Vix enim Christi prædicationem audierat Maria Magdalena, quin statim relictis peccatis, ad bonam frugem redierit: nec Samaritana, quin pœnitentiam egerit: nec duo discipuli euntes in Emaus, quin statim oculi eorum fuerint aperti. Saluator Domine, quid si te Orphea dixero, qui rupes & saxa, qui arbores & ligna ad sonum dulcisonæ testudinis, ad prædicationem doctrinæ tuæ duxisti?

Doctrina Christi conuertit animas. Luc. 7. Ioan. 14. Luc. 24.

IV. Egregia sane doctrina, sed multo adhuc fidelior est, *Testimonium Domini fidele*, fidele, inquam: quidquid enim promittit & spõdet, exequitur: quicquid debet, exsoluit. Promittit pauperibus gloriam æternam, ac diuitibus æterna supplicia comminatur. Lazarus pauper & inops ample remuneratus est, gloria nimirum cœlesti: diues etiam epulo experientia didicit fidelem esse, cum æternis suppliciis adiudicatur. Intentat peccatoribus obfirmatis tormenta, supplicia, punitiones, & damnationes. Pharao, Cain, Iudas, aliique innumeri didicerunt id esse verissimum. Vere itaque fidelis est: promittit namque consolationem afflictis: nam Ionas auxilium & solatium sensit in balæna, Daniel inter leones, Susanna in vitæ periculo constituta. Intentat superbis deiectionem, ac potentes de sede se depositurum confirmat; & fidelem se ostendit. Videas namque Luciferum cœlo deiectum, Aman in aula Regis Assueri suspensum, Nabuchodonosor in Babylone humiliatum. Pollicetur se humiles exaltaturum, & quam sese hic fidelem demonstrat? Videas enim Ioseph in Ægypto, Danielem in Chaldæa, Dauidem in Iudæa ex humili gradu ad sublime dignitatis fastigium euectos. O increduli Iudæi, ô inuidi Pharisæi, quid igitur in doctrina hac culpandum inuenitis? quid inuidia & liuore excæcati interrogatis: *Quomodo hic literas scit cum non didicerit?* Quænam hæc doctrina est? qui fieri potest: vt hic tam docte verba faciat, tam disertus sit, & eloquens, qui nunquam literas didicit, & ne fando quidem audiuit?

Doctrina Christi fidelis est. Luc. 16. Ion. 2. Dan. 13. Esth. 7. Isai. 14. Dan. 4.

Erat hoc secũdum orationis nostræ membrum, in quo Iudæis scientiam Iesu Christi, quo nobis hanc doctrinam tradidit & captiuitatem aperiemus. D. Thom. Sorbonæ nostræ columen, & Scholasticorum princeps ait: Christum in quantum homo fuit, nobilissimam, pulcherrimam, ac perfectissimam omnium quæ vnquam in mundo fuêre, aut futuræ sunt, creaturarum fuisse. Et inquires, num Deus ea quæ semel condidit, perfectiora reddere queat, affirmat posse: quin & mille mundos infinitis partibus hoc ipso quem incolimus, qui olim quidem ab eius essentia promanauit, excellentiores & pulchriores de nouo posse condere, sed tria iam ab ipso tanta perfectione facta esse, nempe gloriam beatorum Iesum Christum quoad humanam naturam, ac Beatissimam Mariam Virginem, nil vt illis perfectius creare posset; adeo, vt haud minor dementia & ignorantia esse videatur, quærere vndenam Christus Dominus doctrinam suam hauserit, quam inuestigare à quo sol lumen habeat.

Sed alia, Auditores, res arcessenda est, & ab ipsa incarnatione eius initium ducendum. Iesus Christus Deus erat & simul homo, erat Ianus ille biceps, cui duæ facies, vna diuinitatis, humanitatis altera. In quantum Deus ô Iudæi, magnæ insaniæ & dementiæ argumentum est, ac non exigua blasphemiæ species, petere: *Quomodo hic literas scit?* Non secus ac si peteretis, Tantane Deus sapientia, tantane scientia præditus est? Eiusdem enim cum patre suo naturæ est & substantiæ. *Ego & pater vnum sumus*, id est, in natura. Easdem habet perfectiones, easdem qualitates: omnipotens vt Pater; æternus, infinitus, omniscius, & omnia quidem simul, & ab omni æternitate, ac per scientiam visionis, ea quæ fuêre, & per eam, quæ

Christus Deus & homo, in quantum Deus tanta erat prudentia quanta Pater. Ioan. 10.

quæ simplicis intelligentiæ dicitur, ea quæ tantum fieri possibilia sunt. Quin & in ipso erat notitia, sapientia, scientia, præscientia, prouidentia, prædestinatio, reprobatio, ac magnum libri vitæ arcanum.

Christus erat comprehensor & viator.

In quantum homo, Christus etiam dupliciter considerari potest, vel vt comprehensor, vel vt viator, & quoniam à primo natiuitatis suæ momento comprehensor fuit, atque anima eius beata Verbi diuini visione gaudens: hinc duplicem cognitionem habuit, talem qualem Angeli, & qualem beati in cœlo, at vtramque longe nobiliorem. Intelligo hic cognitionem Verbi, & omnium rerum cognitionem in Verbo: quæ duæ diuersæ sunt. Aliis eas nominibus nuncupat August. *Vespertinam* & *matutinam*, adeo vt Christus eodem iustanti Doctor fuerit & homo, & eodem simul comprehensor: omniumque rerum notitiam perfectam habuerit, non quidem actualem, sed tantum habitualem, per quam omnia in Verbo illo perspiciebat: poterat nempe in verbo omnium rerum, quas nosse exoptabat, repræsentationem successiue habere.

Diuina essentia similis est speculo, quod omnia repręsentat.

Et sane Auditores, si bene diuinam essentiam intueamur, videbimus eam speculo esse perfimilem, in cuius crystallo omnia tam præterita quam præsentia & futura repræsentantur: in quam Angeli & beatorum animæ respicientes, beatitudine fruuntur, eamque essentiam contemplando, omnia in illa contemplantur. Quemadmodum etiam speculum in medio aulæ alicuius positum, inspicientibus omnia quæ in eadem sunt, repræsentat: ita quoque Deus in mundi medio quodammodo positus, & in omnibus eiusdem climatibus dependens, omnibus qui in eius essentiam oculos coniiciunt, vniuersas creaturas, & omnia quæ in vasta mundi huius aula sunt, ostendit & obiicit. Hic discas obiter hæretice, quanam ratione, sancti ipsi orationes supplicationesque nostras audire & exaudire valeant, dum eas in illo diuinæ essentiæ speculo intueantur.

Vt sancti nostras preces remote audire queamus.

Consolare igitur idiota, ac sumite animum vos qui in simplicitate hactenus vixistis, exultate iam & lætemini omnique ratione contendite, vt per bona ac salutaria opera æternæ illius beatitudinis compotes reddi mereamini: eius namque semel participes effecti, infinitis proculdubio parasangis omnes Doctores, Philosophos, aut Theologos, qui vnquam extiterunt, aut existent antecelleris. Nam, vt D. Gregorius ait: *Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident?* tuque à me quærere hodie desine Iudæe; *Quomodo hic homo literas scit, cum non didicerit?* Quoniam à primo ortus sui die, in speculo illo verbi omnia contemplabatur. Beatus erat, magnus Doctor erat, & in omni scientiarum genere versatissimus.

Christus vt viator omnia sciebat.

Deinde, si eum vt viatorem consideremus magnum eum quoque Doctorem reperiemus. Neque enim eo, quo nos modo, natus est; anima namque nostra, teste Aristotele, tabulæ rasæ persimilis est, in qua si egregiam aliquam imaginem, aut cognitionis alicuius exemplar effingere volumus, vt tempus & ætas maturior, iudiciumque capacius eandem efforment, necesse est. At habebat Christus animam omnium rerum cognitione exornatam, & dotatam habebat etiam scientiam, quam infusam appellant. Quin & Deus à primo conceptionis principio, statim ei, non secus atque Angelis & Adamo, quamprimum conditi fuêre, omnes species intelligibiles communicauit, quas nos rudes & stupidi, non nisi magno labore, studio, & difficultate per sensus exteriores, è rebus naturalibus elicere possumus: atque has cum ad communem sensum, velut ad generale tribunal, ad quod omnes sensuum exteriorum actiones referuntur, reuocamus; ille statim omnes intellectui agenti repræsentat, qui vbi ea pura & ab omni terrena materia secretas reddiderit, tandem intellectui patienti, in quo omnis nostra cognitio efformatur, imprimit & infigit.

Docet nos id Philosophia, quod ab illa sane petere necesse fuit, vt Christum etiam in quantum viator extitit, omnia à prima natiuitatis suæ hora perspecta & cognita habuisse, demonstrarem: in quam rem luculentum hic conceptum ad meliorem eius intelligentiam proferam. Nam quem-

admodum

admodum corpora illa cœlestia vna cum stellis suis ac lumine condita sunt, arbores item in paradiso fructibus plene abundantes: ita Christus Iesus, arbor illa vitæ, fructibus, gratiis, scientijs ac meritis plenus, in quantum homo, conceptus fuit: & purum illud firmamentum, omni corruptione & Eclipsi carens, vna cum stellis suis, scientiis nempe, & omnibus notitiæ Philos. ac Theolog. generibus productum fuit, cum omnibus denique perfectionibus conceptum.

De scientijs infusis insignis tractatus.

Luc. 2.

An non meministis excursus illius, quem 12. ætatis anno fecit, cum triduo inter Doctores in Synagoga dissereret, adeo vt omnes tum propter ætatem tum propter doctrinæ varietatem & pondus in stuporem raperentur. *Stupebant autem omnes qui eum audiebant super prudentia & responsis eius, & videntes admirati sunt.* Vbinam tantum in studiis profecerat? quis eum docuerat? quas scolas adierat? hoc ab ipsis hausit incunabulis, à primo natiuitatis die secum detulit. Cur igitur vos, ô inuidi Iudæi clamantes quæritis: *Quomodo hic literas scit cum non didicerit.* Vos vero, mihi dicite, quonam in collegio studuerint Angeli? in quanam vniuersitate cursum perfecerint dæmones, quorum tamen tanta scientia est, ac rerum experientia?

Gen. 40.

Quis fuit Regens Adami, quis doctor eius, quis præceptor? qua in scola Noe Mathematicam didicit, ad tam ingentem machinam construendã? in qua Academia quis vnquam docuit somnia interpretari, & infimas animi cogitationes detegere, in qua tamen arte Ioseph & Daniel, hic in Babylone, ille in Ægypto ad miraculum vsque edocti fuere. In quo tandem orbis angulo tradita est scientia futura præuidendi, in qua tam multi prophetæ excelluerunt? in quo ludo didicit Iosue solis cursum inhibere, & Isaias eundem ad occasum cogere? Qua in classe Salomon adeo sapiens ac peritus rerum effectus est? Erant hæ omnes scientiæ infusæ: omnes hos ipse docuerat Deus, & inprimis Filium suum carissimum redemptorem nostrum Iesum Christum à primo conceptionis instanti omnium species & habitus scientiarum ei instillans.

Cant. 4. Dan. 2. & 4.

Isa. 10.

Ecce vt hic vestra principia ac fundamẽta conciderint Philosophi. Ecce vt axioma vestrum falsitatis arguatur, *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu*, omnes namq; scientiæ prius sunt in intellectu Saluatoris mei, quam ad sensus exteriores deueniant. Psalmographus huc respexit dum cecinit, *Omnia gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus* quo loco per Regis filiam animam magni illius regis, Christi Iesu intelligit, cuius omnis pulchritudo & decor intrinsecus latet: cuius omnis scientia in intellectu consistit, nulla ratione à sensibus exterioribus dependens: magna notitiarum varietate insignita & circumdata, quæ ad auream diuinitatis fimbriam adhæresunt, cuius rei egregiam è sacris libris allegoriam proferam. Castitatis illud spectaculum Iudith, Manassis vidua, Bethuliam egressa, vt Holoferni caput præcideret, tanto se artificio & varietate ornauit, tot sibi geramas, & margaritas, tot monilia & armillas, tot lunulas circumdedit, vt ciues ipsi egredientem obstupescerent, Assyrij quoque visa tanta pulchritudine extra sese raperentur. Eodem modo sacra illa Iesu Christi anima cælo egrediens, vt Satanam profligaret tanta gratiarum varietate, tot donis, tot diuitiis spiritualibus insignita fuit, vt ea egrediente angeli cælorum ciues, & homines in hac terra veluti militantes, dixerint: *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora? pulchra vt luna, electa vt sol?*

Arist. 3. de anima.

Psal. 44.

Iud. 10. Allegoria.

Et quoniam de militibus sermo incidit: milites illi Hierosolymitani, qui ad magnum illum Doctorem capiendum venerant, tribus de ea doctrina verbis auditis, obstupescentes & admirantes reuersi sunt, dicentes: *Nunquam sic locutus est homo, sicut hic loquitur*, S. Paulus quoque eius merita perspecta habebat cum diceret. Hic est *in quo sunt omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ Dei reconditi* Hunc & omnes Prophetæ satis manifestum & notum reddidere. Vnde Baruch: *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ*: & multo adhuc manifestius

Cant. 6.

Ioan. 7.

Colos. 2.

Baruch. 3.

Isai. 11.

stius Isaias: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis:* perinde ac si dicere voluisſent: Noli ô munde, si in Messia tuo tantam à pueris scientiam notes, si tanta eum ab incunabulis doctrina præditum videas, obstupescere; Erit enim ipse velut quidam thesaurus omnium diuitiarum Dei, ac de omni scientiarum genere loqui ac disserere poterit. Ingens igitur temeritas est, ne dicam dementia ac vesania, amplius quærere: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit?*

Tu enim omnia nouisti Domine mi Redemptor, & nihil est quod te fugiat. In quãtum namque Deus es, tantum nosti, quantum Pater, itaque scientia tua infinita est vt Patris, eadem est quæ Patris, eiusdem naturæ. In quantum vero homo es, ac simul comprehensor omnium rerum iam inde ab incunabulis scientiam habuisti in ipso sacro virginis vtero Doctor factus es, eandem habens scientiam, quam ipsi Angeli, Throni, ac Seraphini in cœlo: si vero te vt viatorem intuemur, nihil sane erit, q̃ te ignorare deprehendemus; imo vero te scientiam habere, q̃ à primo cõceptionis momẽto ad eum plane modum tibi fuerit infusa, quo eiusdem speciem Angelis, Adamo, ac Salomoni, & plurimis aliis infusæ fuerunt, comperiemus: omnia deniq; mi redemptor, Saluator, Deus meus & omnia te perspecta habere. Quamobrem non sine iniuria hanc tibi hodie calumniã Pharisæi impingunt, petentes vndenam hæc scientia tibi fuerit infusa, quippe qui eam iam inde à natiuitate habueris. Equidem iam non miror, legem tuam nullo vnquam errore fœdatam esse, sed cæteras è contra leges erroris coarguere: non miror doctrinã tuam sine vllis ineptiis, commentis & deliriis esse, sed veritate plenissimam, & vt maxime fidelem: cum tu qui omnia nosti, & quem nullum latet secretum, hanc nos doctrinam docendo errare nequieris. Quare, ô Deus vere, Deus veritatis plenissime, hanc nobis gratiam concede, vt ita miracula admirari, ac tam inuiolate sanctam tuam doctrinam seruare possimus, vt in nobis meriti loco esse queat, quo aliquando illud diuinæ tuæ essentiæ speculum in suprema beatitudine conspicere possimus. Amen.

## FER. IV. POST DOMIN. IV. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De anima obcæcatione.*
*II. De cæco nato.*
*III. De cæco illuminato.*

*Prætereins Iesus vidit hominem cæcum à natiuitate.* Ioan. 9.

### FIGVRA.

IVSTVS ille Tobias cum visu orbatus esset, nouo quodam genere per Angelum Raphaelem, idque felle piscis, quem Angelus in via repererat, visum & oculos recuperauit: licet idipsum remedium magis iisdem obfuturum videretur. At nobiliorem oculorum persanationem, in Euangelio hodierno contemplor. Hic enim cæcum natum video, lumen oculorum per Angelum testamenti, id est Iesum Christum, qui eis non fel piscis adhibuit sed lutum, quod felle magis eisdem contrarium erat, recuperantem. O omnium miraculorum maximum! ô meditationem cui nulla vnquam similis in mundo extitit! Quam vt digno hodie præconio celebrare, ac pro dignitate auditoribus hic congregatis aperire queam, Spiritus tui paracleti Domine, ac beatissima Virgo magni illius Medici Mater solitum mihi auxilium quæso ne deneges: quamobrem angelica te salutatione cõpellabimus: Tob. 11.

### AVE MARIA.

Doctus iuxta ac pius Ioannes Climacus dicere solebat, primam ac maximam dæmonum animarum exitio inuigilantium curam esse, oculos mentis eruere, animamque penitus occæcare: quamdiu enim lumen illud cæleste, ac fax illa spiritualis per eosdem I. Apophth. S. Ioannis Climaci.

dem intrat: direptores illi & prædones virtutum; gratiarum, ac meritorum thesauros diripere vel auferre nequeunt. Ac merito quidem & vere, equidem in eius conformationem, vir sancte, figuras ex Sacris literis depromam. Philistæi Sampsonem in vinculis tenentes, prius excæcatum interemerunt. Nabuchodonosor quoque Sedechiæ Regi Iuda oculos iussit erui. Ad eundem modum & tibi, ô anima, quando in dæmonum manus incidere te contigerit, oculi statim eruuntur. Hæ scilicet sunt stratagemata ac versutiæ Diaboli, vt quo animas in extremam pernicem deiiciat, oculos eis euellat, qui cum amissi fuerint, mirum est, in quas non miseriæ illæ voragines ac præcipitia concidant.

Iud. 19.

4. Reg. 12.

Tob. 11.

Exod. 16.

Hem? quænam Pharaonis regis cæcitas fuit, vt ipsa vltro rubri maris vndis sese immerserit, nec videre quid ageret, potuerit? Quænam etiam cæcitas fuit Dauidis, vt ad enorme adulterium cruentum etiam homicidium adiunxerit? Ecquæ fuit illa caligo Salomonis, vt qui adeo sapiens erat, quiq; Deo tam superbum ac splendidum templum constructurat, fœmineis incantationibus & verbis dementatus, earumque amoribus irretitus, idolis sacrificia immolaret? Ita & diaboli animas quas excæcarunt, ducere & rapere, quocunque libitum fuerit consueuere. Cuius rei egregium in libris Regum exemplum habemus. Cum Dominus ad Elisæi preces milites Regis Syriæ, qui cum populo Israel bellum gerebat, visu orbasset, eos Propheta Samariam deduxit: quo cum peruenissent, & oculis sibi redditis in medio hostium sese versari conspicerent, adeo cõsternati sunt, vt præ timore in terram fuerint collapsi. Ad eundem modum, ô anima, cum suo te fascino Dæmones dementarunt, quo te cumque voluerint, ducunt per media vitia, per voluptates, imo ad medium vsque inferorum: vbi si hanc tibi Deus gratiam præstaret, vt oculi tibi aperirentur, non dubium, quin te dæmonibus plurimis circumdatum intuereris.

4. Reg. 11.

4. Reg. 6.

Exod. 16.

Inter plagas, quas Deus Ægyptiis immisit, non sane postrema fuit densa illa ac palpabilis tenebrarum caligo: quippe quæ adeo spissæ fuere, vt se mutuo domestici ac vicini agnoscere non possent. Ita quoque omnium, quæ animæ accidere calamitates possunt, maximas censeo esse tenebras quas peccatum afferre consueuit: sunt omnium, quæ animæ infligi queunt vulnerum grauissimum: atque eæ interdum adeo spissæ, vt præ densitate propriam ipsa calamitatem videre non possit. Hic Dauid Rex tetra hac noctis vmbra circumfusus, gratiæ lumẽ gemebundus ac suspirans postulabat, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam*: Perinde ac si dicere voluisset, tanto iam tempore, Domine, densæ illæ peccati nubes animam meam obsederunt, à tanto iam tempore solem gratiæ non vidi, da igitur vt lumen videre queam: Ægyptiæ quidem tenebræ triduanæ tãtum fuere, Ionas quoque tantum triduo in ventre ceti delituit, Tobias etiam non diu in cæcitate versatus est, & ego miser integrum iam propemodum annum, in tenebris & obscuritate viuo. Quaro tempus est, Domine, vt rutilans ille vultus tui sol oculis effulgeat aut saltem gratiæ tuæ lumen mihi illuceat. *Emitte lucem tuam, &c.* Scio quidem, Auditores per eadem hæc verba, orationem intelligi posse, qua Dauid Messiæ exspectati aduentum à Deo postulauit: quippe qui lux mundi futurus erat, quique de se ipse postmodum dixerit, *Ego sum lux mundi*, & lumen de lumine, vt ait S. Athanas. at non displicet mihi prior illa explicatio, eamque materię de qua hic agitur, conuenientiorem iudico.

*Psalm.* 42.

Ioan. 9.

Quid ais Dauid, peccatumne igitur animas excæcat? Haud dubie. Expertus id fuerat miser ille Rex, qui peccato commisso in tanta cæcitate versabatur, vt quid ageret, & quo pergeret nesciret, Quis hoc ait? de se ipse confitetur: *Notam fac mihi viam in qua ambulem*, dicere vult. Eheu Domine adeo peccata me excæcarunt, vt nihil penitus videam: adulterium hoc & homicidium, tantas oculis tenebras offuderunt, vt quo incedam nesciam; sis igitur dux meus, tu me conducas, animamque gratiæ tuæ face illumina.

Peccata Dauidi regi oculos eripuerãt.

*Psalm.* 1.

Ipse denique diabolus tenebras oculis offundit, qui propterea Princeps tenebrarum nomi-

nominatur quod D. Ioan. in Apocalypsi egregie demonstrat: Videbat ille namque duos Angelos phialas in manibus habentes quorum vnus cum phialam super regnum bestiæ, id est, super mundum effudisset, *statim factum est regnum tenebrosum*, & totus mundus tenebris inuolutus fuit: alter vero diem adduxit, ac lumẽ secum detulit. Quid hæc sibi ænigmata & inuoluera volunt? aliud nihil, quam Satanam, prauum illum Angelum, statim ac Phialam peccati in animæ regnum effuderit, Cymmerias ei tenebras afferre: ac per alium Luciferum sc. Deum ipsum designari; qui gratiæ lumen effundit ac diem inducit. Nemo sese amplius in hoc emblemate explicando torqueat, genuina eius namque interpretatio in hodierno Euangelio latitat. Videas namque hic duos Angelos, vnum prauum, diabolum scilicet, phialam, id est tenebras misero huic homini offudisse, eumque à primo natiuitatis suæ tempore excæcasse: alterum vero, Angelum Testamenti, Iesum Christum, ei lumen restituere, ac diem oculis eius inducere. Primo de cæco aliquid dicamus, ac deinde de eius sanatione, & in his duobus velut in cardine ostium, nostra voluetur concio.

II. Cæcitas hæc denotat hominẽ in peccato conceptum.

Quod ad primum igitur pertinet, cæcus hic natus ipse homo est in peccato originis conceptus, quam à Deo per lutum Sacramentorum ac lauacrum Baptismi sanatus est, ac visum recuperauit. Omnes, pro dolor! strabi, luscioli, cæci sumus, idque à prima natiuitatis hora, quippe qui matris vtero tenebris offusi, oculosque humoribus distillantibus ac lippitudine grauatos habẽtes egredimur: ita vt nisi cælestis ille Empyricus ac summus ille Ophthalmicus manum adhiberet, numquam cælum, aut iustitiæ solem intueri possimus. An non vos, ô animæ innocuæ, quæ in limbo apud inferos detinemini,

Omnes qui sine Baptismo moriũtur, nunquam Dei essentiam valẽt intueri.

*Quas dulcis vitæ exsortes, & ab vbere raptos*
*Abstulit atra dies?*

certissimum est, nunquam in diuinæ essentiæ conspectum venturas, cum sine baptismo, qui tenebras dispellit, hinc emigrastis? Quemadmodum enim verissimum est eos, qui in lege Moysis octaua die non circumcidebantur, beatitudine fuisse in æternum priuatos; ita quoque certo certius est, eos qui in lege gratiæ sine baptismo hinc decedunt, idem salutis discrimen subire. O infelix ac nefandum peccatum originis, redolent hæc & spirant etiamnum peruersitatem tuam! ô omnium infelix Adam, sunt hæc infortunia, quæ ad nos hæreditario iure deuoluũtur; desperate Sathan, sunt hæc adhuc malitiæ inuidiæque tuæ indicia!

Omnia peccata Adamo nostra lata sunt.

Vt porro melius, Auditores, generalem hanc cæcitatem intelligere queatis, sciendum est primum parentem nostrum Adamum, statim à creatione sua, in peccatum misere prolapsum esse, nosque omnes eodẽ simul inuoluisse, quippe qui humanæ naturæ caput & origo erat: adeo vt vix nati simus, quin statim peccati huius rei constituamur, ac sine dubio ob id vnicum in æternum castigandi simus (quod dogmati tuo repugnat Pelagi) ac proinde sine gratia, & ideo in tenebris viuentes. Hinc bene mihi Paulus scripsisse visus est, dum ait: *Sumus natura omnes filij iræ?* à primo scilicet natiuitatis die aduersus Deum arma gerimus, & ipse vicissim nobis bellum indicit, nosque omnes sibi inimicos arbitratur. Et quoniam Adam, *in quo omnes peccauerunt*, peccando eodem nos peccato inuoluit: hinc etiam Reges in mundum hunc prodeuntes eadem labe inquinati sunt: testem aduoco ipsum Regem & vatem qui de se ait: *Et in peccatis concepit me mater mea.*

Ephes. 2.

Rom. 5.

Psal. 50.

Quid ad hæc vos ô sacri interpretes, Ecclesiæque Doctores, *Non solum eius exemplo peccauerunt, sed omnes vnus homo fuerunt*, ait diuus Augustinus: Stultum est inquit, dicere, solum eius exemplo nos peccare: constat enim Adamum omnium nostrum personam gessisse atque omnes sub eo tum, velùti sub pileo comprehensos, & omnes vnius loco fuisse, & vnum omnium figuram repræsentasse. Quid vero te Ambrosi? quid tibi videtur, quæ tua opinio est? *Manifestum est in Adamo omnes peccasse, quasi in massa: Et in quo peccauerunt etiam hi, qui de ligno non comederunt*, ait D. Ioannes Chrysostom. Anselm vero: *Omnes in illo peccauerunt quia quando ipse peccauit, omnes in illo erant.*

Atque

Atque hæc est communis Ecclesiæ sententia, atque omnium omnino fidelium opinio.

Omnes in Adamo interpretatiue comprehẽdebantur.

Eramus, vt vestra ego phrasi loquar Theologi, interpretatiue omnes in Adamo comprehensi, & omnes & singuli ei quodammodo procurationem absolutam delegaueramus, quo promiscuamus ratum nos habituros, quidquid nostri causa acturus esset, & eandem cum ipso fortunam subire paratos fore. Si enim omnes Deus homines, qui ab initio mundi hactenus fuerunt, & modo sunt, & sequentibus temporibus vsq; ad mundi finem futuri sunt, in paradiso post Adami creationem cõuocasset, & hoc eos oratione compellasset: O vos omnes qui huc conueniistis audite; Ecce Adamum hunc quem videtis vobis ducem constitui, hunc omnem vestrum caput esse volui, omnibus eum numeris & partibus perfeci, omnia illa arma quæ necessaria futura videbantur tradidi, adeo vt nihil ei ad munimentum deesse videatur. Mentem eius omni scientiarum genere insigniui, voluntati eius gratiam abundantissime infudi: dedi adhæc ei iustitiam quandam originalem, quæ partes inferiores refrænabit, affectus ebullientes compescet, rebelles animi motus cohibebit, eosq; rationi obsequẽtes reddet. Ea tamen cõditione & lege, ô homines, vt si dux vester & antecessor in illo innocentiæ statu perseueret, meque honore & debito cultu prosequatur, immortalis futurus sit, omnis calamitatis & ærumnarum expers, & ego eum cum tota posteritate æterna beatitudine sim cumulaturus: At si ingratus suique oblitus aduersum me insurgat, meamque voluntatem contemnat, eiusdem vos criminis rei sitis futuri, ac proinde eodem supplicii genere damnandi, eandem mortis viam ingressuri. Quid vobis de his videtur? anne hoc vinculo innodari vultis, eamdemque obligationem subire, hisne conditionibus subscribere?

Quid ipsũ interpretatiue significet.

Omnium Doctorum opinio est omnes sine dubio, si res ad viuum fuisset peracta, assensuros sine dubio fuisse dicentes: Paratum cor nostrum Domine, paratum, eandem fortunam, quam dux noster subit, etiam experiri, eisdẽ corpus periculis, quibus ille suum, exponere. Videte igitur quomodo voluntas nostra, & consensus interpretatiue consensisse dicatur, & quomodo omnes interpretatiue in Adamo comprehensi fuisse intelligantur.

Sufficit peccatum paruulorum volũtarium esse voluntate aliena.

Frustra igitur est Pelagiane, cum ais, omne peccatum debere esse voluntarium, ac proinde paruulos, qui nunquam voluntate aut ratione vsi sunt nullius peccati culpa teneri. Sed sufficit, id voluntate alterius ratum habitum, qualis voluntas Adami fuit, quæ interpretatiue simul & nostra. Ezechiel quidem Propheta videtur hic aliqua nobis ratione aduersari, in quo exponendo sese veteres omnes mirum in modum torserunt; cum ait: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Sexcentas huius loci expositiones afferre queam: at quam modo afferam omnium mihi potissima visa est; nimirum, de peccato actuali, quod in ipso agente terminatur, nec ad alios procedit, hoc debere intelligi non vero de peccato originis, quod magni huius corporis, humanæ videlicet naturæ, caput corrumpendo & vitiando, nos omnes, qui eiusdem capitis membra sumus, eadem opera vitiat & corrũpit. Quemadmodum enim cum fons & vena contagio aliquo infecta est, omnes eius riui quamprimum de lue participant: sic & cum Adam omnium mortalium fons & origo, peccato veluti lethifero veneno infectus fuit, necesse fuit & nos, qui instar riuulorum ex eo deriuamur, veneno ac tabe, iam inde à matris vtero, infici. *Ezech. 18.*

Figura.

Ecce proferam huiusce rei figuras. Cum omnes filii Iob apud fratrem primogenitum simul pranderent, ac splendide epularentur; ecce vehemens quidam turbo à deserto veniens, magno impetu & fragore, quatuor domus angulos concussit, & ad terram prostrauit, omnesque simul discumbentes, vniuersam scilicet Iob sobolem cõmuni ruina inuoluit. Eheu! nos nos inquã, filii magni illius Iobi cælestis sumus, quem quotidie patris nomine compellamus, dicentes: *Pater noster qui es in cælis.* Qui cum olim in domo fratris nostri primogeniti, Adami scilic. iucunde in deliciis Paradisiacis *Iob. 1.*

simul epularemur; ecce tibi subito peccati ventum ab infernali latere proruentem, qui tanto impetu quatuor voluntatis nostræ angulos concussit, vt eam ad terram prostrauerit, & omnes ruderibus inuoluerit, & sub iisdem sepelierit. Hic ô Pater æterne, ô Iob cœlestis, filios tuos carissimos amisisti.

*Gen.10.* Videamus quid in diluuio contigerit. Referunt sacræ litteræ aquas adeo densas, & vndas adeo vehementes, vt solus Noe cum Arca fuerit saluatus, cæteri omnes terræ incolæ aquis immersi, misere perierint. Idem omnino in peccato originali fieri videmus. Huiusmodi namque ac tam vehemens eius diluuium fuit, vt omnes quotquot ab Adam continua successione descenderunt, in eo mersi fuerint, ac solus Iesus Christus, Noe noster, & arca sanctificationis eius, Maria scilicet Deipara, incolumes enatarint.

*Ios.6.* In direptione excidioq; Ierichuntis, sola domus ac familia Raab meretricis incolumis permansit, cætera omnia ad terram pro

*Gen.19.* strata ac solo æquata sunt. In conflagratione quoq; Sodomæ ac Gomorrhæ, sola familia Loth incendio erepta fuit, reliqui omnes fulmine & sulphure consumpti, spectaculum diuini furoris extitere. Insignes profecto figuræ. Ita quoque in vniuersali humanæ naturæ excidio, quod peccatum originale inuexit, sola Deiparæ Virginis anima, velut altera domus Raab, incolumis seruata fuit: & in crudeli illa naturæ Sodomiticæ conflagratione, eadem quoque Virgo, vera iusti illius Loth vxor, sola, peccati originalis flammis & incendio erepta fuit, cæteris omnibus in fauillam & cinerem redactis.

*4.Reg.5.* Giezi seruus Elizæi, Prophetæ, propter vnum Simoniæ peccatum, ob argentum & munera à Naaman Syro accepta, leprosus factus est, & omnes posteri eius, dixerat nempe ei prophetes: *Lepra Naaman adhærebit tibi: & semini tuo vsque in sempiternum.* Ad eundem modum Adam, summi illius Prophetatum regis seruus, propter vnum à se in Paradiso sacr. legium commissum, vetitum comedendo pomum, leprosus factus est, & peccatis contaminatus, morti, ærumnis, morbis cum omni sua posteritate adiudicatus. An non vobis vere mirandæ hæ figuræ videntur? aut non potius vobiscum taciti demiramini, quæ mala peccatum originale secum trahat?

Ipsa quidem eclipsis, quæ Domini passione contigit, quæque vniuersam terræ superficiem tenebris ad tres horas cooperuit, mirabilis extitit: at eclipsis, cuius peccatum originale in paradiso causa extiterat, longe horribilior fuit, cum nimirum Adamo propter peccatum suum moriente, tenebræ super totam naturam humanam factæ sunt, quæ plusquam quatuor annorum millibus durauêre, vt vix etiam hodie clare solem possimus intueri. Eheu peccatum, merum nihil es, & aliud nihil quam quædam priuatio, & tamen tantum mali affers, tu nos paradiso excludis, ad tartarum deturbas, Angelorum consortio priuas, ab eorumque societate separas, dæmonum vero socios reddis. Tu es lapillus ille, qui ad pedes fragilitatis Adami deuolutus, ingentem illam generis humani statuam, quæ caput aureũ, id est, iustitiam originalem habebat, comminuisti, & in puluerẽ ac cinerem redegisti. Tu es ille piscículus remora nuncupatus, qui vastam illam humanæ naturæ nauim, in gratiarum pelago feliciter nauigantem, sistis, ac naufragium pati cogis. *Matt.27.* *Dan.2.*

Dicere soletis Philosophi solem deliquium pati non posse, quod octuagies terram magnitudine superet: dicitis etiam stellas, quæ in firmamento sunt, ab eclipsi immunes esse, quod nimis à terra remotæ sint, eiusque vmbra ad eas vsque nequeat pertingere: Videte tamen vt hic ipsum originale peccatum, quod in sese nihil est, solem ad deliquium cogat, obscuret, auferat, ac nos ipsos visione Dei ac sanctissimæ Trinitatis priuet; quin & ipsos Sanctos & Angelos, qui instar siderum effulgent, lumine, quo non videantur, priuet, itaque nos excæcet, vt eosdem videre non possimus, nisi magnus ille opifex nobis oculos aperiret, vt hodie huic cæco nato aperuit. O rem nouam! ô paradoxa inaudita! ô cæcitatẽ pertimescendã! ipsi quin etiam Apostoli rem demi-

Peccati Deum deliquiũ pati cogit, Sanctos, item & Angelos & nos eorum visio ne priuat.

demirati, *Domine*, aiunt, *quis peccauit, hic, an parentes eius vt cæcus nasceretur*? proh! ô discipuli quãtas difficultates referatis? Intra stis hic materiam de peccato originali, scire vultis, num filii parentum delicta luere debeant, putatis, omnes miserias & calamitates, quæ nobis incidunt, à peccato originem sumere, & ab eodem proficisci? Erratis profecto, erratis; audite quomodo vobis respondeat Deus: *Neque ille, neque parentes peccauerunt, vt cæcus fieret, sed vt manifestaretur gloria Dei*: Certum est enim, Deum tribulationes immittere, vel vt gloriam eadem remouendo declaret, vt hoc loco factum videmus; vel vt iustos probet, & eorum patientiam exerceat, quomodo cum viro sanctissimo Iob, eum persequendo; cum Tobia, ei visum auferendo; cum Iosepho, eum diuendi patiente, egit: cum nullum tamen peccatum commisissent, ob quod eis huiusmodi mala infligeret, sed econtra sanctissime semper vixissent.

Desinant igitur maleuoli & virulenti homines perperam de aliis, cum eos ærumnis & afflictionibus oppressos vident, iudicare: sunt hæ sæpissime benedictiones, ac certissima prædestinationis argumenta. Sæpe tamen contingit, vt quæ nobis calamitates eueniunt, à peccatis prioribus originem sumant, ac sæpe etiam Deus filios ob parentum delicta castiget: cuius euidens testimonium in veteri Testamento legimus dum scribitur, *puniens peccata patrum in filios, vsque in tertiam & quartam generationem.* Quid ais, ô Moyses, adeone Deum vindictæ auidum putas, vt auorum peccata in fundo quartæ generationis excutiat, & tum primum puniat, cum memoria illorum pene euanuerit. Et sane ita se res habet. Ad hunc quippe modum filii Giezi lepra percussi sunt, propter auaritiam & cupiditatem parentis: ita & posteritas Cham peccatum patris luit: sic & puer qui ex Bethsabee natus erat, in paterni adulterii castigationem, mortuus est.

Exod. 2.

4. Reg. 5.

2. Reg. 12.

Peccatũ vt plurimum malorũ nostrorũ.

Et sane è peccato vt plurimum mala, quæ nobis accidunt, promanare solent: per id namque video diluuium super vniuersam terræ faciem veniisse: peccatum, pestem illam, qua septuaginta hominum millia in regno Iuda extincta sunt, inuexit: miramur Ionam virum sanctissimum tempestate quassatum, quassauit peccatum: miramini Apostolos in medio mari naufragium pertimescere, causa fuit Iudæ peccatum: miramur denique tot mala, quibus Ægyptii tum domi, tum in mari rubro afflicti sunt, vnius Pharaonis imputanda sunt peccatis. Postremo ipsi quoque veteres peccatum semper bellorum, ærumnarum, & infortuniorum originem & seminarium, & sane iure meritissimo, appellarunt. Eius sententiæ in primis regina Esther fuit, quæ cum sceleratum Aman in necem & perniciem Iudæorum conspirasse cerneret, suspirans & lactymans ad Dominum ait: *Peccaui in conspectu tuo ideo traditi sumus in manus inimicorum nostrorum.* Idem etiam sanctus ille senex Tobias confessus est, dum ciues suos in Niniuem à Salmanazaro Assyriorum rege captiuos abduci videret. *Quia non obediuimus tibi, traditi sumus in direptionem, & captiuitatem, & mortem.* Plurane testimonia desideratis? Agmen claudat ipse Daniel, qui cum duram illam & tristem, & longam captiuitatem Babylonicam, quæ iam septuaginta ipsis annis durauerat, nondum finem accipere cerneret; maiorum suorum peccatis eam imputauit: hinc plorans & conquerens, ait: *Propter peccata nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.*

Exod. 9. 10.

Tob. 3.

Esth. 4.

Dan. 9.

Sed, vt video, nimium à via defleximus, ad cæcum nostrum redeamus, videamus hoc miraculum patrari, accedamus ad cœlestem hunc medicum, accuratiusque inspiciamus, quam scite spirituales oculos, quamque dextre persanet. Est hoc alterum concionis membrum. Euangelista refert plurimas hic cæremonias adhibitas, ac plurima medicamenta recenset, vt lutum, sputum, lauacrum, atque alia huiusmodi: *Exputt in terram, & lutum fecit ex sputo, & liniuit super oculos eius, & dixit ei: Vade & laua in natatoria Siloe.* Hic plurima nobis arma proferuntur, hæretice, quibus te cæremonias nostras impugnan-

Christus hodie cæremonias in sanatione vsurpat.

pugnantem, eisque illudentem arguamus, & os oppilemus obgannienti: adsis, & accede propius, & vide quot summus ille Magister cæremoniarum hic cæremonias adhibeat. Sed hæc oportuniori tempore dicenda erunt, vt iam quid lutum & natatoria Siloe significent, aperiamus.

Quid per lutũ quo Dominus cæcũ hunc sanauit, denotetur.

O sacrum lutum, ô lutum mysteriis plenum, an non tu hodie oculis cæci nati adhibitum, vt cæci illi mundani, suam fragilitatem ac vanitatem suam, eo melius agnoscerent? Superbis, ô mundane, iactas te, pauonem imitaris, Rhodomontem illum æmularis, terram pedibus calcas, & cõtemnis, oculisque in sublime elatis eam renuis vt matrem agnoscere; cum tamen Ecclesia eadem frontem tuam conspergat, tibique inclamet: *Memento homo quia cinis es*: quasi diceret. Non est quod ita, ô homo, superbias, aut iactes, quem te putas? tibi velim persuadeas, te præter terram nihil esse: non tamen ideo humiliare te cupis, aut paupertatem tuam primæuam & agnatam agnoscere, adeo vt Christus Dominus, quo eam videas, eandem oculis hodie adhibeat, visui applicet, ac tacito quodam modo tibi suggerere videatur. *Memento homo quia cinis es*: Vide quid sies, nosce teipsum, tuum nihil intuere, ac regalem tuam progeniem inspice.

At quænam hæc cæcos curandi ratio est, oculos scilicet opplere luto, cum nihil sit, quod magis iisdem aduersetur, nihilominus Euangelista id tam minutim describit. Tobias quidem felle piscis visum recuperauit: Elisæus aquas Iericho sale iniecto dulces reddidit. Videturne vobis id fieri posse? hic vero oculos cæci luto opplere vt clare videant, an non meræ nugæ videntur? Absit, omnia namque plena sunt mysteriis, & nihil omnino, quod aptius aut idoneum magis ad oculos clariores reddendos, visumque confirmandum, quam ipsum lutum, videatur; Quam primum enim vt idipsum oculis adhibemus, esse nostrum agnoscimus, ac simul mundi vanitatem perspicimus, videamus quam inanes sint diuitiæ, quam futiles dignitates, quam parui momenti honores, cum nihil præter lutum exque luto compacta, & in lutum & puluerem redigenda sint omnia. O igitur lutum vere admirabile!

*Tob. 11. 4. Reg. 4.*

Porro quid tu ô natatoria Siloe, nisi Sacramenta denotas? Hæc namque sunt illi Iordanes, balnea, piscinæ, rubra maria, quæ Naamanes à lepra emundant, cæcis visum restituunt, paralyticos sanant, & Ægyptios submergunt. Vos igitur cæci peccatores ad natatoriam hanc confugite, huc properate, si visum recuperare velitis. Hæc siquidem sunt medicamenta, quæ peccatis applicare debemus. Nam veluti fructus arboris vitæ non prius mortem Adamo attulit, quam illum in manu sumpsit: ad eundem econtra modum fructus proceræ illius arboris, sanctæ nimirum crucis, sufficit quidem ad mundi salutem procurandam, sed prius necesse est, vt nobis applicetur. Piscina probatica omnibus quidem morborum & infirmitatum generibus poterat mederi, sed ea conditione, vt ipsi infirmi & languentes in illam sese coniicerent, idipsum mihi de passione dicere liceat; quam tantis quidem meritis & potentiis pollere scio, vt mille etiam mundos, si necesse foret, saluare posset; sed nullius eam quoque valoris esse, aut peccatorem ad vitam posse reducere, si merita illius per Sacramenta vulneri non applicentur. Ea igitur peccatores, ad balnea hæc, ad Sacramenta hæc properate.

Natatoria Siloe Sacramẽta nobis denotat.

Passio Christi nullum peccatorem commodũ adfert, nisi eadẽ illi per aliquod sacramẽtum adhibeatur.

Hinc discas oportet, hæretice, qui meritis Domini eiusq; sanguini nimium confidis, vtrumque hoc te à mortali peccato purgare posse, si per pœnitentiam tibi applicetur, & à venialibus etiam abluere, si tum per bona opera, eleemosynas nimirum & ieiunia, tum per res Sacramentales, qualis est aqua benedicta, tibi applicetur: à peccato originali quoque te liberare, si per Baptisma tibi approprietur: passionem quoq; pœnas peccatis debitas posse tollere, si per bona & pia opera, ieiunia, inquam, & cilicii gestationem, per flagellorũ perpessionem, aut per indulgen-

Quomodo passio Domini nobis applicari queat.

dulgentias Pontificias, alicui adhibeatur. Aufert quippe illa pœnas & ſupplicia, quæ in altera vita ſuſtinenda ſunt, ſed per purgatorium applicata. Hoc eſt nempe quod Dominus inſinuare volebat, dicens: *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam.* Luc. 9.

Sequimur te, bone Ieſu, preſſo veſtigio, omnique te humilitate præeuntem ſtipamus; grauati iam ſunt humeri noſtri dura illa cruce pœnitentiæ, & ieiunij, quo eam ad montem vſque Caluariæ poſt te feramus. Tu modo vires ſuggere, tu animum adauge, tu perſeuerantiæ virtutem concede: in primis vero quoniam penitus cæcutimus, & ita cæcutimus, vt neque te nec nos ipſos, nec mundum ipſum cognoſcere valeamus; reuela oculos, aufer graues illos catharros, vt te verum eſſe Deum, ac redemptorem, ac futurum Iudicem agnoſcere valeamus. Aufer nebulas & velamen, tu qui ſummus ophthalmicus es, vt mundum, eiuſque vanitates, inanias, ineptiaſque, fraudes & verſutias inſpiciamus, ac ſimul nos ipſos, quid nimirum ſimus, vnde veniamus, & quo tendamus, agnoſcamus. Et poſtquam, Domine, magnum illud miraculum nos ſanando feceris, tum demum ad Natatoriam Siloe, ad Sacramenta nimirum tua, feſtinabimus: vbi, cum magna lachrymarum abundantia omnes peccatorum noſtrorũ maculas elue-ximus, animæ ſuper niuem dealbabuntur, vt dignæ efficiantur, quæ te aliquando in ſuperna fœlicitate, in qua te cum Angelis laudare concedetur, valeant contemplari. Amen.

## FERIA V. POST DOMINICAM IV. QVADRAG.

Partitio.

*I. De honore ſepultura.*
*II. De defuncto.*
*III. De adoleſcentis defuncti reſuſcitatione.*

*Ibat Ieſus in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matris ſuæ.* Luc. 7.

### FIGVRA.

ELIAS Propheta Sarepram Sidoniorum cum veniſſet, diuina inuocata potentia, pauperculæ viduæ filium à mortuis ſuſcitans, eum matri exultanti, & magna lætitiæ ſigna danti viuum reddidit. In Euangelio vero hodierno ſcriptum eſt, Dominum ac Redemptorem noſtrum Ieſum Nain ciuitati, quæ haud procul ab Hermo ſita erat, appropinquantem, viduæ cuiuſdam filium, qui terræ mandandus efferebatur, etiam à morte ad vitam reuocaſſe, ac matri viuentem reddidiſſe. O vere magnum miraculum Eædem vtrobique circumſtantiæ: illic fuit vidua, fuit & hic: vtrobique filius mortuus, & vtrobique ad vitam reuocatus: hoc vnum intererat diſcriminis, illic Eliam, hic vero Chriſtum Ieſum fuiſſe. Plura & ampliora mox audietis, vbi ſolitũ ſancti Pneumatis auxilium, glorioſiſſimæ virginis ſuffragia interponendo, fuerimus conſecuti, quam proinde ſolita ſalutandi formula compellemus. 3. Reg. 17.

AVE MARIA.

Tradit Laertius ex ſententia Platonis tria iuſtitiæ genera eſſe, vnam quæ Deo, alteram quæ hominibus, tertiam quæ mortuis impenditur. Quo nihil aliud ille deſignare volebat, quam quemadmodum Deus adorandus, homines amandi, ita mortuos ſepulchri honore afficiendos eſſe. Sunt hi namque vltimi ac maximi, qui mortuis haberi poſſunt, honores. Præit mihi hic Tullius etiam Ethnicus: *Honor ſepultura eſt maximus, qui haberi mortuo poteſt.* Et eſt mihi credite actus quidam iuſtitiæ & religionis, mortuorum corpora, quæ in hac vita templa quædam Spiritus ſancti, animæ ſocia, ac tantæ pietatis organa fuere, honore huiuſmodi afficere. Explodis hoc hæretice, ac cauillando huiuſmodi verſiculo nobis illudere ſoles, *Lib. 3 in Platone.* *Philip. 9.*

*Nec tumulum curo, ſepelit natura ſepultos.*

Hoc

Hoc tu abusus, & superstitionis nomine appellare consueuisti, equidem singularem Dei punitionem esse censeo, honore sepulchri caruisse.

Ecce huius rei demonstrationem. Cum Deus Ioachim Iosiæ regis Iuda filium grauiter castigare decreuisset; non aliud suppliciũ intentauit, quam sepulchri se eum honore priuaturum: *Sepultura asini sepelieris, putrefactus & proiectus extra portas.* fuit hæc quoq; punitio impiæ Iezabelis, quæ canes loco vespillonum habuit, & plateas loco tumuli: *Et erunt carnes Iezabel sicut stercus super faciem terræ in agro Iezrael.* Nec est quod quis existimet, heri aut hodie sanctam hãc mortuorum sepeliendorum consuetudinem in vsu esse cœpisse: iam à duobus annorũ millibus angelus Tobiam commendabat, quod Iudæos hinc inde per compita ab Assyriis in captiuitate iugulatos, terræ clanculum mandaret, *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos.*

*Hier. 22.*

*4. Reg. 9.*

*Iob. 12.*

Laudatur quoque Abraham, quod iusta funeris vxori suæ Saræ persoluisset. *Cum surrexisset,* inquit scriptura, *ab officio funeris*: vnde euidenter colligere est, egregie eam à viro cum pompa exequiisq; terræ mandatam. Iacob quoque Patriarcha, eiusque filius Ioseph, tanti vltimum hunc sepulturæ honorem fecere, vt in extremis constituti testamento decreuerint, ne filii ossa sua in barbara terra Ægypti tumularent, sed eadem in terram Chanaan, vt in sepulchris patrum suorum conderentur, transferrent. Dauid rex, audito Saul prælio fusum occisumque, à Galaaditis sepultum, legatos ad eosdem misit, qui immensas eius nomine gratias, ob honorem Sauli, eiusque filio Ionathæ ac reliquis populi principibus exhibitum agerent, quod nimirum corpora eorum ex agris locisque desertis, ne à feris, & volucribus discerperentur, collegissent, eaque sepulturæ mandassent. Magnis quoque laudibus effertur strenuus ille populi defensor Iudas Machabæus, quod milites suos, qui in bello cecidissent, honorifice sepeliri curarit, eorumque causa magnam auri vim Hierosolymam ad templum Domini miserit, quæ pro animabus eorum offerretur.

*Gen. 23.*

Honor sepulchralis plurimis exemplis demonstratur.

*2. Reg. 2.*

*2. Mach. 1.*

Discipuli quoque Ioannis Baptistæ, cognito, magistrum capite truncatum, *Venerunt & tulerunt corpus, & sepelierunt illud.* Quis igitur sepulchri honorem iam recenter inuentum esse, aut superstitiosum audebit asserere? Cum ipse Dominus noster, Iesus Christus, qui toto vitæ tempore honores fugerat, & contempserat, in stabulo nasci, in præsepio reclinari, in deserto degere, denique in cruce mori voluerat, magnifice tamẽ sepeliri voluerit: hinc Nicodemus & Iosephus ab Arimathia adeo in Euangelio celebrantur, quod eum de cruce deposuerint, sindone munda inuoluerint, ac sepulchro è petra exciso, in quo nemo adhuc conditus fuerat, mandarint.

*Matth. 11.*

Christus Dominus honores sepulchrorum rere nolit.

*Matt. 27.*

Vetus igitur & nouum testamentum honorem sepulchri laudat, celebrat & commẽdat: omnis namque eum antiquitas celebrauit & coluit, seque erga mortuos semper benignam & propensam ostendit Relictis porro, quæ ab antiquitate peti possent exemplis, ecce recens hodie nobis in Euangelio proponitur; cuius tanta fuisse pompa & frequentia describitur, vt similem in sacris literis legisse, vel audisse non meminerim. *Ecce defunctus efferebatur & magna turba cum illo*: omnes pene ciuitatis Naim incolæ funus sequuntur, intersunt exequiis ipsi Apostoli, Deum pro defuncto orantes, ipse quoque Dominus pompæ occurrit, & vt hanc magis magisque celebraret, luculẽtum hocce miraculum, mortuum ad vitam reuocando edidit: Primo de ipso defuncto, deinde de eiusdem resuscitatione loquemur.

Quod ad primum igitur, historia hæc ab *Ecce* incipit, quod vt plurimum magnum quid innuere solet: nunquam enim particulam hanc sacra scriptura vsurpat, nisi ad res magnas, nouas, & nunquam auditas significandas. Isaias enim profundum & sublime illud Incarnationis Dominicæ mysterium ob ocolos positurus, & populo annunciaturus, in ipso principio *Ecce*, adhibet, *Ecce*, inquit, *virgo concipiet & pariet filium.* Euangelista quoque de trium Magorum aduentu in vrbem locuturus, *Ecce*, velut excubitorẽ aliquem in limine ponit: *Ecce Magi ab orien-*

Scriptura nunquam interiectione *Ecce* utitur, nisi magnum quid significare voluerit.

*Isai. 7.*

*Matt. 2.*

*oriente venerunt.* Eadem quoq; ratione S. Lucas, magnus religionis Christianæ commentator, reluscitationem mortui describere volens, ab *Ecce* quoque eam exorditur. *Ecce defunctus efferebatur*; perinde ac si aperte voluisset dicere: Non hic Paralyticum ad piscinam membris suis restitui videbitis, non hęmorrhoissam à sanguinis fluxu liberari, non Chananææ filiam à dæmone curari, non hic cæco nato lumen oculorum reddi, de quo heri audistis; sed mortuum ad vitam reuocari, omnium scil. miraculorum maximum, quale nũquam fortasse vel vidistis, vel ab aliquo factum audiuistis. Licet enim olim Elias & Elisæus mortuos ad vitam excitarint, id precibus & orationib. ad Deum fusis contigit; at hic adolescentem solo Christi verbo & iussu, ad vitam redeuntem videbitis: *Adolescens, tibi dico, Surge*: deinde ii ipsi, quos Prophetæ à mortuis excitarunt, adhuc domi iacebãt; at hic iam conditus efferebatur. Quocirca *Ecce*.

3. Reg. 7. 4. Reg. 4.

Sed quam bene omnia hic coincidunt, quam egregia hic nobis referuntur mysteria? Heri de cæco nato verba fecimus, ac per eũ, si rite recordor, peccatum originale, ac merito quidẽ denotari diximus: quippe quod nos à primo natiuitatis die Dei visione priuat: hic vero mortuum habemus & defunctum per quem peccatũ mortale designari existimo, quod animam occidat, ac trucidet, eiq; mortem afferat: Et sane mortuus hic viduæ filius, qui terræ mandãdus effertur, peccatorẽ significat, qui Ecclesiæ filius est, quemque dæmones statim à peccato lethali commisso apud inferos sepeliendũ efferrent, vt cum diuite olim Epulone egerũt, nisi Dei gratia, vt hodie hic Christus Dominus, ei occurreret, quæ eum ad vitam reuocaret. O paradoxa ac res inauditas! viuos inter mortuos censeri. Huc ades ô Cosmophile: tuque effrenate ac dissolute iuuencule, sistite paululum, est ꝙ tibi dictum velim, quod cupiam nuntiatũ: putas forsitã te in viuis agere, & eheu! mortuus es. Veritate ipsa, mihi crede, hoc est verius: vertite omnes tete in partes, tripudia, quantum volueris, iacta te, quantũ potueris, totas ludo, iociscq; transige noctes, discurre, euagare, & concipe quidquid vales, si inde digressus

Mortuus hic peccatorem denotat qui in peccato mortali viuit.

peccato lethifero vel minimo, intus fueris sauciatus, mortuus sine dubio es, & vnieũ iã in tartaro pedem habes, nihilq; tibi veræ reliquũ esse existima. Quid hoc? ipse Dominus Iesus: *Anima quæ peccauerit ipsa mortetur.* *Ezech 18. Matt 8.*

Hinc optime mihi Dominus adolescenti illi, qui illum sequi volens, prius tamen confectum ætate parẽtem sepelire sibi vt liceret, veniam rogabat, respondisse visus est: *Sinite mortuos sepelire mortuos*: quasi dixisset, Ne hoc tibi curæ sit adolescens, sine ab iis qui iam in anima mortui sunt, sepeliri eos qui corpore sunt mortui. Quid est autem quod mors in corpore facit, quod peccatum in anima non faciat? illa scil. corpus sensibus & agendi facultate priuat: hoc vero animam gratia, meritis, functionibusq; spiritus destituit. Hinc tradunt Philosophi, ac bene quidem, fulminis quoddam genus adeo tenue & subtile reperiri, vt gladium vagina eriã illæsa permanente comminuat ac fundi faciat: corporis humani ossa frangat, pelle non tacta aut minimum læsa. Huiusmodi fulmen, peccatum lethale appellare possumus, quod nimirum animam occidit, & corpori parcit. Vnde Psalmographus: *ad nihilum redactus sum & nescieui*: & alibi. *Conturbata sunt omnia ossa mea, & anima mea turbata est valde* dicere vult: Adeo animæ meæ regionem peccatũ vastauit, ac destruit, vt omnia ossa, id est, præcipuæ animæ facultates, cõturbata sint, & loco mota. Aristoteles cum de morte ageret, eam *omnium terribilium terribilissimum* appellauit: sed multo maiori cum ratione mihi dicere liceat, Philosophe: *Omnium terribilium terribilissimum est peccatum.* ipsa enim mors non nisi vita nos priuat, sed peccatum præter vitã, etiam animam & Deum aufert. Fierine igitur potest infelix peccator, te diutius viuere, cum vita, anima, & Deo careas? Tanta Basilisci serpentis traditur esse virulẽtia, vt etiam visu interimat, soluq; eiusdem intuitus venenum venienti afferat: at lethale peccatum longe, mihi credite, lethalius est & virulentius, sola namq; eius cogitatio animæ perniciem affert. Hoc ipse Salomon cum perspectũ haberet, nos omnes ad peccatũ, nõ secus atq; venenatæ aspidis, fugam inuitat dicens: *Tamquam à facie colubri fuge peccatum.* *Psal. 72. Psal. 6.* *Lib. 3. c. 6.* *Eccl. 21.*

Egregius conceptus.

Egregius conceptus de peccato mortali.

Quid sit peccatum mortale.

Adsis hic igitur, occæcate peccator, qui tam facile in peccatum prolaberis, ac pœnitẽtiam agere de anno in annum differs, siste gradum, ac iuxta hũc mortuum pedẽ figito; vt tibi quid peccatum sit aperiam quæq; supplicia promereatur. Proponas tibi velim ante oculos, quemadmodum Deus infinitum & summũ bonum est, ita quoq; peccatum infinite ac summe malũ dici posse: deinde ipsum peccatum adeo lethale ac mortiferum virus esse, vt animas quæ natura immortales sunt, morte afficiat. Quin etiam ipsum ligna quodammodo, & fomitem esse, qui flammam infernalem semper foueat & æternam reddat.

Peccatum diabolos deformes reddidit.

Vnde accidere putamus, dæmones adeo deformes, tetros & horribiles factos, cum olim instar Angelorum & ipsi Angeli resplenduerint? quis eos in tantam turpitudinem commutauit, aut adeo atros reddidit? anne fuligo & titiones tartarei? nequaquam: sed ipsum peccatum omnem illam turpitudinem arcessiuit, adeoque inamœnos visu effecit. Quænam igitur tua esse debet turpitudo, ô homo, quãta deformitas & inuenustas, cum tot anima tua peccatis redundet: dæmonibus ipsis multo, mihi crede turpior es: si enim vnicum peccatum mente & cogitatione sola comprehensum, tantam iis deformitatẽ potuit adducere, quantam, quæso, sexcenta & amplius tibi peccata allatura cẽses?

Anima quæ in peccato mortali est similis est inferno.

Eheu infelix & miserande peccator, si oculos obnubilatos nõ haberes, si animæ statum peruideres; videres haud dubie iam in infernale quoddam barathrum esse commutatam: nihil enim est apud inferos, quod nõ in anima tua reperire est; ardet in ea ignis ille & flamma concupiscentiæ, dæmonum mõstra in ea stabulant, & sedem figunt, peccata, spissæ vmbræ, ac Cymmeriæ tenebræ illic reperiuntur, passionum truculentæ furiæ habitant, vermis conscientiæ perpetuam sibi mãsionem ibi delegit, qui eam semper rodit & excruciat, continuæ denique illic blasphemiæ & conuitia exaudiuntur: quid igitur hic deest, quo minus animam inferorum locum in se continere dicamus? Volue & reuolue tecum diligentius infelix anima, quam iniuriam sibi fieri crederet. Beatus aliquis, si beatitudine sua priuaretur, infernalib. flammis adiudicãdus? nihil, mihi credite, illi grauius aut tristius accidere posset, ô infelix, ac fatue peccator, hoc ipsum tibi malum peccatum parit. Expellit te nimirum cœlesti paradiso, non secus atq; Adamum olim terrestri: quin & æterna te beatitudine spoliat, teq; in profundam tartari abyssum deturbat.

Docetis Philosophi, ac vere quidem docetis, materiã omnis corruptionis esse principium, & plurima exinde axiomata cuditis: inprimis quidquid à materia descendit, corruptioni obnoxium esse: deinde quidquid materiæ immixtum est, aut materiam ingreditur, corrumpi, & alia huiusmodi. At multo melius si mecum doceretis peccatum omnis damnationis principium esse. à qua sententia infinita etiam axiomata formari possunt, scilicet: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur*: &, *nihil coinquinatum peccato intrabit in regnum cœlorum*, aliaque sexcenta.

Cõceptus egregius de peccato mortali.

Ezech. 18. Apoc. 21.

Dicere de virtute solebat Cicero, tantam eius pulchritudinem ac splendorem esse, vt si oculis corporis cerni posset, mirabiles excitaret affectus, omnesq; in amorem sui accenderet: idem mihi de peccato, contrario licet effectu, dicere licet, tãtum in eo scilicet turpitudinis, ac terroris delitescere, vt si animi oculis videri posset, omnes omnino mortales in sui odium execrationemq; excitaret, & totus id orbis velut pestem certissimam ac teterrimum exitium abhorreret. Quamobrẽ *tanquam à facie colubri*, peccatum fugite, velut monstrum idipsum perhorrescite.

In Officiis.

Eccl. 21.

Næ ipsum peccatum monstrum teterrimum est, adeo informe & horrendũ, vt si tãta nobis fides esset, qua id cognoscere possimus, mille potius mortis genera perpeti, milleq; subire cruciatus, quam vel leuissimum lethale crimẽ admittere mallemus. Ipsi quin etiã Angeli & Sancti, qui modo in cœlis cõmorantur, tantopere peccatum execrantur, vt si iis diceret Deus: Necesse est Cherubim, Patriarchæ, Apostoli, martyres mei, vnum vt peccatum lethale cõmittatis, alioquin in infernale barathrũ perpetuis cruciandi ignibus estis deturbandi: Omnes procul dubio vnanimi voce responsuri essent: Quidquid tibi visum fuerit, Domine de nobis libere decerne, & nos, si iubet, in nihilũ potius redige,

Malleur Angeli apud inferos torqueri, quã vel minimum peccatum cõmittere.

vt è

vtiè nihilo produxisti, quã vt vllo maiestatem tuam crimine offendamus, vt vllum aduersus te delictum committamus, aut rem adeo detestabilem perpetremus: & in infernalem nos potius voraginem detrude, nunquam inde egressuros. Multo namq; nobis futurum est antiquius, æternis apud inferos cruciatibus torqueri, æternisque flammis mancipari, quam te tam nefarie, tamque nequiter offendere. O vere diuinum propositũ! Idem omnino propositum fuit honestissimæ illius matronæ Susannæ, quæ proposita hinc infamia, pudore, omnique adeo ignominia, illinc vero peccato, ignominiam potius, ac dedecus subire, lapidibus obrui, & crudelem, infamem ac nefandam mortẽ perpeti parata fuit, quam in adulterii peccatum consentire, dicens: *Angustiæ mihi sunt vndiq; si enim egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras: sed melius est mihi absq; opere incidere in manus vestras quam peccare in conspectu Domini*, O fœminam omni commendatione dignissimam!

Dan. 5. Quid? fieri ne igitur, obsi mate peccator, potest; tam parum de peccato sollicitum viuere? vt non penitus ad eius vel memoriam timore contremiscas, & idipsum committere exhorrescas? fierine potest securum te agere, ludere, ridere, ac tripudiare, cum te mortuum ac Dei factum inimicum videas? cum cernas te Dei traditorẽ fuisse, aduersus maiestatem ac diuinitatẽ eius conspirasse? Hæc omnia si animum tuum non permouent, silice te ac petra duriorem, ferro & ære rigidiorem, & sensibus destitutum pronuntiabo.

Balthasar Regis Nabuchodonosoris filius manu in pariete mortis aduersus eum decretum & sententiam scribentis, visa, adeo consternatus est, vt quemadmodum sacri libri scribunt, facies eius commutata sit, & compages renum eius soluerentur & genua eius adsciuicem colliderentur. Te verò, ô prophane & obdurate peccator, cum peccatum in fronte tua sesquipedalibus litteris mortis sententiam ac damnationis decretum exarare videas, credine potest, intrinsecus non cõmoueri, aut præ metu non exalbescere: horrore non concuti, & si non timore, pudore saltem commoueri?

Manasses Rex admisso peccato, adeo coram diuina maiestate erubuit, vt vix oculos ad cœlum sustollere præsumeret, dicens: *Non sum dignus videre altitudinẽ cœli.* Tanta quoque verecundia Dauidis Regis fuit, vt coram hominibus comparere vix ausus, gemens diceret: *Tota die verecundia mea cõtra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Hæc sunt igitur infortunia & exitia, Auditores, qui nobis peccatum afferre, & affecta, quæ in anima operari solet, vt scilicet eam immortalem morti obnoxiam reddat. 2. Paralip. 3 Psal. 41.

*Ecce defunctus efferebatur*: Ecce pompa procedit, Iesus non vocatus eidem occurrit, vt aliquod miraculũ edat. Sequamur eum igitur, vt sic ad secundam concionis partem veniamus, videamusque ab eo hunc adolescentem ad vitam reuocari. Taceant omnes, ac linguis faueant. loqui mutuo incipit dicens. *Adolescens tibi dico surge.* Adolescentes calamistrati, qui in deliciis vestris sepulti stertitis, vosq; adolescentulæ quæ voluptatibus in dormitis, surgite in pedes, surgite, iubet Deus, ac pœnitentiam de peccatis vestris agite. O vberem mysteriorum campum!

III. Quæ vis in numero quaternario lateat.

Quatuor verbis, *Dixit & facta sunt*, cõdita est vniuersa hæc mundi machina: quatuor item verbis, *Verbũ caro factum est*, ipsum Incarnationis mysteriũ innixum est: quatuor verbis tremendum Eucharistiæ Sacramentum consecratur. *Hoc est corpus meum.* hic quoque per quatuor verba videas ad vitam adolescentem reuocari, *Adolescens tibi dico surge.* O vere mirabilem numerum quaternarium! ô quadraturam! ô cubum!

Adolescẽs hic è præcipuis ciuitatis erat.

Hic igitur adolescẽs est, non depõtanus, aut decrepitus senex, nõ annis grauis, quem nimia senectus mori coegit: nõ puer infans, quem mors in cunis oppressérit: sed adolescens iuueniculus, in Aprili, in Vere, in flore ætatis constitutus. Filius item vnicus matris suæ honesto loco natus & è primoribus Ciuitatis: legitur namq; in Euangelii cõceptu. *Et magna turba ciuitatis cum illa*, ad cuius scilicet exequias tota pene ciuitas confluxerat. O mortem, crudelem nimium mortem! vere te cæcam appellare possumus, quę, nec diuitias, nec ætatẽ, aut conditiones mortaliũ intueris; vnde merito olim vates ille Venusin⁹:

Horat. li. 3. ode 4.

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,*
*Regumq; turres.* ——

Vos vero matres an non vobis matris huius tristitiam, dolorem, angustias ac lamẽta ob oculos ponitis? an non vobiscũ ipsæ perpenditis, quanta illa tristitia, vnico suo quem habebat filio amisso, affecta fuerit: vnico inquã filio orbata, mater illiberis, & dives absque hærede? Audire mihi querelas eius, ac suspiria videor, ac muros ciuitatis eius lamentis percussos, hanc vocem emittere: Quantis, quamq; grauib. infortuniis caput meum ô superi, inuoluistis? quot mihi dolores & ærumnas arcessiuistis? anne reperiri aliqua in vniuerso orbe mater queat, quę me patiendo superet, in quam tot, quot in me miserã, calamitatis tela Deus euibrarit? Vnica, eheu, proles mihi erat, vnicus omniũ facultatum hæres in quẽ domus inclinata recumbebat, miserę spes vna senectę, præsidium ac rerum columẽ mearum, & huncipsum mihi eripit, & quodammodo auellit Deus. Cur non, obsecro, ipsa præcessi? Quin tu amara mors filiũ superstitẽ relinquẽdo, matrẽ non potius abstulisti? Itane te fili mi delitię meæ, suauium meum, corculum meũ, vita, spes, atq; omnia mea mihi eripi, nullo vt vnquam die, posthac te mihi fas sit intueri. his crediderim lamẽtis & vocib. orbatam hanc matrẽ aera fatigasse. Vos autem matres, an non matris huius miseret? vos vero adolescẽtes, an nõ hinc mortẽ formidare discetis, q̃ nemini omnino parcit,

*Nec imbellis iuuentæ*
*Poplitibus, timidoue tergo.*

Semper nos Deus hinc in optimo statu constitutos euocat.

Vos autem Christiani, hinc discatis velim nos semper ex hoc mundo à Deo euocari, quando optime intrinsecus in animo constituti sumus, & quando minimum damnationis periculum subest. Paruulum hunc è cunis ad sese euocat: præuidet namq; fore eum, si longius vitæ spatium concesserit, de salute periclitaturum. Hinc patremfamilias fœliciter rebus suis incumbentem, ac laudabiliter viuentem in flore ętatis, ex hac vita tollit: auguratus fore, eum si vita diutius producatur, à mundo inescatum, decipi adhuc & circumueniri posse. Hunc vero peccatorẽ è mediis fornicibus euocat, finitque eum in peccato mortali cõstitutum hinc emigrare. Sed eheu, Domine si sufficiens illi tempus & diutius spatium dedisses, vitam forsitan emendasset, ac pœnitentiam pro delictis egisset. Dicendum tamen est Deum in optimo vitæ statu eum abstulisse: si namque longior ei in vita mora fuisset indulta, plura hauddubie peccata admisisset, ac grauius proinde iudicium sibi arcessens, grauiori apud inferos supplicio cruciandus fuisset. O immensam Dei misericordiam, ac benignitatẽ infinitã!

Hinc quoq; discamus oportet, Deum vitam nostram non annis aut diebus, sed meritis demeritisq; metiri. Nam veluti mundus propter hominem conditus est, eiusq; terminus ac finis, completus electorum & reprobatorum numerus, futurus est, id est, tam diu mundus subsistet, donec certus ille prædestinatorum ac reiectorum numerus, quẽ Deus cõstituit, fuerit completus. Ita de vnoquoq; nostrũm dicendum est, vniuscuiusq; vitam, merita aut demerita loca termini habere præfixa: hoc est, eatenus hominẽ in hac vita agere, donec peccata virtutesq; eius completa sint. Atq; inde euenire puto quare plurimi in iuuentute moriantur, vitæ cursum peccatis incidendo, qui licet pauxillo vixerint tempore, innumera tamen peccata commiserũt. Docent hoc me literę sacrę in quib traditur, Deũ expectare nonnihil voluisse, antequam sulphuream pluuiam in Gomorrhæos emitteret, donec s. peccata eorũ cõplerentur: *Nẽdum completa sunt iniquitates Gomorrhæorum.* Quãobrẽ adolescẽtes, si longa vitę tempora vobis exoptatis, ac diutiuscule vitã vultis protrahere, rarissime peccate: nã vti bene Poeta: Gen. 15.

*Cur multum peccas, si multum viuere curas?*

Hinc interrogatus olim Thales, ecquidnam difficile vidisset, optime mihi respondisse visus est, *Senem tyrãnum*: vix enim quẽquam eorum canescere, aut ad extremam senectutem peruenire videas. Idem mihi de peccatore fas est dicere: vnum esse de rarissime contingentibus, peccatorem ad decrepitam ætatem pertingere: cum peccata ei vitæ filum præcidant.

Simile.

Referunt etiam naturalium rerum scriptores, leonem non esse longęuum, quod nimium sit ferox & violentus: ita quoq; peccatorem

torem asſero diuturnæ vitæ non eſſe, quod vehementior ſit, eiuſq; agendi ratio diſſoluta animium ac violenta.

Rex cum in regno arcem eſſe videt, quę omnem circumcirca regionem diuexet, expilet vicinos, ac deprædetur omnia: idq; veterani alicuius, ac profligati militis imperio, qui nec regem nec iuſtitiam metuat, prædonum in ea agmen & ſicariorum foueat, qui excurſiones in agros vicinos agãt, miſeroſq; agricolas exhauriant, prædaſq; immenſas ſecum deferant: Rex, inquam, querelis ad aulã delatis ſtatim mittit qui locum dedi petant, quod cum obſeſſi recuſant, eundẽ tormentis & baliſtis quatit: at vbi videt ſeſe nequidquã in eo oppugnãdo tẽpus terere, ſubterraneos cuniculos agit, itaq; ſubtus muros puluere ſulphureo agente, loco ſimul & prędone potitur. Deus Rex ille Regũ ac Dominantium Dominus idẽ omnino cum animab. præſtat: Cum enim animam peccatricẽ corpus adoleſcentis alicuius, veluti locum quẽdam munitum videt occupaſſe: in eoq; ſpiritualium prędonũ agmen collocaſſe, qui plurima hinc inde crudelitatis genera exerceant, infinita peccata cõmittant, adeo vt ad aulã cœleſtem querelę de maleficiis perferantur; ſępius eandem ſanctis inſpirationibus admonet, ſeſe vt reddat, dicẽs. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro*: ſed vbi ſeſe hac nihil via videt proficere, infirmitatibus eam, tribulationibus, calamitatibus aliiſque vitæ incommodis concutit; nã *multa flagella peccatoris*. Vbi nec hac ratione res ſuccedit, cuniculis agere inſtituit, ac terrã corporis ſuffodere, occultum quendam humorem ſubinducens, qui paulatim in immenſum exereſcens, tandẽ hominem inſtar cuniculorum ad terram proſternat, & ad tumulum deducat. Huius exemplum rei hodie in Euãgelio legimus, vbi dicitur: *Adoleſcens tibi dico ſurge*: Ego ſum qui dico, iubeo, qui peccata deleo. *Ego Deus ſaluos faciendi, mei ſunt exitus mortis*: ego qui ad cingulum potentiæ meæ claues mortis & tartari geſto, *habens claues mortis & inferni*. *Surge* igitur, erige te, mihi obſequere: Ego ſum qui Ionã de profundo pelagi liberaui, Danielem de lacu leonum, Lazarum de ſepulchro viuentem eduxi, quiq; mundum è nihilo condidi.

Ioel. 2. Pſal. 31.

Pſal. 63. Apoc. 1. Ioan. 2. Dan. 8.

Surge igitur adoleſcens, ſurge, & quonam, miſer, decideras, vt neceſſe fuerit ſurgere? in mortem ſcilicet, à qua non datur ad vitam reditus: nam à priuatione ad habitum non datur regreſſus, in peccatum quoq;, in quod qui prolapſus fuerit, difficulter admodum exire poteſt, niſi Deus miſericordia ſua affulgeat: *Spiritus vadens & non rediens*, & pœne ad infernales abyſſos, è quibus reuocare gradum & ſuperas euadere ad auras nulli hactenus conceſſum eſt, *in inferno* enim *nulla redẽptio*. O graues caſus, ô profundos lapſus! Surge igitur quantocyus. Quid enim mirũ, adoleſcentem hunc ſub graui peccatorum onere fatiſcentem concidiſſe: cum cœlum quod adeo ſolidum ac firmum eſt, vnum Luciferi peccatum ſuſtinere non potuerit, ſed ſub pedibus eius ſubſederit: Terra quoque aperta ſit indignata, nec peccata Chore aut Abiron perferre valuerit. Chriſtus quoque Redemptor noſter, validus ille Atlas noſtra delicta humeris portare volens, ſub onere ſuccubuerit, & ſub eodem expirarit. Surge igitur modo infœlix peccator è peccatorum tuorum cæno, ſurge deſes & vecors: ſurge piger & negligens, Deoque melius, quam hactenus feciſti obſequium exhibe.

Pſal. 77.

Nullũ eſt in mundo onus peccato grauius.

Quam porro neceſſe eſt, Domine, vt à te ſubleuemur: omnes enim ſub peccatorum onere fatiſcentes proſtrati iacemus, omnes velut mortui ſumus, anima noſtra omnem penitus ſenſum amiſit, moueri nequit, & in extremis verſatur. Graue namq; illud peccatorum pondus eam oppreſſit, adeo vt ſub onere gemat; numquam valens exſurgere, niſi tu miſericordiæ illi ac benignitatis manum porrigas: iam compoſita eſt, & ad tumulum effertur, non extra ciuitatẽ Naim, ſed extra mundum: dæmones adſtant, vt eam terræ, dicere velim tartaro, mandent, tartaro inquam, Caini, Pharaonis, Abironis, diuitis epulonis, aliorumque, ac cõmuni damnatorum ſepulchro. Quamobrem, Domine, in occurſum eius propera, miraculum hic oſtẽde, reſuſcita, ac iuſtifica illam, vitam gratię tuę quam amiſit, eidem reſtitue, vt hodie adoleſcenti huic reddidiſti. Gemit enim & plorat miſera illa mater Eccleſia, orat te vt filium eius à peccati morte ad vitam gratię re-

uoces. Noſtras adhæc animas à mortuis excita, vt nemini niſi tibi ſoli viuentes, aliud non ſpirent, quam gloriam nominis tui in hoc ſeculo, & in altero beatitudinis æternæ fruitionem exſpectant. Amen.

## FERIA VI. POST DOMINICAM VI. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. De humana vitæ breuitate.*
*II. De Lazaro infirmato.*
*III. De Lazaro reſuſcitato.*
*IV. De mortuo in peccandi conſuetudine.*

*Erat quidam languens Lazarus à Bethania de caſtello Marthæ & Mariæ ſororum eius.* Ioann. 11.

### FIGVRA.

4. Reg. 4. SVnamitis illa mulier, extremo propter vnici filii mortem dolore affecta, ad pedes Elizæi prophetæ ſeſe proſternens, ac lachrymis, lamentis, & fœmineo vlulatu aërem fatigans, ita eum permouit, vt filium importunitate victus, ad vitam reuocarit. Attollite oculos, Auditores, eoſque in hodiernum Euangelium coniicite, & eandem pene rei ſeriē hic perſpicietis: hoc namque loco duæ mulieres, duæ inquam ſorores, fratris morte ingemiſcentes, Chriſti pedibus aduoluuntur, eumque precibus & lachrymis adeo permouent, vt earum poſtulatis annuens, fratrem nouo quodam & inaudito modo ad vitam reuocarit. Quid vobis videtur? an non magnus hic vtriuſq; rei conſenſus & cōmunio? illic mater pro filii, hic ſorores pro fratris vita ſupplicant: illic Propheta mortuū excitat, hic omnium Prophetarum Princeps. Illud vero diſcriminis ſubeſt, illic ſcilicet Elię diſcipulum & ſeruum, hic vero filium Dei vnigenitum miraculi patratorem eſſe, miraculi inquam, cui ſimile Chriſtus nunquam edidiſſe legitur, quodq; miris caſibus redundat: in eo namq; ſepulchrum aperitur, inſtitæ diſſoluūtur, ſaxum reuoluitur, ac mortui ad vitam reuocantur. plura audietis, ſi Spiritus ſancti auxilium inuocauerimus, & Angelorum hominumque reginam ſalutatione Gabrielis ſalutauerimus.

### AVE MARIA.

Expoſtulare cum rerum omnium creatrice natura ſolitum ferunt Theophraſtū Philoſophum, quod longius vitæ ſpatium cornicibus & coruis quam hominibus dediſſet. Cic. 5. Tu
Magnus ille quoq; naturæ arcanorum indagator Plinius, noſtrā ætatem cum animaliū viuacitate comparans, eandem querelam renouauit, naturam dicens cęteris animantib. matrē, ſoli vero homini nouercam extitiſſe: cum enim cornices ad quinque ſecula vitam producere, ceruos ad nouem: ceruos ad mille annos viuere, Phœnicem vero ad bis mille, videret, inter tot vero hominum myriades vix vnum atq; alterum reperiri, qui centeſimum annum pertingat, naturam maximam hominibus iniuriam irrogaſſe dicebat. Plin. lib. cap. 41.

Ac merito quidem mea ſententia, Gentiles cum immiti illa & rigida nutrice ita expoſtularūt, quę vix nos in luminis auras edidit, quin ſtatim in ærumnarum calamitatumque pelagus demergat, nullaque data quiete, ſtatim ad tumulum violenter etiam inuitos rapiat. Nulli eam melius aut aptius comparare queam, q matri Moſis, quæ filium iam tribus menſibus ſeruatū, regis tandē iuſſis obſecuta, fiſcellę ſcirpeę bitumine ac pice illitę, impoſitum in profluentem, omnē maternū affectū exuens, deiicit: Natura ad hui⁹ imitationem, plena crudelitatis nos vix natos fluctib. vitæ huius imponit, è quibus nunquā, niſi cum ad mortem tendimus egredi licet. Exod. 1

Imitatur ipſa quoq; crudelem illum Pharaonem regem Ægypti, qui omnes maſculos Iſraelitarum iam recens natos occidi iuſſit, filias vero viuere permiſit. Æmulatur inquā eum hoc in genere crudelis illa & inhumana regina, ne dicam tyranna, dum homines iam iam natos ad mortē cogit, beſtiis vero, quas filiabus aſſimilo, longa vitę tempora concedit. Adeo vt dicere verbo liceat, vitā noſtram breuiſſimā, imo merū nihil ac velut fumū eſſe,

esse. Vnde bene mihi medicorũ filii in principio præceptorum suorum scripsisse videntur, *Ars longa, vita breuis.* Aristoteles animalculum quoddam esse asserit, cui nomẽ Ephemerum, q̃ latine diarium reddas quadrupes & quaternas alas habens, reptile simul & volucre, quod mane quidem nascatur, meridie sole splendente perfectum sit, sole vero occidente simul occidat, & emoriatur. Vbinam tam mysticũ animal reperisti ô Philosophe? quod ad viuum humanam vitam exprimat, quæ sæpe vita huius animaleuli diuturnior non est. Extenditur hæc interdum vix in annum, aliquando vix ad mensem, aliquando diaria est Esse nostrum habere incipimus in aurora infantiæ, in meridie, in virili nempe ætate, perfecti sumus & ad vesperam in senectute emorimur. Docuit hoc me vates regi⁹, dum canit: *Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat: vespere decidat, induret & arescat.* Similis quippe ô humana vita rosis, quæ in spinis excrescentes mane nascuntur, & nitent, meridie languent, ac vespere decidunt: crescis namq; in miseriis & ærumnis, egrederis in aurora iuuẽtutis, flores & viges in ætate virili, & ad senectutis vesperam euanescis & petis.

*Aristl. 5. de animal. c. 19*

*Psal. 89.*

*Isai. 38.*

Ephemerus es igitur ô homo, ac vita tua non nisi vnius diei: nõ est quod tibi amplius annos pollicearis. Nestorius terminus enim vitæ tuæ vnus tantũ est dies. Vnde Ezechias Rex, *De mane vsq; ad vesperam finies me*, quasi diceret. Quænam hæc vita est, Domine? anne vere vita poterit nominari? sed hinc discas oportet, ô Rex, vitam tuam nõ nisi vnius diei esse. Et quemadmodum, qui in carcerem coniecti sunt, numquam diem integrũ, postdatam sentẽtiam in carcere agunt: ita nemo mortalium, vt bene Iustinus Martyr, & Irenæus obseruarunt, vmquam integrum diem, secundum Dei calendarium supputãdo, post mortis sententiam aduersus primum parentem Adam latam, viuere potuit, *mille* namq; *anni*, teste S. scriptura, *tanquam dies hesterna quæ præteryit.* Nemo enim vnquã ad mille annos peruenit. Adam prius mortuus est, quam ad finem illius diei peruenire potuerit (vixit enim tantum nongentos triginta annos:) alii quidem eum prætergressi sunt, vt Mathusalem, sed tamen nonnisi nongentos sexaginta nouem in hoc mundo egit: adeo vt vere dicere possimus, hanc vitam ne integrum quidem diem durare posse.

*Hist. tripar tita.*

*Irena lib. 5. contra hæreses.*

*Psal. 83.*

Aristoteles lib. 1 Physic. quam Auerroes, Iamblichus. ac D. Thomas sequuntur, temporis naturam inuestigans partes examinãs, post multa in vtramq; partem allata, tandem in eo cum cæteris cõuenit, aliud nihil ipsum esse quam imaginarium quid, quod mente tantum & cogitatione comprehendatur: cũ enim tribus constet membris, quę reuera nihil sunt, præterito nimirum, præsenti, ac futuro, nihil aliud ipsum, quam phantasma quoddam ex trib. compactum membris, esse iudicabãt: ipsum. n. tempus præteritũ transit, & non est amplius; futurum instat, & nondũ adest: præsens punctũ est, ac vix nihil, semper enim effluit, & nunquam in eodem statu permanet. Quanto hoc melius de vita nostra dici posset: quæ nihil aliud quã phantasma quoddam, è tribus instantibus & momentis copulatum, quæ in momento & ictu oculi transeunt. Præteritum quippe non est amplius, futurum nondum est, præsens præter momentum nihil est, omniaque in momento prætereunt & abeunt.

*Auer. 4. Phys. Iam. ibid. q. 17.*

Egregius cõceptus.

Ita porro sanctissimi viri ac Prophetæ, Dauid & Iob de hac vita, ipsi quoque viuentes, Philosophati sunt; vnus eam vmbræ, alter fumo comparat: quorum vestigiis insistens Salomon, eam nihil esse aliud ait, quam inanem vmbræ transitum: Iacobus vero Apostolus vapori ad modicum apparenti assimulauit. Sed diutius æquo huic exordio de vitæ breuitate agentes, immorati sumus, cũ breuiores hic fuisse oportuisset. Eius autem rei egregium & viuum nobis exemplum Euangelium hodiernum proponit, iuuenem scilicet honesto loco natum, atque illustribus progenitum parentibus, ætatis suæ vigesimo aut vicesimo quinto anno, vita defunctum, iam in quatriduana sepultura fœtentẽ, ac vasto lapide obseratũ. Historiam prosequitur S. Ioannes his verbis: *Erat quidã languens Lazarus à Bethania, de castello Martha & Magdalenæ.* &c. Ante omnia de Lazaro, deinde de eius resurrectione agemus: atq; ex his duobus eximium hoc saluatoris miraculũ eliciemus.

*Psal. 108. Iob. 8.*

*Sap. 2.*

*Iacob. 4.*

Quod

II. Quod ad primum, refert S. Ioannes, huius miraculi præco, in Bethaniæ castello, quod haud procul Ierosolymis aberat, nobilē quē dam, Lazarum nomine, Marthæ & Magdalenæ adeo in Euangeliis deprædicatarū, fratrem habitasse: qui cum in grauem ægritudinem incidisset, sorores commiseratione & affectu tum naturali, tum fraterno commotæ, Christum summum illum medicum certiorē reddiderunt, vt fratris suiq; ambarum misereretur, dicentes: *Domine, ecce quē amas infirmatur.* Non miserunt consulere oraculū
*4. Reg. 1.* Beelzebub Dei Accaronitarum, vt olim Ochosias Rex; sed consuluere Christum Dominū. Ipsum namq; sciebant summum illum medicū, qui tot iam infirmitates & morbos
*Matt. 9.* per Iudæorum regionem curauerat; qui Hæ-
*Ioan. 5.* morrhoissam duodecim annos sanguinis
*Matt. 8.* profluuio laborantem, sanauerat; qui paralytico, triginta octo annos, ad piscinam aquæ motum exspectanti, sanitatē reddiderat: qui seruo Centurionis paralysi distento membrorum vsum restituerat; qui socrum Petri
*4. Reg. 20.* magnis febribus laborantem, ab iisdem liberauerat. Sed altius illæ rem repetiuere, & ab vltima memoria exemplum hausere; sciebāt sc. esse eum ipsum, qui Ezechiam Regem, de cuius vita medici desperauerant, sanitati restituerat: atq; hinc, non dico spem, sed firmā & indubitatam fiduciam, sanitatis recuperandæ concepere, dicentes: *Domine, ecce quē amas infirmatur.* Breuis hæc & curta oratio est, sed fide ac spe plena. Orant illæ, vt Iacob.
*Iacob. 2.* Apostolus orandum monuit, *Postula in fide nihil hæsitans.* Deinde iam longo vsu, & familiari eius consuetudine perspectum habebāt, eum benignitatis ac misericordiæ fontem
*Psal. 9.* esse: didicerant quoque à Psalmista: *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quarentes te.*

Demetrii Phalerei Dictum. Dicere olim solebat Demetrius Phalereus, *Amicos in rebus latis adesse debere vocatos, at in aduersis non vocatos*: Hinc germanæ illæ tantum aiunt, Domine hic de vita agitur eius quem vnice diligis, ac summo amore cōplecteris: nihil addunt amplius, nihil postulant aut decernunt aliud: sciunt Deum nouisse omnia, ac semper nobis quæ necessaria sunt abunde & libenter elargiri.

Plato, eumq; secutus D. Thomas tradūt, Lacedæmonios nihil aliud à Diis postulare solitos, quam vt quæ vtilia reip. viderentur, darent, cætera Deorum arbitrio relinquēdo. Idipsum hoc loco & sorores hæ præstitisse videntur, dicentes: *Ecce quē amas infirmatur.* Consuendo Lacedæmoniorū in omnibus diis.

Quid dicitis piæ sorores? si frater vester à Deo diligitur, quomodo morbo diuexatur? quis credat Deum tribulationib. & calamitatibus probare eos, quos habet charissimos: Mouit hanc olim quæstionem fortissimus ille populi Israelitici dux Gedeon; cum enim ab Angelo salutaretur: *Dominus tecum vir-* *Iud. 6.*
*rum fortissime.* statim hanc ei quæstionem proposuit: *Si Dominus nobiscū, quomodo tanta mala patimur?* Idem inter Iob, eiusq; amicos olim disceptatum fuit, qui asserebant iustis nullas à Deo calamitates & afflictiones immitti posse. Quin & Sampsonis vxor Dalila de mariti in sese affectu expostulans, ait: *Quomodo dicis quod amas me, cum animus tuus* *Iud. 16.*
*non sit mecum.* Idem omnino hæ sorores, licet recte innuere voluisse videntur, *Ecce quē amas, infirmatur*: quasi dicere voluissent, Quomodo te erga fratrem nostrum affici dicis, Domine, eiusque commodis studere, cum tam graui eum morbo cruciari patiaris? æger enim decumbit, & vsque ad mortem decumbit.

Sapienter, meo quidem iudicio ô Martha, tuq; ô Magdalena, locutæ estis, ac bene fundata vestra est oratio: solet enim Deus quos diligit, castigare, eosq; plus cæteris, tribulationibus & afflictionibus premere: ita namq; Deus cum dilectis suis agit, vt Angelus olim cum Iacob Patriarcha: cum enim Angelus integra nocte cum eo luctatus fuisset, abiens eum in femoris neruo percussit, qui deinde emarcuit, mox benedictionem suam ei elargitus. Deus quoq; post diuturnā amicitiam & vsum, amicos tandem castigat, tribulationumq; ictum iis infligens, in mundi prosperitate eos claudos reddit; sed inde euocatos benedictionibus cumulare consueuit. Dilectos suos vltimum Deus calamitatibus visitat.

Quod olim Deus cum Hebræis in captiuitate Ægyptia detentis, & eadē iamiam liberandis; id plerumq; cum amicis, electis, & prædestinatis agere consueuit, quos è mundi captiuitate educere conatur: diabolus illis, Allegoria.

illis, loco Pharaonis est, mundus Ægypti: caro, carceris; tentationes, afflictionum; & vt eos inde eripiat, per rubrum tribulationum mare eos educit.

Cælum igitur in caput iustorum aduersitates & afflictiones effundit, vt eos è mundo educat; quibus si carerent, longiorem in eo moram traherent. Augustinus Israelitas admiratus, cur in Ægyptum, in qua tot laborib. & afflictionibus olim tam diu exerciti erant, reuerti maluerint, quam in deserto Angelorũ esca enutriri, exclamat: *Quid fecissent: si omnia prospera illis fuissent in Ægypto, cum etiam ita flagellati in eam media via redire vellent* Ita quoq; mihi dicere liceat Augustine, Quid non mundi amatores facerent, quis eos educere posset, si læta semper aura afflaret, cum vix tot pressi calamitatibus, tot ærumnis grauati, inde queant educi?

Exod. 3 6. 7. & 14.

Gen. 26.

Monebant olim Angeli Loth, vt sese Sodoma eriperet, quæ iam iam igne consumẽda, ac fulmine sulphureoq; imbre esset euertenda: & tamen bene monentibus credere nolens, violenter quodammodo eiectus est, *Coegerunt eum exire*: quis igitur eum educere potuisset, si Angeli omnia læta, & vrbis prosperitatem denuntiassent. Si tribulationum multitudo, cogit te mundi Sodoma exire, ô homo, vt te à diuinæ iustitiæ fulmine tueatis, quis alioquin te eripiat? si omnia tibi ad votum fluerent & ad voluntatem omnia cederent, quis te respicere ac retrogredi coget? Quamdiu Laban benignum se ac mitem Iacobo demõstrabat, nunquam ille de eo relinquendo cogitabat; sed statim vt frontem nubilam ac rugosam, supercilia erecta, oculos liuidos totumq; vultum ei subiratum ostendit, domum paternam cogitauit, ac de reditu in patriã agere cœpit, subirati hominis vultum sustinere detrectans. Idipsum & hominib huius mund accidit: quamdiu n. vetus ille idololatra Laban, mundus, inquã benigne arridet & fauet, quamdiu filias suas, id est, voluptates, in matrimonium se daturum spõdet, quamdiu omnia ad votũ fluunt; de eo relinquendo ne minimum cogitant: de cœlo, vbi illorum patria est, ne minima mẽtio est. Sed statim vt eum propius intuentur, ac vultum eius in diuersa mutatũ agnoscũt, benignitatemq; illam in crudelitatem conuersam, prospera in aduersa, affectus in persecutiones, & plurimas tribulationes, ingruere; tum demum de reditu in patriam cogitare incipiunt, tum illis cælum in mentẽ venit, ac sese de mundo proripere gestiunt.

Gen. 11.

Quamdiu mũdus arridet, nulla de eo deserendo est mentio

Traduntrerum naturalium scriptores, Draconem dextra manu captum, sequi nolle, ac refractarium esse, sed sinistra apprehensum, ducentem sequi: huic similes esse censeo mundanos: in prosperitate enim, quam per manũ dextram intelligimus, superbiunt, ac cælo eos ad se trahere conanti & vocanti resistunt, sed cum tristior fortuna acciderit, & angustiæ animi ingruunt, statim vocãti obsequuntur. Huc respexisse visus est Dauid, cum ait: *Cadent à latere tuo mille, & decẽ millia à dextru tuis*: ac si dicere: Si infirmitates & afflictiones Domine, quæ per sinistram significantur homines deiiciunt ac prosternunt: prosperitates sane, quæ interdum accidunt, decem millia fundunt, decem millia profligant. Vnde euidenter apparet Domine, nihil à te electis tuis melius aut salutarius quam afflictiones dari posse, vti Lazaro amico tuo integerrimo quemq; ita diligebas, etiam immisisti.

Cõcentus egregii.

Psal. 90.

III.

Iam ad reliquum historiæ progrediamur, Christus igitur de Lazari infirmitate factus certior, in Iudæam properat, cui sorores dolore ac tristitia confectæ mortemque fratris deplorantes obuiam procedunt. Progreditur primo Martha, & his Dominum verbis compellauit: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*. Vbinam hæsisti Domine, cur tam procul à domo nostra abfuisti: te, cum maxime necesse foret, caruimus: tristem ecce casum Domine, quem sine lachrymis explicare nequeo, frattem nostrum Lazarum abstulit atra dies, & funere mersit acerbo: Lazarus esse desiit, qui totus erat tuus, quemq; vnice diligebas. Iam quatriduo sepultus est: ô amaram & lugubrem mortem, sane si hic adfuisses, tristis ille casus nunquam accidisset.

Illinc vero Magdalena confecta tristitia, ac vocem intercludentibus lachrymis se ad Domini pedes prosternit, quodque lingua proferre nequit, lachrymis euincere se posse sperat.

sperat. Qui fieri dicam Magdalena, vt toties Domini pedibus aduoluaris? Meminerat, Auditores, hic sese resurrectionē animæ im-
Luc. 5. petrasse, ideo fratris sui resurrectionem ibi-
4. Reg. 4. dem sese impetraturā sperat. Meminerat Sunamitidem ad Prophetæ olim pedes prostratam, filio vitam obtinuisse, se vero ad pedes Iesu Christi prostratam, vitā charissimi fratris obtinere posse. Didicerat quippe è Psalmis Dauidicis, *Adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino.*

Psal 94. Redemptor vero noster vndiq; sese impetitum precibus, & obsecratione ardenti pressum videns, hinc scilicet Marthæ lamentis & Mariæ lachrymis, illinc vero Lazari amore ad sepulchrum accidit, & nos simul ad alterum concionis membrum, in quo vbi Lazarum fœtentem, grandi coopertum marmore pedes manusq; vinctum, reperit (quem ante octiduum sospitem, integrum, valentem, & incolumen viderat) lachrymas præingēti animi affectu tenere non potuit, *sed lachrymatus est Iesus.* Domine Iesu Christe quid ploras? vnde hæ lachrymæ? anne forsitan q̄ diffidas Lazarum ad vitam redire posse? an vere quod eum defunctum videas: Nequaquam Domine, nequaquam; non illa lachrymarum tuarum causa. Scio namq; te vno verbulo vniuersam hanc mūdi machinam è nihilo produxisse & lōge tibi facilius esse mor
2. Reg. 5. eis portas reserare miseroque Lazaro vitam reddere. Noui adhæc, Domine, & docuit me Anna prophetissa, te illum esse *qui deducis ad inferos, & reducis.* Vnde igitur hic lachrymarum imber? quæ tantorum suspiriorum clamorumque causæ: Vnica peccati in quo peccator tam securus agit, consideratio, hoc gemitus, hæc suspiria, singultus hos, & lachrymas cient cuius imaginem ad viuum in Lazaro hoc expressam videt. Hæc causa & ratio est, cur hodie lachrymatus aeremq; cla-
Figura. moribus impleuerit, atq; imo pectore traxerit suspiria. Cum amici Iob nudum eum & afflictū in firmario sedentem, ac testa saniem radentem intuerentur, septē continuo dieb. eius calamitates animo voluentes, illachrymati sunt. Hic vero videas Iesū, Lazari amicum, cum eundē in tumulo protensum, ac semiputridum videret, amare lachrymantē.

Dauid Rex morte dilectissimi sui Ionathæ audita, totus in fletum resoluebatur. Christus vero rex cognito amicorū suorum primum Lazarum ad patres abiisse, vendensque eum in sepulchro iam conditum, vbertim fleuit. 2. Reg. 2.

Contemplamini igitur hic verum illum Iosephum, qui dominatur in tota terra Ægypti, super colla fratrum procumbendo lachrymantem: ô vere diuinas lachrymas, ô lachrymas sublime mysterium spirantes! Tres quidem mortuos Dominus ad vitam reuocauit, filiam sc. Archisynagogi, filium viduæ in suburbiis Naim, & hodie hunc Lazarum: at nusquam lachrymasse, nisi hodie, legitur. Illic præter ipsum miraculum nihil est, quod admirationem mereatur, nō sunt lachrymæ, neue aliæ cæremoniæ: hic vero fœtent. Si quis enucleatius rem indagare velit, poterit per tres hosce mortuos tria peccari genera intelligere, originale scilicet, veniale & actuale: vel peccata operis, oris, & cordis Resuscitatio filiæ Archisynagogi, in domo facta cogitationem denotat quæ nondum animæ fores exiuit. Filius viduæ ad portam ciuitatis. Nam resuscitatus, verba significat, quæ iam in ore, quod animæ porta est, versantur: & quemadmodum vterque facili negotio ad vitam reuocatur; ita quoq; vtraque illa peccata facile à Deo remittuntur. At per Lazarum, qui iam quatriduanus est, qui iam in tumulo fœtens iacet, & in cuius resuscitatione Dominus ita fudat, peccatum opere ipso completum, quod iam inueteratum, iam in sepulchro prauæ consuetudinis conditū est, designatur. Hem quanta in huiusmodi resurrectione difficultas! Hic opus, hic labor est, hic necesse est Iesum lachrymari, & imo de pectore trahere singultus, altaq; voce inclamare *Lazare ven foras.* Gen. 45. Matt. 9. Luc. 7. Tres mortui quique Christus ad vitam reuocauit tria peccatorum genera denotant.

IV. Certissimum deinde est, omnia facillime peccata remitti, præter id quod iam consuetudine inoleuit, inualuit, animoq; iam vsu ipso insitum quodammodo est, & in tumulo diuturnæ consuetudinis cōditum quod difficile admodum eluitur. Hinc duæ illæ sorores fratrem iam abhinc quadriduo in sepulchro positum, ac semiputridum ad vitam reuocari posse nunquam credere potuerunt. Inueterata iam vsq; peccata difficulter admodum remittuntur.

Duo.

Allegoria. Luc. 24. Duoquoq; illi viatores. qui in Emaus proficiscebantur, videntes iam tres dies effluxisse. ex quo Dominus in sepulchro conditus erat, omnem spem eum rediuiuum viuendi amiserant. Tres etiam illæ Mariæ nunquam eum visuras sese putabant, aut eum monumento exire posse ; nisi ingens ille lapis primum ab ostio monumenti esset reuolutus : Hinc dixêre in inuicem : *Quis reuoluet nobis lapidem?* His omnibus edocemur, quam difficile resurrectio spiritualis, peccatoris scilicet, cui ingens prauæ consuetudinis saxum incumbit, vel qui iam non dicam triduo, sed triennio in peccatorum tumulo iacet, iustificatio cõtingat. Difficilis tua resuscitatio fuit quatriduane Lazare, ac multo sane difficilior tua peccato quadriennio mortue, tua inquam iustificatio.

Marc. 16.

Ingens profecto miraculum fuit, post triduum Ionam de profundo pelagi emergentem, ac de vẽtre ceti prodeuntem intueri. At longe maius miraculum est post triennium, peccatorem offirmatum, & obstinatum, à centro inferni prodeuntem, videre, & eum è peccati ventre per cetum designati prodire, & ad solem gratiæ reuerti.

Ioan. 2.

Christus tempore passionis Patrem tertio orauit antequam discipulos sopore grauatos excitare potuerit. O peccatores, qui in peccatis vestris sepulti iacetis, quoties vos cælestis ille spiritus visitet necesse est ; quot ille vobis inspirationes debet ingerere, quot miraculis opus est antequam resipiscatis? Et sane secundum Arist. consuetudo est altera natura.

Hier. 13. *Quam licet expellas furca, tamen vsque recurret.* vt ait Horat. *Nunquid* enim *Æthiops poterit mutare pellem suam, & pardus varietates suas?* dicit Propheta. Quin potius, ô vates ais ; Nunquid potest peccator vsu consuetudineq; inueteratum aliquod peccatum eluere? Vere igitur difficile fuit Lazarum ad vitam reuocare.

Libr. 3. de pœniten. Magna vis consuetudinis.

Mirum est, inquit Chrys. quantum in vtramq; partem possit consuetudo : filii Israel licet suauissimo mãna in deserto pascerẽtur, semper tamen ad allia & cepas Ægyptias aspiratunt, quoniam illis in Ægypto assueuerant. Referunt Platonem Philosophum, licet vnum nec plures in mundo Deos esse crederet, sciretq; reliquos, innumeros Deos statuendo, turpiter labi, nunquam publicis conuentibus in quibus Deorum illorum festa & solemnitates agebantur, abstinuisse, sed iis sẽper quoniã ita assueuerat, interfuisse. Tradit etiam Plutarchus magnum Macedonum regem Alexand. vniuersum licet orbem sub imperium redegerat, nunquam tamen consuetudinem, aut prauos, quos à Leonida magistro imbiberat, mores, deponere & exuere potuisse. Sed videte prẽter hæc omnia Lazarum quatriduo tantum mortuum, ad vitam non nisi magno labore posse reuocari, & non nisi clamante & lachrymante Christo.

Duo cõceptus à natura producti. *Richard. de S. Victor. in Apocal.*

*Et infremuit, & clamauit voce magna.* Nõne sufficiebat Domine fleuisse, opusne adhæc erat vt infremeres, & voce magna clamares? Audite mihi vocem videor respondentem, vt hinc infelix peccator discas quã difficili negotio è peccatis resuscíteris, id est, quam difficulter resipiscas. Solet Leo vt naturalium rerum scriptores tradunt, catulos quos mortuos parit, rugitu ad vitam reuocare. Hic porro Leonem de tribu Iuda audias frementem & rugientem & clamore valido reboantem, vt catulo suo Lazaro mortuo, vitam restituat.

Luc. 19. Referunt iidem ceruas fœtus suos non nisi cælo tonante edere ; hic vero terra & sepulchrum instar ceruæ ad vocis Christi tonitru Lazarum è ventre rediuiuum proferunt, solemq; faciunt intueri. Huc respexit nimirũ Apostolus cum ait: *Cum clamore valido & lachrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia, & consummatus factus est & omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.*

Alius conceptus à natura petitus.

At ô dulcissime Iesu, equidẽ oculos lachrymis suffusus, ad lachrymas tuas venio, tecum ploro plorãs Heraclite ; reuocant enim mihi illæ in memoriam, quod Solinus scribit, esse scilicet fontem, extinctas qui faces reaccendat, Oculos tuos : Domine, tales esse fontes, cor non liceat dicere, quæ aquis suis, lachrymis nimirum, facib. extinctis amissum lumẽ reddant ; excitant enim mortuos, & Lazarum hodie ad vitam reuocabunt Heu! quam frequenter te lachrymãtem benignissime redẽptor intueor : neq; enim hic primũ est, quod

fleueris. Vidi namq; te alias super ciuitate Ierusalem, eius excidium pręsagiendo fleuisse. *Matt. 4.* Vidi te ab hinc duobus annis in deserto quadraginta diebus ac noctibus quotidie lachrymas fundentem. O igitur vere sanctas ac diuinas lachrymas; magni reuera amoris characteres! Id namq; hinc Iudæi colligunt dicentes: *Ecce quomodo diligebat eum?* Dicitis quidem, Philosophi, voces signa esse conceptuum: ego vero lachrymas argumentum esse amoris: Vnde Tullius: *De amicitia.* *Fideles testes amoris cordis lachryma sunt.*

An te igitur Lazare, vos inquam peccatores, lachrymæ illæ, fremitus illi ac clamores non excitabunt? *Lazare veni foras.* Quid? ô peccator, in Sodomam sulphureos imbres ac fulgura Deus eiaculatur, grandinẽ in Ægyptios emittit, in Babylonios fulmina euibrat, super te vero non nisi lachrymatur. O ingens amoris signum! deplorat exitium ac perditionem, animæq; tuę ruinam Deus, tu vero ne minimam lachrymulam emittes? *Veni foras.* Respice obsecro miserum hunc Lazarum, in eumq; oculos conijce, & cogita animam tuam, cum in peccato agit, deteriori in loco versari. Heu miser peccator, si calamitates, si miserias, in quas peccatum te cõiicit, perspiceres, non sufficerent tibi credo *Ezech. 18.* lachrymæ, ad calamitatem deplorandam. Omnium enim quæ hactenus collegisti meritorum iacturam pateris, omnemq; priorem iustitiam amittis, omnes merces spirituales vnico momento in mare deiicis. Vnde Ezechiel: *Omnes iustitiæ eius non recordabuntur amplius.* Omniũ quoq; gratiarũ donorumq; cælestium influxus euanuit, quin & Deum ipsum perdidisti. An non sanguineis, si fieri posset, lachrymis hæc ruina, vastitas hæc & excidium deplorandum foret? an non hic *Psal. 41.* dicere liceat? *Fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus?* surge igitur Lazare, *Veni foras*, exi sepulchro, egredere è putredine & vermibus, rumpe nexus ac vincula, & dicito cum Dauide iam ab adulterii morte suscitato: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Eia igitur Domine miseras animas nostras in peccatis iam sepultas, iam fœtentes, iamque putridas & consumptas exsuscita: *Putruerũt enim & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ*, neque enim illæ abhinc quatriduo sepultæ sunt, sed tot menses, totque anni elapsi sunt, ex quo in peccatorum suorum sepulchro lateant & putrescant. Earum imaginem in Lazaro, Domine, expressam video: iis namque sepulchri loco, peccatum est: saxi pertinacia & offirmatio: prauaq; consuetudo, loco vinculorum. Accede igitur tu Thaumaturge, miraculorũ patrator, ac miseros hosce Lazaros exsuscita. Duæ ecce sorores eius, Ecclesia triumphans & militans, te obsecrant & orant quam possunt maxime, huius quippe typũ gerit Martha, illius vero Magdalena. Aperias igitur Domine hæc sepulchra, reuolue ingentia hæc saxa, dissolue vincula captiuitatis nostræ: cumque nos in plenam libertatem restitueris; vitamque gratia tua reddideris *tibi* *Psal. 115.* *sacrificabo hostiam laudis*: corpora quidem, quæ hoc in mundo obsequium exhibeant; animas vero, quæ te in altero laudent & glorificent, Amen.

## SABBATO POST DOMIN. IV. QVADRAGESIMÆ.

Partitio.

*I. Encomium solis.*
*II. De luce.*
*III. De proprietatibus lucis.*

*Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* Ioan. 9.

### FIGVRA.

PRomisit olim Deus virtute omnipotens, *Malach. 4.* tempore æternus, essentia incomprehensibilis, & omnibus in rebus infinitus, emissurum sese aliquando solem iustitiæ, qui in terris illuceret, mundum illuminaret, & tenebras ab vno mundi cardine ad alterum vsque dispelleret. Cum oculos in hodiernum Euangelium conicio, lucidum illum solem mihi videor intueri, qui splendore

suo,

suo omnia collustret, hominesq; lumine suo feriat. Ne longis autē vos morer ambagibus, sol hic Christus Dominus est; ille, inquam sol, quem Prophetæ olim præsignarunt, ipse lumen est, quod in Euāgelio hodierno splendet, ac de se ipso testatur: *Ego sum lux mundi*: sol scilicet, qui totum orbem radiis illuminat, lumen quod tenebras dispellit, nubes ac nubila fugat. O vere diuinum solem, ô lucem radiantem! Porro vt solem hunc hodie cernere, ac radios eius perspicere possimus, Spiritum paraclitum imploremus, ac Virginem Deiparam salutemus, vt ita in vtriusq; lumine ad optatum portum pertingere feliciter valeamus.

## AVE MARIA.

11. Anaxag. Apoph. Summus ille Philosophus Anaxagoras, cū lumen ac pulchritudinem solis attētius perpenderet, eiusque proprietates propius consideraret, tantam in eo mirabilium segetem reperit, vt dicere ausus fuerit: non alia eum de causa à Deo creatum esse, aut in sublimi loco collocatum, quam vt eius pulchritudinem contemplando, homines in admirationem & stuporem raperentur. Longius quoq; progressi sunt Persæ, qui Soli diuinos honores contulerunt, atq; instar numinis alicuius eum coluere. At relicto hoc inani cultu, & idololatrico, audiamus quid de eius splendore dicat Sapiens: *Dulce lumen & delectabile est oculis videre solem.* Hinc pius ille senex Tobias, oculorum lumine iam amisso, quo solis lumen intuebatur, lachrymans ac gemens dicere consueuerat: *Quale mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo & lumen cæli non video.*

Herod. lib. 2 & 3.

Eccl. 11.

Iob. 9.

Poetarum quoq; Deus Homerus, cum lumen amisisset, toties sortem & calamitatem suam & cæcitatem deplorans exclamat.

Iliad. ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐκακούεις.

*O lumen quod cuncta audis atq; omnia lustras;*

quis mihi te casus eripuit, vt tuum ego splendorē radiosq; cernere nequeam. Sed mirum nō est, si omnes semper tanti solem fecerint, cum reuera mirabilis sit Magnitudine namque terram superat, centum scil. & sexaginta sex partibus; lumine suo ac radiis omnium oculos ferit: virtute vero sua, ac potestate quid non facit? omnia profert ac producit; ac veluti prima & vniuersalis causa, vna cum secundis in familia mundi omnia nutrit ac fouet. Vnico quoque momento radios ab Oriente in Occidentem, inq; quatuor orbis partes immittit: omnia lumine suo inferne & superne illustrat, perq; medium planetarum, non secus ac rex inter principes & magnates suos obambulat.

Admirabile sane esse videtur, vt omnes quotquot sub cœlo sunt nationes, in horizonte suo media anni parte, solem conspiciant. Qui namque sub linea æquinoctiali agunt, dies semper duodecim horarum habent, ac totidem horarum noctes, vt Peruani, Aethiopes, ac Molucarum incolę: qui vero sub polis degunt; sub Antarctico nimirum versus Meridiem, & sub Arctico Septentrionem versus; annum habēt vnius diei, & vnius noctis (sex enim mensibus solem cōtinuum habent, nullum interruptum noctibus) at qui intra polos habitant, in tropico scilicet Cancri & Capricorni annos habent diebus ac noctibus vicissim intermixtos, eosque longiores aut breuiores, prout magis ad polorum extremitates deuergunt. O igitur sidus vere admirabile!

Omnes mundi incolæ solē media anni parte vident.

Anni vnius diei & noctis.

Hoc autem etiam dispiciendum est: quod quamuis per cæruleos illos campos, ocyor ventis & Euro discurrat, annos tamē & dies, & horas faciat æquales; & ad eius cursum æquabiliter semper fluentem omnia horologia & horarum indicia dirigantur. Nullus igitur miretur, si Philo Iudæus, & Dionysius Areopagita solem imaginem Dei appellarint: & ipse Dominus sese hodie luci comparauit, dicens: *Ego sum lux mundi, qui sequitur me, non ambulat in tenebris.* De luce hac hodierna concione primo loquemur, deinde de eius proprietatibus.

Li. de diuin. nomin 14.

Principio igitur tāta inter Deum & solem, tanta inter diuinitatem ac lucem communio & similitudo est, vt omnia pene illius opera per lucem ac lumē designentur. Modo enim sacra scriptura illum nobis lumine vestitum depingit, & imprimis Psalmographus: *Amictus lumine sicut vestimento*; modo in luce, velut Regem in palatio habitantem: ita eum

Psal. 103.

1. Tim. 6. namq; describit S Paulus, *lucem habitat inaccessibilem*: modo Patrem & Filiũ de lumine; *lumen de lumine*, ait Synodus Nicęna. modo lux hominum absolute dicitur: vnde Ioannes, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum*: Deniq; pius ille senex Simeon cum lumen gentium appellare non dubitauit, *Lumen ad reuelationem gentium*. Vos igitur terreni ac terrenorum amantes sustollite nonnihil palpebras, aperite oculos, eosq; in altum erigite: Deus quippe, vt poeta canit:

Ioan. 1.

Luc. 2.

Ouid. 3. Metam.

*Os homini sublime dedit, cœlumq; tueri*
*Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Sustollite cassidis vestræ bucculam, ac defixis obtutibus cœlestem hunc solem contẽplamini: ac videbitis, quanta eius cum diuinitate sit affinitas & similitudo. Sol solis nomine nuncupatur, quod solus sit, nihilque ei par in mundo reperiatur: ita quoq; vnus solum in rerum natura est Deus, neue plures vno esse possunt.

Sol quasi solus dictus.

Non possum quin hic referam, quod de Alexãdro Macedonum rege referunt historici. Hic cum ambitione, imperiiq; propagandi desiderio flagrans, alios Reges & Monarchas regnis exueret, & imprimis potentẽ illum Persarum Regem Darium in extremas angustias coniiceret, ipse autem Darius, legatis ad eum missis, pacem postularet, ac dimidiam regni partem ei offerret, superbe respondit dicens: Non potest mundus duos soles, nec duos regnũ reges sustinere: ac proinde Darius vel totum Alexandro cederet, vel armis impediret ne ipse inuaderet. Idem mihi de Deo dicere liceat, non posse scilicet in mundi regno duos Deos subsistere.

Alexander Magnus dicebat: nõ mundũ duos soles, nec duos regnũ reges habere posse.

Insignis cõceptus.

Sol deinde præterquam quod vnus sit, solus quoq; essentia sua lucidus est & splẽdens: cætera namq; sidera & planetę, de lumine eius participant. Negare quippe non potes Phæbe, quin à fratre tuo Phæbo splendorem mutueris: satis enim id euidens est, quando deliquium pateris. Sublime hoc & cœleste est: quod ipsum tamen de Deo etiam dicere possumus. Solus enim Deus est ex se ipso solus, & esse suum habet ex essentia: vnde *Ego sum qui sum*, dixit olim Moysi, cæteræ vero creaturæ esse suum non nisi ab eius essentia mutuantur: *Quid enim habes*, inquit Paulus, *quod non accepisti? ipse fecit nos & non ipsi nos*, ait Psal. Ipse namq; substantia est per se subsistens: creaturæ autem tantũ sunt accidens, quarum esse est inesse, vt Christiani Philosophi loquuntur. Vere igitur te ô homo cum cornicula illa Æsopica furtiuis ornata coloribus, comparabo: si enim plumæ & ornatus tibi auferentur, nudus plane & inops appareres: cum omne tutum esse, vita, perfectionesque nonnisi mutuo sumptæ sint.

Exod. 3.

1. Cor. 4. Psal. 94.

Accedit adhæc, quod sol, licet quotidie mirabili quodam motu ab oriente vsque in Occidentem sine vlla mutatione sui aut loci feratur, mille tamen in hoc inferiori mundo herbarum, fructuum, arborum, metallorum, animaliumque genera producat ac gignat, ipse tamen, quod sane mirandum est, in sese nunquam mutetur aut innouetur, omnia quamuis innouet & immutet. Eadem penitus de summo illo Deo dicenda & credenda sunt: qui cum ab omni ęternitate in immensis essentiæ suæ finibus voluatur, in supernaturali tamen illo creationis motu, infinitas creaturas produxit ac protulit, quamuis easdem gignendo nullam omnino sui mutationem subierit, aut alius essentiæ esse cæperit, hoc namq; de creaturis potius dicẽdum est, quę varię & mutabiles sunt, ac mille conuersiones patiuntur. Intellexit hoc Dauid rex, dũ ait: *Mutabis eos & mutabuntur, tu autẽ idem ipse es & anni tui non deficient*. Deus igitur immutabilis est, omniumque rerum productio nullam in eo mutationem causatur.

Sol nunquam mutatur.

Psal. 101.

Quemadmodum enim fax in medio atrii alicuius accensa, luminis nullam iacturam patitur, aut minuitur, mille aliæ licet candelæ accendantur: quin & apta est, de cuius lumine mille adhuc aliæ accendantur, ex quo nulla ei mutatio aut alteratio potest accidere. Ita Deus infinita quędam fax est, ab omni æternitate in magna essentiæ suæ aula accẽsa, quæ tot creaturas velut parua quędam luminaria de lumine suo accẽdit, eiusdẽ essentiæ suę lumẽ large impertiens, nihil vt tamẽ ei de suo decedat: quin & mille alios mũdos de nouo accẽdere paratus est, infinitã essentiã nihil omnino in eo minuendo, aut aliquã ei mutationem afferendo. Hoc cum verbis

Simile.

Euan-

Euangelicis optime conuenit. *Ego sum lux mundi*: quasi diceret, Ego sum lucida illa fax, quæ toti mundo esse suum, & simul lumen contulit, nullam inde mutationē passus: qui & paratus sum nouos mundos creando accendere, si vti possum, ita & vellem.

Alius adhuc conceptus.

Huc accedit solem infinite calidum esse, virtute & eminenter tantum, vt docti loquūtur, cursu celerrimum, influxu mirabilem, & potentem. Omnia autem hæc quam perfectissime in Deo reperire est: ardet namque amore, & in cursu operationum suarū celerrimus est. An non enim magnum celeritatis indicium est, creaturas à non esse ad esse reuocare, inter quæ infinita distantiā est? an nō euidens celeritatis argumentum, peccatorē vno momento à peccato ad gratiam, eum iustificando, de morte ad vitam, à tartaro ad cælum traducere? proh quanta distantia! *Nescit enim tarda molimina spiritus sancti gratia.* Gratiarum quoque suarum influxu mirabilis est & potens.

Diuersi solis aspectū.

Sol deinde sese non immutando aspectū sæpe mutat, modo enim nebulis coopertus ac nubilus apparet, modo deliquium patiens modo rutilans ac micans, aliquando vero rubicundus. Heu! an non Christus Dominus noster, verus Deus & verus homo has omnes formas induit? Nubibus eum oppletum ac nebulis coopertum vidimus, cum homo factus humanitatis nostræ nebulis amictus est: eclipsin passus est, in arbore crucis moriens: post resurrectionē vero totus splendidus, lucidus & glorioſus visus est: in fine vero sæculi ira excandescētem, & furoris flammis exæstuantem videbimus: sed tunc *Domine, ne in furore tuo arguas me*: tunc quæso, tu ô sol meus, lumine me tuo illustra, lux mea illumina, radiisq; misericordiæ tunc me irradia. Quid ad hæc ais Christiane; an non hodierna igitur die merito sese Dominus lucē mundi appellare potuit dicens? *Ego sum lux mundi.* Quantæ vero energiæ quantiq; roboris hæ verba sint, paucis aperiā vnumquodque verbum mysterio scatet, singulæ syllabæ emphasin habent. Primo namq; eo quod ait: *Ego sum lux*, denotare vult, se solum esse & vnicum qui lucem mundo afferat, quiq; tenebras noctis illius originalis dissipet & dispellat: ac nullum vnquam hominem aut Angelum, aut creaturam aliquam hæc omnia præstare potuisse. Et quemadmodū omnia quæ in firmamento sunt sidera, omni quod edunt lumine, ne minimum diem possent inducere ac perpetua, nisi sol exoriretur, futura esset nox ac meræ tenebræ: sic & hic Christus de se vult innuere, quasi diceret: Infirma se licet omnis creaturarum virtus & energia erat, ô homines, quæ vobis lucem aut diem afferet, nisi eam ipse attulissem, inque perpetuis tenebris sine me proculdubio vixissetis: ego namque solus mundi lux. Non ait *Ego sum sol*, sed *lux* vt ostendat sese procedere: nam quemadmodum omnis luminis initium & origo est sol, qui à nullo oritur, sed à quo omnis lux & lumen oritur: ita quoq; Pater æternus veluti sol quidam gloriæ est, principiū diuinitatis, sed principiū principii expers, à nullo alio principio procedens à quo tamē, vt à vero sole, Verbum illud æternum veluti lumen quoddam, procedit. Aperi nobis ob secro Dauid, ænigma illud, *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Tu porro Athanasi apertius *Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero*; perinde ac si diceret lumen de sole. *Psalm.* 109.

Adhæc ait *lux*, & non *sol*, quod sol nunquā orbem egrediatur, sed ad nos huc inferne radios suos dirigat, vt naturam rerum inferiorum custodiat, inque suo esse & vigore perpetuo conseruet. Ad eundem etiam modum Pater ille immensus & æternus, nunquam sphæra diuinitatis egrediens, filium suum in hunc mundum velut lumen quoddam destinauit, ac nobiscum versari voluit, de quo canitur: *Oriens ex alto illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*: ad naturæ scilicet humanæ conseruationem. II. *Luc.* 1.

Addit deinde *lux mundi*, non dicit *lux cæli* aut *inferni*, sed *mundi* solum modo. In cœlo namque ipse sol lucet & splendet, in mundo vero lumen eius & radii solum modo conspiciuntur & sentiuntur: apud inferos autem nec sol, nec lumen reperitur. Vt autem minutius hoc adhuc declaremus: insinuare videtur, sese non esse lucem dæmonum in infernalibus abyssis commorantium, aut Angelorū cælestia habitacula incolentiū, nec propter eos sese huc descendisse, sed primo & per

*Psalm.* 6.

per se propter veros illos mundi incolas, homines, inquam. Audite Ioannem hic dicentem, *Erat lux vera quæ illum nat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quis etiam scit, an non per τὸ *mundi* homo ipse designatus sit, qui toties apud veteres microcosmus fuit appellatus: & an non per hæc verba, *Ego sum lux mundi*, dicere voluerit? Ego sum lux & facula in magna mundi huius machina accensa, ad animalia, elementa, plãtas, rupes, & omnia quæ hoc orbe continentur, recreanda & illustranda, sed solum ad hominem, paruum illum, in vasto hoc mundo, mundum, illuminandum.

*Ioan. 1.*

Verum propius ad solem accedamus, & maiora sane in eo miracula delitescentia cõtemplabimur. Quam igitur merito te lumen mundi appellare potuisti Domine; nam quemadmodum lumen à sole progignitur, sol vero & lumen calorẽ producunt, ita quoque tu à magno illo sole Patre scilicet genitus es, à te vero & Patre simul Spiritus sanctus procedit. Sol igitur ad viuum sanctissimæ Trinitatis mysterium repræsentat. Ac veluti tres in sole proprietates reperire est, calorem scilicet, lumen, & ipsam solis substantiam: quæ nempe fœcunditate sua lumẽ producit, quæ duo coniuncta iterum calorem gignunt. Ad eundem quoque modum tres in Sanctissima Trinitate personæ sunt, Pater nimirum, qui de suæ fœcunditate memoriæ, Verbum generat, à quibus deinde simul iunctis vnum principium spirabile constituentibus, procedit Spiritus sanctus. Hoc ipso olim exẽplo & similitudine hoc in mysterio declarando vsus est Iustinus Martyr. Nam veluti lumen non aliunde quam à sole procedit, ac progenitori suo ætate par est: ita quoque Verbum illud æternum, non aliũde quam à Patre, idque per generationem procedit, ac Patri tempore & annis æqualis est, eiusdem cum illo ætatis, qua simul ab omni æternitate extiterunt. Ipsi quoque veteris Ecclesiæ Patres, vt facratissimum hoc mysterium aduersus Arianos assererent, Filiique æternitatem declararent, hoc ipsum exemplum adhibuerunt.

*Sol repræsentat nobis SS Trinitatis mysterium.*

*In ep. de Trinitate.*

Adhæc verbum illud *lux* Latine, Græce φῶς. Hebraice אור non nisi tribus radicalibus literis constat, Anne vobis hoc mysterio vacare videtur? minime gentium. Per hoc enim personarum trinitas in naturarum vnitate denotatur. Deinde voces illæ *lux* & *sol* monosyllabæ sunt, licet tribus constent litteris, ad demonstrandum in sanctissima Trinitate non nisi vnicam essentiam esse, licet tres diuersæ personæ. Testatur hoc Ioannes Apostolus: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt.* Tres scilicet quoad personas, & vnum, essentiam respiciendo.

*1. Ioan. 1.*

Suggerit nobis vester ô Mathematici Euclydes, insignem hic conceptum cum de trigono loquitur, quod isosescelon vocat, quod tria habet latera æqualia, & eamdem basim. Simile huic trigono dicere possumus SS. Trinitatis mysterium, tria namque latera æqualia continet, & eandem basin: tres nimirum personas, diuinitate, maiestate, æternitate, omnibusq; attributis & proprietatib. æquales, & eandem basin: cum eadem omnium sit essentia. O ter beatam ac vere gloriosam Trinitatem! Tu scilicet es magnum illud lumen, lumen tribus distinctum luminaribus, tribus inquam personis, quod in creatione redemptioneq; apparuisti, & iterũ extremo iudicii die apparebis. Quamuis enim solus ipse Pater in filii sui generatione apparuerit & fulserit, ac Pater & Filius in productione & spiratione Spiritus sancti, in creatione tamen mundi, aliisq; operibus ad extra, omnes sese Trinitatis personæ mirabili quodã modo ostenderunt: opera namq; trinitatis ad extra sunt indiuisa, vt Theologi loquuntur. Dicẽdum igitur est, licet sanctiss. Trinitatis personæ inter se eædem sint, operaq; earum communia: sæpe tamen earũ singulas singularia quædam exercuisse & lucem demonstrasse singularem. Pater enim ostendit se lucem esse, & luce delectari ac splendore, cum in mõte Sinai legis tabulas Mosi traderet, itemq; in rubo ardẽti, & incombusto: quin & iustitiam suã aduersus Gomorrhæos & Sodomitas, non nisi per ignem ostendit. Merito igitur te quoque ô Pater æterne, lumen mundi vocitare potes, ac tu ô sanctissime spiritus. An nõ enim eum vidimus in linguis igneis super Apostolos descẽdentẽ? ipse nempe

*Triangulũ isosescelon SS. Trin. denotat.*

*Exod. 15.*

*Exod. 3.*

*Gen. 19.*

nempe lampas est per gratiam accensa, septē distincta luminaribus, septem, inquā, donis. At Christo Domino imprimis, ac præ cæteris conuenit dicere: *Ego sum lux mundi*: solus namq; ipse vt lumen procedit de lumine, ac verus Deus de Deo vero: ipse est, de quo Psalm. 78. Psalmista: *Illuxerūt coruscationes tuæ orbi terræ*: quoniam ipse est de quo Isaias vaticinans Isai. 9. dixit: *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, & sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta est illis*. Deniq; quoniam ipse est, qui se hodie lucem mundi appellat.

Exod. 25. Describitur in Exodo ingens candelabrum aureum, quod in medio tabernaculi collocandum erat, in quo septem accensa erant luminaria. Candelabrum hoc aureum Christus Dominus fuit, in monte Caluariæ, in mundi meditullio positum, quinq; luminaribus, quinque scilicet patentibus vulneribus insigne. Vel candelabrum fuit in medio Ecclesiæ positum, in quo septem lampades, septem nimirum Sacramenta, collocata fuere, quæ omnē quem habent splendorem à Passione Domini mutuantur. Qui id fieri possit, norunt Doctores. Quoties vero candelabrum hoc accensum fuit? quoties lumen hoc refulsit? In primis ipso nascente, montana Iudææ vndiq; lumine & claritate collucent, vt ipsos pastorum oculos etiam media nocte splendor eius obfuscarit. *Claritas Dei circumfulsit illos.* Quas illas scintillas in oriente immittit? videas namq; stellas velut in aciem prodeuntes, instar facū Principes illos Nabathæos, vsque ad præsepium Bethlemiticum conducere: *stella antecedebat eos.* Ast in monte Thabor plenissime reluxit, quando nimirum Apostolorum oculi nimio eius fulgore præstinguebantur. Deinde quātum lumen per vniuersam Palæstinam per ipsa miracula edidit? quam magnum splendorem in Resurrectione, Ascensione, & Spiritus paracliti missione? Quis igitur adeo stipos & obtusæ mentis erit, qui tot lumina cū videat, Christum lucem esse neget? si enim Tobiæ mater filium absentem lumen oculorum suorum appellare non dubitauerit: quanto maiori nos ratione de redemptore nostro id dicere poterimus qui verum oculorum nostrorum lumen est? Ipse namque lux est, de qua Dauid vates: *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Si enim verbum illud Patris in nostro horizonte exortum nō fuisset, nunquam è peccati strato surgere potuissemus. Vanum erat, ô munde, de redemptione cogitare, nisi oriens illa lux affulsisset. Fatemur igitur omnes, Domino, ac libenter concedimus. vere te lucem mundi extitisse, qui cæcis visum, mortuis vitæ vsum reddideris: tu scilicet es qui instar luminis splendidissimi 33. annorum spacio in mundo effulsisti quod cum in crucis arbore extinctum fuisset, tenebræ factę sunt super vniuersam terram. Te igitur semper Angelum illum Raphaelem esse dicam, qui felle & passionis tuę amaritudine miserum mortale genus, per cæcum Tobiam designatum, cælum fecisti intueri, eique oculos reddidisti. Matt. 27.

Gratiæ cōparatur lux.

Satis de luce, iam proprietates eius examinemus, eiusque effecta declaremus. rem nobis Philosophi declarate, dicite, obsecro, quænam lucis sit proprietas, & eam vobis cū Iesu Christi gratia optime coincidere ostendemus. Lux sc. vnico momento producitur, ita & gratia (iustificatio namque fit in instāti:) producit illa calorem, hæc vero feruorē & ardorem Spiritus: illa gemmas & metalla generat, hæc virtutes & merita, illa denique maris fluxum & refluxum causatur, hæc autem attritionem & contritionē in anima gignit. Vlterius progrediamur: lux tenebras dispellit: Christus vero summa illa lux tenebras mundi ac peccati originalis, venialis & actualis, fugat. Vix enim exortus fuit ille sol, quin statim Ethnici idololatriam, Iudæi cæremonias, Gentes suas ineptias reliquerint. Vnde in Euangelio Dominus adiungit: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.*

Et sane quicunq; Iesum eiusque doctrinā sequitur, non versatur in tenebris, non errat. Tu vero Mahumetane in tenebris ambulas, quia Iesum non sequeris: in tenebris ambulas Iudæe, ac recta ad inferos properas, quod Iesu Christi veri Messiæ vestigijs non insistis: tu quoq; in tenebris ambulas hæretice per tot errorum sælebras, conuitiorūq; ambages, quoniam Dei Ecclesiam ignoras, Surge illuminare Caluinista, *quia venit lumen tuum*: lumen, inquam, quod mentem illuminet, *Isai. 60.* Lux illa mundi vanitatem detegit.

minet, eique quidquid credẽdum est suggerat, quod voluntatem illustret, ei quidquid faciendum est inspiret: lumen quod omnib. rebus oculum det, ac veros colores detegat. Quid? Christus vix in mundum venit, quin oculos hominũ quamprimũ aperiat, vt præclaros illos verosq; cæli colores æternæ scilicet beatitudinis, gaudiiq; cælestis, ac simul adulterinos illos ac fucatos rerum humanarum dispiciant: detegit ille & ad oculũ demõstrat mundum non nisi iridem esse, cuius omnes colores adulterini sunt: instar Naamã esse, diuitis quidem & opibus effulgentis sed lepra maculati: eiusq; voluptatem ac delicias instar statuæ Nabuchodonosoris, cuius quidem caput aureum, pedes vero lutei.

*Dan. 1.*

*4. Reg. 5.*

Lux Christi mundi vanitatem detegit.

Detexit illa, statim vt exorta est, mundũ non nisi punctum quoddã esse: & veram nobis Philosophiam cælo proferens, omnes quantitates dimensionũ eius edocuit. Quãtitatem sc. eius continuam omnesq; mundi dignitates è rebus indiuiduis, atomisq; nihilo, merisque ineptiis, inaniisq; esse compositas: de quibus dicitur, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Deinde omnes eius lineas, superficies, ac longitudinem dignitatum, muniorum, honorum, graduumque non nisi punctis constare, ac continuum punctũ esse: omne quoq; vitæ nostræ tempus ac spacium non nisi momentis innixũ ac momento citius præteruolare: omnes etiam motus ambitionis transitionis ex gradu in gradum, ac progressuum ad sublimiora, non nisi ex mutatis componi. Ostendit lux illa ô mulieres, omnem pulchritudinem corporis, venustatemq; instar floris emarcescere, ipsas diuitias inanes esse ac futiles, nullamq; prorsus fælicitatem afferre, corpus nõ nisi putredinẽ esse, & omnia quæ in mundo sunt nõ nisi cinerẽ, & è cinere cõposita, inque cinerẽ redigenda. Nolite igitur amplius ô mundani instar nocturnarũ tenebras diligere ealq; consectari, sed generosum aquilarũ genus imitãdo, obtutũ in solem hunc defigite, ad eiusque lumẽ accedite. Iam satis superq; in tenebris vixistis, ô peccatores, iã tempus est vt è peccati vos caligine propripiatis, ad lucẽ accedite, dies illuxescit, lumẽ effulget, venite, appropinquate ac videte quomodo per desertã Palæstinæ luceat ac splendeat, *Erat lucerna ardens & lucens.* Ioan. 5. Accurrite vt eam in crucis candelabro accẽsam videatis, in quo posita erat, toti vt mundo illuxescoret. hæc nempe illa lucerna est de qua in Euang. *Accendit lucernã, & in abscondito ponit, neq; sub modio, sed super candelabrũ, vt qui ingrediuntur lumen videant.* Vix namq; eam intuebimini peccatores, quin statim vobis peccati grauitatẽ detectura sit, cuius coloris sit cuiusq; malitiæ, cum nimirum Christo Domino tot pœnarum suppliciorumque causa extiterit, vt eum cruci affixerit, morti coegerit, vsque ad inferos deduxerit: & cum Pater æternus tanta seueritate idipsum puniat, aduſq; mortem in proprium Filium animaduertendo, & æterna infernorũ supplicia ob idipsum damnatis infligendo. Videbitis confestim quãta eius sit grauitas, cum diluuii aquæ id nequiuerint submergere, nec Sodomiticus ignis exuere, nec pestis Dauidis extinguere, sed vnigeniti Dei Filii sanguine ad id suffocandum & extinguendum opus fuerit. O ingentem peccati grauitatem & peruersitatem singularem! tene viuere omnibus omnino hominib. nequidquam indignantibus? fierine potest toti te mundo interitum afferre, ac totum mundum tibi ne minimum quid nocere posse? non enim ipse qui omnia consumit ignis, non qui omnia corrumpit aer, nõ quæ omnia absumit aqua, non quæ omnia in putredinem redigit terra, aut consumere, aut corrumpere, aut absumere, aut in putredinẽ redigere possunt. Tu igitur fera illa & exotica Salamandra es, quam nec elementaris, nec materialis ignis potest deuorare. Tu es Iebusæus ille idololatra, quem Israelitæ terra promissionis nunquã exigere potuerunt. O igitur portentosum ac terribile monstrũ, omni feritatis ac crudelitatis genere notum, quod à tantis annorum millib. in vasta mundi huius solitudine cõmoraris, quod Patriarchæ nunquam expellere, nec Prophetæ intercipere, nec Reges concludere, nec totus denique orbis trucidare potuere: sed vnicus Christi sanguis requirebatur, vt idipsum cruci affigeretur. O vere infœlix peccatum! tu iam à sex annorum millibus viuis, vitæ tamen expers: tu es magnus ille prædo ac pirata, qui iam tanto tempore

*Luc. 11.*

Peccati grauitas

*Gen. 7.*

*Gen. 19.*

*2 Reg. 4.*

Peccati grauitas & malitia

Peccatum

Salamandra

tempore mundi huius mare, latrociniis & direptionibus infestum reddis: tu es verus ille incantator & maleficus, qui tot angelorum hominumque millia incantasti ac maleficiis tuis perdidisti: tu es crudelis ille sicarius iam ab ipso mundi exordio tot homicidiis, cædibus, stragibus, patricidiis, aliisque feritatis generibus nobilis.

Quanto odio Deus peccatum prosequatur.

Sed inceptã materiam prosequamur: videbitis, Auditores, ad candelabri huius lucem, quanto odio Deus peccatum prosequatur. Magnum quidem & graue odiũ fuit, quo impius ille tyrãnus Herodes Iesum paruulũ prosecutus est, nimirũ, vt de eo vindictã sumeret, ac necẽ ei inferret, omnes paruulos qui erãt in Bethlehem & omnib. finib. eius, à bimatu & infra occidit. At longè grauius odiũ est, quo Deus peccatũ prosequitur: cũ ad eius memoriam abolendã vindictamq; de iniuria sibi in paradiso irrogata sumendã, vnigenitum Filium mortem subire coegerit, innoxiũ, nullius culpæ reum, quiq; Patrem nũquam in minimo offenderat. *Odisti* etenim Domine, *omnes qui operãtur iniquitatẽ.* Ingẽs quidẽ & mortale odium fuit impię illius Herodiadis aduersus Ioannẽ Baptistam, quæ vt eum è medio tolleret, dimidiam regni Herodis partem repudiauit. At maĩ longe fuit odium Dei aduersus peccatum, qui vt ipsum morte deleret, proprio filio non pepercit, eũq; infami morte in ligno crucis exstinxit. Toties mecum tacitus inueteratum illud odium Amani aduersus Mardochæum demiratus sum, qui decẽ talẽtorum millia regio inferre voluit ærario modo miseri Mardochæi capite potiri liceret. Quid igitur Patrẽ æternum miramur, vt peccatum inimicissimum suum deletum videret & extinctum, Filium cruci & morti tradidisse? Atque hoc est nimirum; quod lux illa nobis aperit, ac videndum præbet: eam igitur sequamur. Floris quoddam genus est Heliotropium vocant, qui semper ad solem vergat, vt in quamcunque partem sol sese flexerit, eodem & flos ille se conuertat. Hunc igitur florem imitemur, ac semper ad solem hunc animas nostras dirigamus, ne vnquam in tenebris ambulemus.

Matt. 2.

Psal. 9.

Gen. 7. Gen. 19. 2 Reg. 4. Peccati grauitas & malitia.

Mar. 7.

Esth. 3.

Atque hoc ex verbis sequentibus intelligitur, *Qui sequitur me nõ ambulat in tenebris.* Equidem sum lumen, fax ac Pharos mundi, atque omnes qui me sequuntur, in tenebris ambulare nõ possunt: vacillare nequeunt, secure & confidenter procedunt. Magnũ quidem diuini fauoris fuit indicium, cum Deus Hebræos in deserto, in nube ignis per diem, necubi errarent, aut de via deflecterent, deducebat. At multo maius amoris & fauoris esse mihi videtur indicium, hunc ipsum Deum, sed naturæ nostræ nebula tectum, velut ignem in nube latitantem, ne in deserto & mundi huius solitudine erremus, nobis lucem afferre, nobisque instar facis accensæ prælucere. An errem, ex ipsis Euangelii verbis diiudicare potestis: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.*

Exod. 13.

Magnum quoque & notabile beneficium Dei in ipsa mundi creatione extitit, cum in totius mundi vsum duo magna luminaria constituit, luminare scilicet maius vt præesset diei, & luminare minus vt præesset nocti. Longè vero maior & eminentior gratia esse videtur, cũ in opere redemptionis, quod priori dignitate & præstantia non cedit, eum ipsum Deum ad parui mundi, hominis scilicet, conductum, duo alia luminaria cernimus produxisse, prioribus illis non inferiora; gloriosam nimirum matrem lunam, de qua dicitur, *pulchra vt luna, electa vt sol.* Christum vero, vt solem lumine plenissimum: qui de seipso ait: *Ego sum lux mundi,* & vtrumque quidem, vt tenebras dispellat, *Qui sequitur me non ambulat in tenebris.* Anne percipis & intelligis anima, vim efficaciamque horum verborum mysteriis scatentium? Docent illa, non in tenebris ambulandum esse, sed Redemptorem sequendum, idque ea ratione, qua ille in Euangelio iubet: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Christi vestigiis insistere, illum sequi est, tribulationum crucem humeris sustinere, voluntatem propriam abnegare, omnem mundi vanitatem & sæculi deliramenta relinquere, eumque ad montem vsque Caluariæ, & mortem sequi: hæc namque vnica est, anima mea, in tenebras non incidendi, & noctis fugiendæ ratio.

Gen. 1.

Cant. 6.

Luc. 9.

Hic vestram ô mũdani infœlicitatẽ aguo-

sco, & in tenebris palpitantes video: Christũ enim qui Sol est, cum fugitis, oculosque luci occluditis, mundum ac tenebrarum principem Sathanam dum sequimini, perpetuis vos in tenebris versari, nullumq; lumen intueri necesse est: cœli quippe aspectus vobis ereptus est, ac proinde in peccatis volutamini, ex iis in abyssos infernales detrudendi.

Siniſtri ominis & infausti augurii apud veteres erant bubo, noctua, & vespertilio, aliæque aues, quæ lumen solis & diem exosæ noctu solent volitare, quas & ideo Deus lege sua vt immundas repudiat. Ita & de vobis ominari licet ô miseri, qui solis radios euitatis, ac tenebras sectamini, adeo vt hinc euidens reprobationis argumentum colligi queat, ac de futura damnatione vestra quodammodo liceat præsagire. Quare agite infelices & noctiuagæ aues, prodite è cauernis vestris, relinquite tenebras, diem amate, lumen hoc cœleste sequamini.

*Leuit. 11.*

Tu porro lumen æternum, quod à summo illo iustitiæ sole exoreris, iucundum Angelorum hominumque lumen, vnicum oculorum nostrorum lumen, quod olim mundi tenebras effugasti, quod cœcorum oculos aperuisti, quod ipsis mortuis vitam restituisti: mentem obsecro nostram illustra, vt nimirum tuæ meritæ gloriæ, beatitudinis æternæ pretium, & angelorum societatem aliquando cælique diuitias & magnitudinem videat: videat inquam mundi inanitatem, rerum harum inferiorum vanitatem, peccati grauitatem, infernaliumque suppliciorum feritatem, dæmonum horrorem, damnationisque æternæ perpetuitatem. O lumen cœli, quod olim filios Israel per desertum columnæ igneæ ductu conduxisti, nos obsecro etiam per vastam hanc & infestam latronibus mundi solitudinem ducito, nos inquam qui hic adhuc peregrinamur: vt lumine gratiæ tuæ illustrati, infinitum aliquando gloriæ lumen videre possimus, in eiusque admirationem rapti dicere: Iam venit tempus, Domine mundi lux, vt in lumine tuo lumen videamus.

*Exod. 12.*

Amen.

## DOMINICA PASSIONIS.

### Partitio.

*I. Quo valeat Dominica Passionis memoria.*
*II De innocentia vitæ Iesu.*
*III. De veritate doctrinæ Iesu.*
*IV. De calumniatoribus Phariſæis.*

*Quis ex vobis arguet me de peccato? ſi veritatem dico vobis quare non creditis mihi.* Ioann. 8.

### FIGVRA.

PRæcepit olim in veteri lege Deus, vt agnus Paſcalis, qui decima quarta lunæ tantum immolandus erat, multo ante tempore ex agris in ciuitatem adduceretur, quo assiduo eius balatu omnes excitati in memoriam reuocarent, quam singulari olim ratione patres eorum per vnius agni oblationem è captiuitate Ægyptiaca fuissent educti, & in libertatem priſtinam restituti; quo omnes Deo ob tam singularis beneficii memoriam gratiarum actionem persoluerent. Ecclesia vero Catholica, vt memoriam cruentæ illius oblationis, qua non agnus, sed vnigenitus Dei filius pro nobis omnibus in crucis stipite oblatus fuit, refricaret, nosque ad gratitudinem, gratiarumque actionem, ac tam singulare beneficium excitaret, eundem hodie ex agris reducit, & nobis ob oculos ponit: diu scilicet antequã in monte Caluariæ immoletur, vt nos eum videntes, eiusque eiulat⁹ & lamenta exaudientes dolores eius & cruciatus contemplantes, passionis eius merita, & beneficia per eum collata in memoria reuocaremus, & ad gratias persoluẽdas excitaremur. Hodie igitur Dominica passionis est. Hodie crucis vexilla pãduntur & expliçãtur, quamobrem lugubres hodie assumendi sunt amictus, & pullæ vestes induendæ ob mortẽ filii Dei. Hodie deniq; tempus venit, quo declauib. lanceis, cruce, morte, passione Christi loquẽdum est. Tu vero Paraclite Spiritus, vt immensum hunc dolorem & suppliciorum Oceanum fœlici & prospero cursu enauigemus, esto noster ductor & gubernator:

tot; tuque sanctissima ac simul afflictissima huius filii mater, qui hinc iter suum ad montem Caluarię exorditur, precibus apud illum & suffragiis nos iuua. Quocirca omnes tibi hanc salutationem vnanimes offerimus.

AVE MARIA.

Themistoc. Miltiadis tropæo è somno excitabatur. *Plutarch. in vita.*

Magnus ille Athenienſium dux Themiſtocles, cum adhuc diſſolutius ageret & à virtutis amore ad nominis aliquam famam cõparandam nonnihil excitaretur; in publico de nocte euagari ſolebat; quærentibuſq; quid ita intempeſta nocte per vrbẽ diſcurreret, Miltiadis ſe tropeis è ſomno excitari, atque eius æmulatione gloriæ ſomnum capere non poſſe reſpondit. Et ſane ſi ſola virtutum & rerum geſtarum ducis alicuius memoria, tantum in Ethnico potuit efficere, vt ei ſomnũ eriperet, aſſiduiſq; ambitionis ſtimulis excitaret, omnemq; aliam cogitationẽ animo excluderet: quantum roboris efficaciæq; hodierna die habere par eſt, clauos, crucem, ſanguinem, mortem, merita, omnem denique paſſionem Chriſti Ieſu in pectore Chriſtiano, vt id à mundi amore ſegreget, omnem mundi vanitatem, ineptiaſque deſipere cogat, ad pietatem accẽdat, adq; ſalutarem pœnitentiam commoueat? Adeo vt nihil aut efficacius, aut ad animam pertinacem emolliendam, peccatores conuertendos, & à vitiis & ſceleribus retrahendos validius haberi, & inueniri queat, quam Chriſtum eumque crucifixum ob oculos ponere, & eum ob delicta noſtra in cruce expirantem intueri. Ecce figuras.

Nihil eſt quod magis nos à peccando retrahit, q̃ Chriſti paſſionis recordatio.

Figuræ.

Iſraelitæ venenoſis ſerpentum morſibus ſauciati, oculo in ſerpẽtem æneum, in medio Sinaicæ ſolitudinis erectum coniicientes, ſtatim, ne ſerperet contagio ad viſcera, ſanabantur. Denotabat hoc, Auditores, nos ſtatim vt à peccatis, vipera multo deteriorib. percuſſi fuerimus, & in Chriſtũ Ieſum in ſublime crucis in monte Caluariæ erectũ & per ſerpentem æneum deſignatum, oculos conijcimus, à plagis penitus ſanari. Angelus ille exterminator, omnes in Aegypto primogenitos occidẽs, eas ſolum domos præteriit, quarũ ſuperliminaria & poſtes agni ſangui-

*Num. 21.*

*Exod. 12.*

ne illita, vidit, quo aliud nihil deſignabatur, quam diabolum, verum Angelum exterminatorem, iis nocere nequaquam poſſe, quorum memoria morte & ſanguine Ieſu Chriſti reſperſa eſt, quique illam perpetuo menti inſculptam gerunt. Atq; ita id explicat Origenes, qui in epiſt. Pauli ad Rom. ita loquitur: *Certum eſt, quia vbi mors Chriſti animo circumfertur, non poteſt regnare peccatum: eſt enim tanta vis crucis Chriſti, vt ſi ante oculos ponatur, & in mente fideliter retineatur, nulla concupiſcentia, nulla libido, nulla ſuperare poſſit inuidia, ſed continuo ad eius præſentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.* Equidem & hoc dicere auſim, fieri nulla ratione poſſe, vt quis Deum offendat, cum paſſionis eius memoriam iugiter ante oculos habet, ac ſecum diligenter cogitat, quanto nos amore Deus fuerit proſecutus.

*Orig. 15. c. 9. ep. ad Rom.*

Manlius eques Romanus cum mortis cõdemnatus ad ſupplicium raperetur, iamque ad locum deſtinatum peruenisſet, vnde capitolium conſpici poterat, è quo olim Gallos patriam conſeruaturus fortiter depulerat, exclamare cœpit, & Iudices, Capitoliũ monſtrando, compellare. Quid? audebitiſne, Iudices, hodie, Manlium condemnare? anne eum morte afficere, ac necem ei afferre, qui pro veſtra omnium ſalute olim mori paratus fuit, quiq; vitam ſuam impendit, quo veſtrã totiuſque popul. Rom. vitam ac fortunas cõſeruaret, qui tot pericula ac diſcrimina pro reip. incolumitate ac ſalute ſubiuit? Teſtabitur id hoc ipſum Capitolium: ipſi illi parietes loquentur, & quem prope cæleſtem, cognomine certe Capitolini, Ioui patrem feciſtis, eum patiemini vinctum obnoxiam carnificis arbitrio animam ducere? Adeo in vno omnib. ſatis fuit auxilii, nullam vero opem in tam multis vni eſſe? iudices porro his eius verbis adeo commoti fuere, vt eum cõmuni ſuffragio abſoluerint, & indemnem dimiſerint. O Chriſtiane, ſi quoties Deum offendere, iterumque eundem crucifigere, vt ait Paulus decreuiſti, crucem eius, non dico Capitoliũ, ſed Caluariæ montem intuereris, in quo verus noſter Manlius, Chriſtus Ieſus tãtum tua cauſa perpeſſus eſt, proq; ſalute tua expirauit (quod ipſe quotidie tibi ob oculos

*Plutarch. in Camillo. Liuius.*

Inſignes de paſſione Chriſti cõceptus.

ponit, vt te ad commiserationem incitaret) nunquam credo tanta tua futura esset audacia, vt iterum eum vitiis tuis crucifigere præsumeres. Hanc igitur crucem pectori imprime ac perpetuam Caluariæ montis memoriam habeto: quidquid sit, ipsa crux menti perpetuo infigenda. Auditerei huiusce figuram.

Patriarcha Ioseph in vltimo vitæ termino constitutus, fratres adiurauit, vt si quo vnquam illum tempore dilexerant, post mortem eius idipsum declarent, & factis ostenderent, ossa eius ex barbaro illo Ægypti solo in patriam secum asportando: *Cumq; adiurasset eos atque dixisset, Deus visitabit vos, asportasse ossa mea vobiscum de loco isto.* Gen. 50. quasi diceret: summopere fratres mei charissimi, à vobis contendo, vt si quando vitæ debitum persoluero, animaq; corporeis hisce vinculis soluta, ad patres abierit, vos corpus meum accipiatis, semperq; vobiscũ deferatis, vt cineres semper peregrinationis vestræ sint socii, meique memoriam semper conseruetis: mei inquam, qui tanta prudentia, sapiẽtiaq; regnũ Ægypti moderatus sum, qui vobis omnibus frumentum large suppeditando, vitam conseruaui, qui omnes vobis in me olim commissas iniurias & contumelias tanta benignitate condonaui, & ex animo deposui, denique erga quem omnes adeo obligati estis. Ad eundem etiam modum Christus efflagitat, Auditores, vt quamdiu in mundi huius Ægypto peregrinamur, in quo olim mortuus est, crucem, mortem & passionem eius ob oculos semper habeamus, cordique insculpta geramus: quo ita in mentem reuocaremus, quam multis ei nominibus obligati simus, quo nos amore fuerit complexus, & quam grauia pro nobis supplicia pertulerit.

Hinc Apostolus Christianos adhortatur, vt Christi passionem semper in animo & ob oculos habeant, animoque inscriptam gestent: *semper mortificationem Iesu Christi in corpore vestro circũferentes.* 2. Cor. 4. Quid? visne Paule eas solum à nobis in corpore gestari, cum nullam animæ mentionem facias? nequaquam, sed vtrumque intelligit: anima quidem eam ferat, de eadem cogitando: corpus vero eandem sentiendo & experiendo.

Aquila illa Euangelica, exercitum albis indutorum trophæisq; nobilitatorum se vidisse ait, qui conflictibus variis interfuerant, ac stolas sanguine agni immaculati tinctas gestabant: *Hi sunt qui venerũt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Apoc. 7. Si ad litteram hæc intelligenda sunt, quis est qui non videat, per hos, rubicundos Martyrum exercitus designari, qui corpora sua, id est, carnales illas stolas, in crucis sanguine, & in mediis suppliciis, quæ ad ducis Christi imitationem pertulerunt, tinxere. Sed si sublimius adhuc euolare cupimus, videbimus manifeste, his nihil aliud designari, quam si de mundo triumphare, ac cælestium domiciliorum inter beatas illas mentes gaudiis potiri aliquando, candida innocentiæ veste induti volumus, sanguinis, clauorum, spinarum, mortis ac passionis Christi semper nos meminisse debere animamque nostram semper rubra hac stola indui oportere.

O sancta & salutaris passionis memoria, quam necessaria es quoniam tu confers ad animam mortificandam, humiliandam, eamque inducendam, vt deliciis corporalibus valedicat? expressum id in Genesi video: vbi legimus pulcheram illam Rebeccam, camelo insidentem, cum futurum suum coniugem magni sc. Patriarchæ filiũ pedibus accedentẽ conspiceret, statim camelo descendisse: indecorum quippe censebat, & ab honestate puellari alienum, sponsum pedib. incedere, sese vero molli strato insidere. Huc oculos conice, ô anima, ac tecum cogita, num æquum sit & cõsentaneum, filium Dei vnigenitũ, tanta pro te pati, te vero commoditatib. tuis studere, & voluptatib. indulgere: fierine poterit, ô ingrata & immitis tanti sponsi spõsa, vt cum sponsum, redemptorem, Deum deniq; tuum pedibus hodierna die incedentem videas, & tanta quidem in paupertate & miseria constitutum, nudum penitus, & in arbore crucis erectum, ipsa vix in terram, ex sublimibus illis honorum, ambitionum, & vanitatum Dromedariis descendere digneris.

Sapiens ille ac pius rex Dauid, videns arcã Domini pellib. coopertam, ac sub dio commorantem, erubescens ac luxum suum incusans 2. Reg. 11.

Allegoria de passione.

sans dicebat: *Ecce ego habito in domo cedrina, Arca autem Domini sub pellibus est.* Quid? ô anima, vt hanc allegoriam tibi applicem, tene hanc tibi passionem proponendo, & mente voluendo tantum adhuc præsumere, tanta inquam esse impudentia, vt deliciis studeas, domos auratas inhabites, adeoq; te efferas & iactes, cum veram illam Arcam foederis, sacram scilicet Christi humanitatem, in monte Caluariæ, non quidem saccis & pellibus, sed sanguine, tormentis, suppliciis, vulneribus, aliisq; infinitis cruciatibus videas cooperta? an non tristis ille aspectus oculos tuos ad commiserationem excitabit? an non erubescis, redemptorem tuum in Cruce habitantem, eidem confixum, & innixum cernens? Hoc ipsum nimirum est, quod sancta Ecclesia nobis hodie ob oculos ponit: hodie crudele bellum passionis Christi indicitur, hodie vexilla regis prodeunt. Atque vt traditū est elephantos regis Antiochi viso sanguine feritatem induisse, & ad bellandum iubicundo ostenso colore fuisse animatos: *Et Elephantis ostenderunt sanguinē vuæ & mori, ad acuendos eos in prælium* ita eodem artificio hodie vtitur Ecclesia, quæ nobis Redemptoris nostri sanguinē ante oculos hodie obiicit, quo ad bellum cum vitiis gerendum magis animemur & incendamur.

1. Mach. 16. Comparatio egregia

Similit.

Imitatur eadem generosam quādam matrem, quæ cum filios cum patris interfectoribus videt agere, & eorum familiaritate vti, tunicam patris adhuc tinctam sanguine, & innumeris perforatam locis illis ostendit, vt eos hac ratione à tam prauo consortio auocet, simulq; tacite ad tam indignæ cædis vindictam incitet. Simili plane ratione hodie nobiscum Ecclesia agit; cum enim nos filios suos cū peccatis, quæ veri animę sicarii sūt, & interfectores patris nostri Christi Iesu, societatem iniisse, & familiaritatem quotidianam contraxisse videt: vt nos à praua eorum consuetudine deterreat, & ad vindictam de iis luculenta quadam pœnitentia sumēdam accendat: sacram eius humanitatem, veram, inquam, tunicam Iesu Christi patris nostri, sanguinolentam, clauis transfixam, spinis & lancea laceratam, ac vulneribus confectam ostendit, flagella, alapas, sputa, vincula, crucem, & crudelitatem mortis, qua crudeles illi sicarii eum in mōte Caluariæ affecerunt, nobis ob oculos proponit.

Hodie igitur passionis initium est, hodie aduersus innocuum Christum conspirare Iudæi incipiunt, hodie vexilla crucis prodeunt, crucifixiq; insignia progrediuntur. Audiamus quid Euangelium dicat: *Dicebat Iesus turbis Iudæorum, & principibus Iudæorū. Quis ex vobis arguet me de peccato?* &c. de his igitur paulo latius loquendum est.

Dominus igitur noster Iesus Christus, vt Ioannes Euangelista ait, videns Iudæos iam certissime in necem suam conspirasse, duas eis pulcherrimas quæstiones ad extremum proponit, vnam quidem, vt iis innocentiam suam probaret, alteram vero vt veritatē dogmatum suorum confirmaret. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* hoc quidem quoad innocentiā, vitæq; inculpatæ laudē spectat, *si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Ecce quantum ad doctrinam. Hic videtis, Auditores, vniuersam Theologiam duob. comprehensam capitibus: ex duabus hisce cōclusionibus, ô homines, ô Angeli vestra dependet salus. Si enim Christus de numero peccatorū fuisset, nunquam nos redimere potuisset, si eius doctrina falsa & delitiis plena extitisset, Biblia nostra nullius omnino fuissent authoritatis, & spes nostra prorsus inanis. *Talis enim* vt Apost. loquitur *decebat, vt esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* Designatum hoc erat in Leuit. vbi Deus præcepit, nihil sibi vt mancū aut mutilum offerretur: *Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota soluens, vel sponte offerens, tam de bobus quam de ouibus, immaculatum offeret vt acceptabile sit: omnis macula nō erit in eo.* Quo prænotabatur, cœlestem hanc victimā, quæ olim in mōte Caluariæ, in ara crucis, ad peccatorum nostrorum expiationem immolanda erat, perfectam & omnib. numeris completam, nulla peccati macula pollutam esse debere. Quamobrē ô Pharisæi, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Respondete si potestis: iā plusquam triginta tribus annis inter vos ego, dicite, nū quidquā in me indecēs aut prauum reperistis, num etiam vel minimū delictum

Christus duo ex Iudæis quærit.

Heb. 7.

Leuit. 22.

lictum obseruastis? Quid igitur innocentē prosequimini. quid mortem mihi molimini? cur in vitam conspiratis? cum nullius vnquā, ne minimi quidem criminis me reum constituerim, sed ad aliorum peccata totiusque mundi crimina auferenda & expiāda in terram descēderim. Excutite Legis periti, Scribæ, & Pharisæi, vos magni Synedrin assessores, excutite inquam, Prophetas, voluite sacra vestra monumenta, figuras exponite, ac deponere quiduis ausim, nullum vos in me peccatum reperturos quod iure meritoque coarguatis.

Figuræ veteres quib. demōstratur Christū sine peccato extitisse

Inuenitis scilicet me illam arcam esse quæ super peccati aquas, vt illa super aquas diluuii, semper natitauit, nullum vnquam naufragii periculum pertimescens, & qui mundo egrediens omnes è mortis discrimine eripui. Videbitis me illum esse Moysem, qui, indignante licet Sathana (qui vetus Pharao est, & omnes fidelium Hebræorum filios in mundi Ægypto occidit) mortem peccati euasi, inique profluentem proiectis nullum periculū perpessus sum; sed à natiuitate mea veluti à quadam regina adoptatus, imperiū tandem Pharaonis destruxi, & omnes è tyrannica captiuitate eripui, quos, rubrum iamiam passionis mare transituras, ad terram promissionis, felicitatem scilicet æternam & beatitudinem, deducam.

*Gen. 7.*
*Exod. 2.*
*Gen. 40.*
*Leuit. 10.*
*Exod. 12.*

Peruoluite igitur diligenter annales vestros, ac videbitis me innocentem illum Ioseph esse, qui escam salutis fratrib. meis gregem custodientibus, & instar bestiarum in mundi agris viuentib. deferens; nescio quonam meo fato, aut potius ingratitudine vēdi, atque à pellice, vestra scilicet synagoga, inique accusari, & in carcerem Iudaicum coniici debeam. Inuenietis me hircum illum emissarium esse, qui non meis sed omnium mortalium peccatis onustus in montem Caluariæ debebam emitti. Si vlterius legere etiam pergitis, statim vobis occurrerit agnus ille, qui in exitu Israel de Ægypto debuit immolari, agnus ille sine macula, quem ego me esse profiteor. Quis igitur vestrum dignum aliquid reprehensione in me reperiet? *Quis ex vobis arguet me de peccato?* facile quidē erit culpari, sed conuincere & euincere, hic opus, hic labor est: quis me igitur arguet de peccato originali, venali, aut actuali, aut alio quopiam crimine? nullus omnino Domine.

Cum Samuel Propheta inculpate, iam inde à matris vtero sanctificatus, vixisset & innocentiam suam vniuerso populo, toto vitæ tempore probasset, iam senex factus hæc ad seniores filiorum Israel ait: *Ego senui & incanui, & conuersatus coram vobis ab adolescētia mea vsque ad hanc diem, ecce præsto sum: loquimini de me coram Deo, & coram Christo eius virum bouem cuiusquam tulerim, aut asinum: si oppressi aliquem si de manu cuiusquam munus accepi, & contemnam illud hodie, restituamque vobis.* Eadem hic omnino Dominus Iesus synagogæ proposuit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* 1 Reg. 12.

Omnes homines Christū innocentia testantur.

Quid ad hæc respondetis scelerati Iudæi? aliquod ne in hac anima peccatum reperire poteritis, nefarii calumniatores? ecce totus orbis atque omnes omnino homines, eum vt iustum suspiciunt, & innocentem confitentur, Audite: quale ipse Iudas, qui eum tamen Iudæis tradidit, de eo testimonium ferat: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Audite testimonium Pilati qui ipsum condemnauit: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Audite quid ipsæ dixerint fœminæ: *Nihil tibi & iusto illi*, ait Præsidis coniunx: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, ait alia apud Lucam mulier. Quid adhuc obiicere, & quid his testimoniis opponere potestis? Inquirite in vitam & mores eius, ac videte numquid reprehensione dignum in iis reperire possitis. Audite quid de iis Prophetæ dicant: Ieremias imprimis, qui asseueranter ait: *hoc est nomen quo vocabant eū, Dominus iustus noster:* deinde quid Dauid in Psalmis: *Iustus Dominus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Si vlterius inquirere & indagare pergitis, & figuras veteres excutere, archiua legum vestrarum examinare, videbitis Christum innocentem illum Naboth, verum Israelitam esse, qui, vt vineam, Ecclesiam scilicet suam tueretur, & ab impiorum manibus defenderet, inique accusatus est, ac tandem morti ab impia Iezabel, nefaria inquā synagoga vestra adiudicabitur,

*Matt. 26.*
*Matth. 27.*
*Luc. 11.*
*Ierem. 23.*
*Psal. 10.*

Figuræ quibus innocentia declaratur.

cabitur. Videbitis hic pulchrum illum Abſalomum, de quo ſcriptum eſt : *Porro ſicut* 3.Reg.21.
*Abſalom vir non erat pulcher in Iſrael à veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo vlla* 2.Reg.14.
*macula.*

Præclarus cõceptus. Formoſus illic & inſignis Abſalom tu fuiſti Domine Ieſu, qui aduerſus iuſtitiam Dei arma accipiens, ab eadem fuſus & debellatus fuiſti, inque deſerta mundi huius fugiẽs, crinibus humanitatis tuæ ex crucis arbore ſuſpenſus, & implexus hæſiſti, in quatribus immanibus clauis, veluti tribus lanceis, transfixus interiiſti. Porro crines & capillitium Abſalomi ſemel in anno detondebatur, quod mulieres Ieroſolymitanæ magna auri & pecuniæ vi redimebant, quo mitellas ſuas infarciebant. *Et quando tondebat capillum, (ſemel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum caſaries) ponderabat capilles capitis ſui ducentis ſiclis pondere publico.* Ita quoque merita Ieſu Chriſti quotidie venalia proponuntur, vt iis Chriſtiani animas ſuas exornent, ſed eadem non niſi meritis à noſtra parte prouenientibus, & vera pœnitentia redimenda, & emenda ſunt.

Lib 31.c.10. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Refert Plinius pictorum illum principem Appellem tabulas ſuas omnium oculis in propatulo exponere conſueuiſſe, vt ſi qui in eo quid reprehenſum vellent, aperte, non vero clanculum eius errores culparent. Ecce quoque, vt ad huius imitationem, Apelles noſter vitæ ſuæ tabulam ante fores ſynagogæ conſtituat, quo ab omnibus Iudæis, ſi fieri poſſet, reprehenderetur. Sed operam & oleum perditis, Phariſæi, ſi Filium Dei de peccato coargui poſſe confiditis; facile quidem, omnium noſtrum in illo imperfectiones & miſerias reperiri poſſe, concedo, at nullum penitus delictum.

Num 21. Nam vt æneus ille ſerpens, de quo in Numeris, in deſerto Sinai in ſtipitem erectus, ſerpentis quidem figuram habebat, ſed veneno ac virulentia carebat. Ad eundem modum Ieſus Chriſtus, ô Scribæ, verus inquam ille ſerpens, qui aliquando in deſerto illo Caluariæ, in ſublimem crucis ſtipitem erigendus erit, hominis quidem formam geſſit, *formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo*: nunquam tamen veneno, id eſt, peccato, quo nullum aut violentius aut virulentius poteſt excogitari (*nam venenum aſpidum inſanabile*) fuit infectus. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Chriſtus antequam Iudæorum peccata & crimina reprehenderet, ſuam prius innocentiam illis declarandam cenſuit: nam, quemadmodum in Saluſtium olim dixit M. Tullius, *Carere debet omni vitio, qui in alterum paratus eſt dicere.* Sed ô tẽpora, ô mores! ſecus hodie inter mortales agi videmus, atque hominum modernorum vita longe ab illo Chriſti Domini facto diſcrepat: omnes namque aliorum mores & vitam inſpiciunt, ſuam vero penitus deſpiciunt, in aliorum vitia tam cernimus acutum, quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius, aliorum vitam oculis lynceis intuemur, ſed in propriis moribus modoque noſtro agendi talpis cæciores ſumus: Quapropter iure mihi videor mundum cum eo comparare poſſe, quem Apologus ait, aliorum peccata in anteriori manticæ parte geſtare conſueuiſſe, ſua vero in poſteriori & à tergo. Quo reſpexit doctus ille iuxta ac pius Gallus Bernardin. *Curioſum*, inquit, *genus hominum ad cognoſcendam vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam.* Phil.2.

Nam quemadmodum ſeniores quidam ea quæ remota ſunt clare intuentur, in iis vero quæ iuxta ſunt perſpiciendis plane cæcutiunt: ad eundem modum hodie plerique mortalium faciunt, qui aliorum næuos & crimina, quæ ab eorum notitia remota ſunt, intime inſpiciunt; ſuas vero imperfectiones, quæ ſibi adhærent, quaſque facile videre poſſent cernere nequeunt. Præclarum huius rei exemplum in S. Luca habemus. Superbus ille ac tumidus Phariſæus in templo orans omnes inde latrones, omnes publicanos, omnesque adeo peccatores, facile poterat conſpicere, qui per totam ciuitatem diſperſi erant: *DEVS gratias ago tibi quia non ſum ſicut cæteri homines raptores; iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus*: ſuperbiam vero, quæ intra ſuum Deut.32. Luc.18.

latebat pectus, ô ingentem cœcitatem! perspicere non poterat.

Exemplũ à vulture petitum.

Tradunt qui de animalibus scripsere, vultures cæteraque ad prædam nata animalia, cadauerum etiam longe positorum fœtore allici, eodemque sese conferre solita, sana vero corpora odorari non posse. Hæc animalia plerique mortalium imitantur; aliorum namque imperfectiones eminus odorantes, statim eo sese conferunt, vt easdem coarguant; at virtutes sentire aut odorari nequeunt. Hinc Cynicus ille Diogenes dicere solebat, homini, vt ad vitæ perfectionem pertingat, vel fidelissimos amicos, vel grauissimos inimicos esse necessarios: sciebat namque inimicos in vita ac moribus æmulorum suorum inquirendis esse vigilantissimos, ac minutissima quæque obseruare solere. Eius ferme generis est, quod de Philippo Macedone refert Plutarchus, quem lætari solitum scribit, quod Athenienses sibi infensissimos pateretur, eorum enim sese inuectiuis ac reprehensionibus, inque vitam regiam obseruationibus, incitari & accendi, ad vitam serio emendandam aiebat. Dissimilis vero agendi ratio in Christo est, qui oculos prius in propriam vitam coniicit, suamque innocentiam omnib. patefacit, quam Pharisæorum fucatam pietatem & ementitum honoris diuini zelum coarguat, vitiaq; eorum castiget. Ait enim *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

*Apophthegma Diog.*

*Plut. de vtilitate ab inimicis capienda.*

III. Ad alteram iam disceptationis quæstionem veniamus, *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Duo sunt ô Iudæi, quæ dignum aliquem reddunt, cui fides ab omnib. adhibeatur, vitæ scilicet innocentia, & veritatis studium. Cur igitur mihi cũ sine peccato hactenus vixerim & mentiri nequeam, fidem non adhibetis? cur Euangelium meũ repudiatis? Achab ille Israel Rex cum bellũ Syriæ Regi indixisset, quadringenti Prophetæ Baalim felicẽ belli progressum, & prosperum exitũ polliciti sunt; solus vero Michæas contraria omnino vaticinabatur; & vere quidem: hinc eum Achab cane peius & angue oderat, quod ad aures eius non prophetaret: *Odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* O ingentem regis cæcitatem! Sanctus ille vates inspiratus à Deo veritatem vaticinatur; calamitatem & excidium eidem prædicit, quod reipsa experietur, & eum tamen infensum experitur. Eandem horum Pharisæorum cæcitatem fuisse constat, qui Christo veritatem dicenti, tantum abest vt credere velint, vt mortali etiam eum odio prosequantur, vitæque illius insidias struãt. O Iudæi, *si veritatem dicit vobis, quare non creditis?*

3. *Reg.* 22.

Eheu Domine, quam multos hodie mortales reperire est qui nec tibi veritatem pandenti, nec Euangelio tuo volunt credere, lubet namque sacra Philosophia carnis delitias expugnare, & mundi fallacias contemnere; & quis, obsecro, ei aures accommodat, quis manum operi admouet; Docet Euangelica veritas inimicos diligere, mundum fugere, pœnitentiam agere, Quadragesimæ ieiunium seruare, & quis illi obsequitur, aut obtemperat? Proh dolor, Christiani! si Euangelium veritatem aperit vobis, quare non creditis? Dicetis forsitan, omnia fidei mysteria indubitanter & firmiter credimus. Quibus replico: Qui fit, vt eadem credatis? respondebitis: Quia Iesus Christus qui errare aut mentiri non potest, aut à nemine falli eadem credenda proposuit. Bene quidem: at idem ille, qui hæc credenda docuit, dixit etiam: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Item: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Item alibi: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus*: si veritatem ergo dicit vobis, quare non creditis? In quo Pilatum imitantur, qui in Passione Domini, de qua iam loquimur, veritatem audire noluit, & cum Dominus eam iam dicere proposuisset, exiuit foras.

*Luc.* 13. *Matt.* 18. *Matt.* 16. Cõceptus præclarus.

Tradunt tantam aspidum esse versutiam, vt si quando se carmine aliquo sacro, aut fascino in laqueos trahendas vident, aures terræ applicent, ne incantantem exaudiant. Eadem omnino peccatorum versutia est, aures enim cordis intrinsecas, mundo, in quo sunt, applicantes obturant, ne Domini aut feruidi alicuius concionatoris vocem eos diuini eloquii fascino irretire, inque *Matt.* 17.

inque cassas suos pertrahere conantis, exaudiant. Vnde bene Psalmographus: *Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Huiusmodi aspides vos esse dixerim. ô Iudæi, aures namque vestras ad diuini incantatoris, venefici illius incantantis sapienter, animasq; pio quodam fascino irretientis, voces obturatis. Cur vero aures offirmatis, cum veritatem aperiat vobis, cur eius voci & prædicationi resistitis?

At quî fit, peccatores, si nos verbi Dei Concionatores veritatem ex parte Dei denuntiamus, nobis vt credere nolitis? Quanta eheu vestra surditas est; clamemus buccis plenis, inclamemus auribus vestris, inferorum supplicia, diuinorum iudiciorum severitatem & rigorem denuntiemus, proponamus vobis ante oculos pœnarum cruciatuumque æternitatem; instar aspidis surdæ nihil inauditis, sed penitus obsurdescitis. Hic vero aures vestras arrigite, egregiam è sacro volumine figuram, quam vestra surditas exprimatur, depromam.

4. Reg. 4. Figura.

Cum Propheta Elisæus puerum Giezi vna cum baculo suo, ad Sunamitidis filium à mortuis excitandum misisset, & ille baculo mortuum tetigisset, agitasset, omnemque mouisset lapidem, & infecto negotio ad Prophetam reuerti coactus esset (*non enim erat vox, neq; sensus*) indignans & subiratus ait, *Non surrexit puer.* Eheu! Ecce ad eum modum nos concionatores, veluti legati à summo Deo, cum baculo doctrinæ ad peccatores in peccatis mortuos & sepultos excitandos missi, merito dicere possumus? Fecimus Domine, quod in nobis fuit, fecimus quod nobis faciendum præcepisti, toto hoc Quadragesimæ tempore, horum mortuorum oculis baculum tuum, id est, potentiam tuam, iudiciorum tuorum rigorem, suppliciorumque grauitatem, tartari horrorem, mortis incertitudinem proposuimus; clamauimus, minas intentauimus, quidquid potuimus præstitimus, & tamen *non surrexit puer*: mortuos excitare non potuimus, non enim est vox neque sensus. Nondum vel minimum de confessione verbum audiuimus, nullum contritionis indicium, nullum doloris signum, nullum vitæ, vitaliumque actionum experimentum percepimus. Satan quippe aures eorum obturat, & impedit, quo minus veritatem ex concionantis ore audire queant.

Ieroboam Rex cum regnum Israel inuasisset, permittere nolebat, vt populus in Ierusalem descenderet, sacrificia & libamina Deo oblaturus, aut verba legis auditurus; ne ita ad naturalem suum principem redirent, inque eius verba, quem dereliquerant, iurarent; dicebatque intra se, *si ascenderit populus iste, vt faciat sacrificia in domo Domini conuertetur cor populi huius ad Roboam regem Iuda, interficientque me, & conuertentur ad eum.* Cui malo vt occurreret, vitulos aureos conflare, eosque populo adorandos proponere decreuit dicens: *Nolite ascendere in Ierusalem, ecce Dij tui Israel.* Eodem prorsus modo agit Satan: metuens enim, ne peccatores ad Deum, qui verus & legitimus princeps est, & à quo peccando impie desciuerant, conuertantur, & se, cui per peccata obsequuntur, deserant, omni ratione impedire conatur, ne Ierosolyma, id est, templa, adeant, in quibus verbum salutis ac legem Christi Domini, veritatemque Euangelicam audire possint: at detinet & occupat eos rebus ludicris, diuitiisque, quæ instar vitulorum aureorum sunt, ac multis negotiorum grauaminibus opprimit. Quamobrem peccatores templa adite, ascendite Ierosolymam, impia illa imperia ac truculentam Ieroboam tyrannidem relinquite: atque ad veritatem audiendam properate. Nam quemadmodum aquila pullos ad solis radios examinare, experirique consueuit, eosque vt legitimos educat, qui oculo irretorto radios micantes scintillantesque perferre queunt: ita quoque DEVS (qui in libris sacris sæpius cum aquila comparatur, vti *sicut aquila prouocans pullos suos ad volandum*) filios tuos ad verbi sui radios examinat, & eos qui assidue, attente, ac diligenter idipsum audiunt, veluti legitimos ac suos habet: alios vero vt nothos & spurios repudiat. *Nam, qui ex Deo est verba Dei audit: propter-*

3. Reg. 12. Allegoriæ.

Cõceptus à natura peritus.

*Deut. 32.*

*Ioan. 8.*

*ea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Efficax profecto argumentum.

IV. Exaggeratur Pharisæorum malitia.

Verum quid adhæc tandem dicitis Pharisæi? quid ad magnus hasce quæstiones, tamque serias interrogationes respõdebitis? semperne veritatem oppugnabitis? ô rem inauditam! ô cæcitatem intolerabilem! ô malitiam plusquam diabolicam! calumnias nouas iaciunt, ac conuitiari incipiunt, nouasque Domino iniurias erogant, dicentes: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es & dæmonium habes.* Quam ineptum & incongruum hoc responsum est, quam impertinens dubii propositi solutio? Ad primum, de innocentia nempe, dicunt eum Samaritanum, id est, hæreticum esse: ad secundum vero, quoad doctrinæ sinceritatem, aiunt diabolo intrinsecus occupatum.

Anne tu Phœbe, qui vniuersum quotidie orbem perlustras, & quidquid in mundo peragitur, ex alto intueris, simile quid vnquam aut hoc nostro in orbe, aut apud antipodes in alto vidisti, vel similem peruersitatem notasti? Quid? vosne in Deum tam horrendas blasphemias eiaculari! itane vos phrenetici, ac mente capti aduersus medicum vestrum insurgitis? cæci, itane lumen veritatis contemnitis? Cuius rei egregiam similitudinem adferam. Quemadmodum enim, postquam à longo tempore pluuiis terra irrorata non fuit, & penitus ardore ac siccitate exaruit, omnis aqua & pluuia quæ deinde decidit, in ranas, rubetas, vermes, ac bruchos conuertitur: sic etiam anima, quę diuturno peccati calore arefacta emarcuit, quæ vere, inquam, terrena est, ac non nisi mundana cogitat, cum aqua verbi diuini irroratur, tantum abest, vt eodem irrigetur, commoueatur, ac percellatur, vt venenum potius & peruersitatis corruptionem generet. Ita hic videas Christum Dominum ad Pharisæos verba facientem, eosque salutari doctrinæ suæ rore irrigantem, at viua illę prædicationis eius aqua in bufones, serpentes, ac viperas, in iniurias, inquam, & blasphemias execrabiles, commutatur. *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es.*

Simile.

2. *Reg.* 10. Cum Dauid Rex ad Hanon Regem legatos mitteret, qui eum in Ammon patris morte consolarentur; barbarus ille eos exploratores esse ratus, dimidia barbæ parte detonsa, decurtatisque ad medium femorum vestibus, magna sane contumelia affectos, ignominioseque habitos, ad propria remisit. O barbarum & ab omni humanitate alienum principem! ô infamiam & probrum intolerandum! at iniurias, quas hodie Christo Domino irrogari videmus, longe etiam grauiores esse censeo. Misit quidem Pater æternus vnicum filium veluti legatum, in hunc mundum, vt synagogæ Iudaicæ super generis humani exitio & interitu solamen aliquod afferret, & ecce eadem illa synagoga, exploratoris loco eum hodie habens, ac falsum prophetam esse censens, iniuria ac contumelia affecit, blasphemiasque & conuitia in eum intolerabilia euomit: Samaritanum ac dæmoniacum vocitando. O probrum ac dedecus mille dignum cruciatibus! *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es.*

Tradidit Sacra scriptura, tantum fratrum aduersus Iosephum odium fuisse, ac paulatim eo inimicitias progressas esse, *vt non possint ei pacifice loqui*, & nonnisi contumelioſis eum verbis affarētur, modo eum somniatorem, modo malefactorum delatorem appellando; adeo vt tandem exteris eum gentibus in seruum vendiderint. Eandem hodie malitiam Pharisæi cõmonstrant; tanta namque inuidia & odio aduersus humilem illum Ioseph, Christum nimirum, qui frater eorum secundum carnem est, exardescunt, vt non nisi iniuriis eum afficiant, calumnioſisque & probroſis eum nominibus compellent. Vos porro Catholici, Pharisæos hos nolite imitari, nolite veritati resistere, nolite in Deum conuitia euomere, aut blasphemias eiaculari; at sanctum eius verbum audite, credite, honore afficite; & quod iusserit aut faciendum præceperit, exequi properate. *Si veritatem dico credite mihi.* Gen. 37.

Et tu ô Domine Deus, vere agne absque macula, qui sine peccati næuo es, & intus, & foris, qui via, veritas es & vita; hanc, obsecro, nobis gratiam concede, vt sanctum verbum tuum semper audire, animæque nostræ eiusdem dulcedine ineſcatæ, cum sponsa in canticis exclamare possint;

*Sonet*

Cant. 2. *Sonet vox tua in auribus meis*: & cum Prophe-
1. Reg. 3. ta Samuele: *Loquere Domine, quia audit*
Psal. 118. *seruus tuus*: cumq; Psalm. *Quam dulcia fau-*
*cibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* O
Deus auctor veritatis, & ipsamet veritas, &
ipsa bonitas: Deus inquam, quem de nul-
lo quis peccato potis est arguere; tu vere il-
le Samaritanus es, infœlicis Adami filius,
Luc. 10. verus ille Samaritanus, de quo S Lucas, qui
hominem illum, per quem genus huma-
num designatur, ex Ierusalem in Iericho, ex
statu scilicet gratiæ, & innocentiæ, in pec-
catum descendentem, & in latrones, id est,
diabolos incidentem (qui omnibus eum
spiritualibus diuitiis despoliauerant, & vul-
nera insuper grauissima inflixerant, omnes
scilicet animæ facultates læserant) sanasti,
ac pristinæ integritati restituisti. Nostris
igitur ô diuine Samaritane medere languo-
ribus: nostras cura animas, easque vnguen-
Psal. 57. to & oleo misericordiæ inungito; vt veri-
tatem tuam semper amplecti, ac peccatum
vitare, & voluntati tuæ quam promptissime
obsequi valeant, quo dignæ reddantur, vt
postquam tibi fidele in mundi huius mari
obsequium præstiterint, in alterius malacia
te laudent & glorificent. Amen.

## FERIA III. POST DOMIN. PASSIONIS.

Partitio.

I. *De fuga gloriæ:*
II. *De vano fratrum Domini postulato.*
III. *De inani gloria mundi & humilitate Christi.*

*Erat autem in proximo dies festus Iudæorum, Scenopegia: Dixerunt ergo fratres eius ad eum: Transi hinc, & vade in Iudæam,* Ioann. 7.

### FIGVRA.

3. Reg. 17. MAGNVS ille Propheta Elias, inanem gloriam mundanumq; honorem per-
tæsus, aulam Iezabelis relinquens, in deser-
tum secessit, nullum in patria miraculum
volens edere, ob quod à suis magnificrer,
ac diuinos honores consequeretur: sed in
Sarepta Sidoniorum, ciuitatem satis remo
tam, & obscuram sese contulit, vbi præ-
clarissima miracula edidit. Cum diligen-
tius hoc Prophetæ factum intueor, simi-
lem mihi historiam in Euangelio hodier-
no legere videor. Occurrit mihi namque
hic, non dico Elias, sed CHRISTVS Domi-
nus, qui in humilitate educatus, & omnem
mundi gloriam exosus, ciuitatem Ieroso-
lymitanam relinquit, vt in Galilæam sece-
dat; quique veritus, ne ab hominibus vi-
deatur, ad solemnitatem Paschalem, à suis
licet inuitaretur, venire detrectat, nedum
aliquod miraculum edere, eadem apud ex-
teros facturus: & quo plus eum discipuli
hodie ad vanam gloriam incendunt, dicen-
tes, *Manifesta te mundo*, quo plus ipse glo-
riam contemnens respondet: *tempus meum*
*nondum aduenit.* Erit hæc materia omnibus
vobis, spero, perutilis, & vnde non parum
vtilitatis haurire possitis. Imploremus igi-
tur Spiritus sancti auxilium, vt eam pro di-
gnitate deducamus: & simul patrocinium
Deiparæ Virginis interponamus.

### AVE MARIA.

Inter cætera Antisthenis Philosophi elo- Apophth.
quia & Apophthegmata hoc non postre- Antisthe.
mum mihi occupare locum videtur: cum *Laert. li. 6.*
magnis eum ciues, & quidem improbi, lau-
dibus exornarent, subtristior & consterna-
tus quodammodo respondit: *Dij immorta-* *Plutarch.*
*les quid mali feci.* Idem pene de Phocione, *in Phocion.*
quo præstantiorem Athenienſis non vidit
resp. refert Plutarchus: hic cum quadam
die frequenti Senatu peroraret, omnium-
que animos in sui admirationem accende-
ret, & omnes merita eius in rempub. gloriã-
que bello partam deprædicarent; ad vici-
nos & astantes vultu subitato conuersus, Dictum
dicere incepit: *Me miserum! vereor ne quod* Phocio-
*mihi stultum verbum excideris.* Dignæ pro- nis.
fecto tantis viris sententiæ, licet Ethnico
ore prolatæ, quas Christiani semper me-
moriæ inscriptas gerant, quibus ad inanis

gloriæ fugam exſtimulentur, nihilque adeo abhorreant, quam ob virtutes beneque facta inanem gloriolæ auram arrogantiæque typhum aucupari. Docuit id olim apertiſſimis verbis Apoſtolus, quibus omnes omnino homines ad humiliter de ſeipſis ſentiendum inuitat: *Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti quid gloriaris* Quibus aperte demonſtrauit, non eſſe nobis aliquas de bonis operibus laudes quærendas; ſed ad Altiſſimi gloriam, vt omnes reipſa ſancti viri ſemper fecere, omnia referenda.

1.Cor.4.

Cum olim Lyſtrenſes Paulum, & Barnabam Apoſtolos, poſtquam claudum ambulare feciſſent, hunc quidem Mercurii, illum vero Iouis nomine appellaſſent; his eos, Apoſtoli, vanæ gloriæ hoſtes, diſciſſis veſtibus in turbas irati exilientes, verbis compreſſerunt: *Viri quid hæc facitis & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines, &c.* In Deum, non vero in nos, laudes haſce congerite, ab ipſo enim hæc miracula, non à nobis, proficiſcuntur. Idipſum propemodum præſtitit & olim inter Babylonios Daniel: cum enim à Rege ad exponenda ſomnia euocatus, totiusque regni ſapientiſſimus eſſet habitus, ac propter felicem ſomniorum interpretationem magnis ab eodem laudibus afficeretur; vt Propheta inanem hanc laudem à ſe remoueret, atque omnia in Deum, verum rei auctorem regereret, ait: Ne me interprerem ſomnii putes ô Rex, aut cogitationum tuarum expoſitorem; verus earum interpres ipſe Deus eſt, qui reuelat profunda & myſteria, omnis proinde ei gloria aſſcribenda.

Act.14.

Dan.8.

Tradunt Hiſtoriæ, decus ac lumen Galliæ noſtræ Martinum Turonenſem, ſemper reliquias aliquas Sanctorum de collo geſtaſſe, vt, ſi quando miraculum quod ederet, eorum virtuti, non propriis id meritis aſſcriberet.

*Surius tom. 6.tit.S.Martini.*

Elizæus Prophetes viduæ filium ad vitam reuocaturus, vt omnem, quæ ex eo miraculo in ſe redundare poſſet, laudem excluderet, famamque ſi qua inde oriretur, ſubterfugeret, ſolus cubiculum ingreſſus eſt, clauſoque oſtio ceteros omnes excluſit, neminem paſſus adeſſe, qui tanti tamque eximii miraculi teſtis foret. Inſignis profecto figura quæ nos docet, ſi quando bonum aliquod aut pium opus peragendum eſt, omnem vanæ gloriæ aditum eſſe præcludendum, omnemque oſtentationem declinandam. Quantum igitur detrimenti affers, ô exitialis inanis gloriæ peſtis!

4.Reg.4. Figura.

Venuſta illa Bethſabee, quod ſe lauiſſet, vnde à Rege conſpici poterat; nudamque ſe illi oſtendiſſet, adulterii, neciſque Viiæ coniugis, atque omnium pene quæ regi deinde acciderunt malorum occaſio extitit. Docemur hac hiſtoria, Auditores, eos omnes, qui detecta operum ſuorum pulchritudine, eaque omnium oculis expoſitâ, inanem gloriæ rumuſculum aucupantur, ruinæ & exitii, peccatorumque (quæ veluti ſpiritualia adulteria ſunt ac ſcelerata Chriſti animarum ſponſi cædes, quem illi iterum peccatis flagitiisque crucifigunt) cauſas exiſtere.

2.Reg.11. Allegoria

Dina Iacobi filia cum alienigenas viſura mulieres patriis finibus eſſet egreſſa, Sichem Hemor Heuæi Principis filius, pulchritudine eius captus, eam rapuit, & conſtuprauit. Aliud hoc eſt myſterium, quod ſignificat, bona opera noſtra, cum cordis noſtri domo & regione egrediuntur, vt ab omnibus conſpiciantur, & auram quandam popularis rumoris hauriant, ſæpiſſime à dæmonibus, qui veri quodammodo Sichemitæ ſunt, auferri & violenter rapi.

Gen.34.

Et ſane, vos ô vanæ gloriæ amatores, mundanæ famæ aucupes, ſimiles miluis eſſe dixero: nam ſicut illi, licet ſublimius euolent: ſemper tamen terram ad prædam quærendam reſpiciunt: ita & vos; nam per bona veſtra opera ad cœlum vſque euolare videmini, mundum tamen ſemper reſpicitis, in eumque defixos oculos habetis, ad prædam aliquam inanis gloriæ aufendam. Sed omnem potius, ſi qua inde reſultare poteſt, laudem, Deo aſſcribite; *Soli namque Deo honor & gloria.*

Simile

Cum adoleſcens Ioſeph ab impudica illa Putipharis vxore ad ſtuprum ſolli-

1.Tim.1

Gen.39.

citatus

citatus esset, nùmquam nefariæ voluntati eius voluit morem gerere, sed his eius lasciuiam verbis conatus est retundere. *Ecce Dominus meus omnib. mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua: nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* O verba sensu mystico plenissima! Denotat nobis hæc mulier gloriam, quæ vera Dei sponsa & vxor est, & ei quidem propria, quam nos exemplo Ioseph, ambire nequaquam par est, libet ab ea sollicitemur & tentemur: Deus enim zelosus est, qui omnes quidem gratias & dona in manu nostra statuit, at hanc solam sibi reseruare eiusque solus frui vult amplexibus. *Soli namque Deo honor & gloria.*

Quamobrem, ô cæci mortales, nolite amplius gloriæ huius siti teneri, nolite filiam illam cœlo natam ambire, aut opera vestra vanæ laudis vento omnia dissipanti exponere, aut merita in altum, ad captandam leuem auram, subleuare: nihil enim sunt omnia vestra opera. nam quemadmodum pauo, cum pennarum suarum agmen explicat, easdemque attentius contemplatur, superbit; at visa pedum deformitate, easdem contrahit & dimittit, humilius de seipso sentiens; ita quoque vos ô mortales, cum alas meritorum vestrorum explicare latius vultis, superbia quadam interius in animo efferri incipitis; at si vel semel vilitatis vestræ pedes & imperfectiones vestras inspiceretis, mirum quantocyus præ humilitate & pudore alas dimitteretis. Comparatio.

Dignum profecto relatu est, quod de mulo quodam Lydio refert magnus ille historicus Plutarchus; hic mulus, viso musculorum robore, membrorum compactione, naturæ pulchritudine, totiusque corporis elegantia, superbire incepit, seseque omnium animalium esse regem arbitrari; hinc ille efferascere, discurrere circumquaque, subsultare, sternere sessores, ac lasciuire insolentius, at cum patre se asino progenitum considerasset, pudore suffusus mitius agere, ac mansuetudinem induere cœpit.

Itaque mortales, *nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus*: nam cum oculos in fortunæ vestræ prosperitatem coniicitis, diuitiarumque vestrarum amplitudinem intuemini, denique gratias & dona, quæ cœlum vobis mutuo dedit, perpenditis; mirum quantum moueatis lacertos, pedes efferatis altius, & interius cor vestrum intumescat; at si vobiscum perpendere incipitis, patrem vestrum extitisse Adamum quēdam, & è limo terræ vos esse progenitos, eque cinere & puluere originem sumpsisse, minuet proculdubio consideratio illa præsumptionem vestram, ac superbientem & insolescentem animum deprimet, vosque ad cœlestem gloriam perducet.

Audite vero Euangelistam loquentem: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus*: relinquite inanem hanc ostentationem, ac futile inanis famæ aucupium, imitamini potius præclarum, quod hodiernæ diei Euangelium profert exemplum; cum enim Dominus à parentibus inuitaretur, vt in Iudæam ad festiuitatem scenopegiæ celebrandam, miracula ibidem patraturus, transiret, vnde magnam Iudæi de eo opinionem conciperent, & ab omnibus instar Prophetæ haberetur; ire noluit, incognitus potius in Galilæa manere desiderans. Rei nobis & historiæ seriem narrat nobis Euangelista: *Erat autem in proximo dies festus Iudæorum scœnopegia: dixerunt ergo fratres eius ad eum, Transi in Iudæam, & manifesta te mundo.* Hac itaque concione de solennitate hac Iudæorum, ac deinde de inani mundi gloria agemus: inque duobus hisce membris omnis nostra oratio versabitur. Luc. 17.

I. Inprimis igitur scribit Euangelista, appropinquante iam festo Tabernaculorum, Dominum Redemptorem, cum in Galilæa esset, à fratribus sollicitatum, vt mundo sese manifestaret populoque occasionem præberet, vt de se loqueretur; ac proinde ad hanc solennitatem accederet, qua durante miraculum aliquod ederet, propter quod ab omnibus magni fieret & celebraretur.

Hic

Virgo Deipara nullos præter Dominum Iesum proles habuit.

Hic rursum sisto, nec porro procedere est animus, cum de Domini fratribus mentio incidit. Scio enim Virginem Mariam nullam aliam præter vnigenitum suum Christum Dominum prolem habuisse, & hunc ipsum nullos omnino fratres. Fuit ille namque Sol & Phœnix, qui parem aut secundum non habet. Et sane quemadmodum sepulchrum, in quo Dominus mortuus collocatus est, nouum fuit, & in petra excisum ac nullum vnquam, præter pretiosum Domini corpus, in se complexum fuerat, *Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.* Ita quoque sacratissimus ille Deiparæ vterus, virgo fuit, ac plane nouus, in quo nullus præter Dei filium, ante vel postea vnquam requieuit.

*Matt. 27.*

Deipara leænæ cõparatur, quæ non vltra vnũ catulum parit.

Cum leæna, vti apologus quidam non illepidus prodidit, in plurimorum animaliũ conuentu, à ceteris infæcunditatis argueretur, quod vltra vnum catulum non produceret, ceteris animalibus adeo vt plurimum fœcundis, vt plures vno partu fœtus singulis vicibus ederent; Fateor, ad hæc respondit illa, vnum me tantum catulum proferre, sed memineritis oportet, leonem esse, & omnium vestrum, quotquot adestis, Regem & Principem. Idipsum de te iure meritoque dicere licet ô Virgo: fuisti scilicet leæna, omnium Creaturarum regina & caput, vt illa animalium: nullos sacro tuo vtero gestasti filios, præter vnicum illum Iesum Christum; at leonem, omnium mortalium nobilissimum, leonem inquam de tribu Iuda.

Quænam hæreses & errores ex his Euangelistæ verbis ortum ceperint.

Quid igitur, Euangelista per fratres hosce designas? Præsis scilicet Heluidio in hæresi sua stabilienda, qua ille nequiter asserebat, Virginem plures proles enixam esse. Dasitem pluribus scriptoribus occasionem, multarum falsarum & futilium opinionum concipiendarum, ac simul dicendi proles illas à Ioseph o Christi nutritio descendere, è priore scilicet eiusdem coniugio: qui cum Christi pater putaretur, inde fiebat, vt eius quoque filii, Christi Domini fratres dicerentur. At est hoc quam falsissimum. Sed per fratres illos cognati Domini designantur, vti sunt filii Zebedæi, è Maria Salome germana Deiparæ sorore progeniti, ac proinde cognati germani Domini nostri Iesu Christi, Vnde facile colligi videtur, fuisse hos ipsos & non alios, qui eum hodierna die incitarunt, vt se mundo manifestaret, ac popularem auram captaret: cum illi ipsi ambitione & honorum studio incitati, maternis olim patrociniis & precibus supremos in Domini regno honores ambiuerint, vt hic scilicet ad dexteram, alter vero ad sinistram possent considere.

Per fratres Domini cognati eius intelligendi sunt.

Hi ipsi igitur cognati, non spectantes aut cogitantes aliud, quam ea quæ mundi sunt; cum magnam illam & celebrem festiuitatẽ, ad quam magna vndique Iudæorum multitudo confluebat, in proximo esse cernerent; importune ab ipso Saluatore contenderunt, vt in Iudæam reuerteretur, ac tantæ festiuitati, ad quam tot homines concurrerent, interesset, quo se ostentaret, & edito aliquo miraculo ab omnibus, vti magnus aliquis vir cælo delapsus, aut instar prophetæ, haberetur. Erat festum hoc Tabernaculorum, magni apud Iudæos nominis ac celebritatis, die quinto decimo Septembris peragi solitum, vti aperte in lege Mosaica Dominus præceperat. Constituebant in hac Tabernaculorum festiuitate, extra domos quisque suas, tuguria, ac velut tentoria de frondibus & arborum ramis, sub quibus, septem diebus in memoriam, quod olim in deserto tanto tempore habitassent, commorabantur. Huc accedebat, quod his ipsis diebus, vnusquisque secum cogitabat, aliud se nihil hoc in mũdo esse, quam peregrinum & viatorem, vti & maiores olim in deserto longa fuerant annorum serie peregrinati. Felix igitur solennitas, ac ter beata huiusce festi institutio, qua ad tam piam ac salutarem considerationem homines excitantur. *Deut. 16.*

Hoc ipsum est, quod semper ante oculos habere nos oportet, ac perpetuo memoriæ gerere insculptum: nos videlicet in hoc mundo non esse aliud, quam viatores, & aliud hic nihil habere, quam tuguria & mapalia è frondibus & ramis constructa, quibus interea dum hic agendum est, non secus ac diuersoriis vti debeamus: nam vt Paulus Aposto-

Apostolus ait: *non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus.* quasi diceret: Non est, mortales, diutius in hoc inferiori mundo permanendum, nolite hic fixum firmumque fortunarum vestrarum domicilium figere, necesse namque vos est crastina hinc die discedere & abire, neque enim hic locus quietis, sed potius regio aliena & peregrina, per quam non nisi transeũdum est, vt ita tandem in alteram, propriam nimirum, peruenire possimus.

Didicisti id Paule à vate illo Psalmista, qui multo ante tempore mundum hunc nõnisi peregrinationis locum esse credidit, dicens: *Aduena ego sum & peregrinus sicut omnes Patres mei*: dicere vult: Hæc sceptra ô munde, hæc diademata, hæ coronæ, honores, pompæ, splendores hi regii, nunquam ita animum permouebunt, aut afficient, quin semper mihi ante oculos versetur, te aliud non esse, quam viantium ac peregrinantium locum, tristis terram exilii, domum conductitiam, crudele ac nefarium diuersorium, è quo, licet etiam parum de rebus necessariis illic nobis prouisum sit, ac plurimæ molestiæ subeundæ, breui tamen emigrandum est ac symbolum, etiam cum irrecuperabili amissione vitæ persoluendum, & omnia quæ facere decreueramus, in momẽto relinquenda. Quamobrem non aliam de te ô scelerate munde, opinionem concipiam, nec aliud me esse credam, aliud licet videar, quam miserum in terra peregrinum, quales etiam omnes maiores mei præteritis sæculis fuere.

Psal. 38.

Quid, Christiani, Ethnici ipsi & gentes immanitate barbaræ, & ab omni humanitate remotissimæ, hanc olim animo cogitationem etiam insculpserunt, & nunquam non breuitatis vitæ meminerunt. Hinc nescio quem Philosophum, cum Agrigentinos superbas & patentes ædes videret exstruere, ac quotidie magnifice comessari, dementia eorum exposa dixisse legimus: *Agrigentini comedunt quasi semper morituri, & ædificant quasi nunquam morituri.* Diogenes quoque Cynicus cum vitæ breuitatem perspectam haberet, animoque infixum gereret, mundum præter peregrinorum receptaculum aliud non esse, adeo eum exosus fuit, vt nunquam vrbes incolere, domus extruere, aut opes congerere voluerit, sed vnico contentus dolio, quod quocunque accedendum erat, eodem voluebat, vixerit: Hinc cum orbis ille terror Alexander omnem vitæ eius rationem perspectam haberet, attentiusque esset contemplatus, adeo hoc viuendi genere fuit recreatus, vt diceret, se nisi Alexander foret, alium esse nolle quam Diogenem. Verus profecto mundi osor, ac generosus mundanarum rerum contemptor.

Apophth. veteris Philosophi.

Diogenis siuè Cynici.

Quam euidenter igitur, & aperte nos Ethnici docent, quin & ipsi barbari; nos in mundo hoc non nisi peregrinos & viatores esse, stabilem sedem non habentes; ac merum stultitiæ dementiæque genus esse, in eodem velle commorari, ac rerum suarum sedem figere. An non ille omnium iudicio sensibus ac mente destitutus dicendus foret, qui extortis, ac procul à patria constitutus, & inter alienos versans, vile, quod in diem subiret, tugurium, depingere, parietes eius variis coloribus exornare, tabulata auro obtegere, caminos variegare, cubicula peristromatis conuestire, horrea quoque eius refercire, ac frumento constipare, denique de rebus ad tugurium hoc spectantibus accuratius vellet inquirere, cum crastina die mane id relinquendum esset? Heu, quanto maior eorum demẽtia & insania est, qui cum in regione & cœlo peregrino viam carpant, procul à patria, cœlesti nimirum, constituti, ingens hoc mundi diuersorium subeuntes, ad quod tam multi omnis generis homines quotidie diuertunt, atque ex eo reuertunt, rebus tamen parandis, domibus, & palatiis exstruendis, diuitiis coaceruandis negotiisq; gerũdis incumbunt; cum crastina ac sæpenumero etiam eadem ipsa die hinc emigrandum sit, & abitio maturanda. Hinc bene olim, vt aliquando dixisse memini, de vrbe Athenensi, dicere solebat Isocrates, pulchram illam quidem esse, & ad ambulandum amœnam, ad habitandum vero perdifficilem ac periculis expositam. Mea quidem sentẽtia idipsum, qui de mundo di-

Simile.

Mundus diuersorio cõparatus

Isocratis dictum de vrbe Athenensi.

do dixerit, à vero profecto non aberrabit, magnam scil. & vastam hunc vrbem esse, & ambulationi peraccommodum, ac cauendum ne quis in eo sedes figat, & sedem stabilem meditetur.

Parricida ille Cain primus vrbes exædificare incepit, quasi perpetuam hoc in mundo sedem habiturus: *Et ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui Henoch*: sed tandem malo vitam fine terminauit. Superbus ac ille glorioſus Nemroth, cum turrim Babel exstruere vna cum suis cœpisset, vt si quando diluuium iterum ingrueret, in eam sese mortales velut in commune asylum reciperent, atque ita perpetui huius mundi incolæ forent, confusione linguarum cœptis destitit, & ignominiam cõtraxit. Historiæ sunt, Christiani, & exempla quibus erudimur, non esse in hoc inferiori mundo sedem perpetuam deligẽdam, perpetuumque domicilium collocandum, non esse exstruendas moles & turres, verum cum Iudæis sub tuguriis, tabernaculisque frondosis hodierna die commorandum.

Gen. 4.

Gen. 11.

Quid fuisse causæ putatis, Auditores, vt Adam statim à peccato, frondibus nuditatem suam cooperuerit, ac semper sine domo & tecto sub Ioue frigido, hoc in mundo vixerit? Denotabant scilicet hæc folia iam tum vitam nostram, peregrini esse transitum; simulque edocebant, non esse nobis hic domicilia diuturnantia deligenda, sed tuguria leuia & viles domos seligendas. Quid si, ô Hebræi, vos his in Tabernaculis habitasse dixero, vt vobis filiisque vestris, simul & nobis in memoriam reuocaretis, protoplastum Adamum, primum hominem, ac primum simul peccatorem, non nisi foliis & virgultis nuditatem suam velasse. Quid quid demum sit, ostendit vtrumque eandem nostram fortunam esse, quæ fuit Iacobi, in Mesopotamia, in domo Laban, qui mundum auarum & idolis seruientem significat, seruientis; in quo oues & greges, voluptates scilicet & delitias, seruamus, simulque filias eiusdem nobis in coniuges adaptamus, diuitias scilicet atque opes. Sed, Iacobi exemplo, crudelem tandem Laban relinquere, inque patriam postliminio reuerti nos oportet. Sumus enim hoc in mundo non secus atque filii quidam prodigi, qui paradiso cœlesti, domo scilicet paterna, exacti, in regionem hanc longinquam (in qua fame emorimur, cum porcis id est peccatoribus; & meretricibus, id est, voluptatibus, habitantes) reiecti & profecti sumus; sed redeundum est tandem aliquando, adque domum voluptatis denuo reuertendum.

Allegoriæ. Gen 31.

Eadem in mundo nobis sors est, quæ fuit Israelitarum in Ægypto commorantium, regione inquam aliena, terra crudeli & inhumana, plena miseriis, & calamitatibus affluente; in quo variis laboribus & difficultatibus affligimur, tot molestiis opprimimur; sed tandem aliquando in terram promissionis nos redituros speramus, atque huc omnis nostra cogitatio & animus anhelat. Quamobrem stultum est, diutius in hoc inferiori mundo velle commorari; neq; enim hic immorandum est.

Pium illum regem Dauid adeo miseriarum mundi huius, quæ vallis lachrymarum est tædebat, vt interdum pennas sibi dari auium exoptaret, quibus in sublime elatus, & procul à terra miseriæ elongatus, ad beatorum illam regionem, vbi æterna requies, & felicitas consummata est, euolaret: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam.* Num. 13.

Egregium profecto conceptum è Numerorum libro haurire est Moses cum sexcenta armatorum millia ex Ægypto deduceret, legatione ad Seon regem Amorrhæorum missa, transitum exercitui per fines eiusdem postulauit, pollicitus fore, sine vllo vt maleficio regionem per transirent: *Liceat nobis transire per terram tuam, non transibimus per agros, nec vineas, nec bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, nec sistemus donec transierimus fines tuos.* Eadem omnino legatio est, quam sanctæ piæque animæ ad mundum, Principem illum Amorrhæorum semper iam inde ab initio misere, per mundum eiusque spacia nonnisi transitum postulantes: Tua nobis liceat venia, ô munde, agros tuos transire; transitum solum à te postulamus; vineas tuas non vastabimus, nec agros, non gustabimus ex aquis voluptatum tua-

tuarum: at via regia ambulabimus, vt viatores & peregrini, non prius quiescentes quam terminos tuos transiuerimus. An non hæc sufficiant, ad mundi contemptum animis nostris ingerendum, eiusque voluptates & delitias vili pendendas? Addam & alia.

*Num. 11.* Quadraginta annis in deserto Hebræi habitarunt, nullas sibi vestes adaptantes, aut vllas domos ædificantes, nullarum rerũ curam assumentes; sciebant nimirum, solitudinem habitacula firma nequaquam esse, sed ea illa propediem sibi emigrandum. Quin etiam Ioseph Patriarcha, ipsis nonaginta quatuor, quibus Ægypti moderatus est habenas, annis, (sexdecim enim annorum erat cum à fratribus diuenderetur, atq; anno centesimo decimo mortuus est, nullas legitur possessiones, licet fortuna lætior arrideret, coemisse, aut vllas filiis in Ægypto facultates reliquisse. Præsagiebat enim magnus ille vir, fore aliquando tempus, cum populo Israel Ægypto emigrandum foret: tum vero edocere volebat, non esse in Ægypto mundi huius stabiles rerum sedes figendas, è quo tandem aliquando etiam inuitis abeundum est, & in quo vix triginta, aut quadraginta, ad summum octoginta annis habitare dabitur, extra quem in perpetuas æternitates viuemus. Hæc sunt quæ nobis per Festum Tabernaculorum designantur: quod vt missum faciamus iam tempus est, & ita ad reliquam Euangelii nostri partem properemus, vt vanam gloriam detegamus, eamque fugiendam doceamus.

Cum itaq; Festum hoc appropinquaret, efflagitarunt ab eo fratres & cognati, vt ad solemnitatem hanc accederet, miraculoque aliquo edito omnes in admirationem sui mortales excitaret, Euangelii contextus hic est: *Dixerunt ergo fratres eius ad eum, Transi hinc & vade in Iudæam; vt & discipuli tui videant opera quæ tu facis: manifesta te mundo.* Ecce insolentem Apostolorum ambitionem, atq; vanam gloriæ tentationem: videte hîc ad viuum expressum, quod mundus, caro, diabolus nobis quotidie inclamant & suggerunt, dicentes, Auferas te hinc, ô homo, simplicitatem hanc morum exue, paupertatem desere, negotiis & curis sæcularibus te implica, aulam consectare, diuitiis coacernandis inuigila, ac manifesta te mundo. Fuit hæc eadem suggestio matris filiorum Zebedæi, quando suasu eius vterque ad honores & dignitates aspirauit, áque Christo Domino ambo petierunt, eos vt manifestaret.

Mirum profecto est ac consideratione dignum, vt parentes filiorum exitii, vt plurimum, causa existant: vnde non immerito Dominus dixisse mihi videtur: *Inimici hominis domestici eius.* Video namq; Cain mortis fraternæ causam existere: video ab Ismaele Isaac deprauari & corrumpi, adque idolorum cultum sensim perduci: video Esau barbarum & horridum aduersus Iacob arma capere, & perpetuis cum eo odiis decertare: video denique Ioseph um à fratribus diuendi, & Dominum Iesum Christum à cognatis & fratribus ad vanæ gloriæ cupiditatem ambitionemq; exstimulari, dicentibus: *Manifesta te mundo.* Parentes sunt vt plurimũ filiis exitii causa. *Matt. 7. Genes. 4. Gen. 37.*

O cæci! ô stolidi ac consilii egentes! quem alloqui vos putatis, cum Redemptori meo de vana gloria verba facitis, cum honores & ostentationem ei proponitis? an nescitis, ipsum diabolum de victoria desperantem confusione plenum & ignominia, depositis armis victum recessisse, cum omnia illi mundi regna offerret, vt vel leui vanæ gloriæ flabro se afflari sineret? An nescitis eum hæc omnia reputasse vt stercora, honores calcasse, aliudque nihil spirasse quam humilitatem, nihil adeo fuisse exosum quam superbiam & iactantiam? vnde de eo scriptum est, *Humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* *Matt. 4.*

Et sane Moses maluit inops & miser cum populo Dei viuere, quam aulam Pharaonis Regis incolere, ac filius Reginæ, quæ eum adoptauerat appellari. Christus quoq; Dominus noster maluit contemptus & in ignominia viuere & cum opprobrio, & humilitate, atque ærumnis saturatus pro nobis in cruce mori, quam filii Dei nomine insigniri, atque ab Angelis cœlesti in habitaculo veluti Deus coli & adorari. Ipse namq; est humilis ille Mardochæus, qui prius gloriæ Allegoria. *Exod. 2.* *Esth. 5.*

veſtem, ac purpuram regiam noluit induere, quam Satan Aman noſter ſit condemnatus ac ſuſpenſus, & omnis Iudæorum populus, natura inquam humana, mortis ſententia reuocata, exitio & periculo ereptus. Ipſe eſt quoque paruus ille Dauid, qui prius armis ſeſe regiis noluit circumdare, quam Goliadas fuiſſet iugulatus.

*2. Reg. 12.*

III. Dominus Ieſus vanæ gloriæ sẽper inimicus exſtitit.

Nolite igitur dicere amplius, *Manifeſta temundo.* Ipſe quippe eſt, qui ſeè manibus Iudæorum ſubduxit, cum regem eum conſtituere vellent. Scitis etiam omnes hunc ipſum eſſe, qui cum cæco lumen oculorum reſtituiſſet, quo laudem vulgi ſubterfugeret, cæco præcepit vt nemini diceret, audiuiſtis etiam omnes & adfuiſtis cum diceret,

*Ioan. 8.*

*Ego gloriam meam non quæro*: quo dicto verum ſe oſtentationis hoſtem demonſtrabat. Recordemini, quæſo, quid in paſſione Domini acciderit: obſeruatione namq; dignum eſt. Cum iniquus iudex Pilatus hanc cruci inſcriptionem adderet, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, ſtatim Dominus caput inclinauit, quaſi oblatos ſibi honores repudiaret, & regios titulos contemneret; oſtendere ſcilicet volens, ſe morientem, vti & viuentem honores ſubterfugere, & eadem ſeſe ratione tam in morte quam in vita, velle procedere.

Inſignis cõceptus.

Inſignis cõceptus.

Quamobrem ô vos omnes, qui inanes mundi delitias voluptatesque conſectamini, fugite obſecro, Ieſum Redemptorem æmulando, gloriam popularem, & inanis laudis oſtentationem, ne ſapiant amplius opera veſtra inanitatem & fucum; at rediat vobis in memoriam, quomodo Deus olim, cum gloriam ſuam demonſtrare vellet, populum ad montem accedere prohibuerit, nullus vt eiuſdem gloriæ, præter vnicum Moſem, teſtis eſſet: *Cauete ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis namque qui tetigerit montem, morte morietur.*

*Exod. 19.*

Egregium profecto myſterium! quo edocemur, meritorum gloriam non in oculis hominum collocandam, ſed hoc vnum ſpectandum, vt Deum inſpectorem habeant & contemplatorem. Vnde dicitur: *Pater veſter qui videt in abſcondito, reddet vobis.* Quin etiam Dominus noſter Ieſus, in die transfigurationis ſuæ, gloriam ſuam non niſi tribus Apoſtolis manifeſtauit, quibus & ſingulari deinde ratione interdixit, ne cui, niſi à reſurrectione, viſionem illam manifeſtarent: at paſſionem ſuam & mortem illam ignominioſiſſimam, toti mundo manifeſtam voluit. Iterum hinc diſcere poſſumus, omnia merita operaque cum virtute tranſacta, eſſe occultanda, ſed imperfectiones, vitiaque & quicquid eo demum ſpectat, omnibus omnino mortalibus eſſe patefacienda, & detegenda.

Quid cauſæ fuiſſe putatis, ô contemplatiui, vt Dominus in ſtabulo naſci, & in præſepio ſuper vile fœnum voluerit reclinari? vt ſcilicet gloriæ ſeſe contemptorem & hoſtem demonſtraret: ſciebat namque Magos ex oriente venturos muneraque adorantes, oblaturos; ſciebat paſtores Iudææ montibus eo aduolaturos; & omnes omnino homines, ſi in ciuitate Ieroſolymitana fuiſſet editus, eodem, vt obſequium & cultum regi nato offerrent, properaturos. Quãobrem vt hæc omnia declinaret, omnemque inanis gloriæ radicem præſcinderet, obſcuro loco voluit deliteſcere, inque ignoto ſtabulo naſci. Audite & alium conceptum. Statim ac Dominus à Ioanne baptizatus fuerat, & Pater cœleſtis voce de cælo delapſa intonuerat, *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*, omnem hanc gloriam & ſublimes honorum titulos perosus, deſertum petiit & procul ab hominum conſpectu conſortioque in ſolitudine voluit deliteſcere. Quibus omnibus edocemur, omnem gloriam, plauſibiles populi ſalutationes, ſublimes honorum titulos, fumoſaque nomina eſſe euitanda ac deteſtanda.

Mundi vanitas detegitur.

*Eſth. 2.*

Noli igitur amplius auribus meis inſuſurrare, ô munde; *Manifeſta te mundo*: hoc tuum potius eſt facere, hæ tuæ ſunt partes, impoſtor, fallax, ſuperbe; tuum eſt inanias captare, & ad vocem populi pulſumq; commoueri. Tu ſcilicet es magnus & ſuperbus ille Aſſuerus, qui magnifico inſtructo conuiuio omnes Principes & Satrapas ſub imperio conſtitutus inuitauit, vt magnitudinem, ſplendorem, ac diuitias regni, atque iactantiam potentiæ oſtentaret. Tu quoq; ſimilis

similis Naamani illi Syro, qui opes quidem & munera iustis viris Elisæis offers, sed le-
4. Reg. 5. pra coopertus es. Quid amplius de te dicam, ô perfide & immunde munde? Non erraue-
ro, si te regi Ezechiæ similem dixero, qui thesauros tuos & opes Babyloniis, hoc est, peccatoribus, manifestas. Porro si sapimus, Auditores, omnem hunc mundum cum suo mundo, cum ambitione & vana gloria relinquamus, & subtiliores adhuc conceptus proferamus.

Egregius ac sublimis conceptus.

Fratres hi Domini, qui ab eo, vt se mundo manifestet, efflagitant, ipsi sunt Angeli, & sancti patres, qui iam ab ipso mundi primordio nunquam non dixerunt; hi in cœlestibus, illi in infernis constituti: *Transi hinc*, cœlos relinque, *& vade in Iudæam*; in terram descende, *manifesta te mundo*, humanam naturam assume, cum hominibus versare vt homo. Audite, vti eum Psalmographus ad hoc inuitarit dicens: *Ostende faciem tuam & salui erimus*: quasi diceret: *Manifesta te mundo*. Quod vobis ad oculum in figuræ inuolucris expressum dabo.

Figura. 2. Reg. 19.

Cum Absalom fusus fugatusq; esset, Dauid mœrore confectus, in tenebris & luctu sedebat, omnibus regni negotiis neglectis; ad quem Ioab dux militiæ, & omnes principes Israel accedentes, hac eum oratione aggressi sunt: *Ostendisti hodie quia non duras de ducibus tuis, & de seruis tuis: nunc igitur surge & procede, & alloquens satisfac seruis tuis. Iuro enim tibi per Dominum, quod si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecum nocte hac.* Eheu! post miseram illam refractarii & cõtumacis Absolomi, generis, inquam, humani, stragem, cum Verbum Patris indignatione commotum esset, duces illi cœlestium legionum, Angeli scilicet & sancti, his eum quotidie verbis compellabant: Quid agis Domine, quid ô Verbum ad mundi redemptionem prædestinatum? anne ita duces tuos & legiones negliges? semperne creaturarum obliuiscêris? surge, egredere, mundo collabenti succurre, manifesta te mundo, humanam naturam indue, omnia alioquin pessum ibunt; fac vt te mundus cognoscat, neue dicat, quod olim dixit Pha-
Exod. 5. rao: *Dominum non cognosco, & Israel non dimittam.* Mundo igitur te manifesta; nam, vt Isaias loquitur; *Deus Israel Deus absconditus*: ipse nempe thesaurus est in naturæ agro absconditus, quem qui inuenit homo, vadit & vendit vniuersa quæ habet, vt eum possideat & consequatur. Esa. 45.

Quamobrem Domine manifesta te mundo; quod toties iam fecisti: in sublimi namq; omnium rerum creationis opere bonitatem tuam manifestasti; in diluuio adducendo, iustitiam, in prudenti omnium rerum & totius vniuersi directione & moderamine, prouidentiam tuam singularem; in mysterio redemptionis humanæ, immensam tuam misericordiam. Egregiæ profecto & diuinæ manifestationes. Anne igitur adhuc necesse est, Domine, mũdo vt te manifestes? Etiam Domine, iudiciorum tuorum rigorem seueritatemque iustitiæ demonstrando, manifestà te peccatoribus, & ostende te eum esse, qui odisti omnes qui operantur iniquitatem. Ante omnia vero Domine, manifesta te animabus nostris, ostende scilicet, te vnicam earum beatitudinem esse, summum earum bonum, & omnia: & concede, vt quemadmodum ipse præiuisti, omnem inanem fastum conculcantes, & inanẽ gloriam fastidientes, omnem si quam adipiscantur gloriam, ad te referant, teq; hoc in mundo agnoscant, ac tandem aliquando in æterna beatitudine, cum cœlesti illo exercitu, iucundissime tibi accinere mereantur, *Soli Deo honor & gloria.*

## FERIA IV. POST DOMIN. PASSIONIS.

Partitio.

*I. De verbi Dei efficacia.*
*II. De Pastore.*
*III. De vocis pastoralis audientia.*
*IV. De vi verbi auditi.*

*Oues meæ vocem meam audiunt.* Ioan. 10.

FIGVRA.

CVM magnus ille Patriarcha Isaac (ille inquam qui olim ligna, quibus combu- Gen. 27.

rendus fuerat, immolandus à patre super montem humeris suis gestauerat) benedictionem filiis suis elargiri vellet, vt Iacob loquentem audiuit, eius vocem statim sub ementito licet habitu agnouit. Qui rem ꝓpius inspexerit, idem omnino in Euangelio hodierno reperiet, ac similes penitus circumstantias. Videbit namque hic alterum Isaac (qui ad montem Caluariæ immolandus deductus est, & quidem ponderosa illa cruce, in quam agendus erat, grauatus) aperte hodierna die profitentem se oues è voce agnoscere, & se quoque vicissim ab omnibus ex eadem voce agnosci; *Oues meæ vocem meam audiunt*: De hac hodie voce, mea vox loquetur, modo eam cœlum efformet, & linguam Spiritus sanctus qui linguas infantium facit disertas, eloquentem reddat; & modo Virgo Deipara precibus suis atque intercessionibus succurrat. Quapropter recitemus supplices.

## AVE MARIA.

Apophthegma Pyrrhi.

Epirotarum ille Rex Pyrrhus, Auditores, dicere sæpenumero solebat, plures regno suo vrbes & oppida Cyneæ Oratoris eloquentia; quam armis & bellica industria, accessisse: plusque sese linguæ eius, quam militum dextris deferre debere. Quod Rex hic in laudem eloquentiæ, id nos non immerito in diuini verbi laudem dicere poterimus: ac manifeste profiteri, plures animas ad Deum suaui verbi Dei prædicatione, quã violenta armorum potentia & bellico robore esse conuersas.

Quare agite, Apostoli dicite nobis sincere, quibus potissimum armis, non dico vrbes aliquot, sed vniuersum terrarum orbem expugnaueritis? an non prædicatione verbi diuini? nam *in omnem terram exiuit sonus eorum*. Hæ sunt nimirum balistæ & bombardæ, quæ totum mundum expugnarunt, ac violenter subiecerunt.

*Psal. 18.*

Euidentem huiusce rei figuram in libro Iosuæ animaduerto. Vix namque tubæ sacerdotales circum muros vrbis Ierichuntinæ clangere cœperunt; quin statim concide-

*Iosu. 6.* Figura.

rint, & ad terram collapsi sint. Designabat hoc, quamprimum vt Apostoli, Sacerdotum Principes, & verbi Dei tubæ, insonare inciperent, infidelitatis tenebras, idololatrias, obstinationem, quæ mundo instar vallorum & propugnaculorum erant, euertenda, & ad terram prosternenda. Significabat etiã, ô præcones verbi Dei ac tubæ Euangelicæ, vos vix circa muros Ierichuntinos, corda scilicet offirmata, & peruicaces peccatorum animos strepere incipere; quin statim omnia peccatorum propugnacula & valla concidant, & ad terram deiiciantur. Hoc ipsum respexit Deus, cum Mosi & Aaroni præcepit, vt ad petram tantum loquerentur, quæ ad primum eorum mandatum largissimos aquarum fontes & copiosas scaturigines esset editura: *Loquimini ad petram & dabit vobis aquas*. Verum cum Moses verbis Domini diffideret, & vltra præceptum virgam quin etiam adhiberet, grauiter à Deo veluti incredulus castigatus fuit. Edocere quippe eum volebat Deus, & in ipso nos omnes, sola verba plus virium, ad aquas è petra, lacrymas scilicet ex obdurati peccatoris oculis, eliciendas habere, quam baculum & omnem violentiam. Testatus id est Psalmista: *Vox Domini in virtute, vox Domini confringentis cedros*, ac veluti tonitru omnia concutientis.

*Num. 20.* Allegoria.

*Psal. 18.*

Et sane tonitru ipsum, vti quotidiana experientia constat, sæpius abortum producit & fœtum in vtero materno, subtili vi sua, occultissima quæque penetrante, enecat. Ipsum quoq; verbum Dei tonitru reuera dici poterit, quod peccatrices animas aboriri facit, & scelerata peccatorum monstra, pestilentes s. fœtus, suffocat & enecat. Tradunt quin etiam rerum naturalium scriptores, ceruam non nisi cælo tonante fœtus posse edere: natura enim occulta quadam ratione per terribiles illos fragores cælique boatus perterrefacta meatus occultos aperit, viamque fœtui ad egrediendum parato patefacit, quem alioquin vtero materno inclusum emori oporteret. Animæ peccantium ceruæ pauidæ sunt, quæ sanctam conuersionem, nisi tonitruo verbi Dei auxiliante, parere nequeunt. An non hoc ipsum est, quo

Cõceptus è naturæ penetralibus petitus.

Psal.118. est, quo vates ille regius respexit dicens: *Lex* dal. 19. *Domini immaculata conuertens animas.*

Quis enim te, ô Paule, tam repente tamque breui temporis spatio commutauit? & è crudeli Ecclesiæ persecutore, qui non nisi sanguinem, cædem, & mortem discipulorum Domini spirabas; tam feruentem tamque æmulantem verbi Domini præconem reddidit, nisi prodigiosa illa & ingens efficacia verbi Dei? Quis te ô Magdalena, tam subito, ex fœmina impudica, lasciua, libidinum propudio ac prostibulo; in verum humilitatis, modestiæ, continentiæ ac pudicitiæ exemplar conuertit, nisi admirabilis & efficax illa vox? Quis vos, ô Apostoli, impulit, vt maria, retia, nauigia, piscatum relinqueretis, & sequeremini, nisi ingens illa verbi diuini vis? Egregiam hac de re historiam de Serapione Anachoreta legimus: hic enim cum plena hyeme, acerrimo frigore sæuiente, seminudus per agros discurreret, sacra bibliorum volumina gestans; & interrogaretur, quis ita eum expoliasset; digito in biblia protenso, hoc me, inquit, volumen spoliauit. Quo dicto aliud nihil insinuare volebat quam sacram Domini doctrinam, tantũ in se roboris exseruisse, vt eius vi permotus mundum deseruerit, & omnibus sese rebus, etiam vestimentis, nudauerit.

Insignis historia de Serapione Anachoreta.

Num. 20. Allegoria.

Psal. 17.

Varia verbi Dei nomina in sacris litteris.

O sanctum ac vere diuinum verbum & penitus admirabile, nescit profecto S. Scriptura, quibus te nominibus compellet; quibus te honorum titulis & encomiis exornet: modo te ignitum eloquium & ignem eloquentem nuncupat: *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Excitat enim in anima flammas amoris, & ignem succendit charitatis. Modo malleum petras durissimas conterentem, comminuentem & effringentem, eo q animos obstinatissimos, & in peccatis flagitiisq; obduratos emolliat ac frangat; hinc Ieremi. 23. Prophetæ: *Malleus conterens petras.* Apostolus vero gladio ancipiti id comparauit: *Omni gladio ancipiti penetrabilius*: nam ad vsq; cor & intimos animi recessus pertingit, & Psal.118. interiora pectoris dissecat. Vates vero regius, lucernæ ac faci: *Luserna pedibus meis verbum tuum*: dirigit id enim gressus nostros per semitam salutis ac tenebras ignorantiæ in anima dispellit. S. Matthæus autem nouo id nomine indigitat animæque pabulum appellare non dubitat: *Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo quod procedit de ore Dei.* Idipsum denique vox est, per quam Dominus oues, & eum oues agnoscunt: *Oues meæ vocem meam audiunt.* De hac igitur voce, deque ouibus hisce ad vos hodierna die verba faciam. Matt. 4.

Inter omnia, quæ in sacris litteris, Saluatori data nomina legimus, ipsum Pastoris, meo quidem iudicio, vsitatissimum est; hoc namque nomen est, quo se ipse nominauit, dicens; *Ego sum pastor bonus.* Et sane nullum est, quod magis ei proprium sit, magisque conueniat. Ipse enim verus ille & bonus pastor est, cuius typum apud S. Lucam in parabola de pastore expressum habemus, qui nonaginta nouem ouibus, infinitis scilicet Angelorum millibus in cælo relictis, in hunc miserum mundum descendit; vt vnicam ouiculam perditam, naturam scilicet humanam (quæ in mundi huius deserto perdita erat, & vagabunda errabat) quæreret, & inuentam in que humeros sublatam, ad ouile reportaret. Huc scilicet regius ille prophetes respexit, cum in totius humani generis persona plorans ait: *Erraui sicut ouis quæ periit, quære seruum tuum Domine.* Ioan. 10.

II.

Pastor, cum oues huc illucque dispersas cernit, montem aut locum aliquem editiorem solet conscendere, vt ex eo clamitans ab ouibus intelligatur, & simul videatur. IESVS CHRISTVS verus ille pastor, cum in hunc mundum descendisset, & greges generis humani palantes, & huc illucque dispersos per omnes mũdi angulos vidisset (cũ nimirum aliquæ oues in deserto gentilitatis errarent dispersæ, aliquæ vero in Iudaismo hærerent; cum hæ ad limbum vsque peruenissent, illæ in purgatorio versarentur) vt omnes in vnum coadunaret in montem Caluariæ, & inde in summitatem crucis ascendit, è qua septies, & quidem cum clamore valido clamauit, adeoque vehementi, vt raucedinẽ inde contraxerit, & tandem expirarit. Vnde Matth. *Clamauit Iesus voce magna*: & Psalmista. *Laboraui inclamans*; & Matt. 27. rauca

*rauca facta sunt fauces meæ*; & Luca, *Et clamans voce magna Iesus ait*; *Pater in manus tuas commendo spiritum meum, & hæc dicens expirauit.* O igitur bonum ac verum pastorem!

Luc. 23.

1. Reg. 17.

Dicebat olim Dauid socero Sauli, fortia sua facta commemorans: Domine Rex, cum abhinc aliquot annis greges Isai patris mei in montibus Bethleem pascerem, vrsus & leo inuadebant oues: ego quidem viso oues in discrimine cõstitutas, irruebam in eos, prædaque è faucibus eorum erepta, vtrumque in fugam compuli. Quid? an non generosus ille Dauid, Iesus redemptor noster, extitit: qui cum in his mundi conuallibus greges Patris sui æterni pasceret, & vrsus ille ferox & tartareus leo, rabie ac furore percitus, oues inuasisset, inuasores hosce inuasit, abegit, extinxit, ouesque faucibus eorum eripuit? Quantum igitur debes bono huic pastori ô homo; & quænam tua erga eum ob recepta beneficia est obligatio? qui tantum nimirum laborauit, sudauit, clamauit, vt te quæreret, seruaret, & damno sempiterno eriperet?

Cum Iacob postquam viginti annorum spatio Labano seruit, ingratitudinem eius & inhumanitatem, bono zelo succensus, reprehendisset, dicens: *Per viginti annos in domo tua seruiui tibi, die noctuq; æstu vrgebar & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Sufficere quidem id poterat ad iram Labani sedandam, ad animum eius emolliendum, & perpetuam amicitiam cum genero suo stabiliendam. At si Iacob illi in memoriam reduxisset, quod eius ergo captiuitatem expertus esset, vulnera subiisset, totiesque vitæ discrimen incurrisset; non est dubium, quin longe plus virium expostulationes hæ fuissent habituræ. O homo, ô peccator, respice obsecro, vt bonus ille pastor, ad imitationem Iacob, tecum expostulet, quod triginta tribus annis tibi ministrãdo fuerit obsecutus, quod animam tanta sollicitudine, anxietate, ac fidelitate pauerit, & seruauerit, vt noctes insomnes, vt plurimum, traduxerit, *vigilans sicut passer solitarius in tecto*: fuit ille namque pro te in carcerem coniectus, flagellis subditus, spinis coronatus, cruci affixus; denique pro salute tua in eadem cruce expirauit. Eheu! an non hæc omnia sufficiant, ad cursum tuum sistendum; an non hæc impediant, ne Deum, clementissimum illum pastorem, amplius peccando offendas? Ille namque pastor est, qui hodie ait: *Oues meæ vocem meam audiunt.* At quænam, ô benignissime pastor hæ sunt oues, aut quænam vox illa? Oues, animæ Christianorum sunt, & vox, verbum Dei, vox, inquam, quæ nos quotidie ad viam salutis calcandam, ad vitæ conuersionem, ad lachrymas, ad contritionem, ad pœnitentiam inuitat; vox clamantis in deserto: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*: auferte saxa, & petras peruicaciæ, exscindite vepres illos malitiæ, complanate montes illos superbiæ, diminuite colles illos arrogantiæ, ac vitiorum colluuiem procul remouete: vox, inquam, quæ per Noe omnes nos admonet, vt diluuium iudiciorum Dei euitemus: vox per Angelos prolata, qua, vt è Sodoma nos proripiamus, & ad montes pænitentiæ velut in locum salutis confugiamus admonemur: vox per Ionam denunciata, quæ nobis Dei velle & nolle declarat; instare scilicet perniciem & exitium, nisi prauam vitæ conuersationem quantocyus corrigamus.

Gen. 31.

Luc. 3.

Gen. 6.

Gen. 19.

III. Pauci vocem pastoris huius audiuerunt licet sæpe inclamarit. Ioan. 2.

Verum, ô bone pastor, vbinam sunt modo oues, quæ huic tuæ voci clamitanti auscultent? Clamasti & plorasti iamiam in lucem editus Domine, & *emisisti vocem, similem nobis, plorans*, vt de se Salomon ait: & tamen ad tantum clamorem aliquot solum pastores, & tres Magi excitati sunt, & ad præsepium properarunt. Cum vero iam ad maturiorem ætatem venisses, & vox quoque iam facta esset virilior, & quotidie in templo, in porticu Salomonis inclamares; hic tantum Cananæa aliqua, aut Samaritana, aut Magdalena; illic vero Zachæus, Centurio & Regulus aliquis è somno vitiorum excitati fuere, teque secuti sunt. At omnis Iudæa, & ipsa Ierosolymorum ciuitas vocem tuam non audiuit, sed instar aspidis surdæ obturauit aures suas. Deinde cum iam sublimem illam crucis cathedram conscendisses, è qua ad totum mundum verba salutis dabas, & vocem quam poteras maxime

xime intenderes, nullus omnino præter latronem te clamantem audiuit: ipsi Scribæ & Pharisæi, ipse Herodes, totque militum cohortes, licet sub cruce starent, ne vllũ tamen verbum percipere potuerunt. Adhæc post mortem quoque tuam, toties tamque vehementer clamasti, & vocem intendisti, & quotidie quin etiam clamas, & vocem monendo castigandoque intendis. at nemo tibi auscultat, verbum tuum negligitur, nemo aures aut animum accommodare curat.

Esa.53. Hoc ipsum scilicet Isaias olim conquestus est, dicens: *Domine quis credidit auditui nostro*; id est, quis obediuit? quæ verba D. Paulus 10. ad Roman. cap. etiam vsurpauit. An enim ij, vestro iudicio verbum Dei audire, vocem pastoris agnoscere Euangelioque obedire dicendi sunt, qui, cum quotidie de terrore iudicij, de mortis horrore, de tartari supplicijs, de diuina iustitia, de pœnis scelerate viuentibus destinatis, deque reddenda vitæ ratione, concionatores loqui audiunt, simulque intelligunt ob vnicum lethale peccatum æternam damnationem esse subeundã; interea tamen non conuertuntur, nec vitam in melius commutant, ac non magis permouentur, quam si aniles fabulas, aut senum delitia in cathedra audirent enarrari!

Verum enimvero intelligatis velim, oues scabiosæ, surdæ, & in peccatis vestris offirmatæ, quæque verbum Dei audire negligitis, vel auditum ad opus non cogitis; hunc à vobis contemptum & negligentiam in extremo iudicio exactum iri, ac propter eadẽ tartari pœnis vos mancipandos. Moses enim cum legum volumen populo prælegisset, Leuitis idipsum in manus consignauit, vt magna diligentia, & sollicitudine in Arca Testamenti repositum, seruaretur, *vt sit*, Deut.53. inquit, *tibi contra te in testimonium*. Quid ais Moses? quanam ratione fieri posse credam, vt ingens illud legis acceptæ beneficium, quod tantopere in sacris literis exaltatur & deprædicatur, mihi in iudicium cedat? cur asseruari præcipis, vt sit mihi in testimoniũ cõdemnationis? Recte quidem: nam quemadmodum lex piis & spiritualibus, ingentis beneficij loco habenda est, eam nimirum obseruantibus, & ad vnguem seruantibus: ita eadem negligentibus & conculcantibus, scandalum est, ac iudicium. Ne porro mirum vobis videatur, hoc Moysem de lege locutum esse modo; scire vos velim, eadem de Iesu Christo & Isaiam locutum lapidem eum fundamentalem nominando, & simul petram scandali; hoc quidem nomine propter improbos, illo vero propter iustos. Isai.8.

IV.

Ac veluti augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, supereminens donum est, & omne transcendens donum, & cui par nihil existat, illius tamen naturæ est, vt indigne sumentibus & accedentibus mortem afferat animæque sempiternam damnationem arcessat. Ad eundem quoque modum verbum Dei, diligenter ac pie auscultantibus animabus, vita est & pabulum, eo vero se indignos præbentibus mors & iudicium. At ne noua vobis hæc & inaudita comparatio videatur, sciendum est, eam ex horto sancti Augustini celeberrimi Ecclesiæ Doctoris esse petitam, qui eandem vsurpans, etiam dicere audet: *Interrogo vos fratres, quid plus videtur vobis corpus Christi, an verbum Christi?* ac tandem concludens ait, eum nõ minoris peccati reum esse, qui verbum Dei contemnit ac negligit, quam qui pretiosum Christi corpus pedibus proculcat ac proterit. Horresco referens, Quid, Augustine, an hæc scribere non es veritus: anne eius reuera opinionis fuisti? Fuit, Auditores, fuit, neue vnquam, vti cetera, in quibus scribendo peccauit, retractauit, quin etiam hæc eadem sententia in Decretorum volumen à Patribus S. Romanæ Ecclesiæ consensu, relata est. Hoc igitur tecum perpendas velim, ô Concionum osor & verbi Dei Timon. August. l. 50. hom. 15. & habetur in decre. h. cap. Interrog.

Proponite, obsecro, vobis ob oculos, qui verbum Dei rarius aut nunquam auditis, quam grauiter Deum offendatis; tanta enim vestra culpa est & peccatum, quanta maiestas & potentia eius, quem contemnitis. Vnde Diuus Gregorius in quodam Dialogorum loco ait, *Verbo Dei peccatores conuertere, maius est miraculum, quam mortuos carne* S.Greg.

*fuscitare*. Et sane quemadmodum animæ corpora ipsa longis interuallis antecellunt; ita quoque animarum resurrectio multo mihi videtur admirabilior, quam corporis. Quantum igitur, eheu! vestrum est peccatum, quando verbum hoc contemnitis & vilipendeis, nec id cum debita reuerentia, ac prout par est, auditis? Audite quomodo vestrum hoc delictum, aureum illud eloquentiæ flumen, cuius ab ore melle dulcior fluxit sermo, in humilijs exaggeret: *Regia* inquit *litera non leguntur in Senatu, nisi cum magna omnium attentione ac silentio: quid ergo cœlestis regis litera, in medio Ecclesiæ?* an non igitur totum orbem par est præ reuerentia contremiscere, & ad verbi tanti regis humiliter inclinari, ac subiici?

*Chrysost. in Matth.*

Quibus nos verbis magnus ille Doctor voluit edocere, Euangelium, verbum Dei, & sanctam eiusdem prædicationem, non esse aliud quam literas quasdam à magno illo regum rege cœlitus missas, quibus homines reddere vult certiores, quid in cœlesti regione inter Angelos agatur. Primus tabellarius ac literarum harum baiulus fuit Filius Dei vnigenitus; cæteri vero concionatores sub eo constituti, velut caput eum & Principem agnoscunt: vnde ipse de se in Euangelio, ait: *sicut misit me viuens Pater, & ego mitto vos.*

Qua igitur attentione, qua reuerentia, quo silentio literæ illæ, & nuntia accipienda sunt, & sane quicunque audire negligit, se inter Christi Ioues numerari nolle ostendit. Neque enim ille suaui mariti nomen meretur, sed marmore durior & præfractior dici potest, qui in regione longinqua constitutus, in eaque moras longiores trahens, vxoris, filiorumque domi relictorum nunquam meminit, deque iis minime sollicitus est, nullam deinde amicorum, patriæ, loci que natalis memoriam habet, ac vix de iis certior reddi cupit. An non ille aliorsum amorem suum conuertisse dicendus foret, aut animum erga patriam, amicos, & suos penitus exuisse, omnemque de reditu cogitationem deposuisse? Eheu, Auditores, ecce peregrinamur hic in terra aliena, in loco exilii, & lachrymarum valle, in qua interdum ad triginta, quadraginta, sexaginta, & ad summum octoginta annis hæremus: cœlum vero nostra est patria, in qua sponsus noster Iesus Christus commoratur, in qua omnis nostra facultas & hæreditas, ipsa inquam cœlestis beatitudo, sita est; in qua nostri sunt fratres, Angeli nimirum & sancti Dei. Quicunque igitur ad hanc patriam non anhelat, de ea non inquirit, neu de mediis, quibus ad eam reuerti liceat, neue de iis quæ illic peragantur certior reddi desiderat; quicunque de ea non est sollicitus, neue voluptatem capit audiendis ijs, quæ ibidem fiunt; euidenter ostendit se illicito quodam amore teneri, & certissimum id argumentū est, hunc erga mundum affici, ac difficulter admodum ab eo posse diuelli.

Insignis similitudo.

Hebræi cum captiui in Babylonem adducti essent, quotiescunque iucundissima patriæ memoria animum subibat, statim in lachrimas resoluebantur, ac triste suum exilium deplorabant, dicentes: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Ad eundem modum pii & spirituales quotiescunque de patria cœlesti loqui intelligunt, continere nequeunt lachrymas sed penitus in fletum effunduntur. *Psal. 136.*

Addo adhæc certissimum esse damnationis argumentum & reprobationis indicium, quo nullum certius esse queat, sanctum Dei verbum negligere; *Beati enim qui audiunt verbum Dei*: & cum contrariorum contraria sint consequentia, iuxta Philosophos, facile inde consequitur, *Maledicti, qui non audiunt verbum Dei.*

Similit.

Pisces an recentes sint ex auribus & branchiis colligi solet: si enim aures puteant, aut colorem mutarint, signum est piscem putrescere; si vero recentes sint & viuidæ, sequitur certissime, piscem quoque recentem esse. Ad eundem quoque modum DEVM piscium suorum bonitatem aut corruptionem ex auribus explorat; quare cum viderimus aliquem, qui verbo DEI non capitur, conciones rarius frequentat, ac easdem potius fastidit, aures

eum

Inculentus conceptus.

eum fœtidas habere certum est. Et hoc ipsum corruptionis indicium est, & euidens reprobationis, & damnationis argumentum. E contra vero cum viderimus aliquos è verbi diuini auditu voluptatem capere, signum certissimum est, aures eius bonas esse & bene affectas, è quibus auribus de eiusdem etiam prædestinatione manifeste iudicare possumus. Audite vero, quid in lege scriptum sit, *qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.*

Et quoniam de legibus mentio incidit, solemne est in iure ciuili, furem in flagranti delicto repertum, prima vice ad flagra condemnare; secunda eidem aurem præscindere; si deinde iterum alicuius delicti reus in iudicum manus inciderit, morte afficere. Eadem prorsus iudici nostro cœlesti agendi ratio est. Quando enim in primum peccatum incidimus, quamprimum nos vestibus gratiæ exuit, & conscientiæ rodentis flagellis reuera castigat, *nam multa flagella peccatoris*; Sed ad secundum & tertium delictum aures nobis præciduntur, adeo vt Verbum Dei audire nobis graue sit, ac nauseam quodammodo pariat; quin etiam omnem rerum diuinarum gustum, sensum & peccati dolorem amittamus, atque instar puerorum, omnium rerum negligentes, denique nullo solliciti viuamus; vt Prou.18. non immerito Sapiens dixisse visus sit: *Peccator, cum in profundum venerit, contemnit.* Huiusmodi igitur contemptor & peccator, cum aures præcisas habeat, quid aliud ei præter restem, præter crucem, mortem, & æternam damnationem expectandum est?

Leu.24. Vetuit olim Deus in lege veteri, ne quis ei victimam decurtatis auribus offertet, maxime ex voto: *Bouem & ouem aure & cauda amputatis voluntarie offerre potes, votum autem exiu solui non potest.* Egregia profecto cærimonia, & insignis figura, qua edocemur, Deum non delectari animabus, quæ aures truncatas habeant, id est, quæ verbo Dei audiendo non delectantur.

Exod.21. & Deuter. 15. In eadem lege cautum erat, vt seruus pretio emptus, cum iam elapso seruitutis septennio, libertati restituendus, ob Domini sui amorem manu mitti detrectabat, ac seruituti libertatem postponebat; aure subula perforata, ad postem ostij domini sui affigeretur, & hac ratione se ei in perpetuum seruum traderet. Obscuræ sane sunt hæ ceremoniæ, sed sub mysterio sensu designare volebant, peccatorem, qui peccato sese velut mancipium subdendo, diabolum pro Domino agnoscit; si libertatem Euangelicam ei in verbi diuini prædicatione oblatam repudiat, vt per baptismum & pœnitentiam liberatus à lege peccati, iam non sit amplius sub peccato, neque sub lege, sed sub gratia; sed è contra in captiuitate & seruitute perseuerare proponit, tamque plagoso & crudeli Domino semper seruire instar mancipii desiderat, concupiscentias & prauos animi affectus sequendo, hunc ipsum inquam, perforatas aures habere, easque ad verbum Dei audiendum prorsus inepras reddi, atque hunc diaboli seruum in perpetuum constitui, id est, æternæ damnationi destinatum viuere. Solæ igitur oues Christi diuinam eius vocem audiunt; vnde euidenter & liquido colligere datur, solas eas ad gloriam esse prædestinatas.

Si vero vos, ô peccatores, sciretis, quanta verbi huius vis sit & efficacia, omnia profecto desereretis, quo id audire possitis. Audio namque Dauidem exclamantem: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super* 3 Reg.10. *mel & fauum ori meo!* Video Reginam Sabæorum, audita celebri illa Salomonis sapientia, sensibus destitutam extra se rapi. Obstupesco Magdalenam, quæ prius vile mundi mancipium fuerat, cum eam ad pedes Saluatoris, magni illius Ecclesiæ, sedentem, omnium delitiarum voluptatumque priorum penitus oblitam, ac solo diuinorum eloquiorum nectare inebriatam contemplor. Proponite, quæso, vobis ob oculos milites illos & centuriones, à Synagoga Ioan.7. ad Dominum comprehendendum missos: qui statim vt eum loquentem audiuere, attoniti & stupore defixi re infecta ad suos reuertentes, propalam in ciuitate de eo testati sunt, nullum vnquam mortalium sic tan-

tantaque energia locutum esse. Iterum itaque vobis inclamo, peccatores, Conciones frequentate, verbum Dei audite, templa huius audiendi causa adite: nihil quippe vobis aut vtilius aut magis ad salutem vestram necessarium dici vel excogitari potest. Hac enim via omnes penè peccatores, etiam obduratissimi, ad salutis semitam peruenerunt.

4. Reg. 23. Imprimis namque Iosias rex, lecto tantum legis volumine, in quo comminationes in legis violatores directas legerat, adeo permotus est, & tactus intrinsecus, vt scisso paludamento regio, diuina sciscitatum oracula miserit, quanam vitam ratione institueret, quod & præstitit: vitam namque suam & simul regni totius administrationem ex voluntatis & legis diuinæ præscripto direxit. S. quoque Antonius Eremita, cum referente Athanasio in templo audiuisset legi: *Vade, vende omnia quæ habes, & sequere me*; ad Dominum à seculo conuersus est, mundiq; vanitatibus relictis ad tantam vitæ puritatem, sanctitatemque peruenit, vt paucos habeam sanctorum quos cum eo conferam. Referunt quoque magnum illud Ecclesiæ decus & columen Augustinum, lectis verbis illis Apostoli: *Non in comessationibus neque luxuriis consistit regnum Dei*, à Manichæorum hæresi esse conuersum; Videtis igitur peccatores, quænam vtilitas ex verbi diuini auditu sequi soleat: de quo bene olim vaticinatus est vates regius: *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis*, ad animos offirmatos à vitiorum calle conuertendos, omnesque ad pœnitentiam alliciendos.

Cum Lex olim in Sinai monte à Deo ferretur, audiri cæperunt tonitrua, venti, fulmina, clangores tubarum, & fragores horrendi: quibus omnibus demonstrabat Deus, legem illam, & eloquia diuina ingentis virtutis & efficaciæ admirabilis futura, mirabilesque effectus productura.

Docti etiã & sapientes adire cõciones debent.

Ante omnes vero velim vos, qui rerum scientia & omnigena doctrina excellitis, ad conciones confluere; semper enim quod discatis audietis: quin etiam plus illæ ad permouendum valent, accedente adhęc voce & gestu dicentis, quam omnis librorum sublimium intra priuatos parietes lectio. Apostolus quidem Paulus optime legis peritus erat, nihilominus à Domino ad Ananiam mittitur, qui diceret, quid eum facere oporteret. Sanctus quoq; Dionysius Areopagita, summus Philosophus, non prius ad plenam veritatis cognitionem pertingere potuit, quam Paulum concionantem audisset. Dauid, licet in Dei lege versatissimus, prius peccatum non agnouit, quam Nathan ei patefecisset. Ipsi quoque Scribæ & Pharisæi, qui legis professores erant, & ad quorum doctrinam omnes vitam instituebant, non grauabantur tamen in desertum se conferre, vt concionantem Ioannem Baptistam audirent. Plures quoque sapientes & rerum periti ex vltimis terræ partibus Ierosolymam confluebant ad audiendam Salomonis sapientiam, qua etiam audita extra se rapiebantur.

Act. 9. Act. 17. Peccatores ad verbi Dei auditionem conuers. Matth. 3.

Atque ex his demonstratum à me luculenter arbitror, quonam affectu & cultu vos erga sanctum illud Dei verbum affici par sit; vestrum erit, ea quæ dicta sunt, facto præstare, vt sitis in concionibus frequentes, in prædicationibus verbi diuini assidui: imitemini Samaritanam, quæ verbis Domini auditis, relicta hydria, non onusta in ciuitatem se contulit, ac Messiam iam venisse euulgauit: & vos statim vt Verbum Dei audieritis, hydriam illam peccatorum relinquite, onus vestrum deponite, & per viam mandatorum Dei currentes, laudes diuinas in hoc mundo concinite: atque ita fiet, vt veras oues Christi dicere queamus.

1. Reg. 19. Ioan. 4.

Et tu ô summe omnium Christianorum, & totius mundi pastor, qui ipsus ille es, de quo in Euangelio dicitur: *Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis*. Tu, inquam, qui vitam tuam superimpendisti, qui in medio crucis pro ouibus mortem acerbissimam subiisti. Vere inquam pastor admirabilis, cui similem mundus nunquam vidit; qui oues tuas è faucibus lupi infernalis eripuisti, & tanta eas solicitudine, iam mille sexcentis annis, in Ecclesiæ tuæ ouili custodis ac protegis: qui denique eas quotidie pretioso corpore tuo, cibo scilicet cœlesti, omnem in se suauitatem habente, nutris & foues; tu inquam, Domine, nos, quibus

Ioan. 10. Psal. 94.

quibus concessum est, esse populum tuum & oues pascuæ tuæ, velut oues agnosce, vt oues conserua; & gratiam nobis elargire, vt semper sanctam vocem tuam audire, eique velut oues morigeræ obsecundare possimus. Præsta etiam, ô bone pastor, vt quando vespera illa ingruerit, qua oues tuas ouili es inclusurus, & ab hœdis sequestraturus, in iudicij scilicet extremi die, in ouium tuarum numero recenseri mereamur; & inter oues locum præstes, & ab hœdis nos sequestres. Effice denique Domine, vt cum te hic in terra bonum Pastorem habuerimus, in cœlesti tandem habitaculo te vt glorificatorem & præmium habeamus. AMEN.

## FERIA V. POST DOMIN. PASSIONIS.

Partitio.

*I. Maturandam esse pœnitentiam.*
*II. Qualis hæc peccatrix fuerit & pœnitens.*
*III. Qualis eius pœnitentia.*
*IV. De lachrymis Magdalenæ.*
*V. De capillis eiusdem.*

*Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix.* Luc. 7.

### FIGVRA.

2. Paral. 9. CVm Regina Saba è longinquis regionibus ad Regem Salomonem, eius auditura sapientiam venisset, & multa ei aromata & auri talenta plurima attulisset; ne forte ingratitudinis rex argueretur, & vt simul magnificentiam & splendorem illi testatum faceret, multo maiora ei munera, cum quibus reginæ dona minime comparanda erant, contulit. Respondet hæc historia quam perfectissime ei quam hodiernum nobis Euangelium repræsentat. Hæc namque omnium peccatorum maxima, ac regina quodammodo, ad verum & pacificum Salomonem, Christum Dominum accedens, ac pretiosa quædam illi offerens vnguenta humaniter admodum ab eo habetur: quin ipse Dominus, ipsa inquam liberalitas, quo magnificentiam suam mũdo testatam faceret, multo ei ampliora confert quam acceperat, amorem inquam suum, gratiam, benedictionẽ, omniumque peccatorum remissionem, quæ infinitis partibus vnguentis tuis cariora sunt ô Magdalena. Peccatorii igitur, ô peccatores, de peccatrice loquendum est; aures præbete, ego linguam: sed quoniam imbecillitatis tenuitatisque mihi conscius sum, opem cœlitus aduocare, ac gloriosæ Virginis preces interponere necesse est. Quocirca eam omni humilitate cum Gabriele Archangelo saluremus, recitantes:

AVE MARIA.

I.

Dum filij Israël captiuitate Ægyptia egrederentur, ac iugo seruitutis Pharaonicæ se eximerent; tanta id celeritate peractum est, vt vrgentibus exire Ægyptiis, tempus non suppeteret panem iam semipistum coquendi, nam teste S. Scriptura: *Tulit populus consperſam farinam antequam fermentaretur, & ligans in pallijs posuit super humeros suos.* Sæpius mecum ipse tacitus perpendi, quod nam sub his inuolucris mysterium lateret: at nihil hic aliud designatum puto quam animam, quæ iam diutius sub tyrannico peccati iugo captiua detenta est, statim ac monstri huius deformitatem agnoscit, secumque firmiter statuit, eodem se iugo eximere, & Ægypto egredi, adeo celerem & festinantem in exeundo esse debere, vt rebus ad vitam necessariis neglectis nihil aliud spectet, quam vt celerrime rubrum Sacramentorum mare ingredi, & in desertum pœnitentiæ, velut in locum securitatis fugere queat. Adiungo adhæc, repentinam hanc ex Ægypto egressionem demonstrare, animæ quæ in peccato est, omni ratione connitendum esse, vt è peccato se quantocyus propripiat, & quamprimum ad pœnitentiam non secus atque asylum confugiat. Ad imitationem sc. quatuor illorum animalium, de quibus Ezechiel Propheta, quæ ibant & reuertebantur, ad modum fulguris coruscantis: non aliter namque peccatrices animæ, quæ per hæc animalia designantur, ire è peccato, & Figuræ quibus ostenditur non esse differendam pœnitentiam. *Exod. 12.* *Ezech. 1.*

to, & reuerti, ad gratiam nimirum, adq; pœnitentiam, instar fulguris properare debent, statim sc. absque mora, & sine tergiuersatione vlla.

Cum Deus filios Israël agnum Paschalem festinanter comedere iuberet, & quidem integrum, nihil vt ex eo in crastinum remaneret; aliud nihil hoc mandato voluit innuere, quam omni diligentia salutem nobis procurandam esse, peccatum quantocyus relinquendum, nec conuersionem in crastinum differendam. Nam quemadmodum echinus spinis & aculeis obsitus, quo diutius parere differt, quo & maiores in enitendo dolores & angustias sustinet; crescentibus namque aculeis & partus dolores crescere verisimile est. Non aliter cum peccatore agi putandum est: quo enim diutius sanctam conuersionem & pœnitentiam echinos peccatorum differt parere, quo & maiores in iis pariendis dolores sentit: crescentibus namque spinis & aculeis, crescunt & difficultates, dolores, & remorsus conscientiæ. Magnum illud pœnitentium exemplar Dauid, cognito Siceleg ciuitatem ab Amalecitis esse euersam, & omnes habitatores eius in captiuitatem abductos, à maximo vsque ad minimum, lachrymatus est, & firmiter mox secum statuit illos stricto gladio insequi, & omnem quam abduxerant prædam armata dextra quamprimum repetere: in quo tã prospero vsus est successu, vt omnes hostes profligarit, captiuos redemerit, & vrbis incendium restinxerit; Non vides hîc designari, peccator, quamprimum vt peccata in conscientiæ tuæ opido ignem concupiscentiæ excitarint, gratias deprædata sint, merita & virtutes captiuas abduxerint; si post clamores & eiulatus in confessione effusos, postque lachrymas contritionis, inimicos tuos, peccata inquam, tua, confestim persequaris, eos te haud dubie omnes profligaturum & internecione deleturum, & vniuersam quam prius amiseras prædam recuperaturum.

Cõceptus naturalis.

1. Reg. 10.

In peccato relinquendo opus est

Si quando igitur agendæ pœnitentiæ animum tibi dederit Deus, eodem ipso momento opus incipiendum est, nec in crastinum differendum. Primo, quoniam anima tunc in extremo discrimine constituta est. Festinato. Videmus namque verbum illud æternum in extrema vitæ necessitate positum, in arbore crucis opem Patris inclamare; Pater tamen, vt humano generi in vltima quoque necessitate constituto, opem ferat, filium deserit. O factum admirabile! ecce & aliud. Vir intrauerat filius prodigus domum paternam, quin statim pater omnibus relictis in eius amplexus ruat, & exclamet: *Cito afferte primam stolam.* Ideo namque ait, *cito*, vt necessitatem indicaret, in qua filius ille versabatur. Secundo vero ideo maturanda conuersio est, & quantocyus è peccato exeundum, propter ingens odium, quo diuina maiestas peccatum prosequitur; quod adeo extremũ est, vt ipsa mortis supplicium subire vltro voluerit, quo peccatum posset intermori. Matth. 27. Luc. 15.

An non ingens vobis odium Sampsonis in Philistæos fuisse videtur, Auditores, quãdo vt vindictam de iisdem sumeret, se ipsum simul ruina oppressit? *Moriatur*, inquit moriens, *anima mea cum Philisthinis.* At longe maius odium fuit filij Dei in ipsum peccatum, adeo vt se cruci affigi sit passus, quo ipsum penitus extingueret, omninoque deleret: quod Apostolus Paulus demiratus ait: *se crucifigi passus est, vt vetus homo noster simul cum eo crucifigeretur.* Quomodo igitur conuersio maturanda est, quomodo festinato opus, vt è peccato quis exeat, vt animæ laboranti succurratur, vt eadem cum Deo reconcilietur? Et sane vt Deus Ezechiæ in extremis agenti succurreret, solem & vmbram in horologio passus est retrocedere, omnium rerum creatarum quodammodo negligens, quas hactenus tanta cura tantaque solicitudine direxerat: adeo vt non tanti totius vniuersi interitum, quanti pii illius Principis vitam feciſſe videatur; & simul maluisse, vt mundi machina fœderibus turbatis & dissolutis pessum iret, quam egregius ille rex è vita discederet: Luculentum profecto exemplum: è quo discere licet animæ salutem omnibus esse rebus præponendum, & omnia potius negligenda, quam vt illa negligatur: cuius rei figuram huc accersam. Iud. 15. Rom. 6. 4. Reg. 20.

Suna-

Insignis figura. 4. Reg. 4.

Sunamitis illa mulier cum filium mortuum cerneret, omnia deserit, familiam relinquit, vt Prophetam Elisæum reperiat, ab eoque vitam filio impetret: cui cum coniux diceret. Non est quod adeo præcipites, neque enim hodie tempus est, *non sunt hodie Kalendæ, neque Sabbatum.* respondit illa, rem maturare cupiens: *Vadam, strauitq; Asinam, & præcepit puero, Propera, nec moram mihi facias in eundo: & hoc age quod præcepi tibi.* O festinantiam & diligentiam singularem! Neue est quod miremini, Auditores, de filii enim salute & vita recuperanda agebatur. Eheu peccator, cum anima peccato mortua est propera ad sacerdotem, velut ad alterum Elisæum festina: & si mundus tibi impedimento esse satagat, dicens. Non hodie confitendi dies aut hora, differas donec Festum aliquod aduenerit, instat iam dies Paschatis, ac tum cum cæteris rite poteris confessionem peragere; dicito deliberate ac constanter, *vadam:* deque conscientia tua constituens, impera seruis tuis, corpori scilicet, & prauis affectibus, vt maturent, nullumque tibi in via procedere gestienti impedimentum afferant.

Sed relictis veteribus hisce figuris, verum hodie pœnitentiæ exemplar nobis proponitur, ac simul demonstratur, quomodo eadem maturanda sit, ac non de die in diem procrastinanda. Videte hic namque peccatricem Magdalenam, quamprimum vt peccatorum fœditatem agnouit, domo se propipientem, ac velut lymphatam ac bacchantium instar per compita & vicos ciuitatis Ierosolymitanæ discurrentem, ad domum Simonis leprosi sese conferentem, animæ suæ medicum indagantem, inuentique, sese ad pedes proiicientem. Historiam Lucas describit: *Rogabat Iesum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo, & ingressus domum Pharisæi, discubuit, & ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, &c.* De hac igitur peccatrice loquendum est, peccatores, sed de peccatrice pœnitentia peccata eluente, aliud hodie non audietis quam suspiria, singultus, lacrymas, contritionem & pœnitentias.

II. Nomen

Mulier hæc ô mulieres, quam Scriptura peccatricis nomine nuncupat, soror fuit Marthæ & Lazari, quem Dominus à mortuis excitarat, Ioan. 11. Habitabat, vt plurimum Ierosolymis, diuitijs affluens, & venustate præcellens: & quoniam duo hæc maxima ad malum irritamenta sunt peccatrix quoque erat; quo eam nomine Euangelista quoque compellat, quod tantundem in Sacris litteris sonat ac meretrix. Cum Bethsabee Dauidis iam in extremis constituti cubiculum esset ingressa, & procidens in genua supplex orasset, vt filius Salomon in regnum paternum succederet, his eum verbis allocuta est: *Ecce Domine mi rex, tu iuraſti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, quod Salomon filius tuus, post te regnaret, & ecce Adonias regnat te ignorante Domine mi rex, in te oculi respiciunt totius Israel, vt iudices eis quis sedere debeat in solio tuo Domine mi rex post te eritque cum dormierit Dominus meus rex cum patribus suis erimus ego & filius tuus peccatores;* ego quidem velut adultera, ille vero vt spurius apud omnes habebitur.

peccatrix in Sacris litteris aliud non significat quam meretrix.

3. Reg. 1.

Simile.

*Erat* igitur, ait Euangelium, *mulier in ciuitate peccatrix.* Imitatur hic Euangelista pictorem; hic enim cum egregiam aliquam imaginem pingere statuit, prius eam carbone rudi quadam Minerua delineat, quam ipsa colorum vmbrarumque lumina adiungat. Ipse quoque Lucas, qui alioquin & arte pictor erat, egregiam illam Magdalenæ pœnitentis tabulam depicturus, vitiorum fuligine primo eam delineat ac denigrat, & vt peccatricem prius eam spectandam proponit quam nitentes illos ac rutilantes virtutum, vehementis, inquam, amoris contritionis, & lacrymarum colores superadiungat. *Erat mulier in ciuitate peccatrix.* Infelix illa mulier, nulla familiæ suæ nobilitatisque ratione habita, omnem pudorem exuta, sui, honorisque diuini oblita, corpus suum vulgauerat, omniumque libidini prostituerat; agebat vitam voluptatibus infamem, multosque Ierosolymæ tum viros, tū adolescentes amoribus suis illaqueatos in exitium secum trahebat, omnique adeo Iudææ scandalo erat.

Quid cogitas Magdalena, itane tui oblita es? non

es? non reputas ipsa tecum antiqua familiæ decora, & nobilitatem domus non attendis? an non vides flagitiorum horum probra turpiora esse magisque infamia in fœmina tanti nominis, tamque illustri, qualem te omnes norunt, quam in plebeia? Maculæ siquidem & labes euidentius apparent in veste serica pertenui, quam in lacerna aliqua canabina: maculæ quoque vitiorum magis eminent & exstant in femina honesto & nobili loco nata, quam in plebeia aut triuiali. Et quemadmodum deliquia Lunæ vt plurimum maiora sunt, & magis pertimescenda, quam exiguæ alicuius stellulæ vix apparentis: ita deliquia honoris & famæ in vita illustris cuiusdam feminæ magis apparent, plusque scandali afferunt quam in simplici & tenui muliercula. Ac veluti rupis quoddam frustum è monte aliquo in imum decidens, multos secum lapillos cadendo trahit: eodem modo cum domina quædam illustri orta familia clarisque natalibus, in abyssos vitiorum libidinisque præceps agitur; multas alias, quæ eius superingruenti violentiæ resistere nequeunt, eadem ruina inuolat necesse est.

Simile.

Cõceptus è Philosophia depromtus.

Tradunt Philosophi, primum mobile, quod quotidie ab Oriente in Occidentem tẽdit, omnes secum sphæras violento impetu trahere, & quodammodo rapere. Equidem ad eundem modum dicere audeam, aliquo magni nominis in peccatum proruente, & recta ad ipsum violento quodam impetu tendente, multos alios ad delictum pertrahi. An non cogitas hæc Magdalena? an non consideras quonam loco agat? nempe in ciuitate sancta Ierusalem, in qua tanta viget religio, in qua leges earumque obseruatio tam exacte traduntur, in qua tot supplicia in pellices & meretrices constituta sunt? quid? itane omnia hæc in auras abiere, vt tui, honorisque tui oblita, tam tetrum facinus committere audeas? facinus inquam quod perpetuam infamiæ notam familiæ inuret, honorem tuum denigrabit, animæ denique tuæ perniciem extremam adferet. Sororem habes adeo piam & sedulam, fratrem virum generosissimum, & omnes adeo amicos nobilitate præstantes: an non hæc omnia te permoueant, ne tãtam ignominiæ maculam familiæ aspergas?

Tria Magdalenam in peccatum traxerunt.

Tria illi potissimum exitii causam exstitisse compertum est, diuitias nimirum pulchritudinem, & vestium luxum, quæ tria ad omnem libidinem viam sternunt. Hinc interrogatus olim Spartanus quidam, quonã supplicio Spartæ adulteri punirentur, respondit: Quomodo Spartæ contingeret adulterium, vbi nullus luxus, nullæ diuitiæ, nulla denique voluptas? Cæsar quoque Augustus, luxum vestium vexillum superbiæ & nidum luxuriæ appellare consueuerat.

Et sane, ô mulieres, ô Magdalenæ peccãtes, omnia illa crinium turrita fastigia, oẽs illi exotici odores & aromata, omnis illa elegantia & ascititius color & ornatus; aliud reuera dici nequeunt quam vexilla mundi, vanitatis insignia, lubricitatis fomites. Enimuero si Magdalenã interrogauero, quanam ad peccandum via progressa sit, equidem affirmare ausim, eam nõ alia quam hac, responsuram.

III. Conuersio Magdalenæ.

Infelix igitur hæc peccatrix, cum diuitius in misero illo peccati statu permansisset, cœlitus inspirata, atque ad scelerum suorũ agnitionem perueniens, firmiter secum statuit, tanta eadem pœnitentia eluere ac redimere, quanto prius eadem scandalo commiserat. Initio igitur à contritione & dolore sumpto, videas eum subito penitus commutari, foras prodire, ac velut in aciem descendere, per plateas anhelantem & suspirantem discurrere, medicum Iesum quæritare, vt omnium veniam peccatorum ab eodem impetret, & medelam languoris infirmitatisque consequatur. Huc accedite peccatores, & videte miseram hanc peccatricem foras velut lymphatam prodeuntem. Vagatur per vrbem furenti similis, vestibusque dilaceratis aera complet singultib. pectus tundit palmis; ora suspiriis, lingua eiulatibus, totum denique corpus pœnitentiæ deseruit. Cernite obsecro illam lamentantem, eiulantem, discinctam, & passis deformem capillis, Pharisæi domum ingredientem; vbi cum Dominum Iesum mensæ accumbentem vidisset, omnis honestatis & pudoris oblita, pedibus eiusdem aduoluitur,

tur, stringit, fouet, amplexatur, eosdem lachrymis irrigat, capillis capitis sui tergit, vnguentis & aromatibus perfundit, ac mille & iterum mille, iisdem oscula imprimit. ô veræ pœnitentiæ indicia, & euidentia ingẽtis doloris argumenta!

Huc adeste mulieres, huc accedite Parisienses, & attẽdite & videte si est dolor, sicut dolor Magdalenæ: perpendite vobiscum vtrum similem contritionem, similem pœnitentiam vmquam videritis, vel fando audieritis. Cogitate, quanto modo odio, quo iam horrore peccata, quæ ita prius complexa fuerat, prosequatur: an non auditis quomodo omnia eiusdem lamentis iam resonent & planctu triclinium circumquaque reboet? an non auditis quomodo pedes Domini osculando ingemiscat, ac dicat: Quid, fierine posse putem huiusmodi me criminum animam ream constituisse. Tene ego offenderim, te inquam Deus meus, tene ego ad iracundiam prouocarim? Quid faciam misera? Cum enim oculos ad te conuerto, contremisco quod in te toties tamque grauiter peccando deliquerim; si in me ipsam eosdem conijcio, dolore excrucior & emorior, cum infelicem animæ meæ statum contemplor. O me igitur prodigam, ô omnium me creaturarum miserrimam & infelicissimam! *Peccaui in cælum & coram te, & iam non sum digna vocari filia tua.* Quo igitur me conuertam? quod iter ingrediar? quo fugiet infelix peccatrix? vtrum ad te mi Saluator? at non est verisimile: tu namque ipsa es puritas & munditia, & ego merum peccatum: tu animas exitio eripis, & ego eãsdem in exitium pertraxi. An igitur ad Patrem illum cœlestem? at nulla ad eum me conferendi est ratio: maior est enim iniquitas mea, quam vt coram eo audeam comparere. Ad cœlum ne igitur? sed occlusus mihi est aditus. Quamobrem ô æterna iustitia, scelerum vindex, ignosce obsecro infortunatæ huic peccatrici, tot criminibus obnoxiæ, tot libidinibus & lubricis actibus infami. Quo igitur *fugiam à facie tua? Si enim ascendero in cœlum tu illic es, si descendero rursus in infernum, ades.*

Oratio Magdal. pœnitẽtis ad Dominum.

*Luc. 15.*

Recipete, ô Magdalena, ad sacros IESV CHRISTI pedes: illi namque sunt locus refrigerii & peccantium omnium asylum. His aduoluere & eosdem stringendo dicito: *Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugii, vt saluum me facias.* non est quippe locus in vniuerso orbe hoc loco tutior. Non fert cœlum refractarios Angelos: paradisus peccatores non recipit, sed eosdem cogit exulare. Terra Chore, Dathan, & Abiron cum tabernaculis suis viuentes dehiscens ad inferos deturbat: aqua totum mundum peccatis inuolutum demergit, & diluuio simul inuoluit. Ignis denique quinque florentissimas ciuitates nefandi peccati reas imbre sulphureo deleuit. Ipsæ quin etiam creaturæ in peccatores armantur, nullaque iis in mundo securitas est, nisi in pedibus Iesu Christi. In illis namque ô Magdalena, mulier illa adulterii crimine à Pharisæis insimulata, eandem quam tu modo ambis, opem reperit. In illis Samaritana, eiusdem cuius tu criminis rea, gratiam & indulgentiam omnium delictorum obtinuit. In illis denique grauioris illius supplicii quod peccatoribus Deus comminatus erat, dispensatio sita est: cuius rei ecce tibi figuram.

*Num. 6.*

*Gen. 6.*
*Gen. 19.*
*Ioan. 8.*
*Ioan. 4.*

Moses cum acceptis à Deo legis tabulis monte descenderet, & populum aureo vitulo immolantem & sacros honores deferentem videret, indignans & fremens tabulas in montes imo ad solum allisas confregit; quasi dicere voluisset: Abeant iam & valeant leges ad peccatores tam seuero supplicio castigandos; de indulgentia omnis iam sit sermo, confringantur tabulæ, nec legum adeo rigidarum vlla amplius fiat mentio. Quid porro agis Moses? quid cogitas? quid dicturum putas Dominum, cum viderit tam indignis te modis legem eius exaratam digitis tractare? Erat hoc mysterium, ô anima, vsibus tuis deseruiens; designabat hoc, ad pedes Iesu Christi (quem Isaias montis olim nomine compellauit, *Mons in vertice montium*) statim atque ille de cœlo descendisset, iustitiæ seueritatisque legem, in gratiam peccantium, ad nihilum redigendam & penitus abolendam. Inter

*Exod. 12.* Figura.

ceteras porro lex erat qua lapidari iubebantur adulteri: verum vidimus superioribus diebus in gratiam mulieris, quæ adulterii accusata erat, eamdē legem aboleri, ac quodammodo ex tabulis eradi. Lex quoque diuinæ iustitiæ est, vt peccatores infernalibus supplicijs mancipentur, verum eadem illa ad Christi Iesu, & Confessariorum confessiones excipientium pedes abrogatur & quodammodo violatur. His igitur pedibus aduoluere Maria & iuuamen reperies.

Esth. 5. *Accessit ad pedes Iesu.* O sacri & diuini pedes, quam mihi egregios conceptus procuditis! Formosa illa Esther, cum tremebunda & pauida in conspectu Assueri Regis stetisset, pedib. illius supplex aduoluta est, extremitatemque virgæ aureæ, quam rex porrigebat, exosculata est; quo facto tantam in eius oculis gratiam reperit, vt eam plus ceteris mulieribus virginibusq; dilexerit, sibique in vxorē adoptarit. *Cumq; vidisset Esther reginam stantem placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream quam tenebat manu; quæ accedens osculata est summitatem virgæ eius.* Hic porro videas formosam illam pellicem Magdalenam, quæ hodie tremebunda ac supplex magni illius Assueri, Christi Iesu conspectu sese offert, eius sese pedibus aduoluentem, magnaq; animi demissione eosdem exosculantem, qui erant velut extremitas huius virgæ aureæ, quæ ascendit de radice Iesse; humanitatem vnigeniti Filij Dei repræsentantis. Porro hoc adeo regi gratum exstitit, vt perfecte illam adamarit, omnia illi peccata remiserit, gratiaq; sua oblata, sibi eam in sponsam adoptarit.

4. Reg. 4. Sunamitis illa mulier, cum sese olim ad pedes Elisæi Prophetæ profecisset supplex & orans; sua nimia animi demissione vitam filio impetrauit. Quod in memoriam reuocans, Magdalena, fiduciam concipit, se, si modo Christi pedibus aduolui dabitur, animæ peccato mortuæ resurrectionem impetraturam.

Plin. l. 8. c. 27. Refert Plinius ceruum venantium sauciū ferro, iaculumq; tergo infixum gestantem, naturali quodam instinctu herbam dictamnum per agros & siluas cursitando inuestigare, & eadem gustata, vel plagæ applicata, vulneris auxilium inuenire. Videte porro hic miseram ceruam mille peccatorum iaculis confixam, & mille mortalibus vndique plagis sauciatam, ad pedes Iesu Christi, veluti ad dictamnum quantocyus properantem; quo vix attigit, quin omnes statim sagittæ excidant, & vulnera animæ eius persanentur. Quid autem factura huc venisti Magdalena. Resoluitur tota in fletum, & lachrymarum æquor effundit.

IV. Conceptus super lacrymis Magdalenæ.

*Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* ô sanctæ & salutares lachrymæ, vos estis mare illud rubrum in quo Ægyptii, id est, peccata submerguntur: vos estis aquæ illæ in quibus capita draconum, luxuriæ illæ, adulteria, superbiæ, omnium vitiorum principia suffocantur & submerguntur. Docuit id me Psalmographus: *Conquassasti capita draconum in aquis.* Vos estis Iordanes illi, in quibus Naamanis lepra, id est peccata, quæ veluti lepra spiritualis sunt, emundantur. Lachrymare igitur Magdalena, submerge dracones illos, emunda lepram, submerge Ægyptios; dicito, & inclama hodie: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum & plorabo die ac nocte.* Sit caput tuum hic instar Oceani, & oculi velut torrentes, & plora de die, plora de nocte, quæ cōmisisti, peccata. Lachrymare iugiter, ac cogites velim, Apostolum Petrum, propter lachrymas quas effudit, de peccatore, summum deinde Ecclesiæ caput esse constitutum. recordare, Ezechiam propter lachrymas, & intrinsecam cordis amaritudinem, quindecim annos vitæ addidisse. Memento Dauidem lachrymis veniam peccatorum obtinuisse: atq; idem omnino tibi euenturū persuade.

Ierem. 9. Matth. 12. 4. Reg. 20.

*Lachrymis cœpit rigare pedes eius.* Quemadmodum namque ad solis radios glacies liquescit & nix montibus defluit, vnde flumina intumescunt, ac torrentes exundantissimos emittunt: ita videte hic cor peccatricis huius, quod non nisi mera glacies, nisi peccatum, mera iniquitas, mera peruersitas & improbitas erat, ad conspectum Christi Iesu, qui verus Sol iustitiæ est, liquescere, & illas libidines, impudicos illos intuitus, venereos & lubricos illos aspectus in lachry-

lacrymas resolutos, quæ ex oculis, veluti duobus montibus defluunt, flumina suspiriorum attollere, & pœnitentiæ torrentem producere. Docuit hoc me S. Augustinus, at hoc quod sequitur ex Bibliis depromptum est. Erat in vestibulo templi Salomonis, mare quoddam æneum fusile, in quo victimæ, 3. Reg. 2. & quidquid Deo immolandum erat, prius abluebatur. Ipsæ mihi credite, lacrymæ, maria sunt, in quibus cum cor nostrum ablutum & mundatum fuerit, ipsum victima Deo gratissima, & mille hecatombis & holocaustis acceptior, redditur.

3. Reg. 18. Mille vos ô lacrymæ mirabilia producitis, & mihi nouos & inauditos conceptus. Vix aspersérat aqua sacrificij ligna Elias, quin statim prodigiosè ignis cœlitus descenderet, & omnia in cineres redigeret: quo aliud nihil designatur, quam orationum nostrarum sacrificio aliquot lacrymarum guttis respersо, omnia statim igne charitatis, & diuini amoris flamma exardescere. Testis huiusce rei nobis futura est Magdalena: quæ statim vt ligna conuersionis suæ Gen. 4. aquis lacrymarum aspersit, omne cordis eius sacrificium amore cœlesti cœpit inflammari & incendi. Cataractæ quoque cœli vix reseratæ erant, quin statim pluuia vehementior diluuiumq; vniuersale secuta sint, quo omnes omnino mortales, super terræ faciem habitantes, extincti sunt, & quod Arcam Noë in sublimibus Armeniæ montibus collocauit. Quid hic dicetis vos Allegoriæ sensus indagatores? an non hæc omnia de Magdalena pœnitente poterunt intelligi? videre namque hic nouum diluuium ex lacrymis Mariæ concretum, in quo omnis carnalitas, mundi amor, sæculi vanitas & omnes praui affectus statim submerguntur; & quo anima eius, instar areæ illius, super cœlestes illos vertices subleuatur. Vere igitur dicere possumus, hic ruptos esse fontes abyssi magnæ, abyssi scilicet iniquitatis, & cataractas cœli apertas, misericordiæ inquam, diuinæ. Verum non satis tibi fuit Maria, oculis lacrymas effundere, nisi & capilli officio suo aliquatenus in pœnitentia tua fungerentur.

*Et capillis suis tergebat.* O rem nouam & inauditam! ô paradoxa prius non visa aut lecta! Cui vnquam Regi balneum è lacrymis paratum legimus, aut quem vnquam post lauacrum, crinibus mulierum sordes suas detersisse? Hoc tibi debebatur Domine Rex Iesu Christe, hoc tibi reseruarat Maria, de qua Salomon prophetans varicinatus est: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Hodie namque Magdalena lacrymis oculorum suorum & crinibus capitis, corde tenus te vulnerauit, itaque te sauciauit intrinsecus, vt in sui amorem pertraxerit. Cant. 4.

Tradit Florus, mulieres Carthaginienses capillos abscidisse, vt mariti iis tortis in bello loco neruorum & funium vterentur, quo de hostibus victoriam consequerentur. Videte vero hic bellatricem quandam Iudæam, Christo, quem in sponsum sibi adoptauit, capillos capitis offerentem, vt illos velut funes quosdam adhiberet, quibus hostes, peccata nimirum, funderet, deleret, ac profligaret. Et quemadmodũ Sampson fortissimus ille dux, tandẽ confessus est, omnem suã fortitudinem in crinibus sitam esse; quibus demptis & omne robur perditum iri: sic ô Maria, si modo veritatem fateri velis, certissimum est, omnem precum tuarum efficaciam & energiam hodie in capillis esse collocatam. Iud. 15.

O res inauditas! Cũ Absalon crinibus superbiret, & inde inanem quandam gloriolam captaret, iidem ei loco laquei fuerant, quo ex quercu suspensus interiit: at Magdalena eosdem hodie per terram spargens, & iisdem pedes Christi Domini tergens, sibi vitam & salutem per eos peperit. Quamobrem sume iam animos Magdalena: effudisti iam lacrymarum mare, iam retia de crinibus tuis contexuisti ante saluatorẽ Dominum, non potes errare quin eum cassibus tuis implices. Ingẽs profecto miraculum fuit, Apostolos ex piscatoribus marinis, hominum piscatores noua quadam ratione esse constitutos: at non minus hodie prodigium videmus, cum à Magdalena quæ animos virorum adolescentiumque illaqueare, piscari, & irretire consueuerat, Christum illaqueatum & conclusum cernimus. Explicate igitur retia vestra peccatores, explicate, vt magnum

illum Christum Dominum comprehendere valeatis, qui vobis, non secus ac piscis ille Tobiæ visum restituet, oculosque animæ vestræ persanabit.

V. *Capillis suis tergebat.* Tot peccata commisistis, ô crines, tot animas in exitium traxistis, oportet; inquiebat illa, vt vos ego resecem, euellam, & commaculem. Cum Rex aliquis aut Princeps mortuus est, solent milites insignia & arma per terram trahere, atque hoc schemate luctum & cordis dolorem ostendere. Ita quoque hodie fieri videmus: mundo enim, carne, & diabolo qui veluti totius naturæ Domini sunt & Principes, in Magdalenæ anima exstinctis; ecce eorum arma & insignia per terram, crines scilicet, vestes & capillorum pompæ trahuntur. Hodie quoque generosa illa bellatrix deuicta, tradit arma, quibus Christum tanto tempore oppugnauerat, manus illas delicatas, oculos illos lasciuos, aromata illa exotica, & oscula illa adeo ab omnibus expetita, secuta nimirum Apostoli consilium: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete ea seruire iustitiæ in sanctificationem.* Rom. 6.

Simile. Simile. Cum incendium domum aliquam inuasit, omnia per fenestras suppellectilia eiiciuntur; hodie quoque igne diuini amoris animam peccatricis exurente, omnia foras eiiciuntur, eiicit quippe oculis lacrymas, corde suspiria, capite capillos, narthecciis vnguenta, omnia denique prostituuntur. O si quis te modo in deserta Massiliæ solitudine commorantem videret Magdalena, per rupes & inuia reptantem, in antris & spelunCis habitantem, & solis ardoribus decoloratam, an non dicere posset, Tune es formosa illa nympha, quæ instar Basilisci animas ciuium Ierusalem oculorum tuorum virulentia, & lasciuo aspectu fascinare & attrahere solebas? tune Babylonica illa meretrix auro & purpura vestita, omnis fornicationis mater & colluuies? tune, inquam, quæ modo ita mutata es & colore & facie, adeo macilenta, & exossis? *Hæc scilicet mutatio dextera Excelsi.* Vidistis, ô mulieres, peccata Magdalenæ, vidistis etiam pœnitentiam: vidistis peccantem, & pœnitentem vidistis. quam igitur peccantem estis secutæ, eandem sequimini & pœnitentem: sequimini illam ad pedes vsque Christi Domini, peccata cum illa lacrymis eluite, superbientes & lasciuientes animas exuite, modestiam induite, humilitatem consectemini, pœnitentiam agite, & tandem aliquando audire cum illa merebitis: *Remittuntur tibi peccata tua.* Quamobrem deprædico te, ô speculum pœnitentiæ Magdalena, ô felix peccatrix, virtutum omnium Regina & scaturigo; vti olim & vitiorum libidinumque; video nempe te, quæ olim scandali flamma eras & fax, corruptionis exemplum, dissolutionis vexillum, vanitatis speculum, trophæum lubricitatis, denique peccantium princeps & caput; te, inquam, video, subito in solem ædificationis, lumen exemplaris vitæ, virtutum omnium imaginem, pietatis exemplar, humilitatis decus, Reginam demum pœnitentium esse commutata. Tu quæ ita olim in mundo lasciuieras, tot peccata commiseras, tot animas in ciuitate luxu perdideras; tot deinde lachrymas pœnitens extra mundum effudisti, tot extra mundum virtutes produxisti, tot animas extra mundum tecum ad pœnitentiam, & ad salutis semitam traduxisti. Hinc totus te orbis obstupescit, cœlum & terra te celebrant, tartarus audita tua pœnitentia contremiscit. Quare age, sancta & fœlix ac iam beata peccatrix, nostri, obsecro, recordare, nostri, inquam, qui tot, tamque grauibus diuinam maiestatem criminibus ad iram concitauimus; pro nobis apud Deum intercede, ora & obsecra, vt quoniam ad tui imitationem peccauimus, ad tui quoque imitationem pœnitentiam agentes, Christum Dominum videre, sicut ipsa modo vides, in cœlesti habitaculo mereamur.

AMEN.

FERIA

# FERIA VI. POST DOMIN. PASSIONIS.

Partitio.

*I. De prauorum fugienda societate.*
*II. De concilio ipso.*
*III. De re bona male consultata.*
*IV. De consilio bono imprudenter dato, ac necessario.*

*Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium aduersus Iesum.* Ioan. 11.

## FIGVRA.

Gen. 37. CVM Iacob Patriarchæ filii immortale paulatim aduersus Ioſephum fratrem odium concepiſſent, tandem deliberata ſententia eum interficere decreuerunt, inq; vitam eius coacto concilio conſpirauêre. Euidens hoc fuit figura hiſtoriæ, quam Euangelium hodiernum repræſentat. Videmus enim hic poſteros Iacob Scribas ſc. & Phariſæos, diuturno aduerſus Ieſum (qui frater eorum ſecundum carnem erat) odio concepto in vitam eius conſpirantes, & nefarium concilium cogentes, vt eum cõprehendant, & cruci affixum mori cogant. O nefandum concilium! ô tartaream congregationem! Erit hoc hodiernæ concionis materia: Tu meus director & conductor eſto, Spiritus paraclete, & tu patrona mea, Virgo glorioſiſſima, cui in hanc rem ſalutationem Angelicam offeramus::

AVE MARIA.

I. Plut. in Poli. Themiſtocles Athenienſium dux cum prædium venale proponeret; publica præconis voce denuntiari iuſſit, in bona vicinia idipſum ſitum eſſe; ratus, magnum hoc ad agri commendationem momentum afferre. Factum hoc Ethnici viri nos admonet, quam ſint ſocietates bonorum exoptandæ, & quam ſint è contra improborum deteſtandæ. Inſinuauit hoc Pſalmiſta, cum hinc carminum ſuorum exordium ſumpſerit: *Beatus vir qui non abijt in conſilio impiorum:* & Apoſtolus, qui Corinthios idipſum monebat, dicens: *Non commiſceamini fornicariis, & cum eiuſmodi nec cibum ſumite, an neſcitis quod modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* 1. Cor. 11.

Improborum conſortia eſſe vitanda.

Prudens illa ac proba Sara, Abrahæ vxor, cum videret Iſaac filium ſuum Iſmaelis conſortio deprauari, & ab eo ad idololatriam pertrahi, domo illum exegit, dicens coniugi: *Eijce ancillam & filium eius.* Vnde diſerte poſſumus, impiorum improborumque conſortia, eſſe velis remisque fugienda, & procul à domo eliminanda. Gen. 12.

Si enim cum peſtis in ciuitatibus vicinis graſſatur, vrbes à contagio adhuc immunes, omni ratione aduigilant, ne quis è ciuitatibus peſte infectis ad ſe diuertat; ne nimirum contagio ſerpat latius, & lues ſimiliter eas cum cæteris depaſcat. Quid animam in gratia Dei conſtitutam facere par eſt, aut quas eam excubias agere, ne peccatores tot ſceleribus inquinati, ac tetrum ſpirãtes halitum, ad ſe accedant; ſuaque nefaria conſuetudine ſe quoque corrumpant?

Apes cum pluuia & imbres ingruunt, & hyems deſæuit, in fauis ſuis deliteſcunt; timent enim ne, ſi foras egrediantur, ventus vehementior tranſuerſas abripiat, aut ipſæ imbre ſuffocentur, aut aliquod, propter temporis iniuriam, in commodum patiantur. Diſcant hinc, qui amore Dei tanguntur, & ſaluti animæ inuigilant, dum grauior ſcelerum tempeſtas ingruit, ac vitiorum peſtilens aura omnia circumquaque afflat, in fauis humilitatis ac timoris Dei deliteſcere, improborumque ſocietates fugere; ne aut ventus ſuperbiæ eos aliunde abripiat, aut auaritiæ frigus adurat, aut libidinum imbres ſuffocent. Expertus id erat Dauid exclamãs: *Elongauit fugiens & manſi in ſolitudine.* Pſal. 54.

In veteri lege præceperat Deus, vt lepra infecti procul à cæterorum hominum conſortio agerent, cuius rei exemplum in Euangelio legimus; decem enim leproſis Domino occurrentibus, nullus eorum auſus fuit accedere, ſed à longe ſteterunt. Quid ſpectaſſe Deum putatis, cum huiuſmodi leges ferret? aliud ſane nihil, quam vt demonſtraret peccantiũ conſuetudinem eſſe deuitandam, qui ſpirituali quadã lepra infecti ſunt, quæ longe periculoſior eſt lepra corporali. Luc. 17.

Hinc pium regem Iosaphat grauiter à Propheta reprehensum lego, quod copias suas
1. Paral. 19. cum copijs impij Achab contulisset: *Cui occurrit Iehu filius Hanani, Videns, & ait ad eum: Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris: & idcirco iram quidem Domini merebaris.* An non hinc discere possumus, non esse cum improbis societatem aut amicitiam ineundam?

At nondum hic quiescimus: producemus & alios conceptus prioribus non inferiores. Vetuit olim Deus & quidem grauissime, ne filij Israël nuptias cum alienigenis & gentibus inirent, aut alienigenis filias Israëlitides
Exod. 34. copulari sinerent: *Non accipies uxorem de filiabus eorum filio tuo, ne & ipsæ fornicari filios tuos in deos suos.* Prohibebat præterea Dominus, ne vllum cum gentibus Hebræi haberent commercium, sed quantum possent, ab iis sese seiungerent: *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Designare volebas Domine, quantum ab improborum consortio consuetudineque periculi immineat.

Gen. 6. O improborum consortia, quantum periculi animabus exitiique affertis! Nec alia crediderim de causa Deum diluuio terræ superficiem cooperuisse, quam quod filij Seth, quos Sacra Scriptura, propter sanctam probamq; conuersationem, Angelos nominat, filias Cain hominis nequissimi sibi matrimonio copularent: atque ita Princeps Apostolorum Petrus, militibus sese adiungens, blasphemator factus est, & dilectissimum magistrum nefarie negauit, ac grauissimorum se facinorum reum constituit.

Ion. 1. O pestiferas & infelices societates, & contagiosa commercia! propter Ionæ societatem nauarchus, & nautæ in vitæ discrimine versabantur. Vnicus Iudas in causa fuit, cæ-
Matth. 8. teri vt Apostoli submersionem timerent, & ad Dominum clamarent, pauidi & formidantes: pie namque creditur, propter scelleratissimum illum mortalium Iudam, grauem illam tempestatem, quæ cæteris Apo-
2. Reg 24. stolis timorem incutiebat, esse concitatam. Vnicus quoque Dauid in causa fuit, vt septuaginta hominum millia peste perierint; nisi enim ille peccasset, populo Deus luem non immisisset. Vnicus rebellis, & refractarius Absalom duodecim hominum millia 2. Reg. 15. aduersus mitissimum regem concitauit, belloque rem committere ausos in perniciem & mortem attraxit. At relictis exemplis hisce Veteris Testamenti, aliud recentius vobis ob oculos proponam, quo simile vidisse vos vel audiuisse non putem. Videte namque in Euangelio hodierno, vt Caiphas magnum illum Synedrion nequitia sua & impietate peruertat, Synagogam consiliis inficiat, Scribas, Pharisæos, omnes seniores, legisque doctores in partes suas trahat, inque sententiam pertractos, in mortem innocentissimi Iesu Christi coniurare compellat: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi consilium aduersus Iesum.* De nefario hoc concilio in primis loquendum est, ac deinde quid in eo constitutum & conclusum sit, videbimus.

Quod ad primum igitur, refert Euan- II.
gelium, Pontifices & Pharisæos, inuidia inflatos, statim à miraculo à mortuis excitati Lazari, quo omnes Dominus in sui admirationem rapuerat, aduersus eum conspirasse, coactoque concilio in eius mortem nefarie coniurasse. Consuetudinem Quando tuam hic detego, diabole, tuum hic opus anima ex intueor, tuasque technas: cum enim vides peccato peccatores firmiter secum statuisse, sancta eximere quadam pœnitentia ad Deum, à quo pec- gestiis, cando iam recesserant, conuerti; furias sta- dæmon tim tuas ad consilium cogis excitas tenta- plurimum tiones, prauos affectus producis, milleque impedi- impedimenta opponis, quo sanctam illo- mento est. rum voluntatem aut ad nihilum redigas, aut saltem infringas & imminuas. Vnde, cum totam hodie ciuitatem Ierosolymitanam ingenti hoc miraculo à Christo patrato commotam videas, ita vt omnes eum honorare, colere, adorare, verumque Messiam in lege promissum credere constituant; omnes vndequaque improbos & sceleratos conuocas, nefarium & pestilens concilium cogis, tum vt præclari huius miraculi famam aboleas, aut saltem obscures; tum vero vt vitæ auctori, vitam eripias.

Statim

Gen. 31. Figura.

Statim vt Iacob Patriarcha conuasatis omnibus se in viam dedit, vt in Mesopotamiam terram patrum suorum reuerteretur, & gentilium regionem relinqueret; ecce continuo Laban, multo stipatus comitatu, iraque exæstuans fugientem insequitur, vt comprehensum interficiat. Exprimis tu, ó Laban, nefarium dæmonum agendi modum, qui, cum peccatores captiuitate eorum se eripere velle vident, vt libertatem consequi, & recto ad cœlestem patriam calle tendere valeant, se itineri quoque accingunt, arma præparant, furiarum suarum cohortes ferruminant, vt fugientes sistant, & ad peccati regionem, è qua vltro egrediebantur, obtorto collo etiam inuitos reducant.

Cum impius ille tyrannus Pharao; Hebræos iugo sese captiuitatis eximere, Ægyptumque deserere velle inaudisset, vt Deo sacrificia more patrio offerrent; statim illos vexauit, nouis oneribus grauauit, quotidianumque pensum adauxit. Vt hinc discamus, diabolum, infernalem illum tyrannum, vt plurimum, cum peccatorum Ægypto egredi constituimus, nobis impedimento esse, vexare, nouisq; nos oneribus aggrauare.

Scriptum est in Esdra, Iudæis è captiuitate reuersis, & templi fabricam restaurare incipientibus, vicinas & conterminas nationes, & gentes in circuitu positas insurrexisse, templi fabricam impedire conatas. Docemur hic, nullum omnino à nobis bonum opus inchoari, quin dæmones & omnes infernales furiæ totis sese viribus opponant: &, cum reuersi è captiuitate peccatorum, ad quod per sanctam confessionem peruenimus, egregium conuersionis templum construere nobiscum firmiter proponimus; tum diabolum & omnes furias eius, omni ratione conatibus nostris resistere & aduersari. Et sane video vix dum nato Domino, Herodem & omnem Ierosolymam cum illo turbari, & nefarium tyrannum in mortem pueruli conspirare. Quid hæc denotant Auditores? nisi, Dominum nostrum Iesum Christum in anima spiritualiter per gratiam vix natum esse, quin tartarus statim & omnis tartarea potestas aduersus eum commoueatur, satanasque nefarius ille tyrannus in salutē eius conspiret. Videte quoque, vt hodie, populo Christi miraculis delinito, ei adhæresceere proponente, Synagoga, vt tam pio operi impedimentum aliquod opponat, eorumque voluntates aliò diuertat, concilium cogat, & comitia celebret: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.*

O pestilens & nefarium concilium! tu sces impia illa congregatio, quam toties in Propheticis oraculis expressam legimus, vt in primis illis verbis Psalmistæ: *Assiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius* & Salomonis: *Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris & improperat nobis peccata legis, & filium Dei se nominat.* & Ieremiæ: *Cogitauerunt super me consilium dicentes: Eradamus eum de terra viuentium, & non memoretur nomen eius amplius.* Omnes denique Prophetæ de hoc vaticinati sunt. Pestilens igitur & detestandum plane conciliabulum fuit, quod in Dominum Iesum euditur, & in quo de vita Filio Dei vnigenito eripienda tractatur.

*Psal. 2.* *Sap. 2.* *Ierem. 2.*

Anne patieris Caipha, infande, nefande, improbe princeps, totius Synagogæ caput, magne Pharisæorum magister, & sacerdotum omnium Pontifex, tam nefarium vt in Iudæa cōcilium cogatur, & in vrbe quidem regia & sancta Ierusalem: Quid? Tantane tua erit impudentia, ne dicam audacia, vt huius nefarii concilii auctor existas, tamque pernicioſam & detestabilem synodum cogi iusseris? Anne Caipham hocce agere? summum Pontificem hoc attentare, suiq; adeo obliuiſci? tune futurus es ille proditor, ille ingratus, ille perfidus Achitophel, qui cum omnia Dauidis negotia tractaret, regnique consilia nosset, Absalomo eiusque sequacib. persuasit, vt seditionem cōcitarent, armaq; aduersus Principem & Regem clementissimū sumerent: & tu, cum sis fidelium omniū consilium, synagogæ caput, & totius status Iesu Christi in lege Mosaica superintendēs existas; adeone hodie ingratus, perfidus, & sceleratus eris, vt omnes Iudæos, vt Absa-

*2. Reg. 4.*

Cōceptus super nefario concilio Caiphæ.

Absalomum Achitophel, ad arma concites & commoueas, quo aduersus Principem, Messiam & Deum suum scelerate conspirent? Tune futurus es superbus ille, inuidus, & ambitione tumens Aman, qui Assuero consilium dedit, miserum vt Mardochæum è vita tolleret: tune superbe Pontifex, summus aulæ vertex, princeps & caput Synagogæ cum fies, Iudæis suades, vt Iesum, qui verus Mardochæus est, ad necem deposcant? anne deterius aliquod reperire consilium posses, anne pestilentius, anne etiam exitiosius?

*Esth. 5.*

*Matt. 14.*

Nefarium, fateor, fuit Herodiadis consilium, quando filiæ suasit, vt Ioannis Baptistæ caput in disco postularet. At tuum ô Caipha, consilium centuplo detestabilius est, quando populo persuades Iudaico, vt Christi Domini caput sibi tradi postulet.

*Congregauerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Heu quot nefanda concilia, quot infandæ conspirationes, quot coniurationes aduersus benignissimum Redemptorem coguntur! vix namque creati erant Angeli, & ecce statim eorum Pontifices collegerunt concilium: quin ecce statim Caiphas Lucifer inquam, Angelicæ Synagogæ Princeps tertiæ Angelorum parti consuluit, vt aduersus diuinitatem conspirarent. *Factum est prælium magnum in cælo.* Vix erat homo in terrestri etiam paradiso constitutus, quin ecce statim Principes collegerint cõcilium: quin Satan; Adam & Eua congregentur, conciliũ ineant, in quo de diuinitate disceptetur, *Eritis sicut dii.*

Quid addam amplius? dicam te, ô Pater æterne, & te, ô glorioſe & sancte Spiritus, vos Principes æterni, Sanctissimæ Trinitatis personæ, ab æterno concilio aduersus Redemptorem meum coegisse: vt eum innocenti morti adiudicaretis: vos etenim illi Principes estis, de quibus olim Psalmographus; *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.*

*Psal. 2.*

III. Pia meditatio quod condẽnationem Christi.

Nulla igitur datur effugii via, mi Redemptor; te mori necesse est, non est quod dicas amplius, *Transeat à me calix iste.* Ita namque in arcano SS. Trinitatis concilio constitutũ est, in quo iam à longo tempore morti adiudicatus es, & vlterius non appellasti. Causa tua in duobus summis conciliis, in concilio scilicet Diuinitatis, & in foro humano in cœlo nempe & in terra, examinata fuit, discussa & peracta; & vtrobique mortis sententia in te lata fuit. Verum quanam potissimum de causa vos ô consiliarii æterni, vos iudices omnium iudicum supremi, qua lege, quo iure, aut quomodo Messiam meum morti tam atroci & truculentæ addicitis? Audite quæso, quid ad hæc respondeant, *Expedit vt vnus homo moriatur pro populo,* Iesus inquam Christus, Deus simul & homo; vt mundus ratione quadam inaudita, propria tamen & conuenientissima, redimatur; quo euidentius Dei erga homines amor appareat, vt scilic. homines ab homine in exitium perducti, per hominem restaurentur.

Cur Christus abomni æternitate morti fit adiudicatus.

Vos vero Pharisæi, Pontifices, tuque imprimis Caipha quam mortis causam affertis, & quod ius prætenditis, quam æquitatẽ depromitis, aut qua via ad tam crudelem & cruentam sententiam ferendam proceditis? Audite, obsecro, eorum leges & iura, inuidiam inquam potius & furores: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* quod miracula edat, animas ad bonam frugem conuertat, quod mortuos excitet: atq; hoc fundamentum fuit tam iniquæ sententiæ ferendæ.

Cur Caiphas Christũ digne morte adiudicauerit.

O iudices iniquissimos, ô iudices affectibus in transuersum actos! Caipha, cum ais, *Hic homo,* si scires quis hic homo foret, nunquam eum morti adiudicares. Homo quippe hic, simul & Deus est; homo hic multa olim signa fecit, tot prodigia in Ægypto, tot mirabilia in mari Rubro, tot miracula in deserto. Homo hic simul Deus & homo est, qui descendens aliquando è cœlo in terram, è Ieruſalem in Iericho, incidit in manus Iudæorum, qui instar latronum eum despoliauerunt, sauciauerunt, & mortuo eo in crucis arbore derelicto, abierunt. Est demique ille homo, qui tot miracula edidit in incarnatione sua, quando nimirum duas naturas in vna eademque hypostasi combinauit; tot signa in natiuitate, tot prodigia in vita

*Luc. 10.*

Egregij cõcepti.

in vita; & in cuius morte tot quoque mirabilia videbitis. Faciet namque moriens Solem deliquium pati, terram tremere, petras diffindi, sepulchra quoque reserabit. Homo denique est omnium rerum peritissimus. Verum quid deinde in hocce concilio ais, ô Caipha? *Vos nescitis quidquam.* Quid cogitatis viri, quid dicitis? necesse est vt homo hic de medio auferatur, res nostræ alioquin pessimo loco futuræ sunt. Nisi enim remedium aliquod in tempore adhibeamus, *venient Romani & auferent locum nostrum*, vrbemque nostram euertentes, omnes nos dispoliabunt; quare expedit, vt vnus homo pro omni populo moriatur potius quã tota gens misere pereat. Nautæ qui Ionam vehebant, si forte meministis, cum grauis tempestas incidisset, vt se suaque conseruarent, Ionam in mare deiecerunt, cuius mors illis vitam peperit: illo namque submerso, rediit serenitas & malacia. Similem hodie quoque tempestatem impendere nobis à Romanis videmus; necesse est igitur, vt hominẽ hunc in mare passionis præcipitem iaciamus, quo eius nos mors morte eripiat, & vitam nobis salutemque conferat.

Oratio Caiphæ in concilio.

Ion. 2.

Luc. 8.

An non magnum Gerasenorum dementiæ argumentum fuit, Christum à finibus suis pellere, ne porcos perderent? Non minor, mihi credite, Caiphæ huius dementia est, Christum ipsum perdere moliẽtis, quod timeret ne in Romanorum manus ciues inciderent.

IV.

*Vos nescitis quidquam*: Nescitis, quantum in hac re pondus & momentum consistat: nescitis quantum huiusce rei intersit, ab ea nempe omnis nostra salus, fortuna, aræ, focique dependent; salus inquam, vel ruina, omne nostrum commodum, aut incommodum. O superbientem superbi hominis orationem, ô verba tumore & arrogantia plenissima! Potens ille Persarum Rex Xerxes, cum quodam tempore comitia regni indixisset, in quibus de bello Græcis inferendo disceptaretur, hac principes oratione est allocutus. *Ne videar meo tantum vsus consilio vos contraxi: ceterum scitote parendum vobis magis quam suadendum.* Notate effrænatam hominis arrogantiam, & intollerabilem præsumptionem. Eandem mihi hic ostendere videtur Caiphas, quin etiam adhuc maiorem, dicens: *Vos nescitis quidquam*: Necesse est vt vnus pro omnium salute moriatur; nulla alioquin securitatis spes effulget. Eisdem verbis Saulem vsum cum filio suo Ionatha apparet, *Quamdiu vixerit filius Isai super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque iam mitte, & adhuc eum ad me, quia filius mortis est.* Verba porro Saulis, Caiphas visus est repetiuisse dicens; Quamdiu vixerit homo ille, principes & seniores, nunquam synagoga nostra stabilietur; nisi ille moriatur res nostræ non succedent, sed pessum ibunt. Eia igitur moriatur, inuadamus eum, & eradamus eum de terra viuentium. *Expedit* namq; *vt vnus homo moriatur pro populo.*

Val. l. 5. c. 9.

1. Reg. 20.

Quare obsecro magne Pontifex? Ne scilicet, inquit, res nostræ dilabãtur ac pessum eant, morte innocens est condemnandus. Quam perperam concludis, quam parum dialecticus es? at longe aliter quam destinasti & concepisti eueniet. Christi namque mors erit & vestra, illo occumbente, vos, regnum & respubl. vestra extinguetur & occumbet. Timeo enim ne idem vobis euenturum sit, quod olim Regi Ieroboam, qui cum vitulos æneos erexisset, variaque idola per regnum adorari præcepisset, ratus id ad regnum stabiliendum non parum momenti allaturum; nesciuit se sibi, filiis familiæ, atq; adeo vniuerso regno perniciem & exitium intulisse.

3 Reg. 18.

Pharao Ægypti Tyrannus, ratus Hebræorum primogenitorum nece regnum stabiliendum, tantum abfuit, vt voti compos factus fuerit; vt potius diabolicum hoc commentum & pestilens consilium, regni exitium fuerit, & se suaque euerterit: cum enim omnes Hebræorum masculos in profluentem proiici mandasset, ipsemet cum toto exercitu ab vno Hebræo rubri maris gurgite absorptus fuit. Eadem vobis, mihi credite, fortuna impendet, Iudæi: dicis ô Caipha iudex inique, expedire vt vnus pro populo toto moriatur, sed adeone Deum mundo huic noxium censes, vt eum mundo pellere decreueris? Cum Elisæus Propheta iam in extre-

Exod. 2.

4. Reg 13.

extremis ageret, Rex Ioas pedibus eius aduolutus lachrimabatur & clamabat dicens: *Pater mi, currus Israel & auriga eius:* quasi regnum à morte eius neminem esset habiturum, cui tuto, vt Eliseo consueuerat, credi posset. Laban etiam audito Iacob, relicta Mesopotamia, in patrium solum rediisse, consternatus fuit, & tantum non exanimatus, ob decessum scilicet eius qui tãta sedulitate & cura oues suas pauerat, ita vt in infinitũ crescerent. Te vero Caipha, omni barbarie barbarior, non pudet aut piget, è medio tollere, morti adiudicare, non dico Elisæum aut Iacob; sed filium Dei vnigenitum, quo sublato quænam calamitas synagogæ vestræque reip. impendet? Nesciebat olim Samson, se à spiritu Dei esse derelictum: at tum demum agnouit, licet serius, cum Philisthæorũ carceribus traditũ vidit. Ita quoque tu Caipha, & vos Iudæi, nescitis quid sit Deo esse destitutum: scietis autẽ postea, cum venerint Romani, & cinxerint muros vestros, & omnem posteritatem vestrã cum tota gente vestra euerterint. *Expedit vt vnus homo moriatur.* O tristem nuntium! ecce sententia mortis in Messiam lata. Quis ei suggeret, vt se subripiat, vt alio appeliet, vt se in tuto collocet? Cum Esau aduersus fratrem Iacob cõspirasset, statim tu ei Rebecca suggessisti vt fugeret, *Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te.* Aperit Chausai Dauidi Regi omnia consilia, & quidquid in castris Absalomi gereretur, & heu! nemo Saluatori meo vel minimũ suggerit: nemo ei nefarium hoc consilium, hanc impiam coniurationem detegit. Quid hic agitis ô Nathanael, Gamaliel, Ioseph ab Arimathia? cur præceptoris & Domini vestri patrocinium non susci pitis, aut cur saltem dissoluto concilio, ei non suggeritis, sibi vt caueat, tanta taliaque in caput illius cudi? Nequaquam, *Expedit* enim *vt vnus homo moriatur pro populo.* Est tamen hic aliquid quod in te laudem ô Caipha: nunquã, mihi crede melius rem acu tetigisti: propherizas, & verum dicis, nescis tamen. Nam cum plurima Deus media nosset quib. humano generi ob peccatum perdito posset succurrere, Filii tamẽ sui passionem hic potissimum adhibere voluit, quo nullum aut melius aut conuenientius tum ad naturam humanam restaurandam, tum ad amorem diuinum melius perspiciendum potuit inueniri. Hausit id è Paulo Apostolo ita Hebræis scribente: *Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia qui multos in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem conformari.* Anne obliti estis, quid ipse duobus discipulis in Emaus euntibus dixerit in via socius: *O stulti, & graui corde nonne hæc oportuit Christum pati & ita intrare in gloriam suam?* Bene igitur dicis Caipha *Expedit.* Erat namq; primi delicti grauitas duabus de causis infinita: primo quod aduersus infinitam maiestatem patratum, deinde quod ad infinitos homines eiusdem contagio serperet. Ac proinde requirebatur homo, qui infiniti simul esset roboris, & meriti apud Deum immensi: qui sanguine suo peccatum adeo graue, tamque diuturnum expiaret. Et quoniam inter homines, tam efficax & præclara virtus non reperiebatur, nec tanta merita; nihil magis proprium aut cõuenientius, ad diuinæ iustitiæ satisfaciendum, potuit reperiri, quam vt Dei filius, cuius maiestas infinita est, humanam naturam induendo, Deo pro homine satisfaceret, proq; humano genere mortem oppeteret. Hoc scilicet expediebat; nulla alioquin cœlum ingrediendi via dabatur, ipsæ paradisi portæ clausæ semper alioqui mãsissent. Ita namq; prædixerat ipse Iesus olim: *Expedit vobu, vt ego vadam,* scilicet ad mortem, & à morte ad inferos, ab inferis ad Patrem. Expediebat vobis, ô Angeli, vt sedes nimirum vestræ replerentur, & pristina ruina restauraretur; Expediebat & vobis Patres, qui in limbo captiui detinebamini, vt Figura eripi posseris; & vobis in primis ô homines, vt hac ratione obstructum cœli limen subiretis. In quam rem figuram è veteri instrumento producam. Homicida qui ob cædem commissam patria eiectus erat, prius in patriam redire non poterat, quam summus Pontifex obiisset. Designabat hoc redemptionem nostram; Auditores: non prius enim poterat primus homo, sui ipsius homicidia, paradiso, patria nimirum sua, extoris factus in patriam reuerti, quã Iesus Christus

Gen. 32.

Iud. 16.

Gen. 22.

2. Reg. 15.

Caiphas in hoc cõsilio propheta fuit.

Ioan. 16.

Num. 35.

stus, summus ille Pontifex, exspiraſſet. Expediebat ergo hunc hominem mori.

Et sane expediebat Domine, mi Redemptor, licet vsquequaque necessarium foret, te nostri causa mortem oppetere: mille namque tibi alioquin media suppetebant, ad nos redimendos, at nullum hoc ipso commodius aut conuenientius. Expediebat scilicet Domine te mori, vt nobis vitam conferres: descendere, vt nos exaltares; humanam naturam induere, vt nos semideos faceres; passionis tormenta subire, æternam vt nobis beatitudinem & infinitam promererēris. O bonitas infinita, ô Redemptor benigniſſime, quas gratiarum actiones, quas laudes tam immensus amor, vel quænam potius obsequia, tam ingens, tam singulare, & adeo eximium beneficium promeretur? Nostræ, fateor Domine, vires non sufficiunt, labascunt humeri: attamen quidquid in nobis est libenter, meritoque dedicamus & offerimus: cor scilicet ad te amandum, corpus ad te adorandum, animam quæ te assidue sequatur, quo tibi sincerum in hoc mundo obsequium offerat, exspectans, donec in altero te plene laudare queat. AMEN.

## SABBATO POST DOMIN. PASSIONIS.

### Partitio.

*I. De pugna carnis ac spiritus.*
*II. De Christi passionibus.*
*III. De clarificatione Domini.*

*Nunc anima mea turbata est.* Ioan. 11.

### FIGVRA.

2. Reg. 19. DAVID Rex cum post Absolomi seditionem commotionemque vrbe profugeret, & nudipes & capite aperto, torrentem Cedron transiret, vt in desertum secederet, ingenti cordis dolore tactus intrinsecus, vultum in mœrorem contraxerat & lachrymas vbertim effundebat. Hodie hanc figūram completam videmus. Verus enim Dauid IESVS CHRISTVS, post cruentam Synagogæ Iudaicæ coniurationem, Ierosolymis secedens, tristitiam induit; passionisque torrentem quem transiturus erat, & desertum Caluariæ in quo crucifigendus, sibi proponens, aperte declarat animam suam esse turbatam, & variis angustiarum motibus concussam. Sunt hæc Domine punctura crucis, & præambula passionis tuæ iamiam instantis: neque enim credo te perturbationi animi interiori esse obnoxium. De hac perturbatione hodierna die, modo SS Pneumatis auxilium, & D. Virginis interueniant preces, verba faciemus. Quamobrem recitemus singuli:

### AVE MARIA.

Patientiæ illud & tolerantiæ speculū Iob, humanæ vitæ ærumnas calamitatesque deplorans, merito mihi dixisse visus est: *Vita hominis militia est super terram.* Vix enim nati sumus, quin statim militiæ ascribamur, eidem assuescamus, & nobis quotidie, & ad finem vsque vitæ bellandum sit. Vix etiam quondam Deus cœlos creauerat, quin eos statim Angeli, idque contra cœlorum naturam, violento quodam cursu & impetu abreptos egerint, ne vllo deinde tempore motus ille quieuerit, sed ad finem vsque mundi permansurus sit, & mundo demum finiente finiendus. Quod præsagium est, mortales, vix nos in hunc mundum ingredi, quin statim aliud quoddam Angelorum genus animas nostras inuadat, & violento quodam impetu transuersos rapiat, ab Oriente nempe gratiarum vsque in Occidentem peccati impellendo; qui impetus quidam est præter rerum ordinem, & naturæ nostræ penitus repugnans. Quod Apostolus optime expressit, dicens: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem tantum, sed aduersus mundi rectores.* quasi diceret: Duo nobis ab ortus nostri exordio bellorum genera instant, & sequuntur quocumque demum fugerimus: bellum scilicet externum, & ciuile. Motus enim quos Duo belli genera in homine.

nobis dæmones, tartarus, & mundus concitant, bella sunt externa: verum quos ipsa nobis concupiscentia, caro, prauique nostri affectus commouent, ciuilia merito appellari possunt. Et quamuis illa vehementiora sint & atrociora, hæc tamen magis pertimescenda sunt, maiorique cum discrimine coniuncta, *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem tantum*; ecce ciuilia: *sed aduersus mundi rectores*; ecce externa.

Vt porro de solis ciuilibus loquamur, nunquam nos illa quietos viuere sinunt, sed ab ipsis incunabulis nos inuadunt, tum quod passiones è natura ipsa proficiscãtur, & cum natura commorantes ad vsque tumulum nos comitentur: tum vero, quod naturæ inhæresçant. Principium vero & ortum à carne hac nequam & praua concupiscentia habent: nam *caro concupiscit* semper *aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem*, vti Paulus ad Galatas ait. Ipsa namque est tentatrix illa Eua, quæ Adamum semper impugnat, in ipso etiam Paradiso, in statu nimirum innocentiæ. Ipsa est fornicaria illa Iezabel, quæ reges etiam potentissimos interimit. Ipsa est peruersa Dalila, quæ Sampsones virosque fortissimos eneruat & expugnat. Aiunt Philosophi motus & agitationes maris ab ipso lunæ incremento & decremento initium sumere: equidem iisdem verbis dixero, omnes omnino motus & animæ nostræ passiones, è praua concupiscentia proficisci.

Vidit olim Daniel arietem duobus insignitum cornibus, qui furiis agitatus, cætera animalia in quæ incidebat, ad terram prosternebat. Non errauero, si per hunc arietem concupiscentiam designari ostendero: ipsa namque est aries duobus insignitus cornibus, appetitu scilicet concupiscibili & irascibili, verum qui adeo proteruus sit & petulãs, vt rationem, spiritum, sensus ipsos interiores, & integram nonnunquã animam ad terram deiiciat, inque peccati mortem præcipitem agat. An non igitur cruenta illa bellatrix, vel furiosa potius Amazon, certamina sua, motus, & rebelliones iam inde à matris vtero nobis intentare præsumit? Accommodate aures, figuras veteres producam.

Galat. 5.

Gen. 2.

2. Reg 21.

Iud. 16.

Dan. 4.

Iacob & Esau iam inde à matris vtero interse digladiati sunt; & cum nondum arma tractare possent, calcibus sese mutuo oppugnabant. O infelices gemini, quam tristia nobis affertis præsagia! Scilicet à primo conceptionis instanti; & ab ipso materno vtero, appetitum sensibilem, concupiscentiam scilicet deprauatam, aut alio licet appelletur nomine, cum spiritu æterno semper digladiari, perpetuaque bella gerere, & alterum in alterius conspirare exitium.

Figur. Gen. 25.

Vix quoque nati erant germani illi fratres Abel & Cain, quin statim arma spirent, adeoque in se mutuo exardescant, vt alter alterius manus cruentet sanguine. Quid hoc denotare putabimus, Auditores, quam spiritum & appetitum vitiosum quamprimum vt existere inceperint, sibi inuicem bellum indicere, tantoque impetu in se mutuo insurgere, vt quamprimũ alteruter occumbat necesse sit?

Gen. 4.

Sara & Agar ancilla, quæ in Ægypto nata erat, nunquam pacifice in familia Abrahæ cohabitare potuerunt. Quid porro designatis, ô mulieres, quam tu Sara rationem, tuq; Agar Ægyptia concupiscentiam, quæ concordes in familia hominis viuere nunquam possunt?

Gen. 21.

Vidua quædam olim Dauidi Regi conquesta est, fuisse sibi duos filios, quorum alter alterum rixando in via interfecerat: *Ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt aduersus se in agro, nullusque erat qui eos prohibere posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum.* Quid per hanc mulierem viduam intelligimus, nisi animam, quæ cum non nisi duos habeat alumnos, spiritum scilicet & appetitum, & ambo simul in itinere vitæ huius viam carpant; & hoc in itinere semper inter se rixentur, sæpe accidit, vt alter alterum interficiat.

2. Reg 14.

Absalom & Amnon eiusdem patris filij, eiusdem mensæ conuiuæ, iniectis sibi inuicem manibus, crudeli parricidio & Thyestæo spectaculo epulas cruentarunt. Spiritus & concupiscentia eiusdem animæ hæredes, & eadem mensa refecti, eodem se sæpenumero modo excipiunt, & consopitum odium redintegrantes, tristia sæpe parricidia

4. Reg 13.

dia committunt. O certamina deploranda! ô bella nimium cruenta! Audite & alias figuras.

Gen.11. Exhis aliquot figuræ alio cetiã loco reperiuntur, sed adiunximus hic tres nouas.

Referunt sacræ literæ, Abraham & Loth, qui fratres appellantur, licet alter auunculus esset, & alter cognatus, nunquam inter se pacem habuisse, sed ipsos etiam pastores eorũ, in agris sæpe inter se rixari solitos. Quid porro significant hæc omnia? nisi duos illos fratres, appetitum & spiritum, vel duas illas sorores, rationem & concupiscentiam, nunquam inter sese pacem habere: quin & ipsos seruos, tot scilicet facultates, quæ vtriq; deseruiunt, semper inter se litigare & contendere. Desuntne igitur figuræ nobis? aut potius, desuntne nobis bella ciuilia, & passionum certamina: bella inquam, quæ nobis successione auita adhæresc unt, quoniam ab ipso Adamo originem sumunt? O bella cruenta, & funebria, quæ nunquam hactenus composita fuistis, quæque in ipso terrestri paradiso ortum habuistis, & continua ad nos vsque successione, de patre in filium, peruenistis, & ad finem vsq; mundi durabitis. Sunt sane immortalia, nec per Sacramenta aut bona opera componi possunt, (durat nempe concupiscentia etiam post baptismum) bella, inquam, quæ nos ipsi potestate propria extinguere non possumus. Nam primi motus non sunt in potestate hominis. Bella denique, à quibus nullus vnquam mortalium immunis exstitit, nec ipse quidem Christus Dominus. Quomodo enim hæc eum oppugnauit concupiscentia in monte Oliueti? tam vehementi namque eum tunc tristitia & pauore concussit, vt à morte parum abfuerit; vnde exclamauit: *Tristis est anima mea vsq; ad mortem:* At quomodo eum in hodierno Euangelio oppugnat? tam vehementem enim ei formidinem & mortis metum incutit, vt præ timore dicere coactus sit: *nunc anima mea turbata est:* Verum, vt quomodo hoc intelligendum sit, cognitum habeamus; de passionibus, quæ in Iesu Christo fuêre, nonnihil loquemur; ac deinde de eiusdem gloria: & super vtrumque hoc concionis nostræ ædificium extruemus.

Passiones animi cruenta bella sunt.

Christus passionibꝰ nõ caruit. Matth. 27.

Principio igitur dicimus, in Iesu Christo passiones fuisse: vidimus namque eum ita succensum & excãdescentem, cum flagello in manus sumpto, & ira intrinsecus concepta, ementes & vendentes templo eiecit, & mensas nummulariorum subuertit: toties quoque eum aduersus Pharisæos commotum audiuimus, cum eorum vitia coarguetet. Vidimus quoque eum lachrymantem super muros vrbis Ierosolymitanæ. An non vero vos lachrymæ passionum & tristitię cuiusdam vehementis indices estis? Vidimus quoque eum in monte Oliueti, præ metu, quem ex imminente morte conceperat, ad terram prostratum: hic iterum eum turbatum, & animi angustia pressum contemplamur. Luc.19.

An non vobis, Auditores, cholera, tristitia & metus, passiones quædam esse videntur, quibus & nos obnoxij sumus? Nunquam tamen eum legimus risisse, sed instar Heracliti semper a risu abstinuisse: vt nos obiter doceret, vitam hanc non esse aliud, quam in vita domum luctus, & tristitiæ theatrum, & nullum hic verum gaudium reperiri: domum hic esse pœnitentiæ & tristitiæ, non vero voluptatis aut deliciarum. Quam in rem egregium nobis conceptum suggerunt Hebræi; qui cum in Ægypto regione aliena versarentur, indesinenter plorabant, & ad patriam suspirantes anhelabant; cumque alij ad lætitiam & voluptatem eos inuitarent, respondebant: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Redemptor nunquam risisse legitur. Psal.136.

Verum vt ad passiones, de quibus agimus redeamus, notandum est, ô theologi, Iesum Christum cum carnem humanam indueret, naturamque nostram sibi desponderet, omnes eiusdem passiones & accidentia, sibi quoque eadem opera adiunxisse & adaptasse, quæ nimirum hypostaticæ illi vnioni non repugnarent, Nam vt Philosophi aiunt, *qui dat esse, dat & quæ consequuntur ad esse*; ita quoque inuersis terminis, *qui accipit esse, accipit & quæ consequuntur ad esse*. Redemptor igitur noster naturam humanam inducens, induit simul & omnem eiusdem dependentiam & consequentiam, omnes nimirum illius passiones, vt famem, sitim, calorem, frigus, ærumnas, miserias, mortem denique ipsam; quæ omnia ipsi naturæ in-

hęrescunt: at nunquam assumpsit peccatum, nec ignorantiam, nec passiones, quæ peccatum denotant, vel aliquam inclinationem ad peccata. Repugnabat quippe hoc perfectioni excellentiæque mysterij huius. Fieri quoque non poterat, vt illa anima diuinitati mysterio incarnationis combinata, peccatum vllum committeret; ad eundem plane modum quo animæ, quæ iam æterna beatitudine perfruuntur. Nam sicut cœlum, vt Philosophi asserunt, corrumpi non potest, nec vlli è primis quatuor qualitatibus, quæ ad corruptionem tendunt, obnoxium est; idque propter formæ cui coniunctum est, nobilitatem: ita mihi de Christo dicendum hic videtur, eum nempe peccare non potuisse, nec vllam è primis passionibus habuisse, quæ ad peccatum inclinant, propter nobilem illam diuinitatis formam, cui anima eius maritata erat.

Cõceptus Philosophicus.

II. Tribus de causis Dominus passiones nostras induit.

Adeo vt omnes, quas Saluator assumpsit passiones, tribus ab eo potissimum de causis assumptæ sint; primo, ad satisfaciendum; vti asserit Augustinus Epistola CXLI. secundo, ad pœnitentiæ exemplum commonstrandũ, vt docet Bernardus Sermon. 2. in Cantic. denique, vt verum sese hominem demonstraret, vt Cyrillus lib. 2. in Ioannem tradit. Dicere alioquin potuissemus, non eadem nobiscum eum naturam assumpsisse. In quam rem audire præclarum è philosophiæ arcanis depromptum conceptum. Quemadmodum enim Philosophi aliam esse cœlorum materiam dicunt alteriusq; naturæ, & aliam rerum harum inferiorum; quoniam non eadem vtraque accidentia habent: idipsum de Christo Iesu dicere potuissemus, si humanam induendo naturam, eiusdem accidentia non simul assumpsisset.

Cõceptus Philosophicus.

*Genes. 24.*

Iacob cum Rachelem Labani filiam, pulchram nimis in vxorem acciperet, accepit simul & sororem eius Liam, quæ non vsquequaque formosa erat; quin & hæc inter cæteras matrimonij conuentiones fuit, vt Iacob partem aliquam emolumenti ex gregibus capiendi haberet. O vere insignem allegoriam! denotat illa, Iacob nostrum, Iesum Christum, pulchram illam hominum naturam Adæ filiam, in vxorem accipiendo, turpem quoque Liam, concupiscentiam inquã, duxisse, quæ deformis, & plane terrena erat: simulque hoc pactum initum fuisse, vt sponsus de gregibus & armentis participaret, de brutalibus videlicet passionibus nostris, partem aliquam haberet.

Allegoria.

D. Thomas de passionibus, quæ in anima Redemptoris nostri fuêre, loquens, ait, tribus eas modis à nostris fuisse distinctas: scilicet, quo ad obiectum, principium, & effectum. nam quoad obiectum passiones nostrę sæpenumero è rebus illicitis originem sumunt. Sæpe namque erga illa afficimur, quæ potius odisse deberemus: sæpe quoque ob ea lætamur, quæ nobis dolorem magis incutere deberent; denique erga ea sæpe inordinate ferimur, erga quæ non est conueniens aut consentaneum ferri. Deinde, quoad principium & originem: non enim est in nostra potestate impedire, ne crudeles illæ furiæ animam subintrent. Nam primi motus, vt diximus, non sunt in hominis potestate; sed statim, vbi quid vel iucundum, vel iniucundum videmus, fieri non potest, quin statim ad illud, amore quodam illicito, eiusdem pulchritudinem diligendo, feramur, aut visa turpitudine, ab ea animum & mentem auertamus. Denique quoad affectum. Nam licet deprauatos illos motus cohibere & compescere possimus, ea tamen illorum aliquando est vehementia, & impetus, vt etiam inuitos nõnunquam ad aliquid præter fas & æquum faciendum abripiant: quin & interdum adeo insurgunt & inualescunt, vt rationis lumen eripiant, intellectui tenebras offundãt, nosque ad ea facienda impellant à quibus abhorrere penitus oporteret.

*D. Thom. 3. p. q. 15. 4.* Passiones Christi trib⁹ modis à nostris distinctæ fuere.

Nouistis crediderim, vos qui passionibus ducimini, quanta sit earum vis & efficacia; mutant illæ namque vultus colorem, motum cordis, totius corporis compositionem, vel sola etiam imaginatione conceptæ. Ecquos illæ motus, ecquas agitationes, ecquas mutationes suppeditant? Dilatatur enim cor nostrum quando exhilarescimus; coarctatur, cum tristitia nos inuadit; Cholera sanguinem commouet & efferuescere facit; Pauor eundem obstupefacit, & frigidiorem reddit glacie. Denique crude-

Vis & robur passionum.

crudeles illæ furiæ nos anhelare, tremere, vacillare & titubare faciunt, adeo vt earum vi lingua balbutiat, dentes fremant, sanguis euanescat, atque omnia membra tremant & consternentur Pallorem quinetiam cient & simul ruborem, & eum demum nobis colorem & habitum superinducunt, quem illis visum fuerit. Dicam igitur vere, ô crudeles furiæ, & infernali Megera truculentiores!

Cõceptus e Philosophia depromptus

Et sicut vapores illi crassi, & tetræ illæ exhalationes, quæ è terra sursum feruntur, solem offuscant, eique lumen eripiunt, tonitrua & fulmina procreant, omnemque ad eo aera perturbant: ita quoque fumosæ illæ exhalationes, & nimiæ cõcupiscentiæ, partis nimirum inferioris, & vapores, id est passiones sursum elatæ, soli rationis lumen eripiunt, tonitrua & fulmina peccati progignunt, animamque confundunt & perturbant. At longe illa aliter in Iesu Christo extiterunt, nihil namque huiusmodi in illo repertum fuit, cum passiones eius nunquam ad res illicitas tetenderint. Semper namque quæsiuit, sperauit, petiit ea, quæ par erat quærere, sperare, petere. Fleuit quidem super tumulum Lazari, at peccatorum nostrorum causa. Gauisus est, sed nostræ salutis ergo: *Gaudeo propter vos vt credatis.* Et hodie anima eius turbata est, sed mortis instantis metu. O præclara passionum obiecta! ô passiones minime passiones. Addo, summum illum Dominum, passionibus suis esse dominatum, easque non habuisse, nisi cum habere vellet. Quid ais? Quid hoc denuntias? Primos enim motus non esse in hominis potestate, aiunt Philosophi; concedo, sed minime id locum in Iesu Christo inuenit. Potuisti enim Domine Iesu omnia obiectorum genera comprehendere, passionibus tamen & primis motibus animum tuum, nisi dum velles, non ingredientibus. Fuisti scilicet magnus ille Æolus, *qui laxare potis ventos, & carcere frenare*: passionum namque tuarum turbines educere in apertum cum velles, potuisti; & eos dum velles, reducere, carceribusque includere; habenas earum laxare & contrahere, dum visum esset.

*Ioan.11.* Christus passionib. suis potuit imperare.

An non vos mecum omnes fatebimini, Theologiæ studiosi, animam Redemptoris, à prima conceptionis hora, omnes dolores & supplicia in crucis arbore aliquando perferenda, præsensisse, & quodammodo prægustasse? An non eadem in monte Thabor præuidisse? notant enim Euangelistæ, si meministis, eum de excessu suo ibi esse locutum, quod omnes de excessu Passionis Patres intelligunt. Et tamen claui, flagella, crux, sanguis, ipsa denique mors, terraq; obiecta, eum ne minimũ quidem permouere potuerunt. Hodie quoque primum turbari incipit, quin & nunquam prius eum dicentem audiuimus, nisi hodie, *Nunc anima mea turbata est.* Quod Euãgelista expresse significare & innuere voluisse visus est: dicit enim *nũc*, vt indicaret hodie venisse tempus, quo passionibus laxare habenas proposuisset: quod & alius Euangelista expressit dicens: *cœpit tristari*, Passionibus igitur suis dominabatur, non vero passiones ipsi. Vnde B. Ioannes Damascenus: *Naturalia in Christo non præcedebant voluntaria, & iratus est, doluit, timuit, quando voluit.* Quid hic clarius aut expressius dici potest? Vidimus eum quidem nuper, si memineritis forsitan, ventis & mari imperantem; quando nimirum totus mundus clamabat: *Quis est hic quia mare & venti obediunt ei?* sed ne obstupescas ô munde; præsagium namque hoc est, mari eum concupiscentiæ, & ventis passionum suarum imperaturum. Vnde earundem hodie habenas laxans, tristitia quadam graui tactus intrinsecus, ait; *Nunc anima mea turbata est* Nam quemadmodum anima eius à primo conceptionis momento beata exstitit. Verbumq; perfecte videbat; quamquam gloriæ suæ torrentem prius in corpus noluerit redundare, quam in monte Thabor transfiguraretur: ita quoque eadem anima mortis semper horrorem in mente habuit, & pœnarum grauitatem præsensit; ita tamen, vt timor nullus aut formido, aut minima eorum portio, partem animæ inferiorem nunquam, ipso impediente, ausa fuerit occupare; vt eadem apprehenderet, donec ipsa hodierna die exterius ostenderet, dicens: *Nunc anima mea turbata est.*

*Damasc. q. 8. cap. 2.*

*Matt. 8.*

*Matt. 17.*

Nullus

Quomodo intelligendū sit Christum passionib. fuisse obnoxium.

Nullus igitur cum audit Iesum Christum passionibus fuisse obnoxium, cogitet eum a passionibus transuersum abductum fuisse, aut insanientium more ijsdem seruisse; aut tales eas fuisse, quales nostræ sunt: ac considerer potius, easdem in nobis esse præter rationem & contra rationem; eo quod nos ad peccandum inuitent, nosque resistentes & inuitos etiam inuadant, etiam nihil minus cogitantes: sed in ipso easdem à ratione, & secundum rationem ac semper rationi subiectas, exstitisse, semper à ratione directas & refrenatas: cum in nobis refractariæ sint, parere rationi nesciæ; atque ideo nullo ordine, sed confuse procedunt. Nemo igitur cogitet, affectus hos vnquam rationem eius turbasse, vel intellectui tenebras aliquas offudisse, sed perpendat secum, quemadmodum in arca Noe omnia animalia pacifice viuebant, tigres, leones, vrsi, & cætera quæ ibidem reperiebantur, nunquam inter se dissidentia, sed perpetuam pacem colentia: ita in gloriosa Iesu Christi anima, veri inquam Noe Arca omnia passionum genera, quæ instar ferarum & brutorum nonnunquam efferascunt, semper in pace vixisse, & nullum vnquam inter ea exstitisse dissidium.

*Gen. 6.*

Vna passio alteram non confundebat in Iesu Christo.

Huc accedit, quod magis adhuc mirandum est, huiusmodi in omnibus facultatibus, & passionibus eius ordinem extitisse, vt vna alteram non turbaret aut confunderet: vnde quamuis dicatis ô Philosophi, & bene dicatis, *motus lumen offuscare id quod minus est*: solis namque lumen stellarum lumini officit: de Iesu Christo tamen dicere non possumus, à maiore in eo passione minorem fuisse impeditam. Vehemens ille clauorum dolor quibus cruci confixus fuit, non impediuit dolorem minimæ etiam spinulæ, caput & cerebrum illius transfigentis. Gloria quoque patris superioris non impediuit dolores partis inferioris, quos in horto Oliuarum sustinuit; aut vehemens ille dolor sensuum in cruce, immensam animæ gloriam. Ita namq; id credendum est, quoniam Redemptor noster viator erat simul & comprehensor, Deus scilicet & homo: Duas naturas in se continebat, contra quam asserebat Eutyches; & vnam tantum personam, quod negabat impius Nestorius; animam item distinctam à diuinitate, contra Apollinarem. Hæc igitur pars inferior est, Auditores, quæ hodierna die aperte profitetur, se turbari, non vero superior: appetitus scilicet sensibilis, & non ratio: natura humana non vero diuina: nunquam enim diuinitas dolorum cruciatuumq; particeps fuit adeo vt ne quidem perpeti quidquam potuerit.

III.

Sed relictis hisce passionibus, ad gloriam nunc properemus, ab vno scilicet extremo ad alterum: ita namque mihi Euangelista præit, dicens: *Pater clarifica nomen tuum*: quasi diceret: Iam tempus venisse videtur Pater, quo potentiam mundo declares: vix enim aliquis in mundo sanctum tuum nomen agnoscit, nullus te nouit: sed iam necesse est clarifices nomen tuum, miraculisque editis illustrius reddas, & famam tibi parias. Ecce instat iam mors mea, iam iam pro hominibus, & peccatoribus mori paratus sum; cum videlicet ita decreueris. Scio mirabiles fore elationes maris, scio, pœnas passionis futuras atroces, atque ideo nunc turbata est anima mea & metu concutitur: sed mirabilis etiam in altis Dominus. Quāobrem, Pater æterne, manifesta nomen tuum mundo, illudque clarifica. Clarius porro eloquere Domine: & quid per diuinum hoc nomen intelligas, significa. Explicat seipsum in Ioannis 17. capite dicens: *Pater venit hora, clarifica filium tuum.* De me ipso, de Filio tuo, ô Pater æterne, tibi hic loquor; iam tempus est vt eum manifestes; ostende igitur modo, eum esse filium tuum; aperi mundo, Angelis, Dæmonibus, & omnibus omnino hominibus, me Deum esse, tibi per omnia æqualem, æternitate parem, demonstra me tibi natura, diuinitate, potentia, omnib. attributis, perfectionibusque similimum. Hic sensus est verborum illorum, *Clarifica nomen tuum.* Sed ô mi saluator, Domine, toties clarificatus es: quænam enim in natiuitate tua fecit mirabilia vt demonstraret te ad se spectare? Euocauit namque Reges Saba, Tharsis & Arabum, vt te veluti Deum in stabulo adorarent:

Explicatur sententia: *Clarifica nomen tuum.*

Pia meditationes.

*Matt. 2.*

*Psal. 71.*

Matt.2. Psal.71. Matt.2. Luc.2. rarent: produxit in regione aeris noua sidera, quæ natiuitatis tuæ noctem mirabili lucerecrearent, & lucem præberent, cum omnia tenebris essent circumfusa: Angelos quoque cælo fecit descendere, qui cęlesti in nocte natiuitatis tuæ harmonia aera permulcerent: Pastores montanis exciuit, qui tibi recens nato qualecunque obsequium offerrent. An non igitur bene clarificauit? Quin etiam cum in mediis Iordanis vndis

Matth 3. baptizandus consisteres, an non Pater ipse clamauit de nube dicens: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui, ipsum audite?* An non te plurimis in vita editis miraculis clarificauit, ttium scilicet mortuorum resuscitatione, tot facinorosorum conuersione, tot leprosorum curatione, tot ægrotis sanitate reddita? quid præter hæc quæris amplius? an non hæc sufficiunt? Sed loquitur hic, proculdubio, Auditores, de gloria passionis suæ. *Clarifica filium tuum*, quasi dixisset: Ecquando tandem Pater cruci affigar? nunquamne me in monte Caluariæ constitutum videbo? nunquam clauorum illorum dulcedinem persentiam? iucundam illam titillationem lanceæ, delicias illas spinosi serti? Quando tandem, ô felix ac ter beata passio, aduenies, quando dies illa effulgebit, vt dignus, qui te subeã, reddar? Ille scil. geminus horum verborum sensus est, *Clarifica filium tuum*. Illic nimirum clarificandus erat, & passionis die sublimis triumphus peragendus, cum videlicet magna illa diuinitatis signa visa sunt, cum sol deliquium pateretur, terra tremeret, sepulchra aperirentur, petræ diffinderentur, mortui denique sepulchris egrederentur. Magna profecto clarificatio, & euidentia gloriæ signa: at maiora adhuc à morte eius signa videbitis. Victor namq; tumulo deuictis hostibus resurgit, glorioſus limbum adit, tartara concutit, omnesque inde captiuos soluit, captiuam ducens captiuitatem, Intrat clausis ianuis, edit opera prodigiosa, cœlos propria virtute conscendit. *Clarifica*, igitur, ô *Pater filium tuũ*, mors illa aliquando aduenias, quæ tantam filio tuo gloriam allatura est. Hoc nempe à te efflagito, huc omnis mea tendit ambitio. Tu vero, ô Fili glorioſissime, toties inquam clarificate, in natiuitate nimirum, vita, morte, ac tanta gloria cumulate, & cui totus orbis acclamat: *Quis est iste rex gloriæ?* Deus de Deo, fili æter- Psal.23. nitate & natura Patri æqualis; cuius gloriam cœlum, terra, atque adeo vniuersa orbis machina demirata est: *Et vidimus* (aiũt cum Euangelista omnes creaturæ) *gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritatis.* Tu fili omnipotens Patris omnipotentis, æterne & infinite ab infinito procedens, saluator meus; quem verum quendam Ianum merito mihi licet appellare, quum Deus sis & homo, Deus scilicet vt Pater, & homo vti nos; quin etiam iisdem quibus nos miseriis, calamitatibus, ærumnis, & passionib. obnoxius; verum longe alia quadam ratione, cum illę nobis imperent, tu vero imperes illis: rationem illæ nostram præueniant, tua autem ratio illas præueneritin nobis vere sint passiones, in te non nisi propassiones. Tu inquam hanc nobis gratiam concede, vt ita eas refrœnare & compescere valeamus, quæ voluntati obtemperent, voluntas vero rationi, ratio animæ, anima tibi, qui verus eius Dominus & Princeps existis. Fac obsecro Domine, eas vt ita comprimere possimus, ne nos violenter abripiant, nosq; committere faciant, quod gratiæ tuæ meritum in mundo hoc, & gloriam in altero impediat. Amen.

Omnis Iesu Christi gloria in passione eius sita est.

## DOMINICA PALMARVM.

Partitio.

I. *De mundi vsu & exitu.*
II. *De Iesu triumphante.*
III. *De Iesu se humiliante, & mundo variante.*
IV. *De Iesu ramos inter & vestimenta exultante.*

*Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis.* Matth.21.

### FIGVRA.

FINITO iam diluuio, columba quam Noe emiserat, ad arcam, oliuæ ramum virenti- Gen.8.

virentibus foliis insignem ore deferens, postlimino reuersa est; vnde colligere licebat Deum hominibus iam esse reconciliatum, & aquas diluuij per orbem sparsas esse imminutas. Hodierna die hanc figuram impletam videmus. Vera namq; illa columba Iesus Christus, finito iam condemnationis nostræ diluuio, egressa iam olim cœlo, vel, si mauultis, sacro virginis vtero, vera Noe arca; hodie ex agris, ramis cooperta, in clarum, remissionis, gratiæ, pacis, reconciliationis, misericordiæque signum, reuertitur. Vnde præsagire licet & augurari, diluuium & aquas diuinæ iustitiæ iam esse imminutas. O diem felicem, & celebri victoria nobilem! ô diem lætum & iucundum! ô beati rami (qui nobis irrefragabiles testes eritis, malorum nostrorũ finem iam aduenisse, & qui certa redemtionis nostræ signa, satisfactionis nostræ arrhæ, reconciliationis nostræ indicia futuri estis) vestras ego hodie laudes & triumphos canere, merita celebrare, deprædicare præconia decreui, modo tu Paraclete Spiritus intellectus aciem exacuas, tuque regina cælorum precibus tuis opitulere: idcirco tibi omnes Aue Maria decantabimus.

I. Mundi vanitas ostenditur.

Philosophus Heraclitus, tantum naturæ præceptis imbutus cum miserias & ærumnas quas hoc in mundo cernere est, cognitas haberet sibiq; ante oculos poneret, adeo animo commotus fuit, vt toto vitæ tempore easdem deplorarit. Ac merito quidem: neminem enim esse putem, qui cum molestias, calamitates, & mala quæ in mundo reperiuntur, penitus intueatur, risu audeat diffluere, sed non perpetuo fletu Heraclitum imitetur. Testes nobis erunt filii Israel: qui cum se in Babylonica captiuitate versari viderent, miseriis & ærumnis circumuallatos, perpetuo ingemitu, singultibus & lachrymis vitam trahebant. vnde Psalmista: *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion.* Et sane quomodo quis apud hospitem lætos agere dies posset, qui variis eum iniuriis prosequatur, eiusq; votis plurimum repugnet: C. Plinius cum natura olim expostulans eandem arguebat, quod ceteris animantibus vt mater, soli homini, vt nouerca exstitisset: sed longe mihi credite, meliori cum ratione id de mundo dicere potuisset; ipse namque ceterorum animalium benignissimus nutritius est, erga hominem vero vt inimicum & crudelem tyrannum sese gerit. In quam rem præclaros conceptus producam.

Psal. 136.

Pestillens ille serpens regulus soli homini nocet, quem solo visu etiam inficit: cetera vero animalia illi innoxia sunt, & ab eius veneno immunia. Mundus quoque pestilens illa bellua, venenoso hoc serpente infinitis partibus venenosior, bestiis non nocet; at hominem ita contagio suo inficit, vt consuetudine sua enecet, & visu etiam venenato interimat.

Crudelis ille tyrannus Pharao Israelitas per diem laboribus defatigabat, & ærumnis conficiebat, circa vesperam vero flagellis terga eorum lacerabat: *flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis.* Eadem omnino tyrannis est & crudelitas mundi: qui cum homines per vitæ diem laboribus exhauriat, & molestiis fatiget, circa mortis vesperam, quando labores iam finiti sunt, sæpenumero ad inferos præcipites etiam deturbat. Exod. 5.

Vix intrauerat olim Ioseph domum Putipharis Ægyptii; quin statim hinc eum hera ad peccandum inuitaret, & illinc herus in vincula coniiceret: *Tradiditq; Ioseph in carcerem vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.* Ad eundem modum nobiscum agitur; vix namque existere in mundo cœpimus, quin statim hinc nos natura ad peccatum sollicitet, & illinc mundus, Putiphatis Ægyptii exemplo, in peccati & mortis vincula coniiciat; è quo nunquam egredi dabitur, nisi vt ad supplicium rapiamur. Vere igitur exclamem, ô munde infelix & fallax! Gen. 39.

Antigoni Regis de popularem gloria.

Macedonum Rex Antigonus, cum de maiestate & dignitate regia sermo incidisset, dicere solebat, regiam potestatem aliud non esse quam splendidam quandam seruitutem. Multo hoc melius de dignitate regia miseri huiusce mundi dicere potuisses ô rex. Ipsa namque nihil aliud est, quam pulchra

quæ-

quædam captiuitas, & aurea seruitus. Et quemadmodum Naaman Syrus opibus quidem affluebat, & regali more induebatur, sed corpus eius lepra oppletum erat: ita quoque mundus vetus ille princeps, diuitiis quidem abundat, & aureus apparet; sed si quis penitus & propius eum intueatur, inueniet proculdubio lepra eum coopertum, putredine repletum, abominationibus refertum, & vitijs sceleribusque fœdatum; denique aliud nihil esse quam meram vanitatem, ac meras inanias. Cum ingentem illum Babylonis colossum contemplor, cuius caput aureum, pedes vero lutei & fragiles, quique ad minimi lapilli contactum in puluerem & in cinerem euanescunt; veram & genuinam mundi imaginem mihi videor intueri. Intueor namque frontem eius splendore & auro effulgentem, honoribus & diuitiis nitentem, at pedes eius non nisi lutum sunt, terra, nihilum, nisi mera vanitas: quæ omnia in fumum abeunt, statim vt minimus fortunæ aduersæ lapillus inciderit. Neque enim plus mundus firmitatis securitatisque habet, quam domus illa, de qua in Euang. quæ arenæ inædificata, ad primam procellam ingruentem ad terram labitur. *Similis erit viro stulto, qui ædificabit domum suam super arenam, & descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina illius magna.* Cùm enim ipse arenæ vanitatis inædificatus sit ad primum fortunæ turbinem omnia concidunt, ita vt omnes qui spem suam in eo stabiliuerunt, in extremo discrimine versentur, & spe sua destituantur. Quin & adhuc multo inconstantior es ô munde, quippe qui non nisi mare es, & mare quidem periculosum, procellosum, vndosum, lapidibus & scopulis infame, fluxuum & refluxuum cõtinuam vicissitudinem habens, in quo perpetuæ agitationes, mutationes assiduæ, & continua inconstantia: de cuius amatoribus & incolis scriptum legitur: *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut Cedros Libani.* vide affluxum: *Transiui, & ecce non erat.* vide refluxum.

4. Reg. 5.

Matth. 7.

Mundus denique nihil aliud dici potest, quam Euripus quidam mille de die agitationes & fluxus secũ deuehens, quam Protheus in omnes sese figuras conuertens, quã Chamæleon omnes, tibi quibus inhæresceit colores adaptans. Exempla requiritis? Romam eamus, in qua velut in theatro, varia ludibrij mundi huius exempla spectabimus. Videbimus imprimis orbis illum potentissimũ Monarcham Iulium Cæsarem, quinquaginta victoriis nobilem, tot præliis feliciter peractis insignem, vigiuti duobus vulneribus in curia, in conspectu totius senatus trucidari. O instabilem rerum fluxum, & fluxas fortunæ vices! Inde in Orientem secedamus, videbimus illic orbis fulmen, mundi domitorem, nouorum quinetiam mundorum inuestigatorem, Alexandrum Babylone veneno exstinctum, triginta ipsos dies, vt informe cadauer, iacentem, & sepulturæ honore, qui etiam vilissimo seruo non denegatur, destitutum. O fortunæ vices admirabiles! Videbimus deinde in carcerib⁹ tuis, ô Iudæa, superbum illum Chananæorum tyrannum Adonibezech, illum 70. olim regum regem, quos instar canum micis ex mensibus decidentibus aluerat, regno deinde exutum, & eandem fortunæ aleam experientem. O vicissitudinem varietatemque rerum! Quin & Sedechiam regem mihi velut in theatro proponis ô Israël, qui cum diuitiis & opibus afflueret, magnamque rerum copiam coaceruasset, mundo lætum auertente vultum, captiuus in Babylonem abductus est, filij eius crudeliter iugulati, thesauri direpti, oculi eruti, vxor violata, regnum denique euersum, & in seruitũtem redactum. Hem quænam procella ô munde; quam euidentia inconstantiæ argumenta! sunt & alia tragicæ huiusce fortunæ exempla passim in Historicorum libris obuia, vt in primis de Imper. Roma. Valeriano: hic orbis imperium cum moderaretur, & à Persarum rege in captiuitatem abductus esset, eo inopiæ calamitatisque redactus est, vt barbaro Ephippiarij munus obiret, stapedemque teneret Persa equum conscendente. Ecce & aliud instabilitatis mundi exemplum, non minus quam priora illa admirandum. Syracusius ille tyrannus Dionysius tam iniquum fortunæ iratæ vultum expertus est,

Iud. 1.

4. Reg. 20.

Alia inconstantiæ mundi exempla.

vt amisso regno, sceptri loco ferulam in manus sumpserit, ludumque literarium in Græcia in senectute aperire fuerit coactus. An non hæc vobis manifesta mundi vanitatis inconstantiæque exempla videntur, Auditores? & mirabiles fluxus & refluxus? At parua sunt hæc, si cum eo quod mox narraturus sum contulerimus.

Videte namque vt hodierna die Rex Regum Christus, hominum & Angelorum Saluator, ac Dei filius Ierosolymam ingrediatur, vt acclametur vndique, Viuat rex, viæ circumquaque peristromatis circumuestiantur, rami per viam spargantur, faustæ acclamationes perstrepant. Et ecce mutatis vocibus post quinque eum dies ad mortem deposcent. Tragica hæc historia in Euangelij nostri theatro spectanda hodie proponitur: prologum D. Matthæus agit dicens: *Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis*. Primus eius actus in triumpho Christi, quo Ierosolymam ingressus est, consumetur: secundus mundi inconstantiam & varietatem spectandam dabit: & duobus hisce actibus totum tragœdiæ huius Argumentum comprehensum vobis exhibebitur spectandum. Quod ad primum actum spectat, Euangelista magnum illum Christi triumphum & magnificum eius in Ierusalem ingressum describens, eum ait asino insedisse, & duodecim Apostolos piscatores veluti stipatores habuisse pauperes Iudææ, veluti assecias & aulicos: loco peristromatum, ramos arborum, quos turbæ in viis sternebant; tubarum loco, faustas & lætas populi acclamationes, clamantes: *Osanna in excelsis*. Spectamus in hoc introitu humilitate mixtum splendorem, atque sublimibus omnia mysteriis plena. Et sane nunquam Princeps ille introitum fecit, qui non semper magnificum quid in se habuerit, ac quandam maiestatis speciem demonstrarit: in natiuitate namque sua, cum in hunc mundum ingrederetur, video stellas obuiam quodammodo procedere, Reges extremis Orientis regionibus excitos Bethleem eum adoraturos magno comitatu aduolare; pastores è Iudææ montanis Angelorum excitatos concentu ad stabulum properare; Angelos in aëre, *Gloria in excelsis* modulari. Et ecce hodierna die, cum paucis post diebus moriturus sit, Ierosolymam ingredienti omnis ciuitas obuiam procedit, viæ & compita vestibus insternuntur, musica symphonia vbique perstrepit, atque omnes cum mortales velut regem agnoscunt. Et veluti Cygnus, cum morti appropinquat, suauissime concinit: ita quoque egregius ille Cygnus Iesus Christus, morti vicinus gaudet, exultat, plaudit, & omnia lætitiæ carminibus replet. Cygnus morti proximus suauissime modulatur.

Hic scilicet Veteris Testamenti figuras completas dicere possumus. Lego namque in Exod. agnum qui in Paschate immolandus erat, 5. ante diebus Ierosolymam cum ramis arborum ex agro deduci oportuisse. Hic vero video agnum illum immaculatum Iesum Christum, ex agris & deserto Ierosolymam quoq; cum gaudio & iubilo, ramisque arborum deduci, vt post 5. dies in monte Caluariæ immoletur. Filij Prophetarum, videntes spiritum Eliæ in Helisæum descendisse, obuiam illi venerunt, vt illum vsq; Iericho deducerent, magnaque animi demissione eundem adorauerunt: at hodie Iudæi Patriarcharum filij, è miraculis quæ Christus edebat colligentes spiritum Dei in eo habitare, obuiam illi procedunt, Ierosolymam vrbem multo nobiliorem, deducunt, & honore ac reuerentia singulari intrantem prosequuntur. Quid amplius? Dauid Rex post cladem Amalecitarum, spoliis onustus, & hostilibus exuuiis ditatus, vrbem Ierosolymam ingrediens, lætis populi applausibus, faustisque acclamationibus exceptus est dicentium: *Hæc est præda Dauid*. Hodie hanc figuram adimpleri videmus; namque dies est, qua Dauid noster, Christus, deuictis hostibus, dæmonibus scilicet atque omnibus inimicis profligatis, vrbem triumphans ingreditur. An non auditis, vt milites eius, angeli nimirum in cœlo, & homines in terra, qui omnes sub illius signis merent, inclamẽt: *Osanna in Excelsis; Benedictus qui venit in nomine Domini*

Figura. Exod. 12. 4. Reg. 4. 1. Reg. 30. 4. Reg. 9.

Cùm Deus Opt. Maxim. domum Achab & omnem posteritatem eius euertere decreuisset, Elisæum Prophetam misit; qui

Iehu

Iehu regem eius loco vnctum solio imponeret, regnumq; in eum transferret, qui quam primum vt in regem declaratus fuit, omnes statim subditi pallia pedibus eius substrauerunt, & lætum insonuere classicum, clamantes, Viuat Iehu, viuat rex Iehu. An non idem penitus hodie contingere videmus? Iesu Christo nempe in regem proclamato, & Ierosolymam cum triumpho & iubilo introeunti, vt Satanæ regnum & imperium subuertat & destruat; omnes Iudæos occurrere, vestimenta in via pedibus eius substernere, clara voce vbique inclamare: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* annon hæ figuræ sufficiunt? annon triumphus hic vobis admirationem incutit? quem dudum ante præuiderat Propheta vaticinans: *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super Asinam.*

Zach. 9.

Cõceptus insignis & modus inuitandi ad S. Cõmunionem.

Egredimini igitur filiæ Sion, animæ, inquam, Christianæ, egredimini mundo remodus in- busque mundi, & videte triumphum Christi Iesu, relinquite negotia & turbas, properate, vt eum cum triumpho Ierosolymam ingredientem videatis. Videte, inquam, regem vestrum introeuntem, regem illum, Deum illum, Messiam illũ, quem iam quinque annorum millibus exspectastis: ecce adest, hodie venit. Venite igitur, accedite, accurrite, nolite timere: non enim est Deus in monte Sinai fulminans & tonans: non est amplius Deus ille terribilis, Deus Sabaoth, Deus exercituum & potentiarum: non est Deus ille zelotes, vlciscens peccata patrum; non Deus ille pugnator, cuius nomen omnipotens: non ille, cuius manus semper armatæ sunt, & qui inebriat sagittas suas sanguine: non denique ille qui regit gentes in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringit eas; Sed est humilis ille Iesus Nazarenus, qui venit tibi mansuetus; Sed est humilis ille Dauid, qui hodie exarmatus contra Goliadam procedit: sed qui olim, vndique armatus in iudicium cõtra stultum Nabal, id est, peccatorem, procedet. Est humilis ille Noë, qui amore & misericordia ebrius, nuditatem suam, humilitatem, inquam, & paupertatem, in arbore crucis toti mundo patefacturus aduenit, vt propter eam ab omnibus Iudæis exsibiletur; sed qui excitandus aliquando, maledictionem in impiam eorum posteritatem euibrabit. *Ecce venit tibi mansuetus*; Plenus dulcedine & benignitate, nihil præter amorem spirans, non nisi de pace, de gratia & misericordia loquens; quid postulas amplius? quid times? insidet ecce asinæ, principes eius non nisi piscatores sunt, milites & cohortes, alia arma non gestant, quam ramos arborum.

Exod. 19. Isai. 6. Exod. 15. Exod. 15. Deut. 32. Psal. 2. 1. Reg. 17. 1. Reg 25. Gen. 9.

III. Insignes cõceptus.

*Dicite filiæ Sion*, quam lætum nuntium, quanta lætitia, & quam lætum iubilum, ô animæ castæ, filiæ Sion! Hodie namque ô Tobię mater, misera, inquam, natura humana, filium tuum adeo exspectatum venientem vides. Hodie ô Iacob, ô infelix Adam, tibi nuntius affertur, paruum tuum Ioseph quem nunquam te visurum putabas, viuere & regnare in tota terra Israël, regem quoque Ierusalem esse declaratum, & breui totius orbis imperium adepturũ, ô iucundos nuntios!

*Tob.* 10. *Gen.* 45.

Sed quisnam tuus est introitus, ô rex Israel! anne tali ille dignus rege, qualem omnes te esse scimus? Quænam illa tua triumphandi ratio est? Vbinam estis Angeli? Quid agitis Cherubin? Cur Dominum & regem vestrum non stipatis? Vbinam modo sunt, Daniel, millia millium ministrantium ei, & decies centena millia assistentium ei? fierine potest Saluatorem meum tam humili habitu procedere? Video namque C. Cæsarem Romæ in curru eburneo triumphantem, quem 40. elephanti trahebant: video Antonium à leonibus inuectum; Aurelianum vero carpento, quod à ceruis trahebatur, insidentem; & ecce orbis Dominus & monarcha hodie Ierosolymam asinæ inuectus ingreditur, in humili animali triumphum acturus.

*Dan.* 7. Triumphi Romanorũ.

Tradit adhæc Suetonius, nunquam Neronem Romam ingredi solitum, nisi mille rhedis stipatum, soleis mularum argenteis. Sesostrin quoque Ægyptiorum regem tradunt curru vehi solitum, quem quatuor reges sceptris & diademate superbi trahebant. Et sane vt Ethnicos relinquamus, Salomon Rex Israël habebat vtplurimum quadraginta equo-

*Sueton in Nerone.* 2. *Paral.* 9.

ta equorū millia in ſtabulis, curruum, equitumque duodecim millia. O ingentem regis alicuius priuati ſplendorem! & ecce regum ille rex Chriſtus nonniſi vilem & abiectam habet Aſinam, ô paradoxa! ô res admirabiles!

Vbinam ſunt modo Deus meus pennæ ventorum, ſuper quas te ambulare tradit Pſalmiſta: *Qui ambulas ſuper pennas ventorum?* Vbinam ſunt iam Cherubin, qui tibi loco ſedium ſunt: *Qui ſedis ſuper Cherubin?* Vbinam ſunt currus illi triumphales, de quibus locutus eſt idem Pſalm. *Currus Dei decem millibus multiplex Dominus in eis in Sinai, in ſancto.* O humilitatem, & paupertatem ſingularem! ô Philoſophiam vere ſanctam & admirabilem! Exclamat hic D. Ioan. Chryſoſt. & extra ſeſe quodammodo raptus demiratur: *Naſcitur in præſepio, fametin deſerto, conuiuia panibus hordeaceis celebrat, pauperibus ſtipatur, hodie Aſina vehitur, nudus in cruce moritur.* Nec hoc nouum tibi videatur Chryſoſtome, ſed cogites velim, Principem hunc ſemper paupertatis, humilitatis, ærumnarumq; noſtrarum profeſſionem feciſſe; vnde ait: *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Pauper quippe fuit in natiuitate, pauper in toto vitę curſu, pauper in introitu, pauper in exitu, pauper in morte, pauper denique & humilis in omnibus.

Pſal. 105. Pſal. 79. Hom. 67. in Matth. Pſal. 87.

Ioſeph Patriarcha licet in tota terra Ægypti primus à Pharaone rege dominaretur, nunquam tamen prioris ſuæ conditionis oblitus eſt: quam vt magis magisque patefaceret, & generis ſui ignobilitatem omnibus demonſtraret, fratribus præcepit vt palam profiterentur, & coram Pharaone dicerent: *Veri paſtores ſumus, & patres noſtri.* Refert quoq; in Apophthegmatis Plutarchus, Agathoclem Siciliæ regem figuli filium, ne qua forſitan inanis gloriæ titillatione ob regnum adeptum, alioſum extra mentis ſtatum abriperetur, & vt prioris vſq; vitæ memor foret, vaſa aliquot lutea inter aurea & argentea, in menſam ſemper voluiſſe inferri. Lechas quoque Poloniæ ſecundus Rex qui ab aratro ad regnum vocatus erat, veſtimenta ſua ruſtica, quibus in agro vſus erat, in eminentiſſimo palatij loco voluit ſuſpendi; vt veſtium ille aſſiduus intuitus, originis obſcuritatem, generisque ignobilitatem ei ſemper in memoriā reuocaret. Egregiæ profecto hiſtoriæ: at ecce hic aliam longe admirabiliorem; videte hic Ieſum Chriſtum, qui, cum & Meſſias, & totius Iudææ Rex ab omnibus haberetur, vt tamen humilis ſuæ conditionis, ſuæ infimæ originis, qua ab infelici Adami progenie deſcenderat, meminiſſet, inter medios honores & pompam regiam, humilitatis ſigna demonſtrantem, & aſinæ inſidentem.

Chron. Pol. l. 1. c. 5.

Audite quæſo benignis auribus, quæ mox dicturus ſum. Magnus ille Thebanorū dux Epaminondas, cum inſigni quadam parta victoria domum reuerſus ſenatum reddere deinde certiorem vellet; multis vndequaque affluentibus, vt tam nobilem & tot victoriis inſignem ducem viderent, eique de victoria congratularentur, ipſe domo vili quadam veſte indutus egreſſus eſt, facie ſubtriſti & ingreſſu quodam ad triſtitiam compoſito. Quam ſubitam mutationem omnibus demirantibus, & cauſam eius ſciſcitantibus reſpondit: *Nimium heri mihi placui: fortuna mutatio metuenda eſt.* Hic vero alterum Epaminondam conſpicimus, omnium regum regem, & ducum ducem Chriſtum Dominum, qui paucis abhinc diebus nobili illo miraculo in Lazaro reſuſcitando edito factus celebris, & hodie tot honoribus affectus, metuens ne fortunæ rota conuertatur, eumque ad infimum ignominiæ gradum deiiciat, ſubtriſtior apparet, aſinaque inuehitur.

Plut. in Epaminonda & Apophteg.

Non eſt porro mi Domine, quod fausto hoc populi applauſu te iactes, aut de læto hoc introitu nimium tibi gratuleris; non ignoras enim quænam parata tibi crux mala paritura ſit, quibuſque te ſuppliciis affectura. Dicere iam poteritis, quod dixiſſe olim Philippum Macedonem tradunt: cui cū tres eodem tempore læti nuntij afferrentur, Alexandri primum filii natiuitas, equorum deinde ſuorum in ſtadio Olympico victoria, poſtremo vrbis cuiuſdam per aliquem è ſuis expugnatio: ſtatim humi proſtratus, oculisque in cœlum ſublatis dicere incepit,

Inſignis cōceptus

Plut. Apophteg.

cepit, fortuna moderare lætitiam, ac tristi aliquo nuntio tantam felicitatem tempera, ne postea simul omnia in caput meum ingruant infortunia. Id ipsum te dicere velim, ô mundi redemptor; cum in gentes hosce honores vides, cum faustum illum populi applausum percipis; dic audacter, ô fortuna, ô munde, ô synagoga, quibus me malis & calamitatibus reseruatis!

2.Reg.1. Post celebrem illam victoriam, quam Dauid de Amalecitis retulit post communem totius populi lætitiam, post applausum & acclamationem vulgi, tristis subito nuntius de profligato Israele, de morte Saulis & Ionathæ, omniumque fortissimorum Iuda, allatus est. Ad eundem quoque modum in magno hoc Christi Iesu triumpho, post tantas victorias quas de diabolis retulit, tristis de instãti passione, cruce, de morte deniq; ei parata allatus est; eiq; omnia quæ impendebant reuelata. Cælitus namq; intellexit post quinque sibi dies in crucis patibulo, idq; in monte Caluariæ, in totius orbis conspectu, esse moriendum.

O munde, quam merito te prius maris nomine nuncupaui, nihilque te esse dixi inconstantius: fierine potest, vt tam iniquam in caput Redemptoris mei proditionem pares? Hodie illum vt regem colis & adoras; & post quinque dies, vt latronem, cruci affiges. Hodie Cæsari eum præponis; & post-
2.Reg.3. paulo Barrabæ postpones. Munde impie & nefarie, similem te si Ioabo esse dixero, non penitus erraturus videor; ille enim Abner, principem militiæ Saulis, benigne affatus,
Gen.42. nefarie interemit: tu vero nequam & scelestè Saluatorem, meum honoribus prosequi videris; & heu! ad crucem eum deducis, in qua eum deinde mori coges. Eadem tua simulandi ratio est, qualis fuit Simeonis & Leui; qui cum se amicos Sichemi fingerent, eidem inscienti & nihil minus cogitanti vitam eripuerunt. Quotidie apud te fieri, mũ-
Esth.5. de, cernimus, quod olim in aula Assueri Regis contigit: in qua Aman eodem quo cum Rege & Regina comederat die, sublimis in patibulo suspensus fuit. Eodem enim tempore, quo Messiam cœlestem illum Regem, intesuscipis, eodem ei & necem machinaris. Ecce hic ô Iudæi redintegratum quod olim in Daniele peractum fuit; hic enim cũ Princeps Satraparum & omnium purpuratorum caput, totiusque Babylonici Regni supremus denuntiatus esset, postridie in lacum leonum deiectus est. O polum ingratum! Hodie inclamas, Viuat rex, & exaltetur Iesus Nazarenus super omnes Principes terræ, & heu! post quinque dies clamabis, inconstans & varians Chamæleõ, *Tolle, tolle, crucifige*, O perfidiam inauditam! ô proditionem singularem! ô nequitiam incomparabilem!

IV.

Ad vos redeo, ô animæ, & inceptam de læto hoc ingressu materiam prosequor. *Ecce Rex tuus venit.* Accurrite omnes vndequaque, properate animæ, vt lætum hunc ingressum contemplemini. Video namque hinc aliquos ramos ex arborib. præscindentes: diuites nimirum & magnates, ambitiosos & elevatos, nisi iudicans fallor; qui in summis arboribus honorum considentes, in cedris nempe diuitiarum, Christo introeunte, superfluas & exstantes ramos amputant, vt eos ad pedes eius, id est, pauperes, prosternant: Illinc video alios vestimenta in via sternentes. Sunt sine dubio animæ pœnitentium, qui corpora sua castigantes, & omnes peccati exuuias deponentes, ad crucis eas pedes deponunt, ibidemq; terra obruunt, vti olim Iacob vxorum idola. Quando sol capiti alicuius ex diametro supereminet, tantus æstus & calor percussum inuadit, vt vestes exuat necesse sit. Ita quoque sole iustitiæ ex diametro Ierosolymæ superimminente, tantus in ea æstus est, vt omnes sese exuant, eique vestimenta substernant. Video & alios, iucundissimo cantu aera permulcentes, & cantantes. *Osanna in altissimis, benedictus qui venit in nomine Domini.* Sunt hi meo iudicio homines, & ipsi etiam Angeli, qui memoriam passionis Dominicæ celebrantes, eundem semper præcedunt, mille laudes decantantes, & immensas gratias ob singulare illud Redemptionis beneficium agentes. Properate igitur, vt iucundum hoc spectaculum videatis; ante omnia vero, vt quo animo, qua lætitia, quoue triumpho hodie Domi-

Quid denotent ii, qui ramos ex arboribus cædunt.

Quid ij qui vestes in via sternunt.

Quid ii qui Osanna cantãt.

Dominus Ierusalem ingrediatur, cernatis.

Dicito mihi Domine Iesu, vnde hæc tam insolita tibi lætitia, vnde hæc tanta tibi iucunditas? quare gaudium tuum ramis hisce triumphalibus, per faustam illam acclamationem populi, declarare voluisti? Omnes nimirum illæ externæ species, & triumphi, desiderium tuum indicabant, quod à tanto iam tempore coneeperas, vt nostri causa aliquid pati posses. Ita namque prædixerat vates ille regius: *Exultauit vt gigas ad currendam viam.* idque ad exemplum delphini, quem tradunt naturalium rerum auctores, exultare cum grauior tempestas impendet. Hinc primogenitus ille cœlestis, magnam illam passionis procellam impendere præsagiens, exultat, lætatur, ac triumphali iubilo animi sui gaudium testatur. Atque vt Ægyptii in filiorum morte exultabant, ita totus orbis in morte infantis cœli, nescio quo occulto imminentis eius passionis instinctu gaudet & exultat. Hic denique cygno moriente cantus exauditur, & lætum in funere eius carmen funditur.

*Psal.* 18.

Exultat Dominus quando de passione loquendũ est.

O amorem, & claritatem singularem! ô Ætnæos ignes! ô fornaces diuino æstuantes incendio, quæ filium Dei ad mortem impellitis, & cruci suffigitis! Expressa sunt hæc omnia in rufa illa vitula quam immolari iussit Deus extra castra, cuiusque cineres in expiationem munditiæ legalis adhibebantur. Sed quare hunc potissimum colorem putamus Deum delegisse, nisi vt nobis rubicundum & cruentum humanitatis Iesu Christi sacrificium, quod extra Ierosolymam pro peccatorum totius mundi expiatione offerendum erat, declararet; & color ille rubeus ardẽtem illam charitatem, quæ eum ad hoc sacrificium peragendum impelleret, significabat. Ille est ignis qui eum interius hodie ita succendit, vt magna animi alacritate & gaudens ad redemptionis nostræ sacrificium faciendum accedat. Et sane quis eum cœlo euocauit nisi charitas? quis eum flagellis, cruci, ferro, supplicijs, morti denique subiecit, nisi ardentes illæ charitatis faces & æstuans salutis nostræ desiderium? Illa, illa charitas, de qua Salomon in cant. ait: *Aqua multæ non potuerunt extinguere charitatem,* est sine dubio dulce illud holocaustum, quod gloriæ paternæ, nostræque salutis amore æstuans & succensum, in ignem passionis se proiecit, vt cineres eius, gloriosa scilicet merita, omnia mũdi peccata & crimina expiarent.

*Num.* 19. Figura.

*Cant.* 8.

Quid bone Iesu? anne tibi adhuc animus est applausum illum populi excipere? an non amplius crucis meministi? Magna quidem fuit passio Domini, sed amor & charitas erga te ô anima, quæ eodem illum impellebat, multo maior & vehementior. Contemplare obsecro sacræ illius humanitatis vulnera, sunt illa tibi totidem quasi signa, & quodammodo fenestræ, per quas amorem in eius corde secreto æstuantem perspicere possis. Sed erro, & impono tibi, ô anima; non enim sufficiunt illa ad magnum illum charitatis ignem tibi demonstrandum: plus enim latet intrinsecus, quam patet deforis; vix namque mediam amoris partem ipsa expressit passio. Cuius rei egregiam in libris Regum figuram intueor. Scriptum est enim Salomonem in templo suo fenestras obliquas fecisse, quæ interius quidem erant latissimæ, at exterius angustæ, adeo vt qui eas forinsecus videret, de earum interiori latitudine iudicare non posset. O sacra Christi humanitas, fuisti sine dubio templum hoc, & vos ô sacra vulnera totidem fenestræ per quas patet dilectio, quam erga animas nostras ostendit filius Dei vnigenitus; obliqua tamen facta estis, adeo vt grandiora sitis intrinsecus quam extrinsecus: & foramina exterius parua sint & exigua, si charitatem intus æstuantem consideremus, paratum mille iterum cruces, passiones nouas, & vulnera multo grauiora & atrociora satiusque patentia perferre, quam hæc ipsa quæ gestat. Addo vt qui vos videat, de amoris illius magnitudine diiudicare non possit, is enim multo maior est, quam tota eius passio. *Obstupescite cœli super hoc,* Sistite cursum orbes cœlestes, ac videte mecum, filium Dei hodie in triumpho suo exultantẽ; ac post quinque dies in crucem sustollendum. Lynx illa quæ videt & penetrat omnia:

Pia meditatio.

3. Reg. 6. Figura.

*Hier.* 2.

fructum

fructum passionis inspicit & prospicit, videt mundum passione sua redemptum, peccata remissa, cœlum apertum, Patrem hominib. reconciliatum, tartara dispoliata, hominem salutiredditum, gratiam deniq; obtentam; an non igitur magnam gaudendi & exultãdi segetem habet? Hoc ipsum scilicet est, quod toties, tamq; ardenter desiderauit, dicens: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare.* O Iesu admirabilis, tu Salamandra es, quæ in flamma velut in deliciis viuis & pasceris: es rosa, quæ odorem effundis, & florem reseras inter medios aculeos; es struthio quæ durissimum passionis ferrum & chalybem digeris & consumis.

Matth. 26. Insignis cõceptus.

Iam vero tempus est, vt peccatis egrediamini, filiæ Sion, & videatis regem Salomon in diademate, quo coronauit eum mater sua in die lætitiæ cordis ipsius, id est, die passionis, die triumphi & gaudii quem tantopere desiderauit. Egredimini igitur, abscindite ramos illos superfluos diuitiarum & opum, eosque ad terram prosternite. Deponite vestimenta illa vetera peccatorum vestrorum, *Exspoliantes vos veterem hominem*, vt ait Apostolus; clamate & cãtate indesinenter. *Osanna filio Dauid*, id est, Domine cõserua te, vel, vt alia versio habet, Deus regem nostrum custodiat, & prospera cuncta ei succedant: felicem scil. successum habeat ingens illud passionis, quod ei iam instat, certamen, & victor in eo euadat, atque ideo his ad Deum Patrem verbis inclamemus.

Col. 3.

O Pater æterne, omnipotens exercituum Deus, qui ab omni æternitate filium dilectũ ad mundum debellandum in terram mittere destinasti, vt homines damnatione eriperet, & pro peccatis nostris apud maiestatem tuã satisfaceret: quippe eũ hodie ad crucis certamina, ad passionis prælia, ad Caluariæ bella immittis; O *sanna filio Dauid*, feliciter regi nostro omnia succedant: *Domine saluum fac Regem*, ad bellum hodie properantem. Crudelia haud dubie illi imminent certamina, ô Pater, & graue ei instat bellum: nam vt omnis armorum vis in Regem Israel inclinabat, vt ait Scriptura; ita timeo ne totus iræ tuæ & choleræ nimbus, omnis dæmonum vis & potentia, omnes Iudæorum furiæ & rabies in vnicum regem nostrum exonerentur. *Osanna* igitur *filio Dauid*, conserua illum, protege illum, eumq; ab omni grauiore periculo immunem præsta; *Osanna filio Dauid.*

Psal. 19.

2. Reg 23.

Tu vero sume animum, ô mundi Redemptor, salua te ipsum ô rex, fili regis, regum rex, & totius vniuersi monarcha. sume inquam animum & noli timere, moriens enim ad exemplum Sampsonis inimicos morte afficies. Eia age, spondet namque Pater, feliciter omnia tibi successura, non secus atque olim Patriarchæ Iacob, percusso quidẽ sed tamen victoriam consecuto: vulneraberis quidem in cruce, & vulnere lethali, sed victoriam sine dubio consequeris. *Osanna* igitur, salua nos, tua nobis gratia succurre, vt postquam fidele tibi hoc in mũdo obsequiũ exhibuerimus, triumphumq; tuum in Ierusalem hac inferiori admirati fuerimus, multo glorioſiorem & excellentiorem in Ierusalem cœlesti spectare possimus, vt te in æternum illic laudare & benedicere mereamur cœlesti beatitudine perfruentes.

## FERIA II. HEBDOMADÆ MAIORIS.

### De sacrosancto Missæ sacrificio.

Partitio.

I. *Fuisse semper esse q, oportere sacrificium.*
II. *De substantia Missæ.*
III. *De perennatione Missæ cum Ecclesia.*
IV. *De blasphemantibus Missam, & eam celebrantibus.*

*Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Psalm. 109.

### FIGVRA.

POstquam dilectus Deo Abraham quinque Reges profligasset, & victor iam ad propria remearet, Melchisedech Rex, & sacerdos Altissimi in lege naturæ, panem simul & vinum in gratiarum actionem de obtenta victoria Deo offerens, obuiam ei processit. Gen. 14.

Quo nihil aliud quam sacrosanctum Missæ sacrificium denotari puto: nempe post celebrem illam de vniuerso mundo in arbore crucis deuicto victoriam, fore, vt verus ille Melchisedech, Iesus Christus, Rex simul & Sacerdos in lege Euangelica, sacrificium panis & vini quod nos Christiani Missam modo nuncupamus, Patri æterno semel ante mortem ac semel deinde per Sacerdotes, Vicarios suos, in Ecclesia offerret. Sacrificium inquam verum, licet incruentum, vere nihilominus corpus & sanguinem eius in se cõprehendens: sacrificium, quod quotidie illud ipsum repræsentat, quod olim in arbore crucis semel peractum est: sacrificium denique omnium sacrificiorum summum ac primum, cuique hodiernam concionem dedicabo: modo summo illi Sacerdoti secundum ordinem Melchisedech, qui primus id ipsum obtulit, & quotidie adhuc offertur, visum fuerit intellectum illuminare, glorioseque matri eius, suis nobis patrociniis adesse. Ideo eam salutatione & verbis Archangeli Gabrielis salutemus.

AVE MARIA.

Quod Q. Curtius Trogus, eiusque abbreuiator Iustinus de Alexãdro Macedone tradiderunt, eum, licet ab omnibus mundi nationib. formidaretur & coleretur, ab omnibus tamen eadem intentione & voluntate cultum fuisse: id mihi de summo illo mundi monarcha, vniuersique creatore dicere iure meritoque posse videor. Nam quamuis aliquomodo ab omnibus mundi nationibus, paruis vel multum, male vel bene adoretur: omnes tamen eum velut summum Dominum per sacrificia quæ ei offerunt, agnoscunt. Adeo vt quemadmodum nulla vnquã natio extirit, adeo barbara & immanitate fera, aut nulla mundi regio adeo ab omni humanitate, hominumq; consuetudine remota: quæ non semper aliquẽ religionis cultum ostẽderit: ita quoq; dicendum sit, nullã vnquam religionem sine sacrificio, ac nullũ sine sacerdotio sacrificiũ exstitisse, atq; omnem adeo mundum religionem & cultum erga Deũ semper per sacrificia demõstrasse.

Sacrificia cum ipso mũdo inceperũt.

Vix namq; conditus erat mũdus, quin statim sacrificia in vsu esse cœperint, summoq; Deo offerri. Scimus enim Abelem sacrificiũ obtulisse: *Abel obtulit de primogenitis gregis sui.* Quid? tamne antiqua vestra origo est, ô sacrificia? anne cum mũdo existere incepistis? Non habet ecce nisi duos Adã filios, & mundus tres tãtũ viros, tertius sacerdotẽ agit, & immolat Deo sacrificium. Noe quoq; statim à diluuio sacrificãdi hunc ritum restaurauit, obtulitq; Deo in gratiarum actionem, quod ab vndis diluuij seruatus esset, sacrificium de omni genere animalium: verba scripturæ producam: *Ædificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Quam vero celebre tuũ sacrificiũ est, ô Abraha, cui præcepit Dominus, vnicũ vt filium Isaac in monte immolaret? quod reuera sacrificium fuit plenum mysteriis, quodq; Christum verũ Isaac, in mõte, idq; patris manu, propria inq; voluntate, immolandum demõstrabat.

*Gen. 4.*

*Gen. 8.*

Elias deinde sacrificium obtulit, in quo plurima miracula contigerunt: ignis quippe *3. Reg. 18.* de cœlo descẽdit, aqua comburitur, lapides flammescũt, pseudoprophetæ Baal cœlitus castigati emoriuntur. Laudatur quoq; in Sacris litteris Iob à sacrificiorũ oblatione, cum enim filii quotidie epularentur, & dissolutiones conuiuiaq; frequentarent, obtulit ille Deo sacrificia, ne forte peccando illi eũdem offendissent, ideoq; victimis eum illis propitium reddebat. Quot igitur in vtraq; lege sacrificia reperiuntur? An nondum hic finis. Summus item ille Iudæorũ Pontifex Aaron, *Leui. 3.* mille Deo holocausta, mille victimas, mille animalia immolauit. Video quoq; filios Israel in deserto tabernacula erigere vt in ijsdem sacrificia Deo offerrent. Dauid eiusque filius Salomon superbum illud templum ex- *3. Reg. 1.* struxerunt, in quo Deo sacrificarent: & sane Salomon ipso dedicationis eius die hostias pacificas, boum viginti duo millia immolauit. O sacrificiũ nobile & perquam celebre!

*Iob 1.*

Ecce igitur à quatuor aut quinq; annorũ millibus, omnia plena sacrificiis, templis, altaribus, sacerdotibus, & cæremonijs repleta omnia: & quod maius est, post omnia illa sacrificia, Sacerdos & Pontifex Christus Dominus,

minus magnum illud & cruentũ sacrificium in crucis arbore peragit, se ipsum Deo Patri, ad peccatorum totius mundi expiationem, offerens; quod infinitis partibus satis erat, vt mille eodem mundi redimerentur. Quod longe profecto excellentius & diuinius est illo, quod Iephte Hebræorum Dux obtulit, dum charissimam filiam in hostiam mactauit: longe excellentius illo, quod Abraham Patriarcha facere decreuerat, filium vnigenitum immolando: longe præstantius eo, q̃ Pythagoras obtulit, qui ob vnam in Matheſi figuram repertam hecatombas immolauit. Sacrificium denique cruentum, quod non nisi semel oblatum fuit, sed quod nobis incruentum quotidie in oblatione Missæ repræsentatur: sacrificium, inquam, quod Iesus Christus primo instituit, & quod sacerdotes deinde in Ecclesia quotidie renouant, quodque mille locis è sacra Scriptura adstrui potest, ac potissimum verbis illis Psalmistæ: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quæ vt vobis declarem, primo quid ipsa sit Missa dicam, deinde verum etiam sacrificium esse aperiam, & duabus hisce basibus totam Missæ dignitatem, gloriam & sanctitatem superinædificabo.

*Iud.11.*

*Gen.22.*

*Psal.109.*

II. Quid significet ipsa vox, Missa.

Principio igitur verbum, Missa, non est vox Græca, atq; ideo nulla eius in Nouo Testamento fit mentio, quod Græco idiomate ab Apostolis conscriptum fuit, sed eius loco Græci vtuntur verbo λειτουργία, quasi dicas publicum ministerium. Dixerunt aliqui vocem esse Hebraicam, quæ à Rabinis originẽ sumpserit, quæq; idem omnino signet, quod oblatio voluntaria. Sed nullo prorsus hi nituntur fundamento: si enim Hebraica vox esset, Syri profecto & Maronitæ, atq; alij Orientales, qui Missam etiamnum quotidie lingua Chaldaica celebrant, eamdem retinuissent. Græci quoq; eius vsum seruassent, eamque hodierna etiam die vsurparent, vti alias quasdam voces Hebræas vsurpãt, quales sunt, Amen, Alleluia, Sabaoth, Osanna, Pascha, aliæq; innumeræ, quæ apud eos etiam modo in vsu sunt.

Non est vox Hebraica.

Aliunde quoque colligere hoc licet, quia nimirum veteres Patres, qui Hebræam linguam optime calluerunt, vt Origenes, Tertullianus, Iustin°, Epiphanius, & Hieronym° (quibus in eiusdẽ linguæ cognitione comparo paucos, antepono neminem) eamdem nõ vsurparunt: quod sane dicere non possemus, si vox Hebræa foret: Præterea si quis vocem hanc Hebræa ciuitate donare vellet, & per eam, oblationem voluntariam intelligere; aliter eandẽ scribat oportet, scilicet Missach, quod hactenus tamen à nemine factum fuit.

Vox Missa Latina est.

Dicendum est igitur, Auditores, Missam verbum Latinum esse, quasi à dimittendo populo detiues, quod populus in eadem dimittatur. Verum Missa vt plurimum, & communi maxime notione, significat omnem actionem sacram, quæ cruentum nobis crucis sacrificium repræsentat, & in qua plurimis cæremoniis tam præcedentibus, quam subsequentibus, sacratissima Eucharistia conficitur. Denique vox hæc, Missa, deriuetur vnde cuiuis visum fuerit, significat omne id, quod Sacerdos ante altare peragit, & ad viuum nobis repræsentat quidquid Christus in cruce prius præstitit vnde dictum est: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Eucharistia sacrificium simul & Sacramentum.

Vt autem hæc omnia intelligantur, notandum est Catholici Auditores, sacram Eucharistiam sacrificium simul esse & Sacramentum: vt sacrificium enim, respicit Deũ: vt sacramentum vero, homines: in eo quod offertur, sacrificium est: in eo quod nutrit & reficit, sacramentum: vt sacrificium, sacerdotem solum respicit: vt sacramentum, omnem fidelium cœtum: vt sacrificium, Missa dici potest: vt sacramentum, communio.

*Exod.12.* Figura.

Cuius rei figurã depromam, Agnus Paschalis, verus sacræ Eucharistiæ typus, non modo per domos & familias distribuebatur & consumebatur, sed offerebatur quoque, vt sacrificium. Signabat hoc sane, verum agnũ, Christum Iesum, non modo à populo in sacra Communione, vt sacramentum, sumendum esse, verum etiam in Missa, vt sacrificiũ offerẽdum. Sicut duobus mundus polis voluitur, arctico & antarctico: quorum alterum si quis auferret, tota mundi machina pessum iret & collabasceret. Ita quoque Eucharistia microcosmus miraculorum, duobus veluti polis innititur, sacramento & sacrificio: quorũ vnũ si quis auferret, omnẽ hunc mirabiliũ

*Ezech.1.* orbem subuerteret. Mirabilis ille Seraph in, quem vidit Ezechiel Propheta, duas facies habebat, hominis scilicet & leonis: sacra etiam Eucharistia, quæ mysterium omnino Seraphicum est, duos respectus habet, Sacramenti scilicet & sacrificij.

Cõceptus à naturalibus rebus petiti.

Tradunt Scriptores Naturales, in Alpibus, quas olim Italiæ vallum ac propugnacula appellarunt, herbam quamdam reperiri, duos tantum ramos habentem: sed eius virtutis & efficaciæ, vt si animalia quæ in montibus illis viuunt, vnum è duobus ramusculis gustent, quamprimum emoriãtur: sed si vtrumque nihil damni aut lesionis sentiant. Idipsum de sacra mihi Eucharistia dicere licet, esse scilicet illam, plantam quamdam cœlestem, in Ecclesiæ montibus excrescentem, sed duo tantum cornua vel potius ramos habentem, sacramentum & sacrificium: quorum si quis vnum tantum degustat, moritur & hæreticus censeri debet: at qui vtrumq; sumunt, & per fidem digerunt, sacrificium & sacramentum simul, nullum penitus detrimentum patiuntur, sed omnia illis ad votum succedunt.

Cæremoniæ Missales mutatæ quidẽ aliquando fuere, sed non Missæ substãtia.

Missa igitur, Auditores, si accipiamus vti diximus, tribus in rebus sita est, consecratione scilicet, oblatione, & sumptione: tribus his præclaris actionibus tota innititur, quæ tamen omnes ad vnam referuntur, id est, ad sanctum Missæ sacrificium. Omnes porro quas vsurpari videmus cærimonias, alio non respiciunt, quam vt auditores ad pietatem excitentur, mentesque ad digne audiẽdum præparentur: adeo vt mirandum non sit, nec nouum videri debeat, si mutatis aliquando temporibus & ipsæ nonnunquam immutatæ sint. Hinc in annalibus ac veterum monumentis Patrum legimus, Damasum Papam, recitationem *Confiteor*, Missæ addidisse: Cælestinum, *introitum:* Diuum Gregorium, *Kyrie eleison*: Telesphorum, *Gloria in excelsis Deo:* ipsa tamen eius substantia nunquam immutata fuit, nec ipsæ cæremoniæ, nisi vt ad doctrinam Apostolorum veterumque traditionem quam maxime conformarentur.

Missa sacrificium

Ipsa itaque Missa sacrificium est, & sacrificium incruentum, in quo Iesus Christus, victima illa in cruce olim pro totius humani generis salute oblata, Deo Patri offertur, incruentus, sine morte, sine cæde, sine passione: *Iam enim amplius Christus non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Non sunt sacerdotes, ô hæretici, sicarij, carnifices, Anthropophagi, barbari: non sunt noui aliqui Iudæi, qui nouas cruces erigunt, quibus Christum iterum affigant. Actio illa non est cruenta, non conspicitur illic mors, & tamen non nisi mors Christi illic renouatur. Et sane si quid huiusmodi contingeret, non hoc sacerdoti, sed Iesu Christo imputandum foret: ipse enim præcipua actionis pars est, sacerdos non nisi instrumentum. incruentum est. *Rom 6.*

Dico itaque Iesum Christum, sacrum ipsum peragere, ipsum hic sacrificare, sacerdotem vero sub ipso constitutum, velut instrumentum agere aut operari. Testem hic habeo Ioannem Baptistam, & quod ille de baptismo loquens de Christo dicebat: *Ipse est qui baptizat*; idem omnino de sacrificio Eucharistico, ac de reliquis in genere Sacramentis dicere possum: Ipse est qui sacrificat, ipse est qui absoluit, ipse est qui confirmat. Vadem quoque hic habeo Apostolum Paulum, qui ad Hebræos scribens ait, non esse nisi vnum Sacerdotem. Confitemur hæretice, & cum D. Paulo concedimus, non fuisse, nec vllo vnquam tempore futuros, plures sacerdotes, sed vnum summum Pontificem Iesum Christum: nos enim non nisi ministri eiusdem sumus, qui verba ab eodem prolata resumimus: qui eadem tantum pronuntiamus, cum ipse veluti summus Magister, vel ut Sacerdotum omnium vertex, Sacramentum perficiat; Dic veritatem Paule, qualesnam simus, *sic nos existimet homo, vt ministros Christi:* aliud enim non sumus, quam chori frequentatores, Iesus Christus solus summus est Pontifex. *Ioan.1.* *Heb.9.* Christus est Pontifex, nos tantum ministri sumus. *1.Cor.4.*

Hinc discatis velim, Auditores, Missam à neqnissimo Sacerdote celebratam tanti esse apud Deum valoris & meriti, quanti illa, quam recollectissimus Capucinus celebrasset: vterque enim illo loco non nisi instrumentum est: & Sacramenta ipsa non agunt ex opere operantis, sed opere operato, vt

Theo-

Theologi loquuntur. Quidquid demum sit, sacrificium est.

Figura. Leuit. 19. Reuocate quæso in memoriam, insignem quam in Leuitico legimus figuram: Præceperat olim Deus, vt duo hirci educerentur, quorum alter in holocaustum pro totius populi peccatis offerretur: alter vero liber dimitteretur. Contemplamini hæc attentius, & videte, num hæc cærimonia geminum illud sacrificium, quod in lege Euangelica iam iam peragendum erat denotet? Primus namque hircus signabat agni illius purissimi sacrificium, in arbore crucis pro peccatis totius orbis criminibusque oblati: alter vero sacrificium Missæ incruentum, in quo idem Agnus Deo Patri immolatur, licet non iuguletur, licet sanguinem non effundat, aut vllum mortis periculum subeat.

Duo sacrificiorũ genera.

Sed quanam de causa Domine, aut quo fine nouum hocce sacrificium instituisti? an non sacrificium, quo in cruce oblatus fuisti, sufficiebat? An nõ hoc ad mundi redemptionem satis erat? aliudne nouum ad animarum nostrarum salutem requirebatur? Quo tendis ô anima? quo non rimando penetras? sed vide ne in profundis hisce mysteriorum abyssis cæcutias.

Sed hoc fixum habeto, Redemptorem tuum in arbore crucis pro totius quidem mundi salute, ac plena omnium eiusdem, vel mille etiam mundorum, criminum remissione oblatum fuisse: sed nullum inde toti mundo emolumentum posse accedere, nisi eidem rite applicetur: atq; ideo Redemptorem (obstupesce obsecro, anima, bonitatem Seruatoris, & benignitatem, & immensas ob tam singulare beneficium gratias ei agito) plurima remedia instituisse & excogitasse, quibus nobis sanguinis eius in passione effusi merita applicarentur: atque inter cetera sacrificium quoddam corporis sui, non quidem cruẽtum, sed quod nobis eius, quod olim in cruce cruentum peractum est, memoriam refricaret, eiusque merita nobis applicaret. Porro noli dicere, Sacramenta sufficisse ad illa nobis merita applicanda, passionisq; fructus impertiendos: neque enim illa satis erant, vt meritum mortis, crucis & passionis Christi, mortuis applicaretur, verum ad hoc ipsum sacrificium requirebatur. Deinde necesse erat, vt Christo ex hoc mundo abeunte, non minus in lege Euangelica, quam fuerat olim Mosaica & Naturali, sacrificium aliquod visibile in Ecclesia permaneret.

Hæretici insaniunt cum de sacrificio aliquem loqui audiunt.

Sed insaniunt hæretici, frendent, & efferascere videntur, cum adhuc Ecclesia de sacrificio, sacerdotio, & præsertim de Missa quẽquam loquentem audiunt. Et quemadmodum Elephanti & tigres, viso colore rubeo aut puniceo furere & efferascere incipiunt: ita illi multo crudeliores, quam primum vt rubrum illum sacrificij colorem sanguine, cruce, & Iesu Christi meritis rubicantem sibi obiici vident, frendent & indignantur. Sed scripturis, figuris, & prophetiis rem illis testatam faciamus, esse scilicet penes nos, verum aliquod sacrificium, illudq; sacrificium. Missam esse.

Simile.

III.

A Dauid Propheta ducam initium: hic etenim aperte sacrificium insinuans, dixit: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Idipsum deinde confirmauit Paulus Epist. ad Hebr. Dico igitur (ne quis Dauidem & Paulum, hunc Apostolum, illum vero Prophetam, mendacij coarguat) Iesum Christum sacrificium panis & vini instituisse; cuius figura fuit ipsum sacrificium Melchisedech: qui, vt patet in Genes. Abrahamo post cladem regum reuerso, panem & vinum Deo obtulit. Ecce & aliud argumentum è verbis illis: *Tu es sacerdos in æternum.* Si enim Christus sacerdos est in æternum, si sacerdotium eius perpetuum est: necesse est, vt semper aliquod sacrificium sit: nullum namque sacerdotium extitit, quod non annexũ semper sacrificium habuerit. Dico igitur Domine, te adhuc summum illum Pontificem esse, & bene quidem: cum sis Sacerdos in æternum, quare necesse etiam est dicere, nos etiam modo aliquod sacrificium habere: sacerdos enim alioquin esse non posses.

*Psal. 109.* *Heb. 7.* *Gen. 14.* Christus sacerdotium æternum.

Hinc factum est, vt ab ipso mundi exordio in hoc vsque tempus sacrificia continua semper serie Deus retinuerit, vt ita sacerdotium suum æternum redderet: omnes enim sacerdotes vtriusq; legis nõ nisi figura & typus erãt sacerdotij Iesu Christi: vti & omnia sacri-

sacrificia aliud non denotabant, nisi hoc nostrum. Quamobrem, si summus ille sacerdos tam fuerit sollicitus, vt sacerdotium suum, tot sacrificiis ante incarnationem suam oblatis, continuum & perpetuum redderet, qui fieri potest aut credi, eum sequentibus id seculis intercidere passum esse? aut permissurum, vt sacrificium ipsum intermoreretur, & sacerdotis nomen, sibi in æternum debitum, ita extingueretur? Aut quomodo tu Dauid, & tu Paule sacerdotij eius æternitatem offenderetis, si nullum amplius sacrificium exstaret aut supereſſet?

Probatur sacrificiū per figuras.

Venio iam ad figuras, & imprimis Agni Paschalis figuram propono, itaque argumētor: Agni Paschalis oblatio, & celebratio vera sanctissimæ Eucharistiæ institutionis figura fuit: at Agni Paschalis celebratio, vera quoque erat immolatio victimæ decollatæ: necesse est igitur, vt figuratum cum figura coincidat, in Eucharistia immolationem esse, ac proinde sacrificium. Fuerunt deinde in lege Mosaica tot etiam sacrificia, quæ non nisi figuræ erant eorum, quæ in lege Euangelica peragenda erant. Necesse est igitur, nos, qui sub lege illa viuimus, verū aliquod sacrificium habere, quod per tot figuras præsignatum est: at nullum aliud habemus, quā Missam: vnde sequitur, Missam verum esse & reale sacrificium.

*Exod.12.*

*1.Reg.2.*

Figuras excipiant Prophetæ. Propheta quidam olim Heli sacerdoti prædixit, fore aliquando tempus, quo sacerdotium Iudaicum finem acciperet, ac nouus penitus sacerdos exoriretur, qui ambularet coram Deo omnibus diebus: quod Augustin. de Messia futuro interpretatur, in cuius diebus noui sacerdotes exorirentur, qui nouum quoque sacrificij genus, quod Missam nuncuparent, oblaturi essent. Salomon quoq; in Prouerbiis apertissime de hoc sacrificio intelligendus est, dicens: *Sapientia ædificauit sibi domum, immolauit victimas, miscuit vinum & posuit mensam*: quod D. Cyprianus de sacrificio Missæ dictum existimat. Malachias aperte idem omnino vaticinatur: *Ab ortu solis vsq; ad occasum in omnibus gentibus, & omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* quæ verba de sacrificio crucis intelligi nequeunt: neque enim vbique locorum id offertur: nec de sacrificio Iudæorum; ait enim: *in gentibus.* quare sequitur, hoc de sacrificio Missæ esse intelligendum, in quo Christus Iesus oblatio illa mundissima, Deo Patri, per omnes mundi angulos, offertur.

*Prou.7.*

*Malach.1.*

Præsagit quoque Daniel Propheta, Antichristo veniente & dominante, perpetuum sacrificium eius violentia intermoriturum, at aliud in Ecclesia sacrificium reperiri non potest, nisi Missæ sacrificium: sequitur igitur Missam genuinum sacrificium esse: quod Hippolytus Martyr ita quoque intelligendum asserit. An non igitur Missa nostra bene stabilita & confirmata est? An non S. Scripturæ, figuræ veteres, & Prophetarum oracula ab eius partibus stant? Hæretici tamen nostri temporis eam oppugnare non desinunt, & mille aduersus eam blasphemiarum, calumniarumque iacula detorquere, variisque eam diris deuouere. Kemnitius namque ait, Missam esse armamentarium & propugnaculum Antichristi Romani. Melanchthon vero eam incantationem nuncupat, Caluinus magiam, Brentius diaboli commentum. Lutherus autem Germanus, ille non germanus infinitos aduersus Missam libros edidit: Anno namque M.D.XX. librum compositi de captiuitate Babylonica, & sequenti alium de abroganda Missa priuata: & iterum sequenti alium aduersus Regem Angliæ, in quo nefarius ille Apostata, horrendis in Missam blasphemiis inuehitur: & anno M.D.XXIII. nequiter etiam scripsit contra Canonem Missæ. quinquennio post, liquido confitetur in Confessione sua, nihil adeo eum exhorruisse, aut modo etiam exhorrere quam Missam: nulliusque rei adeo eum pœnitere, quam viginti quinque annis Missam more Rom. celebrasse. Denique anno M.D.XXXIV. iterum de Missa priuata librum composuit, in quo non est veritus dicere, apparuisse sibi dæmonem, & conceptis verbis persuasisse, vt crederet, Missam aliud non esse quam abominationem horrendam: nec hoc sese scribendo fingere, aut fascinatum se tū aliqua illusione fuisse, sed apparuisse sibi dæmonem, cum integris esset sensibus nec crapula grauatus.

*Dan.8.*

*Lutheri blasphemiæ aduersus Missam*

IV. Absurditates, quæ inde consequerentur, si blasphemiæ hæreticorũ essent veræ.

O blasphemias horrendas! calumnias orco depromptas! sane si verum esset, quid quid impii illi obganniunt: iam à mille & amplius annis Ecclesia cæco errore delusa idololatriã exercuisset, & magna sese impietate polluisset: dicunt enim D. Greg. Magnũ iam à mille quibus viuere desiit annis, Missam instituisse, aut eius vsum renouasse: Sequeretur hinc quoque, Christum sponsam suam amisisse: hac enim idololatria commissa, non poterat Ecclesia eiusdem sponsa permanere. Ipsa etiam promissa Iesu Christi falsa fuissent, qui Ecclesiæ promiserat, fidem eius, integritatemque perpetuam & inuiolabilem fore: *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Angelus quoque Gabriel Virgini mentitus fuisset, dicens: *Et regni eius non erit finis.* Pseudopropheta fuisset Paulus, cum scripsit Ecclesiam fallere nec falli posse: cum præsertim ipsa sit fundamentum & columna veritatis. O absurditates impertinentes! Sed aliæ etiam grauiores sequerẽtur: sequeretur hinc sine dubio omnes illos viros sanctissimos, qui iam à mille & amplius annis mortui sunt, qui Missam vel audierunt, vel celebrarunt, tot & tantis miraculis editis celebres, idololatriam exercuisse, & impios nefarios, ac sacrilegos extitisse. Sed quis hoc sine lachrymis referat Domine? Quis credat te ô Pater benignissime, qui Sanctis tuis tot res minime necessarias reuelasti, nulli vnquam, nec etiam viris sanctissimis, anteq̃ Lutherus id docuisset, rem adeo prægnantem, ac tanti momenti, & mysterium tanti ponderis reuelasse.

Matth. 16.

Luc. 1.

Tam procul porro abest, ô Catholici Auditores, Missam abominationem quandam esse, vt nihil eadem sanctius aut diuinius reperiri queat: nihilque vnquam magis venerandum cælitus missum sit. Ipse namque Iesus Christus eius auctor est & institutor: Qui

Luc. 22.

pridie quam pateretur, dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*, id est Patri offertur. Ipsi quoque Apostoli Missam celebrarunt, ac sacerdotes fuere: vnde in Actibus Apostolicis scriptum est, λειτουργούντων αὐτῶν,

Act. 13.

id est *sacrificantibus ipsis*. Quod de alio quam de sacrificio nouæ legis, quod ipsa est Missa, nequit intelligi.

Quosnam vero testes habes, qui referant Apostolos Missam celebrasse? Leonem Papam imprimis, qui idipsum in magno illo celebra- runt. Chalcedonensi Concilio asseruit: Abdias quoque Babylonius, Isidorus, aliiq; fide dignissimi auctores tradunt S. Petrum Apostolum Missam Antiochiæ celebrasse. Ignatius etiam Martyr multo id clarius pronũtiauit, dum Clementem & Anacletum eiusdem in celebratione Diaconos fuisse ait. Cum vero Apostolus Paulus sacrum diceret, Linus & Timotheus eidem astiterunt, Iacobo vero S. Protomartyr Stephanus. Audin blasphemę Luthere? tres ecce Apostoli Missam celebrarunt: Tu igitur eos idololatriæ argue, impietatis arcesse, sacrilegii insimula, & diris deuotos appella.

*Epist. ad Trallens.*

Anne clarius adhuc & euidentius argumentum postulatis, ô Catholici? perlegite Liturgiam S. Iacobi: inspicite vitam S. Andreæ Apostoli, fratris Simonis Petri, qui ambo Apostoli fuerũt: & reperietis, hunc quotidie Missam celebrasse: nam cum Ægeas proconsul eum ad sacrificia idolis offerenda cõpelleret, cõstanter respondit: *Ego quotidie sacrifico agnum immaculatũ*, Iesum Christum quotidie in tremẽdo Missæ sacrificio immolo: Deoque Patri offero. Sed relictis Apostolis ad propiora tẽpora veniamus. S. Ambrosi. sæpissime Missæ mentionẽ fecit. S. August. quoque frequens in Missis celebrandis fuit, atque omnis antiquorum Patrum chorus semper de Missa locutus est. Atque hæc sunt testimonia à mille sexcentis annis producta.

O igitur vere sanctam Missam, ô sacrum, venerabile, honorabile & adorandum Sacramentum & sacrificium! ô ter beatos sacerdotes, qui ad tam augustum ministeriũ estis destinati! At multo vos feliciores, q magna attentione, pietate, animique sanctimonia Missæ interestis. Nolo vos, ô pię mulieres cũ sacro interestis, amplius libris precariis vti, sed meditatione quadam sancta velim vos distineri, & præ admiratione eorũ, quæ ibidem peraguntur, in stupor ẽ mentis & ecstasim rapi. Vos vero qui rudiores estis, cum sacerdotem ante altare cõspicitis, persuadete vobis, Passioni vos Christi interesse. Amictus enim ille, sertum illud spineum refert,

Quæ ad Missam audiendã dispositio requiratur

Expositio ornamentorum sacerdotalium.

refert, quo sacrum Christi caput redimitum fuit; Alba, vestem illam cãdidam, qua in domo Herodis delusus fuit, designat: Cingulum, funes quibus vinctus: Manipulus, arũdinem: Stola, funem collo iniectum: Casula denique illa cruce insignita, Saluatorem tibi designat, crucem suam humeris baiulãtem. Quanam igitur exterius reuerẽtia, qua animi attentione, quo cultu & pietatis intuitu Missæ vos interesse oportet? quomodo sanctarum rerum meditatione tempus transigere: Illic namq; cum Iesu Christo plorandũ est, illic nos Christo totos offerre, & cum Sacerdotis votis nostra coniungere debemus.

Pro quib. orandum.

Vos vero studiosos, nolim Sacri tempore subtiles de studiis vestris conceptus efformare, aut altas materias peruoluere: sed malim ad prima vos rudimenta descendere, & toto Missæ tempore Nomen vestrum declinare: Nominatiuus sit, vt pro te ipso ores: Genitiuus, vt pro parentibus qui te genuerunt: Datiuus, pro benefactoribus: Accusatiuus, pro inimicis: Vocatiuus, pro infideliũ hæreticorum & paganorum conuersione: Ablatiuus denique pro omnibus qui tibi iniuriam intulerunt, & res iniuste abstulerunt. Postremo ores pro vniuerso mundo & in cõspectu tam augusti mysterij contremiscas.

Tu autem ô Redemptor, & tam tremendi sacrificij auctor, ô Iesu sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Deus plene bonitatis, caritate exæstuans, misericordia circũaffluens, qui semel de crucis arbore immolari passus es, & quotidie te etiãnũ offerri pateris in Missa, idq; duplici oblatione, duobusque sacrificijs; & tamen eadem victima, licet non eodem modo oblata: vna namque cruenta est, & altera incruẽta, quæque pati possit: vna pro peccatorum expiatione, pro meritorum crucis applicatione altera. Tu qui sacrum hoc & duplex sacrificium instituisti: tu qui primus Missam celebrasti, quẽq; Apostoli, & hos ipsi Patres, & Patres nos oẽs in eadem celebranda secuti sumus: Gratiam nobis elargire, ô sacerdotum Princeps, & summe Pontifex, vt quotiescumq; tremendum hoc & adorandum sacrificium oblaturi sumus, preces nostræ, sãctique huius sacrificij effecta, ipsis Angelis conducant, quo ita eorum gloria augeatur: animabus deinde in purgatorio, quo ità pœnis eximi queant: ipsis etiam peccatoribus, vt delictorum veniam consequantur: nobis ipsis denique vt æternæ beatitudinis compotes effici mereamur. Amen.

## FERIA III. HEBDOMADÆ MAIORIS.

### Verum Christi corpus in Sacramento Eucharistiæ contineri.

Partitio.

I. *Fide in hoc mysterio vtendum non sensu aut ratione.*
II. *Quid fides hic, quid hæresis.*
III. *De causa fidei tutissima.*
IV. *De hæreticorum obiectionibus.*

*Caro mea vere est cibus; & sanguis meus vere est potus.* Ioan. 6.

### FIGVRA.

CVM filii Israel seruitutis Ægyptiæ iugo liberati, rubri maris gurgite emenso, in deserto & vasta solitudine Sinai subsisterẽt, commeatusque penuria laborarent, pluit illis Dominus Manna, cibum quendam cœlestem, omnem in se suauitatem cõtinentem, & incredibili comedentes voluptate & gustu afficientem. Neminem vestrum esse putem, Auditores, qui non statim prima sibi fronte persuadeat, manna hoc sanctissimæ Eucharistiæ figuram fuisse: quæ nobis in deserto mundi huius commorantibus, cum peccati Ægypto egressi sumus, & Ægyptios, delicta scilicet nostra, in rubro pœnitentiæ gurgite submersos videmus, à Domino tradita est: qui cibus plane cælestis est, & penitus diuinus, qui omne deliciarum genus & omnem gustus suauitatem animæ, eodem se saturare gestienti, afferre consueuit. Est denique ille cibus, de quo hodierna concione dicere instituì, si Deus omnipotens opem non subtrahat, & Omnipotentis mater

Exod. 16.

Manna figura Eucharist.

mater auxiliũ, quod eius intercessione impetrare solemus, non denegat. Quocirca eam supplices salutatione consueta salutemus, dicentes.

AVE MARIA.

I. Gen. 21. Magnus ille Patriarcha & credentium omnium Pater, Abraham, à Deo vocatus, vt in summitate montis mirabile illud filii sui sacrificium perageret, ad montis radicem asinam & seruos reliquit: solusque cum filio Isaac, dextra gladium, sinistra ignem gestãs, montem conscendit. Docemur hac figura, Dan. 2. Auditores, si hodierna die ad supremum Ecclesiæ fastigium, quam Daniel montem nuncupat, conscendere velimus, vt in eo augustum illud sacrificium & sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum conspiciamus & adoremus: sensuum nostrorum asinam, & seruos naturalium rationum, arguta scil. sophismata, argumẽta & humanæ scientiæ syllogismos, in pede montis manere oportere: & fide plenos, hinc humilitate, illinc caritate armatos, solos nos montem debere conscendere. fides namque hic potissimum necessaria est.

Exod. 16. Cynicus ille Diogenes medio die lucerna accensa in forum prodiens, hominem quæritabat: bene quidẽ. sed hic, ô Diogenes, Iesus Christus, homo pleno die, id est, pleno sensuum lumine, & lucerna fidei accensa, quærendus est. Et quemadmodũ stella duce Magi ex Oriente Bethleem Christum adoraturi deducti sunt, quem in fœno & palea Matt. 2. reclinatum repererunt: *Et stella antecedebat eos.* Ita nos stella fidei, ab Oriente & vitæ nostræ exordio, ad Ecclesiam deducẽdi sumus, vt in ea Christum Dominum in Sacramento altaris latitantem, in fœno & palea, id est, speciebus sacramentalibus positum, adoremus. Fides igitur hic requiritur: hic omnis ratio deficit, & sensus intelligentiæq; brutescunt: sed hic etiam est, vbi sensus & ratio cum fide pugnant, & fides rationi & sensibus exterioribus aduersatur.

Dan. 13. Allegoria. Venit mihi hic in mentem insignis cuiusdam allegoriæ. Castitatis illud exemplar Susanna, qua castior & honestior inter Babylonias nulla fuit, à duob. senibus veteratoribus inique fuit accusata, quod eius pulchritudine frui non possent. Casta illa Susanna, Auditores, ipsa est fides, qua nulla pulchrior inter omnes virtutes reperitur, & omnium scientiarum certissima & validissima: quæ falsitatis & idololatriæ circa tremendum hoc sacramentum, à duobus veteratoribus, sensibus inquam & ratione humana, accusatur, quod eminentem mysterii huius splendorem maiestatemque nullo modo queant reprehendere. Erras, ô fides, inquit scelestis illa & falsaria ratio, cum credis & credendum asseris, in Eucharistiæ Sacramento verum Christi corpus contineri: falsum id enim est: nam fieri non potest vt corpus aliquod locum nullum occupet, & pluribus tamen in locis simul existat, & extensionem non habeat, & non videatur: quomodo enim accidentia sine subiecto valerent subsistere? Falleris, ô fides, ait sensus, alius ille impostor, cum mundo persuades, sub tantilla panis portione, tam ingens contineri corpus. Hoc enim manifestæ falsitatis est, ac germanæ nugæ: nihil enim video, nihil tango præter panem & vinum, sed audite veterani, *quod non capis*, ô ratio, *quod non vides* ô sensus, *animosa firmet fides præter rerum ordinem.* Num. 23. Huiusce rei egregium in Numeris locum legimus. Cum enim exploratores è terra promissionis, regione bene explorata ad suos rediissent, & iter suum enarrassent, Hebræis magnum terrorem incusserunt, dicentes: *Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est: terra quam lustrauimus, deuorat habitatores suos. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enach de genere gigãteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Sed Caleb animum è contra pauidis addebat dicens: *Adscendamus & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam.*

At quinam estis vos exploratores? Vnde venitis? certe sensus nostros corporales denotatis: qui terram Augustissimi huius Sacramenti, ad veritatem Eucharistiæ indagandam, ingressi, penitus cõsternati reuertuntur, & omnes alias scientias & rationales rationes perterrefaciunt, dicentes: in regione illa, in Sacramento illo tremendo, omnia

monstris scatere, paradoxis affluere, gigãtes & alias res incredibiles in eodem conspici; adeo vt facilis ad eam aditus non pateat. Sed tu ô Caleb, fidem denotas, quæ nobis vires suggerit, & audaciam progrediendi vlterius, & terram ingrediẽdi submínistrat, dicens: *Ascendamus & possidebimus terram*: quasi diceret, sumite animos ô sensus, & tu potissimũ ratio, parcite metu: securos equidem vos eodem deducam, & immunes sistã: degustare vos ipsa faciam, simulq; coram intueri fertilitatem terræ, realitatem inquã & veritatem sanctæ illius terræ Eucharistiæ. Eamus igitur, properemus, me ducem sequamini.

Hic dicendum est, Auditores, *Credo in Deum patrem Omnipotentem*: Hic cum Apostolo exclamandum, *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei*: hic Angelo credendum est dicẽti: *Non erit impossibile apud Deum omne verbũ*. Hic denique sequenda est ad vnguem fides, nisi semper in interitum ruere velitis. Sine illa enim Capharnaitæ misere perierunt, sine illa Berengariani naufragio interierunt; sine illa tot Lutherani blasphemias euomuerunt; sine illa denique Caluinistæ vmbras quasdam & figuras commenti sunt & inanes chimæras; & veritatem corporis Christi in hoc Sacramento negare cupientes, grauem & periculosam Ecclesiæ litem intentarunt, quam vt perspicere, & cognitã habere possitis, primo loco Catholicorum quæ pro ea faciunt testimonia, & deinde hæreticorum obiectiones producam: quam causam si horæ huius spacio bene defenderimus, fauorabilem sine dubio, magno Eucharistiæ nostro cõmodo, sententiã consecuti sumus.

Hæretici qui pericrunt Sacramentũ Eucharistiæ oppugnãtes.

Quod ad primum igitur attinet, antequam testimonia nostra producamus admonitos vos velim, hanc esse nostram de Venerabili hoc Sacramento fidem: esse scilicet in eo sacrosanctum Iesu Christi corpus, idipsum quod venture virginali olim egressum est, idipsum quod crucifixũ fuit, idipsum quod modo in cœlis considet. Deinde per sacrosancta & arcana verba, Sacerdotis illic Dei locum tenentis ore prolata, pacem vnico momento in corpus Christi, & vinum in pretiosum eius sanguinem commutari, conuerti, & transubstantiari: & sub vtraq; hac specie verum aliquod corpus, corpus inquam solidum, viuidum, animatum diuinitati semper inhærens semper contineri, corpus pluribus contentum locis, nullum tamẽ locum occupans; quantitate perfectum, sine vlla tamen extensione; qualitatibus debitis exornatum, quod tamen videri nequeat; gloria donatum, sub sensum tamen non cadens; corpus deniq; penitus spirituale, & penitus diuinum, quod loco substantiæ hic subsistit.

Quæ sit fides nostra circa ven. Eucharistiam.

Viguit hæc veritas fidei, & stetit iam immobilis in vniuerso mundo, mille sexcentis propemodum annis, nemine ne vel hiscere quidem cõtra auso. Octogentis saltem primis annis nemo veritatem Sacramenti huius ausus fuit impetere, aut vllus eam hæreticus oppugnare. Sed sequentibus deinde temporibus, infernalis illa bellua, pacem nostram pertæsa; & quodammodo inuidens, pestilẽtem orco furiam emisit, quæ eam in dubium vocauit, tamque grauem Ecclesiæ controuersiam mouit, nulla vt vmquam, post Arianorũ hæresim, grauior aut diuturnior, magisque per omnia grassata extiterit.

Veritas Eucharistica per annis fere vlla contrarietate credita fuit.

Primus veritatis huius oppugnator aduersus Ecclesiam, fuit Ioannes quidam Scotus, non doctor ille Subtilis, nuncupatus, celebris huius Sorbonæ surculus & propago, Franciscanorum columen, orbis denique honor & gloria; sed alius quidem, eiusdem nominis, & superior longe ætate; qui anno scilicet octingentesimo, Caroli Magni temporibus, Ecclesiæ pacẽ hac vita voluit interturbare; sed illa paucis post mensibus, præclaro obtento decreto in Concilio Vercellensi, quo totius Europæ Patrum flos & nucleus conuenerat, nefarium hunc errorem euertit, & tetrum hunc turbinem discussit. Vix ille damnatus cœptis desiterat, quin ecce Bertrandus quidam centum post annis, libellum supplicem offert, anno scilicet Christi nongentesimo, & priorem illam litem acerrime promouet & prosequitur.

1. Hæres anno 800.

2. a. 900.

Post centum quinquaginta iterum annos, Archidiaconus quidam Andegauensis, Berengarius nomine, litem resumit, enixe prosequitur,

3. a. 1050.

sequitur, vrget, instat, ad tribunal prouocat, omnem mouet lapidem, & grauissima crimina producit, dicens: nihil aliud hoc Sacramento contineri quam meras figuras & vmbras; asserere conatus non esse ex æquo, Ecclesiam veritatem Eucharisticam possidere, sed eadem illam exuendam, connititur pro viribus, in omnem se partem vertit, atq; omni ratione satagit, sed frustra. eius namq; errores condemnati sunt, & Ecclesiæ Ca-
1370. tholicæ causa in Concilio Romano stabilita & superior iudicata.

Ioannes Wiclef. Eucharistiæ veritatem oppugnat.

Trecentis post annis obscurior quædam nebula, sed pestilens alioquin ex Angliæ palustribus, Ioannes Wiclef nomine, anno Domini MCCCLXX. surrexit; Archiua quædã infernalia ex scelerato hæreseos consistorio & acta fuligine obsita tartarea producens, nouam cum dæmonib. consultationem init, remq; illam, quam Ecclesia tam quiete possidebat, suam esse asserens, Ecclesiæ dicam scribit; ac litem iam dudum sopitam redintegrat, & immensum Bohemiæ regnum in partes suas trahit, quod ille inuadit, inficit, perdit, & penitus in quæstionis huius persecutione profligat & pessundat.

Hic vero intentator cum in litis huius promotione exspirasset, longo post tempore, nostraque propemodum ætate, nefarij quidam Germani prodierunt, qui propriis sumptibus litem hanc prosequi conati sunt,
1517. nimirum Andreas Carolstadius Archidiaconus Wittenbergensis, Zuinglius, Ioannes Oecolampadius nefarius Apostata; & post scelerat os illos impostores infernale concilium Ioannem Caluinum, anno M.D.XXVI.

Numquã voluit Lutherus veritatem Eucharistiæ impetere.

selegit, qui quæstionem diligentius ceteris perurgeret, acta conscriberet, omnesque veterum temporum memorias, quæ ad felicem litis successum facere viderentur, vndique collectas conciunaret. Sæpe quidem Lutherum multi inducere verbis sunt conati, huius vt rei curam susciperet, remque tanti momenti promouere pro virili satageret; at ille penitus recusauit. Verum quidem est, eum aliqua loca & testimonia, quæ ad causæ hæreticæ æquitatem facere videbantur, suggessisse, nunquam tamen auctoritatem suã, voluisse interponere, aut quæstioni huic subscribere, aut veritatem Eucharisticã vlla ratione oppugnare: quin etiam consultoribus suis persuasisse, vt cæptis desisterent; nullo enim eos fundamento nixos esse, & si vlterius rem prosequerentur, sententiamq; mordicus defenderent periculũ esse, ne causa caderent, & velut rei condemnarentur.

Nihilominus tamen, non impedientibus monitis, sententia, & consilio maximi apud illos nominis Lutheri, scelerati illi vitilitigatores & nefarij pseudoprophetæ, veterem illam litem semisopitam denuo reuocarunt, atque omnes priores sententias, & superiorum conciliorum decreta velut irrita reiecerunt, quin & appellare vlterius decreuerunt. Itaque nomina sua, aduersus Ecclesiam cõspirantes, in huius litis promotionem dederunt, & criminaliter cum ea agentes, superstitionis eam, fornicationis, & idololatriæ accusarunt; iudicibusque persuadere conati sunt, & scriptis confirmare, ipsam esse mulierem illam Apocalypseos, fornicatricem illam magnam; Papam, Antichristum; Religiones, vera pudicitiæ prostibula; Episcopos, lenones, & amorum cõciliatores; omnia denique non esse aliud, quam meram Babylona, & veram captiuitatem Ægyptiam. O casta & innocens Susanna! accusata quidem es; sed confide, non cõdemnaberis. Tu quoque, ô Arca Noë, fluctuas quidem super vndas hæreseos, sed nunquam naufragium patieris! ô inuicta & indomabilis Salamandra, in mediis quidem sita es ignibus, & inter persecutionum flammas, sed nullum inde detrimentum senties.

Insignis cõceptus. *Dan.13.*

Ecclesia igitur, vt innocentiam declararet, & veritatem Sacramenti huius contra aduersarios astrueret, plurimas semper bonę notæ & inuincibilis auctoritatis tabulas produxit. Et in primis titulum & contractum institutionis huius Sacramenti, qui non nisi quatuor verbis constat, *Hoc est corpus meum*; & quinque in lingua Græca, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου: quem Christus ore suo pronuntiauit, & quem quatuor Notarij & regij Secretarij, tres Euangelistæ, & vnus Apostolus, S. Matthæus capite 26. S. Marcus 14. S. Lucas 22. & Paulus 1. ad Corinth. 11. capite scriptis tradiderunt. Et quod notatu dignissimũ est

Quid Ecclesia pro veritate Sacramẽti Eucharistiæ producat.

quodque in Ecclesia in sui defensionem adhibere nititur, licet quatuor hi Secretarij diuersis temporibus & locis scripserint, eadem tamen penitus, iisdem sententiis, & iisdem etiam verbis, conscripserunt: nec vllus eorum fuit, qui in institutione hac, & contractu verbum, *significat*, adhibuerit.

Producit adhæc è veteribus suis scriniis magnam copiã veterum figurarum, è veteri Testamento adductarũ: panum scilicet propositionis, Mannæ, Agni Paschalis, aliasque innumeras: è quibus infert, quandoquidem figuræ illæ in Lege Mosaica præcesserunt, necesse est vt in lege Euangelica ipsa veritas in Eucharistia subsit. Synagoga enim nõ nisi primis coloribus delineatam tabulam, & verorum colorum vmbram continebat, qui deinde ad viuum in Ecclesia depingi debeãt.

Imprimis figuras SS. Sacramenti.

Depromit præterea, velut auctoritatem causæ conciliaturum, promissum Iesu Christi quod authenticum est, quodque ipsemet Christus denuo recensuit, quodq; S. Ioannes Euangelista sexto nempe capite, recollegit, dicens: *Panis quem ego dabo caro mea est.* Et paulo inferius ab eodem Secretario notatum est, *Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.* Vbi Ecclesia omnes & singulos obtestatur, vt hæc verba, *vere est*, attente cõsiderent: nam magnum ea causæ suæ putat momẽtum allatura, nec ea esse tropologice, amphibologice, metaphorice, vel diabolice, figurate, vel signate intelligenda, vt aduersarij contendunt, sed *vere*, realiter, substantialiter absque vlla figura vel significatione.

Promissũ quoque Christi Domini.

III. Profert litteras possessionis.

Profert quin etiam instrumentum quoddam & libellum, quo possessio illi huius causæ iam à mille sexcentis annis, & vsusfructus confirmata sunt; & ostendit secundum Titulum, *De pacificis possessoribus*, se non triennio, sed à mille & quingentis iam annis eiusce rei vsumfructum habuisse, adeo, vt aduersarij infirmo fundamento nitantur, cum eam de possessione acquisita volunt deturbare, cum literas Regias habeat, quibus in possessione stabilitur.

Itẽ totius orbis in credendo consen-

Vtitur etiam in defensionem suam publico totius orbis consensu, & communi omnium populorum & nationum, quæ semper vbique, verum Christi corpus in Eucharistia contineri firmiter crediderunt, fide omnium sum, cregẽtium signata sigillo: Abyssinorum, Æthiopum, Syrorum, Maronitarum in Oriente; Francorum, Anglorum, Scotorum, Hybernorum, non obstanti licet hæresi, in Occidente: Belgarum, Germanorum, Polonorũ, aliarumque gentium, in Septentrione; Italorum, Romanorum, Græcorum, Hispanorum, Siculorum, Calabrorum, Lusitanorũ, in Meridie. Signata ad hæc à Iaponiis, Chinensibus, Malacensibus, Peruanis, Brasiliensibus, Ormusiis, Cochinensibus, Chananoriis, & plurimis aliis in terra Antipodum commorantibus.

dentis & nos credimus.

Ostendit quoque magnam decretorum multitudinem, contra aduersarios aliquando latorum, in quibus vtriusque partis sententiæ auditæ sunt: omnia scilicet Christianitatis tribunalia & Parlamenta in tot generalibus Conciliis, & maxime in Tridentino, congregata: Quid? an non vobis, ô hæretici, ô litigatores, satis instructi, & bono niti fundamento circa veritatem & Transsubstantiationem quæ hoc in Sacramento fit, videmur? vos vero inique agere & peruerse nostram cũm pacem, sine vlla ratione, fundamento, ac ex mera malitia interturbare conitimini. Quare desistite, frustra namque contenditis, & ad expensas luendas condemnabimini.

Plurima item decreta & præiudicia in causæ fauorẽ iudicata.

At nondum hic Ecclesia quieseit; sed alĩud longe validius munimentum profert, Testimonium scilicet & litteras generales totius Christi Ecclesiæ, omnium sanctorum Patrum, Doctorum, virorumque grauium, qui hactenus in Ecclesia iam inde ab Apostolorum temporibus viguerunt, signatas manu. Testimonium profecto, quo nullum vmquam maioris auctoritatis extitit, cuius testes iam à mille sexcentis annis signarunt, & qui omnes miro inter se ordine consentiunt. Primo namque sæculo signarunt duo præclari testes: Ignatius Epist. ad Smyrnenses, & S. Dionysius libro 1. de cœlesti hierarchia. Secundo, video signa & depositionem trium magnorum luminum, Cypriani, Tertulliani, & Origenis. Tertio subscripsere tres quoque præstantes doctrina & pietate viri, Iustinus Martyr, Pius Papa I. & S. Irenæus Lugdu-

Testimoniũ omnium antiquorum Patrum subscripserunt.

Lugdunensis. Quarto apparent sigilla duodecim inuictæ fidei, & summæ auctoritatis virorum, Concilij scilicet Nicæni, Athanasii, Cyrilli, Ierosolymitani, S. Hilarij: habetis quatuor, S. Ambrosij, Basilij, Augustini, Optati Mileuitani: habetis octo, S. Gregorij Nyssæni, S. Gregorij Nazianzeni, Ephræmi, & Epiphanij: an non 12. testes sunt omni exceptione maiores, qui veritatem eandem in vener. hoc Sacramento, quam nos credimus, scriptis mandarunt? Sæculo quinto si loquentes testes audire velitis, audietis Hieron. Chrysostomum, Cyrillos, Alexandrinos, Synodum Ephesinam, Theodoretum, Gelasium. Multis deinde post annis, Gregorium Magnum, Theophylactum & Ioannem Damascen. Sæculo 12. D. Thomam, S. Bonauenturam, Anselmum, & Scotum, aliosque Doctores & numero infinitos, & auctoritate præstantes. O præclara attestatio! ô depositio irrefragabilis! Omnes hi & ore professi sunt docueruntque, & manu scripsere, eam ipsam veritatem, quam nos de SS. hoc Sacramento Altaris credimus & profitemur.

Sed dicito mihi, obsecro, fatue & dementate hæretice, qui te à Pseudoprophetis illis & ministris Sathanæ transuersum abripi sinis: mavisne perfidis duobus veteratoribus, duobus imminuti cerebri viris, nefandis & sceleratis, Luthero & Caluino, qui iam tartareis cremantur incendiis, quam tot centenis, imo millenis, auctoritate præstantibus sanctitate & vita eximiis viris, quosque modo in æterna beatitudine glorioſos regnare certissime scimus, credere? Quid? adeone emotæ mentis es, adeone brutus & stupidus? itane tuum defecit ingenium, aut euanuit ratio, vt tam iniquam electionem facias? Similè. Quid? an non risu dignus foret, qui cum controuersiam & litem magni ponderis haberet, & in qua de vita, rebus, fortunisque suis agitur, priusquam eam iudicio ad iudicum subsellia prosequatur, mature de causa sua deliberaturus, duos vel tres parui nominis famæque obscurioris causidicos & leguleios accederet, qui statim nullo nixi fundamento consulerent, causam vt iudicio committeret, & actionem aduersario intentaret, adiret deinde centum alios iurisconsultos, fama & doctrina celebres, quiq; sæpius subsellia triuissent, ac rerum essent scientissimi: qui omnes vnanimiter contestarentur, nullo eum niti fundamento, & causam iniquam esse; consulerentque, si se, suaque salua vellet, ni sumptus luere & pœnam subire cuperet, cum aduersario vt paciscereturr. ipse nihilominus duorum vel trium illorum rabularum, qui semper sine lite & sine re viuũt, iudicium potius, quam tot versatissimorum & præstantium virorum sequeretur: an non inquam ille fatuus, delirus, & emoti cerebelli videretur?

Eheu misella anima, hæreseos fascino dementata, maior lõge tua est insania. Si enim prius, quam veritatem Sacramenti huius oppugnes & litem hanc suscipias, in qua de vita, salute, & omnibus fortunis tuis disceptatur, tecum maturius deliberans, Lutherum & Caluinum & alios tres quatuorve ministellos consulas: dicent sine dubio bene te fundatum esse, & persuadebũt, Papæ vt Romano bellum indicas: verum si omnem antiquitatem in consilium adhibeas: centum, imo mille reperies Doctores, & Patres qui tibi contrarium persuadebunt, & nullo causam fundamento nixam esse dicent: & si litem illam suscepero, proculdubio tibi ipsi exitium, perniciem, & mortem denique te allaturum. Quando igitur nefarium hoc & improbum trium aut quatuor hæreticorum consilium, tot virorum sanctitate & doctrina illustrium opinioni anteponis, an non cęcutire & Andabata cæcior videtis.

IV. Quid hæretici è contra producant.

Sed relictis hisce considerationibus, audiamus quid è contra hæretici in litis huius quam Ecclesię intẽtarunt, defensione opponant & obiiciant: Producunt imprimis duo ingentia blasphemarum & horribilium in augustum hoc Sacramentum execrationum plaustra: dicentes hoc nihil esse aliud quam magiam, incantationem, idololatriam, meram denique superstitionem: deinde proferunt sex fasciculos repletos & confertos erroribus, mendaciis, falsitatibus & absurditatibus. Adhuc litteras quasdam falsarias & ementitas de institutione Sacramẽti huius, figuris notatas, & scelerato quodam & falso

glossemate *signi ficat* signatas. Præterea in indiculo & inuentario suo consultationem quandam inter tresuiros illos animarũ perdendarum, Wiclef scilicet Anglum, Zuinglium Germanum, Caluinum Gallum, iniram annectunt. Addunt quin etiã loca quædam Sacræ Scripturæ, quæ hinc inde collegerunt, falso licet allegata & perperam intellecta, aduersus quæ breuiter & quã promptissime respondebimus.

*Matth. 26.* Primo namque hoc, in causæ suæ defensionem, vsurpãt: *Pauperes semper vobiscum habetis: me autem non semper habebitis.* Vnde inferunt, Christum iam in cœlos subuectum, & ad dextram Patris considentem, non amplius nobiscum esse: nec proinde in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento contineri. Sed his opponimus, Christum hic de visibili corporis sui vsufructu locutum esse: ac si dicere voluisset, se post ascensionem in cœlum non amplius nobiscum visibiliter conuersaturum, licet adesset inuisibiliter. Quis ait *Matth. 28.* hoc ipsemet Dominus: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Innituntur deinde loco illo Marci Euangelistæ: *Assumptus est in cœlum, & sedet à dextera Dei,* atque ita argumentantur, Deus in cœlum ascendit, quomodo igitur & quamobrem toties descenderet, vt Sacramento sese includeret. Patronus noster ad hæc respondet dicens, non esse necessarium eum iam cœlo descendere, vt in altari se sistat: quemadmodum nõ *Actor. 9.* descendit, cum Paulo in via apparuit, & Petro è carcere fugienti, vt tradit Hegesippus. Sed sistit se, vbicumque & quomodocumq; voluerit.

Argumẽtum Caluini quod inuincibile putat. *Luc. 24.* Caluinus ipse libro quarto destruentium suarum Institutionum, alium locum ex Euangelio profert: *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Vnde hoc argumentum educit, Corpus visu & tactu cognoscitur, vt hic Dominus ait: *Palpate & videte*, at in Sacramento non nisi panis & vinum videntur & palpantur: ergo corpus Christi hic minime reperitur. Æstimat hoc quidem argumentum inuincibile: sed Ecclesia nullo hoc negotio retundit ac refutat: ostẽdens è verbis S. Scriptur. corpus aliquod adesse posse licet non videatur aut tangatur. In Euangelio enim *Luc. 4.* Lucæ scriptum est, Christum, dum corpus adhuc mortale, opacum, spissum, & graue, vti nostra sunt, haberet, per medios Pharisæorum greges iuisse, licet à nemine eorum videretur: *per medium illorum ibat.* & apud eũ *Luc. vlt.* legimus: *Euanuit ex oculis eorum*; cum tamen in eorum esset medio, & ante oculos eorum constitutus. Præterea ad defensionem nostram afferre possumus aëra & ignem elementarem vera corpora esse, licet à nobis nõ videantur. Deinde sciendum est, sacrum Christi corpus hic adesse per modum substantiæ, & ratione quadam spirituali, indiuise, inuisibiliter, & non sine ingenti miraculo.

Producunt deinde rationes quasdam Genuæ paludibus emanantes. Fieri non posse aiunt, corpus in pluribus locis esse: ita namque plura essent corpora & non vnum. O insensati, si sciretis quid sit *Credo in Deum Patrem omnipotentem*; nunquam hoc impossibile esse diceretis. Quid? anne, non dico credere, sed vel cogitare audetis, eum qui omnia ex nihilo condidit, & in nihilũ rursus omnia redigere potis est, non posse efficere, vt corpus aliquod idem numero diuersis in locis subsistat. Hoc enim si credere nolitis, nescio quomodo mysterium SS. Trinitatis credetis? Multo namq; humano ingenio difficilius est credere, sibique persuadere eamdem naturam in tribus diuersis reperiri personis, vti in SS. Trinitate esse credimus, quam corpus aliquod diuersis locis contineri. Quid? an non etiam naturaliter idem accidens eodem tempore pluribus in locis esse potest? mea enim vox, quæ non nisi vna est, an non eadem hoc momento quo loquor, in omnium vestrum auribus peregrinatur & insonat? Et sane dicite nobis, ô Philosophi; an non magis accidens aliquod; quale est vox, ex subiecto pendet, quam corpus à loco? cum tamen id quod difficilius est, fieri quotidie videamus, & quidem naturaliter. Præterea nõ est, mihi crede, difficilius corpus pluribus in locis esse, quam plura corpora vno in loco. At factum hoc est in Resurrectione, Ascensione, & Natiuitate Iesu Christi, & dum ianuis clausis intraret, vbi Apostoli congregati erant, vbi semper duo corpora vno in loco

Rationes hæreticorum quas adducit. Ostẽditur corpus pluribus in locis esse posse

per

per penetrationem dimensionum exstiterunt: ergo & alterum fieri nullo negotio potest.

Corpus manens corpus esse potest sine occupatione loci.

Quin & hoc ad vitilitigandum afferunt. Fieri non potest, vt corpus quod est & permanet corpus: sine extensione, sine quantitate, sine loco sit: hoc præsertim nixi axiomate, *Omne corpus est circũscriptiue in loco*: ita vt Deus quidem vbiq; sit: & Angeli in loco diffinite, corpora vero circumscriptiue, *O stulti corde & tardi ad credendum*! An non ministis Eliſæi iussu ferrum aquis supernatasse, Christum mari inambulasse, ignem in Babylonica fortasse virtute cõbustiua caruisse & tamẽ an non vestra sententia grauitas ferro, põdus corpori, igni calor ita inhærent, itaq; necessaria sunt, quã locus corpori? An nõ magis naturæ repugnat, ignem calore, & ferrum grauitate carere, quam corpus sine loco subsistere.

Luc. 24. 4. 4. Reg 6. Matt. 14. Dan. 41.

Probatur transsubstantiatio.

Nolite igitur amplius dicere transsubstãtiationem esse quid impossibile; sed aperte potius, à veritate ipsa victi, fatemini eum, qui mundũ è nihilo, Adamum è terra, Euam è costa viri condidit; qui aquas in sanguinẽ, virgam in serpentem, rupem in fontem, & fœminas in petram (vti vxorem Lothi) conuertit: panis quoque & vini substantiam in corpus & sanguinẽ suum, posse conuertere, mutare & transubstantiare. Nos vero ô Catholici, aduersus turbatores, rixatores, quietis osores & vitilitigatores, nouatores inquã hos, ita concludamus, vt nimirum sumptus & omnia dispondia luant, omnia præstent incommoda & detrimenta, & pœnã adhæc arbitrariam subeant. Credamus semper firmiter, constanter, inuiolate, in sacrosancto hoc Sacramento verum Christi corpus contineri: cum præsertim ipsemet Dominus dixerit: *hoc est corpus meum* non figura, chimæra, vmbra, imaginarium quid, nihilum, aut phantasma inane: sed hoc ipsum corpus, *quod pro vobis Tradetur*. idipsum quod cruci affixũ, in cruce mortuũ fuit, idipsum quod in passione mortem subiit. Credamus inquã hoc firmiter, cum nimirum omnes id Euangelistæ scripserint, cum totus id orbis vnanimi consensu iam à mille sexcentis annis crediderit: credamus igitur; adoremus & honoremus sanctũ hoc & augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum præsertim certi simus, causa ob rei æquitatem nos cadere non posse.

*O salutaris hostia*, ô cœlestis victima, ô holocaustum vere diuinum, ô sacramentum penitus admirabile! credimus, honoramus, & adoramus te: tu namque es, quod gratias superabundanter suppeditas, peccata eluis, animamque ad vitam redire facis: tu scilicet portas cœli reseras, & infernales abyssos obseras, nosque ad cœlestem beatitudinẽ perducis. Tu es panis ille Angelorum, cibus ille cœlestis, & vitæ fructus, sacrum illud mãna, quo animæ nostræ in deserto mundi pascũtur & nutriuntur. Tu es, ô regia & augusta Eucharistia, agnus ille Paschalis: te enim digne humiliter, sancteque sumentes, à captiuitate Pharaonis, id est Satanæ, liberamur, & mundi huius Ægypto egredimur: tuque nos per Rubrum mare passionis Christi, quẽ reuera in te contines, deducens, ad terram promissionis, id est ad gloriam & beatitudinem æternam perducis: cuius nos compotes reddant Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Amen.

## FERIA IV. HEBDOMADÆ MAIORIS.

### De dignitate & excellentia SS. Eucharistiæ Sacramenti.

Partitio.

I. *De institutoris Eucharistiæ in nos amore, & nostro in eum debito.*
II. *De multiplici Eucharistiæ dignitate.*
III. *Ad S. Synaxim præparatione sollicita opus esse.*
IV. *Communicaturo studendum pietati.*

*Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Ioan. 6.

FIGVRA.

SApientia ædificauit olim sibi domũ, quã septem columnis imposuit, & collocauit in ea mensam, in quam pretiosissimum vinum Prou. 9.

viuum intulit, quod suis miscuit. Fuit hoc figura & velut præambulũ, fore aliquando, vt vera Dei patris sapientia Iesus Christus, Ecclesiæ Euangelicæ, septem Spiritus sancti donis, vel septem Ecclesiæ Sacramẽtis, quasi quibusdam pilis & columnis innixam domum construeret, sacramque in ea mensam sanctissimæ Eucharistiæ erigeret, in quam glorioſum corpus suum loco cibi, & iucundissimi vini loco pretiosum sanguinem inferret: quibus nulla vel pretiosiora vel splendidiora fercula queunt excogitari aut mente comprehendi. De eorum hodierna concione dignitate & præstantiã, cũ de veritate hesterna die dicentem audiueritis, verba faciam. Spiritus sanctus auxilio suo nobis aderit, & glorioſissima Virgo suo patrocinio peroranti succurret : quam hoc potissimum nomine, Angelica salutatione compellemus.

## AVE MARIA.

I. Refert præclarus ille historiarum compilator Maximus Valerius, tanto Artemisiam Cariæ reginam erga coniugem Mausolum amore exarsisse, vt ei mortuo superbissimũ monumẽtum, quod inter septem orbis miracula non immerito relatum est, exstrui iusserit, collectos deinde cremati cadaueris cineres, præ amoris vehementia, aliis aromatibus & odoramentis permixtos, quotidie in mensam inferri voluerit, quos deinde cibo & potui immixtos in stomachum demitteret Egregium profecto amoris coniugalis exemplum. At amor quem Christus erga sponsam dilectissimam, Ecclesiam scilicet, olim demonstrauit, longe excellentior est, & admirabilior : præsertim cum post mortem superbum & splendidum illud tabernaculum Sacramenti Ven. Eucharistiæ exstrui voluerit, & propterea corpus in cibum & alimentum legarit. Vnde S. Euang. Ioannes scripsit: *Caro mea vere est cibus*: quod D. Bernardus admirans exclamat: *O amor amorum, Sacramentum sacramentorum, dulcedo dulcedinum.*

*Val. Max. lib. 4. c. 6.*

*Ioan. 6.*

Ostenderat potentiam suam Deus, cum mundum è nihilo condidit: iustitiam, cum eum peccatis inuolutum diluuio perdidit: amorem vero, cum diuinum hoc Sacramẽtum in nostrum vsum instituit. Ostendit affectum suum erga pullos pelicanus, cum pectus rostro appetit, sanguinemque eliciens eodem pullos pascit, & ægros reficit. Maiorem profecto amorem cœlestis ille pelicanus erga homines demonstrauit, cum non satis se feciſſe existimans, quod omnem in passione sanguinem in medicinam dederit, corpus quoque ipsum cibum animæ sit elargitus. Hoc è Psalmis hausi, vbi dicitur, *Factus sum similis Pelicano solitudinis.* Vnde nonnulli sanctorum Patrum venerabile hoc Eucharistiæ Sacramentum rubo ardenti, quem Moses vidit, compararunt: hoc namq; Sacramentum rubus est sentibus difficultatum obsitus, & charitate exæstuans, & visio magnanimis.

Pelicanus rostro pectus aperit, quo pullos sanguine suo nutrit. *Psal. 101.*

*Exod. 3.*

Elias ille Prophetarum princeps ex hac vita decedens, vt affectum quo Elisæum discipulum prosequebatur, testatum faceret, pallium ei suum reliquit, cum duplici spiritu: Christus quoq; Elias noster, ex hoc mũdo proficiscens, amorem suum patefacturus, homini qui seruus eius est ratione naturæ, corporis sui tegumentum, cum duplici spiritu, duab. sc. naturis humana & diuina, quæ in Sacramento Eucharistiæ latitant, legauit, Magnum quoque erga eundem Prophetam Angeli fuit beneficium, cum scilicet ille fame propemodum enectus sub iunipero reclinatus, ab eodem panem cælitus accepit, qui vires corporis eius fractas adeo restaurauit, vt in virtute eius quadraginta diebus vsque ad montem Domini Oreb ambulauerit. Angelus autem ille testamenti Iesus Christus, maius longe nobis beneficium contulit, cum nimirum in deserto mundi huius, sacrum hũc panem dedit, corpus nimirum suum, panem inquam, sub cineribus humanitatis nostræ coctum, panem tantas vires suggerẽtẽ, vel triginta vel quadraginta annis, vel toto vitæ tẽpore, in virtute eius vsque ad montem Dei Oreb, beatitudinem scilicet cœlestem, sine vlla cessatione, in hoc mundo ambulamus.

*3. Reg. 19.*

Quanta igitur tua, ô Christiane, erga Redemptorem est obligatio, qui non satis esse

Obligati sumus Christo singulariter quod corpus suũ in cibum dederit.

esse ratus corpus suum in crucis arbore tui gratia occidendum tradidisse, idipsum quoq; in Venerabili hoc Sacramento tradidit in cibum & alimentum? Erant singulari quadam ratione Israelitę Deo obligati, quod eos quadraginta annorum spacio in deserto suauissimo alimento de cœlis præstito nutriuisset, vt verbis id exprimere non valerent, nullaue ratione tanto benefactori respondere.

Exod. 16.

At longè maiori ratione, tanto beneficio accepto, clementissimo Domino tuo deuinctus es, ô homo, qui te non manna, sed pretioso corpore à primis incunabulis vsque ad tumulum, in deserto vitæ huius, pauerit & sustentarit. Nesciebat olim magnus ille Dauid, quo beneficio beneficium ab Abigail acceptum, cum sibi commeatus inopia laboranti, illa, magno benignitatis exemplo, necessaria subministrauerit, rependeret adeo vt nunquam videretur ei satisfacere posse, nisi dimidia regni portione oblata, eam in Reginam & coniugem adoptaret. Quomodo igitur ô homo Redemptori tuo obligatus es, qui tibi in mundi huius solitudine panem illum Angelicum impertiuit? & quid quæso illi dignum offerre queas? Hæret hic quoque idem qui supra Dauid, & exclamat:

1. Reg. 29.

Psal. 112.

*Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?*

Gen. 28.

Magnus ille Patriarcha Iacob, vouit olim Domino, dicens: *si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, erit mihi Dominus in Deum.* Hei anima mea, cum Dominus tibi panem illum cœlestem dederit, an non futurus tibi est in perpetuum & Deus & Dominus? an non toto vitæ tempore incessanter & continuo fidele illi obsequium exhibebis? Exaggerat id mirabiliter Psalmographus, & magnum hunc amorem magni faciẽs, omnes ad Dei laudes inuitat: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*: anima inquam Christiana, & in æternum miserationes eius decanta, & quam obrem ô Rex? *Quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filiis tuis in te, qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te*; corpore inquam suo, quod ipsemet Dominus hoc olim nomine vocauit dicens:

Psal. 147.

*Nisi frumentum cadẽs in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet*, id est, Nisi corpus eius quod in terram mundi huius deciderat, in cruce exspirasset, passio certe eius nullius meriti extitisset.

Et sane, ô sanctissima Eucharistia, es verum illud frumentum, quod animas nostras nutris & quodammodo saginas: es torrens ille voluptatis qui spiritus interiores potas, de quo scriptum est: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*, beatitudine scilicet cœlesti, vt intelligit Propheta; at malim id de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento intelligi: es dulce illud mel è petris promanans, quo fideles reficiuntur, de quo dicitur: *& de petra melle saturabit eos*: es dulce illud lac consolationis, quod ex hoc Sacramento, velut è terra promissionis, dimanas; *terra quæ tota fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci posset.* Is denique vitæ panis, quem qui manducat viuit in æternum. Primo itaque de panis huius excellentia nonnihil loquar, ac deinde ad oculum demonstrabo, quanam reuerentia, animiq; puritate sumendus sit, & duabus hisce columnis domum hanc sapientiæ inædificabo.

Insignes de venerabili Sacramento concedo ptus.

Num. 13. 14

Principio igitur tanta Sacramenti huius dignitas & maiestas est, nihil vt eo admirabilius aut excellentius dici aut effingi possit. Hinc Psalmista ipsum velut summarium diuinorum operum, appellat dicens: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentib. se.* Hoc namque vere miraculorum omnium dici potest epitome, & breuis quasi comprehensio: omnia mirabilia videre licet, corpus scilicet pluribus locis apparens, nullum tamen occupans, corpus sine extensione, passione, quod non frangitur, non comminuitur, non mouetur, non videtur, non patitur, penitus spiritale & diuinum. Hic videtis, ô Philosophi, accidentia sine subiecto, quantitatem sine materia, colores sine substantia subsistere. Videtis hic, ô Theologi, actionem quandam mirabilem, transsubstantiationẽ miraculosam, quamque longè magis, quam ipsam creationem mundi admirari oporteat. Videtis hic substantiã vnam in alia, sine vlla corruptione, generatione, peritione sui,

Psal. 115.

Omnia miracula in vener. Sacramento continentur.

ne sui, idque mere conuersiue, transmutari. Hic videbitis, ô Mathematici, quadraturam circuli. Hic Physici, vastum illum Oceanum, tot fluxus & refluxus habẽtem: fluxum inquam gratiæ, & refluxum peccati: fluxum prædestinationis, & refluxum reprobationis Nam

*Sumunt boni, sumunt mali,*
*Sorte tamen inæquali*
*Vitæ, vel interitus.*

Hic ô allegoricorum sensuum indagatores, magnus ille torrens est, quem peccatores vbi gustarunt, statim caput eleuant, cerui ces erigunt, animum resumunt: Innuere
*Psal.109.* hoc visus est Psalmographus, cum ait: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Sed melius mihi dictutus videor, si dixero hic scaturiginem esse aquarum, quæ gustantibus immortalitatem conferũt, & in vitam
*Ioan.4.* æternam viam præbent. Hoc docuit me Dominus, cum Samaritanæ loquens ait: *Aqua quam ego dabo fiet in ea fons aqua salientis in vitam æternam:* fons inquam è quo scaturiũt aquæ viuæ & veræ, ad quas Dominus omnes
*Isai.55.* sitibundos compellat & inuitat dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas.*

SS. hoc Sacramentum Nilo confertur.

Et quoniam de aquis loquimur, tradunt historici ingentem illum Ægypti fluuium Nilum è montibus Lunæ originem ducere, perque vniuersam Ægyptum aliquando ita superfluere & stagnare, vt ex illo diluuio tota circumquaque Regio irrigata, fœcundetur: eundem quoque scribunt septem in Oceanum ostiis deuolui. An non ô Nile vera Sacramenti huius figura existis? quod nimirum è sanctis illis diuinitatis humanitatisq; montibus descendens, ac veluti quoddam gratiarum diluuium vndique exundans, omnem mũdi huius Ægyptum irrigat, & fœcundam reddit: septemque Spiritus sancti donis, veluti septem canalibus & orificiis in Ecclesiæ Oceanum deuoluitur. Vnde loquẽs
*Psal.45.* Psalmista ait: *Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.*

Næ ô sacra Eucharistia tu torrens es: sed torrens quidam gratiarum, & aquas vitam conferentes tecum trahens, quod Euangelista Ioannes innuit, *Qui biberit ex aqua quam*
*Ioan.4.* *ego dabo, non sitiet in æternum.* Hic, Poetæ, ve-

ster est Ganges, hic Pactolus quem tot effertis præconiis, cuius aquas & arenas aureas esse fabulamini. Sed vt fabulas missas faciamus & vera narremus, hic fastus ille est fluuius, quem æterna Sapiẽtia è paradiso in Ecclesiæ suæ hortũ se ait traduxisse: audite obsecro quid dicat: *Ego sapientia effudi flumina,* *Eccl.24.*
*ego quasi trames aquæ immensæ, ego quasi fluuius Dotrix, ego quasi aqua ductus exiui de paradiso: dixi; Rigabo hortum plantationum mearum & inebriabo partus meos fructus.* Quid? nunquam ne audiuistis aut legistis, è petra *Exod.17.*
ad virgæ percussionem aquarum flumina olim scaturiisse, & torrentes vndarum erupisse? Designabat hoc, Auditores, futuram aliquando petram, Iesum Christum inquã, qui in sacris literis petra dicitur, *Petra autem erat* *1 Cor.10.*
*Christus,* qui statim vt virga crucis percussus foret, iucundissimas hasce Eucharistiæ aquas magna copia effũderet; aquas dico vitæ, torrentes benedictionis, ac gratiarũ diluuium.

Lugubre profecto & tragicum est audire, quonam modo aquæ diluuii totam terræ superficiem inundarint, & vt quadraginta diebus continuo cœlitus imbres omnibus cæli cataractis reseratis ceciderint. At eius comparatione longè iucundius est audire, quomodo nouo hoc gratiarum diluuio, quod pridie *quam Christus pateretur,* erupit, totus *Matt.26.*
orbis atque omnes adeo mortales, salutem & immortalitatem fuerint consecuti. nam *qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æter-* *Ioan.6.*
*num.*

Quid his addam amplius? Tanta profecto hoc in Sacramento maiestas latet & præstãtia, vt nesciam, vtrum sublime ei incarnationis mysterium debeam postponere Hoc scio, naturæ humanæ plus hoc Sacramento, quam Incarnatione Christi honoris & excellentiæ accessisse. In sublimi namque & arcano incarnationis mysterio duæ quidem naturæ in vna eademque consistunt hypostasi, sed hac tamen ratione, vt diuina veluti domina ac princeps sit; humana vero serua & ministra. At in tremendo hoc Sacramento longe alia & penitus diuersa est ratio; humanitatis enim instar principis est; diuinitas ei velut socia tantum adhæret scit. An non enim certum est, ô Theologi, per verborum sanctorum

Natura humana magis exaltatur in Sacramento huius institutione quam in Christi incarnatione

ctorum vim & virtutem, corpus Christi primo produci, & per concomitantiam ipsam diuinitatem. Hic scilicet videre est, si tropologico loquendi modo vti velimus, ventrem Rebeccæ filiæ Batuelis, è quo eodem tempore fratres vterini prodierunt, (Iacob & Esau: primogenitus tamen fuit Esau licet horridus & deformis: nam ad eum modum ex mystico hoc ventre & sinu Venerabilis Sacramenti, duæ naturæ, ac gemellæ quidem, egrediuntur; diuina scilicet, pulchra instar Iacob; & humana, propter peccata deformior, ad instar Esau: humanitas tamen primogenituræ priuilegio gaudet, primoque egreditur, primo nascitur, & primo ex vi verborum consecrationis, vt Theologi loquuntur, producitur. Hic reperire quoque est Gazophylacium illud Euangelicum, verũ templi thesaurum, in quem non dico paupercula vidua, sed ipsa tota sanctissima Trinitas, duos nummulos, vtramque hanc naturam repræsentantes, coniecit.

Gen. 25.

Insignis cõceptus.

O admirandum ac tremendum Sacramentum, & mysterium penitus diuinum ac sublime! Quod enim aurum inter metalla, quod adamas inter gemmas, inter Planetas sol est, hoc tu inter reliqua Sacramenta. Tu namque es *nauis* illa, de qua scribit Salomon, *de longè portans panem*, panem inquam vitæ, & à longè quidem, quia defers cœlo: nam *à summo cœlo egressio eius*. Tu es etiam cœlestis ille panis, qui in Emaus fractus est, in cuius fractione duo illi viatores Dominum agnouerunt; *panis præbens delitias Regibus* ac iucunditatem Principibus. Quid? an non tu es sancta illa farina, quam Elias, Christum intelligo, quotidie in domo viduæ Sareptanæ, Ecclesiæ scilicet, in immensum facit excrescere.

Prou. vlt.

Psal. 18.

Luc. 24.

Gen. 49.

3. Reg. 17.

O Aquinatum fulgor Thoma, quando scripsisti tria à Domino facta esse, quibus maiora facere non posset, cur hoc quarto loco non posuisti? Nihil enim Deus vnquam grãdius aut maius præstitit, aut excellentius aliquando præstare posset. Est hoc namque quod omnia opera à cœlo facta, vel vnquam facienda, superat & antecellit, in quo omnia mirabilia, in compendium quodãmodo redacta declarauit, & in quod velut in numisma quoddam aureum, omnes miraculorum nummulos (si ita dicere liceat) compegit & conflauit. Quod Propheta Dauid significat dicens: *Memoriam fecit mirabilium suorũ Dominus*. Vnde vos, Auditores, velut ex vngue leonem facile maiestatem & splẽdorem tremendi huiusce sacramenti perspicere poteritis: vt hinc quo honore, quo cultu quaque animi præparatione sumendum sit, simul etiam discatis.

1. par. q. 23.

Psal. 111.

Est hoc alterum concionis nostræ membrum. Apostolus Paulus nos huc inuitat dicens: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*. quasi diceret: Excute ô homo merita, examina conscientiam, animamq; debita præparatione dispone, prius quam panem hunc Angelicum sumas: *qui enim sumit indigne, iudicium sibi manducat & bibit*. ille namque panis est instar maris ascendentis & descendentis, fluxum scilicet habentis ad salutem, & refluxum ad damnationem, illum quidem digne & magna animi humilitate accedentibus, hunc vero indigne accedere præsumentibus.

1. Cor. 4. 21.

Et sane mare rubrum, cum de mari mentio incidit, omnes Ægyptios, idololatras & impios vndis inuoluit: Hebræis vero tutum vsque in terram promissionis transitum præbuit. Ita quoque sacra hæc Eucharistia, rubrum illud mare sanguine & passione Christi rubricans, vndis damnationis omnes Ægyptios, peccatores scilicet submergit & deuorat: & Israelitas, animas inquam piorum, incolumes traducit, & in terram promissionis, cœlestem inquam beatitudinem sistit.

Figura. Exod. 14.

Depromamus & alios conceptus, humilis illa Esther, & superbus Aman simul ad conuiuium Regis Assueri inuitati sunt sed Esther in reginam adoptatur, & voti compos efficitur: superbus vero & insolens Aman patibulo suffigitur. Docemur hic bonos iuxta ac malos, probos simul & improbos, ad conuiuium hoc Christi Iesu inuitari, sed illos vocari ad gloriam, hos vero ad mortẽ condemnari, ac iudiciũ sibi manducare & bibere. Expressum id video in parabola illa Euãgelica, qua dicitur homo quidẽ Rex parasse nuptias

Figura. Esth. 3.

& lautum conuiuium, ad quod cum omnes inuitaſſet, & conuiuas excuteret ac recenſeret, vidit vnum non veſtitum veſte nuptiali, cui ait; *Amice quomodo huc intraſti non habẽs veſtem nuptialem?* & addidit Euãgelium, Regem animo grauiter commotum manus illi & pedes iuſſiſſe vinciri, atq; in tenebras exteriores proiici. Matt. 22.

Deſignat hoc, licet tantum parabola ſit, magnum illum Regem Chriſtum, qui regium Euchariſtiæ inſtruxit epulum, ad quod omnes inuitauerat, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, cum peccatores impudenter ſeſe videt ingerere, ac peccatis inquinatos, & vitiis fœdatos menſæ huic approximare, non veſtitos veſte nuptiali, quæ charitatem denotat; adeo indignari & ad iracũdiam concitari, vt nos in tenebras auernales, ſuppliciaque perpetua præcipites agat. Matt. 11.

III. Insignis figura.

*Probet ergo ſeipſum homo*, & digne accedat: ab ipſa namque acceſſione mors ſimul & vita dependet. Videmus namque Petrum & Iudam ſacræ huius menſæ participes reddi, vtrumque ſacra communione communiri; ſed eheu quam diuerſa ratione, quam inæquali ſorte? Vnus namq; hunc panem ad animæ ſalutem, alter vero in iudicium ſibi ſumit. O admirabile Sacramentum quot mihi figuras reſeras, quibus tuorum effectorum diuerſitatem exprimam. Vidit olim Iacob ſcalam, cuius vna extremitas cælum, altera terram feriebat: per quam aſcendebãt & deſcendebant Angeli. O ſcala myſtica! an non nobis mirabiles ad oculum mirabilis huius Sacramenti effectus exprimere videtis? Ipſum namque ſcala eſt, quæ vna extremitatum ſuarum, diuinitate ſcilicet, in cœlum pertingit, altero vero, humanitate nimirum, terram ferit: per hanc ſcalam alii aſcendunt ſurſum verſus, quiſcilicet digne magnaq; animi demiſſione accedunt: alii vero ad inferna deſcendũt, qui indigne ſeſe hic ingerunt. Vnde dictum eſt de prioribus: *Qui manducat hunc panem viuet in aternum*, & de aliis: *Qui ſumit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini.* 1. Cor. 10. Matt. 26. Gen. 28. 1. Cor. 10. Num. 5.

Scriptum eſt in Numeris, fœminã quę adulterii inſimulabatur, certas quaſdam aquas, quas ſummus ei ſacerdos tradebat, bibere conſueuiſſe: quæ ſi falſo accuſata erat, nullum ei damnum aquæ illæ inferebant, at maiorem potius gloriæ ſegetem, pudoriſq; coniugalis præmium addebant: verum ſi rea erat, & adulterio torum nuptialem polluiſſet, hauſtus ille non ſecus ac cicuta mortem & exitium afferebat. Quare agite Chriſtiani, cum ad ſacram hanc menſam accedere præſumitis, videte vt dignos vos præbeatis; eadẽ enim menſę huius vis eſt, quæ aquarum illarum ſacerdotalium: adauget enim gloriam, gratiam, & merita iis, qui noxii ſunt & nullius delicti rei, mortem vero affert & exitium iis, qui crimen commiſerunt, & peccato al quo inquinati ſunt.

Cum Area teſtamenti per terras Philiſtiim, Gethæorum, Azotiorum, & Accaronitarum tranſiret, omnes interficiebat, magnamque vbicumque tranſiret, cladem inferebat: Iſraelitas vero ab interitu vindicabat. Denotabantur hoc ipſo admiranda SS. huius Sacramenti effecta, quod vera quædam arca eſt, in virga Aaron, noſtra inquam humanitas, & manna illud cæleſte, ipſa nempe diuinitas continens: arca inquam peccatoribus fatalis & noxia, iuſtis vero & ſanctis ſalutaris. Fornax illa Babylonica eodem tempore pueros Hebręos illęſos & immunes præſtabat, & Chaldæos miniſtros erumpentibus flammis deuorabat. O ſacro ſancta Euchariſtia, tu es vera fornax charitatis in medio Eccleſiæ ſuccenſa, quæ Babylonios, id eſt, peccatores, conſumis, & ad inferos deturbas, Iſraelitis autem, id eſt iuſtis, delitias & refrigerium ſpiritus ſuppeditas. Quis igitur dicere audebit figuratũ nos nopia laborare? Cogitate vero, Auditores, & ſerio verba illa Apoſtoli, *Qui mãducat & bibit indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini*, vobiſcum perpendite. Perpendite inquam quã grauiter Philiſthæi, Arcã Dei iuxta idolũ Dagon in fano ſuo collocantes, à Deo caſtigati ſint? Quo aliud nihil declaratur, quã eos qui SS. Sacramenti Euchariſtię arcã iuxta idolũ peccati collocare præſumunt, grauibus à Deo ſuppliciis, vt plurimũ puniri. Exaggerant quoq; Iudęorũ ſcelus Euangeliſtę, quod Dominum in monte Caluariæ loco infami- 1. Reg. 5. Dan. 3. 1. Cor. 11.

fami, & sceleratorum suppliciis destinato, ossibus mortuorum repleto, ac tetrum odorem exhalante, quo infamior tota Iudæa non erat, crucifixerint: at S. Paulus non minus esse dicit peccatum eorum, qui augustissimum & adorandum hoc Sacramentum in vitiosa conscientia, ac scelerum abominationibus infami, cui Caluariæ mons non est vel conferendus, non verentur deponere: sed additur, *reus erit corporis & sanguinis Domini.* Noli igitur, ô peccator, te Iudæorum, qui Dominum gloriæ cruci affixerunt, flagitii seum constituere.

IV. Exod. 25. 26. Quænam igitur dispositio, ecquæ animæ præparatio necessaria est, prius quam quis sacræ huius mensæ communionem accedat. Præceperat olim Deus, vt Arca testamenti, in quam manna & legis tabulę inferendę erant, magno artificio, industria, singulariq; symmetria & proportione fabrili compingeretur, & imprimis vt extrinsecus auro mundissimo vestiretur. Quid? an non hæc tam accurata constructio, vobis instructio fuit, quonam modo, qua diligentia, & quam accurate conscientiæ vestræ templum construendum sit, cum ad eam non legum tabulæ, sed ipse legumlator, ipsa inquam diuinitas, debeat diuertere? Construite id igitur longa pœnitentia, diuturna contritione fabricate, longeque pręuio examine conscientiæ id purum reddite.

Dan. 1. Nabuchodonosor rex pueros qui coram maiestate eius apparerent, eique ad mensam administrarent, pulcherrimos ex omnibus Hebræis seligi voluit, in quibus nempe nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, & omnigena rerum cognitione. Mal 1. Deus etiam in lege Mosaica præcepit, vt quæcumque animalia ei in sacrificium offerrętur, munda essent ac sine macula aut contagio. Reges quoque Ægypti non nisi à purpuratis, Nobilibus, & à generosa ortis familia sibi ministrari volebant, adeo vt plebeii & infimæ sortis homines, ne in conspectum quidem eorum se dare præsumerent. An non hæc præclara documenta sunt, è quibus discamus, quanta puritas, pulchritudo, virtutumque nobilitas necessaria sit, cum in Regis regum conspectum, qui nō nisi puritatem & pulchritudinem diligit, nihilque adeo quam peccatorum deformitatem abominatur: in conspectum inquam Principum omnium Principis, qui non nisi nobiles, non vero infames peccatores, plebeios, viles, & mechanicos, in seruos adoptat, & qui animalia immunda in laudum sacrificio sibi offerri non patitur, veniendum est, cumque is in animæ nostræ habitaculum deducendus.

Voluit olim Dominus, vt Moses calceamenta prius solueret, quam ad rubum accedere præsumeret, secumq; cogitaret terram quam calcabat sanctam esse: *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim in quo stas terra sancta est.* Exod. 3. Idem omnino hic rubus est, idem Deus, sed humanitate in Sacramenti huius rubo tectus, in quo omnia charitate incensa sunt: quare vt digne accedam, soluenda prius sunt imperfectionum calceamenta: hoc enim Sacramentum diuinum plane est, & supercœleste: locus quidam sacer est & mysticus, adyton, & terra sancta.

Scandalizabantur olim Iudæi, quod Apostoli panem illotis comederent manibus, eosque hoc nomine apud Redemptorem detulerunt: at quomodo scandalizari putamus Angelos, ac sæpius de nobis conqueri, cum panem illum cœlestem non illotis manibus, sed immunda conscientia à nobis manducari vident? Quin etiam Dauid Rex panes propositionis à comitibus suis noluit gustari, nisi sancte prius, se à contubernio & consuetudine mulierum diebus aliquot abstinuisse, iurassent. At quāto maiori munditia opus est, animæ sacrum hunc panem gustare cupienti: non iam amplius figuram, sed rem figura denotatam, panem inquam qui immortalitatem confert? *qui enim manducat hunc panem viuet in æternum.* Matt 15. Ioan. 6.

Quare agite, Auditores, ecce appropinquant iam festa Paschalia, ecce venere dies quibus agnus Paschalis comedendus est, venit ecce tempus quo sacer hic panis, cœlestis ille cibus sumendus est: quare omni ratione contendite, vt digni vos illo reddatis, eumque ea qua decet sanctitate animiq; præparatione suscipiatis. Reuocate, obsecro, in memoriam, quo pauore omnis Israelitarum Exod. 16.

exercitus fuerit consternatus, cum Deum tonantem, fulminantem, ac concrepantem in montis Sinai vertice audiret? Ita quoque vos tremere & pauere necesse est, cum ad montem Sacramenti huius acceditis, in quo idem Deus præsens est, sed triumphans, gloriosus, ac diuinam quandam maiestatẽ spirans. Memineris, quæso, Magos extremo profectos Oriente, viso puerulo Iesu, in præsepi licet & palea reclinato, procidentes eundem adorasse: vos quoque ad eundem puerum, ad eundem Deũ accedentes, licet eum in præsepio Sacramenti sub fœno & palea specierum Sacramentalium latitantem videatis, par est, statim vt eum visuri estis, in terram prostratos magna animi demissione eundem adorare. *Matt.2.*

Vna namq; est humilitas, quę nos eidẽ sumendo quam maxime idoneos reddit: quam in rem egregii mihi hic conceptus in mentem venit. Cum Dominus apud Zachæum veller diuertere, & eum inter arboris ramos considentem videret, clamauit: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Quod declaratur tum potissimũ, cum Deum animę hospitio suscipere proponimus, arborib. mundi esse descendendum, arboribus inquam superbiæ, iactantiæ, vanitatisq; sęculi. Descendite igitur quantocyus è montibus hisce, peccatores, ex arboribus quoque ambitionis descendite, matronæ: descendant turrita illa crinium fastigia, deponite erectos capillorum colles: descendite ex sublimibus illis coturnis, sandaliis illis immensum subleuatis, iugis & sustentaculis illis vestium immane quãtum laxis: descendite vestibus illis superbis, & syrmatib propemodum regiis: festinate, descendite è vanitatis arbore ad humilitatis terram: non enim alio Christus vult diuertere, nisi ad ædes vestras. Humiliate vos igitur, eique dignum habitaculum præparate, & dicite mecum omnes, quotquot hic adestis. *Luc.19.*

O panis admirabilis, panis miraculis scatens, panis cocte sub cineribus humanitatis nostræ, qui pistus es ex pretioso Iesu Christi sanguine, & flamma charitatis excoctus! ô panis Angelice, panis azyme, & non fermentate, ô fermentum carens acrimonia. Tu namque mysticum fermentum es, quod in Sacramento hoc mirabili virtutum nostrarum augmentum, bonorum operum merita, gratiarumque tuarum incrementum causaris & producis. Tu es scilicet panis ille, in cuius fractione duobus illis Viatoribus in Emaus tendentibus oculi aperti sunt, adeo vt Dominum in fractione illa agnouerint. Tu es bonus ille panis, quem Elisæus Propheta in medio Samariæ exercitui regis Syriæ dedit, quo eorum oculos aperuit, ita vt inimicos, quos prius agnoscere non poterant, cognouerint. Tu es quoque panis ille magnæ virtutis & efficaciæ, quem Paulus nautis distribuit, tempestatis laboribus exhaustis & deficientibus, quod ille eorum vires & animum restaurauit: *Rogo vos accipere cibum pro salute vestra, & cum hæc dixisset, sumens panem, gratias egit Deo in conspectu ciuium, & cum fregisset cœpit manducare.* O panis denique omnium panum rex, qui olim in deserto quinque hominum millia cibasti. Hoc quæso nobiscum age, ô panis venerande, adorande, colende, quod olim cum Propheta Elia fecisti: deducas nos scilicet per deserta mundi huius, vsque ad montem Dei Oreb, ad beatitudinem nempe cœlestem, Amen. *Matt. 13.* *Luc.14.* *2. Reg.6.* *Act.27.* *3. Reg.19.*

## FERIA VI. IN PARASCEue, de Passione Domini nostri ac Redemptoris IESV Christi.

Partitio.

*I. Pramium sympatheticum ex specie facti immanioris.*
*II. De horto & comitatu Domini.*
*III. De dormientibus discipulis.*
*IV. De Angelo confortante.*
*V. De agonizante Domino.*
*VI. De proditore Iuda.*
*VII. De captiuitate Iesu.*
*VIII. De gestis reliquis in horto.*
*IX. De gestis apud Annam & Cayphan.*
*X. De negante Petro & Iuda desperante.*
*XI. De accusatione apud Pilatum facta.*

*XII. De secreto examine Pilati in Iesum.*
*XIII. De gestis reliquis apud Pilatum.*
*XIV. De Iesu baiulante crucem, & Cruce baiulante Iesum*
*XV. De gestu reliquo, dictisq; ad crucem.*

## *Passio Domini nostri Iesu Christi.*

### FIGVRA.

I. O funestum & tragicum diem! ô diem vere horrendum, cruentum, & omnium dierum tristissimum! diem morte Iesu Christi nobilem, diem quo vnicus Dei filius cruci confixus conspicitur: diem inquam, non iam protomartyris Stephani, qui lapidibus fuit obrutus, martyrio insignem: non nec Laurentii, qui super carbones extensus glorioso martyrio vitam finiit: non tristi sancti Bartholomæi, cui viuo pellis ablata fuit, morte nobilem: sed diem passione Iesu Christi memorabilem! diem quo non nisi de gemitibus & lamentis, non nisi de suspiriis & lachrymis loquendum est. Solebant Israelitides quotannis ad bustū Iephtes filiæ conuenire, vt funestam illius & lugubrem mortem, quæ sine vllo crimine D. o immolata erat, lamentis & lachrymis expiarent, ac tristem comparis sui casum deplorarent. O Auditores, vos illos Israelitidas esse quis me vetat dicere, qui quotannis sacro hoc passionis die huc congregari consueuistis, vt tristem illam, non dico filiæ Iephtes, sed sacræ humanitatis Iesu Christi sortem defleatis: qui nullo vnquam admisso crimine, ac sine vllo peccato aut delicto, ac penitus innocēs in monte Caluariæ fuit immolatus. Plorate igitur filiæ Israel, plorate, hoc lugubri & flebili præsertim die: die, quo funesta illa & cruenta exhibetur tragœdia, cui similis nulla vnquam in mundo exhibita fuit, in qua non nisi de morte filii Dei agetur: theatrum ipse mons Caluariæ est, actorum partes agent Iudæi, & ipse ego prologi. Sed nihil hic audietis aliud quam crucem, sanguinem, mortem, clauos flagella, sentes, & lanceas At quoniam me in hoc tam longo ac difficili dramate vires deficiunt, easque aliunde comparare necesse sit: ad quem potissimum auxilii petendi ergo me conferam? anne ad Patrem illum æternum? Sed ardet ille hodie ira & penitus exæstuat, fulgure accinctus & vindicta, vltionem spirat, adeo vt ne proprio quidem parcat filio. Anne Angelos inuocabo vt patrocinentur? sed flent illi & ingemiscunt non secus ac nos: eadem illos quæ nos vrget tristitia, eadem desolatione, eadem premuntur afflictione. Anigitur Virginem illam gloriosam accedam, vnicum meum refugium, asylum, & consuetum ad quem me recipere soleo portum? sed nulla hodierna die auxilii ab ea exspectandi spes superest, omnis enim, quam in ea fiduciam figere soleo, iam concidit & collapsa est. Video namque illam lachrymis, lamentis, ac suspiriis exhaustam, ac tantum non mortuam, cum videt suum dulcem natum morientem desolatum, dum emisit spiritum. At nullum mihi refugium superest, nisi ad te, ô sancta, veneranda, & adoranda crux: tu mihi hodierna die in immenso hoc ce Passionis Oceano euaganti futura es portus, Helice, Pharos, Cynosura, ac directrix mea Hic ego te inuoco, inclamo, genibusque in terram prostratis supplex adoro, dicens:

*O crux aue spes vnica.*

Simile. Iud. 11.

Timāthis in Agamēnone pingendo industria.

Nobilis ille, & non postremi inter pictores nominis Timanthes, cum lugubrem pōpam, ac funestam illam Iphigeniæ immolationem depinxisset, varioſque astantium, & consanguineorum affectus expressisset, & iam Patris Agamemnonis dolorem ac vehemētiorem cæteris affectum exprimi quoque oporteret: nulla id commodiori meliorique ratione fieri posse iudicauit, quam si eū velato & obnubilato vultu repræsentaret: dicens: aliam eius pingendi rationem, nec meliorem, nec aptiorem reperire posse, aut vllos colores, aut artem, quæ vehementiam illam paterni doloris, & ingentem illum intrinsecus in huiusmodi patre habitantem affectum exhiberet, inueniri: quippe cui omnis ars & manus merito debere cedere videantur. Idipsum mihi hodierna die de ingenti hoc Passionis Domini nostri mysterio dicere liceat Cum enim mihi propositum sit amarā illius crucifixionē hodie proponere, ac fu-

ac funestum illius obitum, dolores eius extremos, mortemque illius ignominiosissimã ingenue, id me nequaquam pro dignitate præstare posse profiteor, nisi velata eum facie, capite sentibus obsito, oculis lachrymis suffusis, genis & vultu sputis illito, in crucis medio oculis vestris producam: ipsa quin etiam reliqua eius supplicia, dolores, pœnas & cruciatus, ac reliquam passionis eius seriem, verbis & oratione mihi velim credatis, exponere me posse diffido.

S. Gregorius cum Magdalenæ dolorẽ perpenderet, magis ad flendũ quam ad dicendum permouebatur.

Si sanctissimus ille Doctor Gregorius, cũ lachrymas ac suspiria conuersæ illius peccatricis Magdalenæ attentius secum perpenderet, de iisq; loqui proponeret, ita orationem exorsus est: *Cogitanti mihi de Magdalena pœnitentia flere magis lubet, quam aliquid dicere*: multo maiori id ratione de passione Domini nostri quis dicere queat, Beatissime Põtifex. Ad tui igitur imitationem dicam: cum vires mihi non secus ac tibi deficiant: *Cogitãti mihi de passione Iesu Christi flere magis lubet, quam aliquid dicere.*

*Ierem.* 1. *Quis ergo dabit Capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte.* Dauid cognito Principem exercitus Regis Saul, Abner crudeliter à Ioab castrorum Præfecto esse interemptum, vestimenta cõscidit, & ingemuit amaritudine cordis præ-

2. *Reg.* 3. grauatus, aliosque ad idem faciendum incitauit dicens: *Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner.* Iisdem vos hodie verbis compellabo, Auditores, nam tristior heu multo casus nobis accidit: ecce, peraguntur exequiæ Iesu Christi, omnium Principum Principis, quem Iudæi nefandæ cruci suffixerunt: scindite ergo corda vestra, & non vestimẽta vestra, accingimini saccis, & plangite ante exequias Christi: flete, ingemiscite, suspirate hodie, tundite palmis pectora, flagris in corpus vestrum sæuite, ciliciis lumbos accingite, relinquite pretiosas illas & delicatas vestes, saccos induite, & vnanimiter in funere Iesu Christi plorate.

*Plut. in Cæsare.* Apophthegma Antonii. Cum Iulius Cæsar in Senatu à coniuratis nefarie esset trucidatus, M Antonius cruentam eius tunicam, & stillanti etiamnum tinctam sanguine sustollens, in forum prodiit, populoque Romano eandem commonstrãs, animum addidit, vt sumptis armis tam nefariam necem prosequeretur, Cassiumque & Brutum cædis artifices, cæterosq; coniurationis socios vrbe exigeret. Quod olim populo Romano fecisti, Antoni, idipsum mihi hodie vobiscum faciendum est. Christiani. Ostendam vobis non tunicam Cæsaris, sed sacram Christi humanitatem rubicundo tinctam sanguine, vulneribus plenam, & plagis adhuc stillantibus deformatam. Sed vtinam ita animos vestros permoueam, vt eos ad arma concitem, ad insignem de peccatis, quæ eum tam nefande interemerunt, vindictam capiendam.

*Gen.* 37. Iacobi plãctus pro Ioseph. Nam Patriarcha Iacob iam senex, statim vt tunicam Ioseph sanguineis tinctam guttis, & mortis signis deturpatam conspexit: adeo dolore & affectu paterno intrinsecus commotus fuit, vt scissis vestibus in terram prostratus, cœlumque replens gemitibus, nullam consolationem, dolorumque lenimen voluerit admittere: ita namque S. Scriptura loquitur: *scissis vestibus indutus est cilicio, lugens filium multo tempore.* Sed longe funestius nobis hic, Auditores, spectaculũ proponitur, ipsa nimirũ tunica, tunica illa pretiosa, sacra inquam Christi, qui verus Ioseph fuit, humanitas, tincta sanguine, cruenta, mortis eius & necis nota ac præsagium. Quis non igitur in lachrymas resoluatur, quis aliquam iam consolationem admittat, & non potius sine vlla intermissione plangat?

*Iob* 2. Amici Iob adeo eius casu perculsi fuere vt septem dieb. nullus ei verbũ loquerẽtur. Tradit S. Scriptura, amicos Iob, cum eum in simario sedentem, vlceribus deformem, sanie deturpatum, vulneribus liuidum, & ab omnibus notis & domesticis derelictum viderent: illum nimirum, quem prius vt terræ principem diuitiis & opibus affluentem, honoribus cumulatum, longo famulitio stipatum suspexerant: adeo consternatos, & acerbo illo fortunæ variantis casu, ita perculsos fuisse, septem vt ipsis diebus nullus ei vel verbum fuerit locutus. Et sane quis vestrum est, Auditores, qui, cum Dei Filium diligere se testatum velit, dum videt eum hodie in cruce extẽsum, spinis coronatũ, flagellis cõscissum: dum cõspicit genas eius alapis liuentes, manus durissimis confixas clauis, latus lan-

lancea perforatum & sacrum eius vultum sanguine repletum; ille, inquam, quem prius vt Angelorum principem, Imperatorem vniuersi SS. Trinitatis Delphinum, & creaturarum omnium caput & summum viderat, nouerat, & crediderat; quis non, inquã, admirabitur, percelletur, contremiscet, emorietur, aut saltem toto vitæ suæ tempore non obmutescet.

Esth. 5. Regina Esther, cum pulchritudini suæ cõfisa, interius Assueri regis atriũ ingredi præsumpsisset, ac deinde magnitudinem, splendorem, maiestatem Principis illius maiorem longe quam putarat vidisset, adeo consternata & perculsa fuit, vt sensibus destituta, insolitam quandam in regis vultu maiestatem intuita, deliquium animi passa sit. Quid igitur te facere par est, anima pia & deuota; cum hodie piæ meditationis gressibus montem Caluariæ qui in cubiculum & atrium Assueri tui, redemptoris tui, Christi tui, conuersus est, subiens, humilitatem, paupertatem, opprobria, & supplicia Principis huius, Dei huius intueris; an non consternata in terram rues, & tam insolitum spectaculum admirata, an non extra te rapieris? Et sane longe maiorem consternationis causam habes ô anima, cũ paupertatem & mortem filii Dei conspicis, quam regina illa, maiestatem & magnificentiam regis Assueri contemplata.

O paradoxa noua! ô res nunquam vel visas vel auditas! Deus ecce hodie patitur, moritur, creator hodie à creaturis cruci affigitur. Quam merito igitur exclamas Isaia: Isai. 53. *Quis credidit auditui nostro*? Quis, inquam, credet Deum mori potuisse? & tu ô Paule 1. Cor. 1. cum ais: *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Quis enim persuaserit Rabino alicui, Exod. 14. Deum illum in cruce pependisse, qui maio- Exod. 16. res eius Ægypto eduxit, per mare Rubrum traduxit, & eos in deserto manna saturauit? Quis etiam Gentili alicui Philosopho persuadeat, Deum illum, quem ait, credit, asserit, actum esse omnino purum, immortalẽ, æternum, impassibilem, beatum, passionem tam acerbam pertulisse, & inter latrones pependisse medium?

Hoc ipsum est, Christiani, quod hodie credendum, deflendum, & suspiciendum est. Paradoxa sunt, sed tamen vera. Deus ipse mortuus est! ô mortem inauditã, quid? anne Deum emori? Deus est, Deus, ipse Deus qui tot in corpore suo cruciatus pertulit. Sistite, obsecro lachrymas Christiani, inhibete fletum, cessent suspiria, & audite vt inclamet: *O vos omnes qui transitis per viam attendite & videte si est dolor sicut dolor meus.* Hic namque videbitis eum quem prophetæ virum dolorum nominarunt; & aliud ad dolorem & cruciatum exprimendum hieroglyphicum nolite quærere ô Ægyptii, quam ipsum Redemptorem: neque enim anima aliam dolorum materiam quærit, quam hunc ipsum Redemptorem videre vulneratum. Et vos ô animæ fideles, si vllo vnquam tempore erga Christum amorem vestrum declarastis, hoc profecto tempore eum patefacere potestis, quum eum in cruce suspensum contemplamini. Aliud toto vitæ tempore nolite admirari, quam acerbã hanc crucem: aliud nolite mente voluere, quam amaram hanc passionem: aliud nolite cogitare, quam horrendos illos cruciatus. Quare attendite & videre; inspicite, obsecro, & perspicite miserum hocce corpusculum, atque omnia eius membra, artus & compages distortas & laceratas contemplamini.

Non fuit dolor similis dolori Christi. *Thren. 1.*

O lugubre & funestum spectaculum! non apparent nisi spinæ in capite, in oculis lachrymæ, in vultu sputa, in fronte concretus sanguis, in collo vincula, in latere lanceæ, in manibus claui, & in tergo & humeris non nisi flagella conspiciuntur. Dimetiamini omnes dimensiones eius, & immensos toto extensos corpore cruciatus aspicietis. In longitudine perfertà capite ad calcem; nam *à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas in eo.* Videamus & latitudinem, de qua dicitur: *Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Cruciatus eum peruaserunt, concusserunt, & Psal. 21. vsque ad minima etiam ossicula demoliti sunt. Quid de profunditate dicemus, de qua dictum est: *Lancea latus eius aperuit?* intima Ioan. 19. namque pectoris rimata est, & penetralia cordis atque intimas latebras militis penetrauit

3. Par. q. 46. art. 5.

trauit hasta. Denique si D. Thomæ Aquinati credimus, omnes omnium hominum passiones in genere & simul, non autem in specie aut sigillatim pertulit. Hic ô philosophi, in Christo Iesu nimirum, omnes cruciatus, supplicia & tormenta martyrum quæ olim pertulerunt, vel vllo aliquando tempore deinde toleraturi sunt, sensibiliter, & non solum eminenter, comprehensa conspicimus. Quod vt distinctius perspiciatis maioremque ipse vobis ingemiscendi, & lachrymādi materiam suppeditem; lugubrem hanc tragædiam tribus distinctam actibus, cruentis reuera, tragicis & amaris, oculis vestris, velut in scena, subiiciam. primus actus repræsentabit vobis ea quæ in horto & monte Oliueti contigerunt; secundus quæ in ipsa Hierosolymorum ciuitate peracta sunt; vltimus vero ea quæ in monte Caluariæ euenerunt. Epilogus vero tristem illam catastrophem passionis & mortis Christi cū tristi & fatali illo Epitaphio, sed orbi admodum fausto & læto, nempe *consummatum est*, exhibebit.

Historia Passionis Christi in 3. membra diuiditur.

II. Principio igitur, omnes huius tragœdiæ scriptores vnanimi consensu tradunt, Saluatorem mundi Christum testamento iam condito, sanctissimo Eucharistiæ Sacramēto instituto cœna legali peracta torrentem Cedron transiisse, & recta Gethsemani, qui vicus erat haud procul à monte Oliueti, in quo hortus erat, contendisse & eundem cum omnibus Apostolis intrasse. O horte fatalis, tu nobis in memoriam reuocas veterem illum hortum, paradisum inquam terrestrem, in quo omnes omnino homines salute sua noxialis morsu pomi exciderunt.

Digressio de horto. Gen. 3.

Hortus fœlicitatem designat.

Designas quoque nobis fœlicitatem, & fortunę auram benigniorem in qua homines vt plurimum pereunt, seque salutemque periculo exponunt. Adam namque in horto illo voluptatis se & posteritatem perdidit; Susanna in viridario suo pudorem propemodum amisit; & hodie Iesus Redemptor noster in horto quoque ab hostibus proditus fuit. O hortum inamœnum, fatalem, periculis & variis expositum casibus! Sathan serpentis induens habitum hortum olim intrauit, vt totum orbem, & omnes penitus mortales euerteret, occideret, & perderet; & ecce Antagonista eius Christus Iesus hodie quoque hortum, mundum restauraturus, redempturus, & in pristinum vigorem restituturus ingreditur, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret.

Dan. 15.

Hortum intrans tres tantum Apostolos assumit, octo reliquis ad horti introitum relictis, atque ita paulo vlterius in horto progressus est, vt tanto maiori commoditate orationi incumberet: *Assumpto Petro & duobus filiis Zebedæi.* Respicite quæso animæ solitudinis amantes, passerem illum solitarium de quo vaticinatus est vates regius; dicens, *Vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto:* videte præclaram illam auem quæ non nisi deserta quærat, non nisi siluas dulci voce susurret, videte autem illam querulam, suspirantem, gemiscentem ac iucundissimam de precibus suis harmoniam concinnantem, suspiria instar bassi sunt; clamores superioris; lachrymæ, tenoris; & orationes, contra tenoris vice funguntur; feruens erga redemptionem amor toram hanc musicam dirigit & moderatur. O iucundissimam harmoniam! O symphoniam Cygneo cantu dulciorem! Sed non video hic nisi tres discipulos, Petrum, Ioannem, & Iacobum cur non & cæteros? Hic quidem aliqua prærogatiua esse videtur, mysterio tamen non vacat. Promiserant quippe illi maiorem cæteris animositatem, ac magnanimum quid ante alios præ se ferebant Ostenderant sese verbis Cæsares, Hercules, ac præsertim Petrus qui dixerat confidens & audax, *Etiamsi oportuerit me mori tecum non te negabo.* O animos Rodomontæos! Zebediadæ vero interrogati olim num tristem & amaram passionis cicutam in crucis calice haurire possent: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* respondērunt quasi noui quidem Thesei aut Alexandri; *Possumus.* O præsumptionem singularem, ô præfidentiā inauditam! Dux igitur, de animo & generositate illorū periculum facturus, eos hodie in aciem producit; armis & gladiis obiicit, vt quos verbis prius ostenderant animos, eos iam reipsa cum necesse foret, declarent: quid vero possint

Psal. 101.

Cur Dominus tres tantum secū discipulos assumpserit.

Matt. 26.

& quæ

& quæ eorum virtus sit breui videre dabitur.

Deinde quoniam tres hi gloriæ Transfigurationis interfuerant, necesse quoq; erat & par, vt passionis infamiæ cruciatibusque interessent. Atque illa tua agendi ratio est ô munde; è transfiguratione scilicet ad passionem transire, è deliciis ad dolores, è voluptatibus ad lachrymas, è fastigio prosperitatis ad imum aduersitatis fundum delabi. O Petre quæ rerum vices, quæ subita fortunę mutatio, dixisti olim in vertice montis Thabor gaudio & lætitia extra te ipsum raptus, *Bonum est nos hic esse*: sed mutabis quamprimum vocem & tonum, ita vt pauore consternatus clamaturus sis; *Malum est nos hic esse*, periculosum, nec securum; cum ipsemet Dominus hìc tremat, concutiatur, & timore percellatur exclamans; *Tristis est anima mea vsq; ad mortem.* Quasi diceret, Si vnquam, ô Apostoli, magistrum vestrum dolore cõfectum vidistis; iam venit profecto tempus, quo eum turbatum & ærumnis pressum videre datur: numquam enim anima mea ita sauciata fuit intrinsecus, numquam tam vehemens me incessit pauor & consternatio, vti modo: tristitia namq; & formido animam inuaserunt, & ad mortem vsque eam discruciant & diuexant. Præuiderat imminentem hanc tempestatem & grauem tristitiæ nimbum regius ille vates Dauid; *Cor meum*, inquit, *conturbatum est in me; & formido mortis cecidit super me*: & alibi: *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* Sed vndenam grauis ille terror tibi irruit Domine? quis æstum illum concitauit? vnde hæ angustiæ, tristitia, & subitus ille pauor? In aperto causa est, & quidem multiplex: hinc namque detestanda illa Iudę proditio, illinc turpis Apostolorum fuga, Iudęorum item reprobatio, excidium & deuastatio Ierosolymitana: tum vero potissimum ac maxime, mortis impendentis formido & metus. Atq; hæ fuêre cataractæ, scaturigines & fontes, è quibus vehemens ille tristitiæ torrens emanat ac deriuatur.

A gloria sæpe in infamiam cadimus, atque illa est mundi instabilitas. *Matt. 17.*

*Psal. 87.* *Psal. 45.*

Mors Christo terrorem incutit.

Quem igitur feralis illa mors non concutiet? quis non pallebit, tremet & pauebit, quis non emorietur, dum mortis ipsius meminerit; cum & Gigãtes consternet, & Hercules ipsos eiusdem memoria percellat, ipsique quin etiam Christo metum & anxietatem incusserit? Hinc præclare mihi dixisse visus est Aristoteles, de morte scribens: *Omnium terribilium terribilissimum est mors.* Et bene quidem: nihil enim morte aut horribilius aut metuendum magis. Magnus ille Persarum Rex & Monarcha Xerxes, cum duodecies centena hominum millia, vel amplius, sub signis haberet, qui Græciam vastarent, & diriperent, eosque in acie iam constitutos magnopere videre desideraret, montis cuiusdam verticem conscendit, vt tãto eos melius ante oculos haberet. Cum itaque omnes in acie iam constitutos cerneret, vbertim illachrymari cœpit, ac tacitus secum omnium suorum casus deplorare. Quæ fletus causa, ô Rex? quid hæ tuæ lachrymæ designant qui tãta prius animositatis signa ostẽdisti? Quis ad aures rumor delatus est ita vt ingemiscas? Ingemisco, ô duces mei, quod vos & omnes commilitones vestros, quos hic cernitis, tandem aliquando morituros sciam, & quod ex tot hominum millibus, tot fortissimis & validissimis viris, qui hinc Hellesponti litora prætexunt, & illinc omnem circunquaque regionem ferro flammaque vastant; post centum annos nullus omnino superstes futurus sit. Quid? tantane tua potentia & vis est, ô mors, vt vel sola tui memoria & vmbra inuictum illum Regis animum potuerit concutere, terrore percellere, & ad lachrymas concitare?

*Arist. 3 Ethic. c. 6.*

Factum Xerxis.

Dicitur Hilarion, vnus de veteribus Anachoretis, morti vicinus, animam, cum egredi timeret, & rigorem iudicii pertimesceret, mille anxietatibus & pressuris conflictata, his eam verbis compellasse. Quid times anima mea, septuaginta annis in vasta hac solitudine Deo seruisti: pænitentiã pro delictis egisti: à tanto iam tempore ad libertatem aspirasti, & vincula captiuitatis effugere conata es, & ecce, cum carceris repagula iam reserata sint, egredi perhorrescis, & quodammodo detrectas. Quid igitur times, quid formidas? egredere. Et tu, ô anima mea, peccatrix, mori non times mortem non perhorrescis? Vide porro, vt animæ

S. Hilarion Anachoreta timuit in extremo vitæ constitutus.

Regum, animæ Hilarionum, anima etiam Iesu Christi, eandem formident; & tu crudelis & peruicax nequaquam moueberis aut pauebis?

Sed redeamus ad propositum, Christus Dei filius sola mortis memoria concutitur.

*Dan. 5.* Quemadmodum olim Balthassar Babylonis Rex, visa manu scribentis in pariete, quæ mortem ei imminere, & impendere denuntiabat; adeo perterritus fuit vt toto corpore cõtremiscens & exalbescẽs iam iam sibi moriturus videretur. Ita etiam Iesus Christus, summus ille vniuersi Monarcha, manum illam diuinæ iustitiæ, decretum mortis aduersum se in charta crucis exarãtem videns, tanto pauore & tremore consternatus fuit adeoque territus & perculsus, vt formidinem celare non valeret, & dicere coactus fuerit. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*; penitus exhaustus sum, viresque me deficiunt Pater.

Duæ aliæ causæ mæroris Christi adferũtur.

Deinde tristitiæ huius aquæ à duob. aliis etiam fontibus promanabat; primo quod vita hac, quæ in Iesu Christo ratione quadam supereminenti, propter vnionem illam hypostaticam, erat, spoliandus esset; ita vt illius amissio, vel ad horam tantum, magis deploranda esset quam in vlla alia creatura ad mille annos. Docuit hoc me Doctor

*3. par. q. 46. art. 6.* ille Angelicus Thomas; atque hæc vna est è causis tristitiæ Domini nostri Iesu Christi. Alteram docuit Isaias, quæ inde originem sumit, quod Christus pro peccatis nostris satisfacturus, dolorem etiam pro omnibus totius mundi peccatis concipere debebat; vnde ait, *Vere dolores nostros ipse tulit.*

*Isa. 53.* Porro dolor hic qui è contritione nascitur, vehemens omnino & infinitus in eo fuit, ac longe maior quam in vlla alia creatura vnquam fuit aut erit: tum quod ipsam peccatorum grauitatem perfecte cognitam haberet, quod sapientiæ eius asscribendum est: tum vero, quod Deum, in quem offensa commissa erat, infinito & incomprehensibili amore prosequeretur atque duo hæc ipsos contritionis dolores adaugere consueuerunt.

*Thren. 2.* Quam magna igitur in eo hæc tristitia fuit, de qua Propheta olim dixit? *Magna est velut mare contritio tua.* Magna profecto fuisse existimandum est, cum Christum eadem propemodum vita priuauerit; ad terram saltem deiecerit.

Oratio Christi ad Patrem in horto.

*Procidit in faciem suam.* Videte hic obsecro contritum & afflictum Publicanum pectus pugnis tundentem, & oculos cœlum versus erigere vix præsumentem; sed vultu deiecto in terram prostratum, & eandem lachrymis irrigantem, singultibusque & lamentis intermixtis ad Patrem preces fundentem, *Transeat à me calix iste.* O Pater misericordiæ & Deus totius consolationis, qui Danielem de lacu leonum clamantem exaudisti, qui Ionæ de ventre ceti te inuocanti faciles aures præbuisti, quique tres Hebræos pueros in fornace Babylonica constitutos respexisti, & ab interitu & flammis vindicasti: Exaudi, obsecro, clamantem ad te Vnigenitum tuum; respice dolores eius quibus affligitur, respice inuocantem, tibi supplicantem, doloribus oppressum, mœrore confectum, & hic coram te in terram postratum. Habeo quidẽ Pater, partem quandam inferiorem, sensualitatem nempe & inclinationem naturalem, quæ mortem naturaliter reformidat; quæ crucẽ, passionem & necem nimium quantum perhorrescit; illa, illa est quæ tibi hic supplicat & inclamat, *Transeat calix iste.* Verum habeo & facultatem quandam superiorem, rationem scilicet, quæ ei dominatur quamque tu dirigis & moderaris, quam iam inde à primo ortus mei die tuæ voluntati potestatique semper commisi: adeo vt nihil velle possim, nisi quod ipse vis, meaque voluntas tuæ hactenus fuerit conformis, & semper futura sit. Quapropter si decreueris, si constiterit, & in Cõcilio tuo stabilitum sit, crudelem illam mortis sententiam in vnicum tuum filium ferre; *fiat*, non detrecto, non repugno, paratissimum me reperies, & volũtati tuæ obsequentissimũ. Ecce manus offero clauis configendas, caput spinis coronandum, latus lancea perforandum, ac totum denique corpus in crucem sustollendum.

Pla meditatio.

Quid agis igitur anima mea? aut quomodo te geris? quid ais, interea dũ Redemptorẽ tuum, Creatorem tuum, Deum deniq; tuum in terram prostratum intueris? an non

te ad

te ad vsque terræ centrum humiliabis? an non hinc discès ad Deum in tentationibus confugere; aut voluntates tuas in eius beneplacitum resignare? Quamobrem cito te anima mea, adiuro, vt hodie mundo egrediaris, & hortum illum doloris ingrediatis, in eoque non nihil expatieris: videbis namque hic insignem illam arborem vitæ, fructibus angustiarum, doloris, afflictionum grauidam. Accede, & vide hic rubum illum ardentem: nõ videbis hic amplius illam cedrum; non altam illam cypariſſum diuinitatis, nõ est hic nisi rubus humanitatis nostræ, caritate in horto oliuarum exæstuans; sed soluenda prius tibi calceamenta, deserenda peccata; locus enim ille, sacer est, & virtutibus refertissimus. Contemplaberis hic quoque ingentem humilitatem, ardentem claritatem, & obedientiam incredibilem: videbis hic etiam pusillum pugilem Dauid ad certamen iamiam imminens sese præparantem.

III. Discipulos Dominus inuenit dormientes.

Vix finierat Dominus orationem, quin statim loco surgat: & ad discipulos progrediatur: quos vbi dormientes reperit, ad Petrum conuersus ait, *Simon dormis, non potuisti vna hora vigilare mecum.* Tune Petre, quem ego Apostolorum meorum principem constituere decreueram, quem in Ecclesiæ verticem & caput elegi, modo dormis? tene dormire, qui ita te prius iactaueras, tantumque de te ipso præsumebas? Ecce inimici ad nos properãt, synagoga nos quærit. Dormis Iona & ecce tempestas per mare sæuit. Anne oblitus es parabolæ Petre, quam me olim dicere memini, cum dormirẽt homines, venisse inimicum, & bono semini superseminasse zizania? anne oblitus es me in nauicula dormitante, & tempestate excitata, te inclamasse, *Domine salua nos, perimus.*

*Matth. 15.*

*Matth. 8.*

Meditatio.

Quoties ô anima tibi in turpi vitiorum lecto stertenti inclamat cœlum, & internis hisce verbis inspirat Deus? *Anima dormis?* Omnis ecce infernalis potestas, & auernalis colluuies in salutem tuam conspirauit, quærit te, prosequitur te crucemque tibi & supplicia præparat, & tu vtramque securus in aurem dormis? Tradunt historiæ gẽtilium, fortissimum illum Carthaginensium Ducem Annibalem, quamdiu Scipionem armata manu sibi instare sentiebat, nunquam se ad dormiendum composuisse, aut armis sese exuisse: sed semper hostem metuendo, lorica indutum somnum cepisse. Quomodo tu igitur anima dormire præsumis, nudata penitus & armis gratiæ exuta, cum tot vndique inimicis cingaris, qui semper excubant, quomodocuuque te dormitantem & incautum opprimant?

Factum Annibalis.

*Vigilate & orate, ne intretis in tentationem,* & vos imprimis ô peccatores, quos meminisse velim, quantorum malorum causa somnus mundo extiterit. Noe namque dormiens nudatus est, & a proprio filio derisus. Loth dormiens, nefarium incestum cum filiabus commisit, Ægyptiis quoq; in tentoriis præ vino & crapula stertentibus, omnes eorum primogeniti nocte vna fuêre interfecti. Sampson in sinu Dalilæ dormiens, à Philistæis captus est, vitamq; perdidit. Saul quinetiam dormiens discrimen subiit & armorum & vitæ perdendæ, nisi Dauid ei periclitanti succurrisset. Isboseth quoque dormionis illius filius, præ æstu dormitans medio die, in lectulo à duobus sicariis est interfectus. Tobias dormiens visum perdidit, & Holofernes capur, Ionas in mare deiectus est. O infelicem igitur somnum, ac multorum malorum seminarium! *Vigilate ergo & orate.*

*Gen. 9.*
*Gen. 19.*
*Iudic. 16.*
*1. Reg. 6.*
*2. Reg. 4.*
*Tob. 6.*
*Iudith. 3.*
*Ion. 1.*

Ad vos hoc pertinet ô Episcopi, vobis potissimum hocce documentum traditum est, Ecclesiæ Præsules. Episcope dormis; pastores dormitis securi & quieti: Videte vt hinc hæretici, schismatici, illinc Iudæi, Turcæ, diaboli denique ipsi se moueant, & gregi vestro insidientur; & vos dormitis? Vigilate Episcopi, & oculis semper apertis excubate. Vidit olim Ieremias virgam excubantem, & nunquam vel minimum dormitantem: Leo animalium fortissimus & princeps oculis semper apertis dormit: vidit etiam Ezechiel animalia quæ ante & retro plena erant oculis. Quibus omnibus vestram vigilantiam denotari putem Episcopi. Vos namque estis pulchræ illæ virgæ, quibus Deus populũ suum dirigit & flectit: vos estis inter Christianos, quod leo inter animalia, vos quoq; signarunt oculata illa:

Episcopi gregis suos excubent.

*Ierem. 1.*

*Ezech. 1.*

illa animalia, quæ Propheta vidit. Semper igitur vobis excubandum est, semper oculi aperti sint, atq; omnis illis procul somnus excutiendus, sed imitemini potius vigiles illos pastores, de quibus scriptum est: *Erant pastores custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Excubabant illi super gregem suum, vos super vestrum excubate. Hoc est quod magnus ille ouium pastor Iacob socero, quasi rem bene gestam commemorabat, adeo nempe se semper vigilem & diligentem extitisse, vt nunquam somno vel minimum indulserit, sed fugerit ille semper ab oculis eius.

*Luc 2.*
*Gen. 31.*

*Plut. in Apophth. reg.*

Philippus Macedonum Rex, cum in comitiis quibusdam, ad quæ Græci multi conuenerant; dormitaret, ipsique hoc in deteriorem partem interpretarentur, dormientique exprobrarent; *Nolite*, inquit Parmenio, vnus è Philippi ducibus, *mirari dormientem nunc Philippo; vobis enim dormientibus ille vigilabat.* Idem pene de Octauio Augusto refert Suetonius. Hic enim cum negotiorum ingruentium multitudine insomnes sæpe noctes traheret, intelligeretque inter cæteram suppellectilem, lectum cuiusdam nepotis, qui in gurgustiis & popinis omnes suas facultates deuorasset, & ingens adhæc æs alienum contraxisset, venalem esse; eundem sibi coemi iussit, in vsumque suum reseruari; dicens: Si ganeo ille & nepos in eo secure dormire potuit, tanto tamen ære alieno grauatus, forsitan & Cæsar, tot negotiis obrutus & implicatus totque solicitudinibus impeditus, in eo dormiens quietem inueniet. Non potuit ecce potens ille Monarcha, qui totum Orbem nutu suo moderabatur, quiete somnum capere, plurimis curis & anxietatibus grauatus.

*Sueton. Augusto.*

Videte porro nouum hic Octauium, nouum Philippum, nouum Annibalem, Iesum inquam CHRISTVM, qui cum totius orbis peccata humeris sustineret, hodie in horto Oliuarum excubat. Videte illum toties ad Apostolos progredientem & noctem precibus extrahentem tertioque eundem sermonem orantem. O rem inauditam! Ipse Dei filius tertio idipsum à Patre obsecrat, & non exauditur; non igitur mirum videri tibi debet anima, si interdum ad preces tuas videatur Deus obsurdescere, teque ad primam orationem non exaudiat. Discequoque hinc in oratione perseuerantiam adhibere, & peruicaciam quæ nusquam nisi in oratione adhibenda est. Tertio namq; Chananæa repulsam passa; quarta vice voti compos efficitur. orauit quoque totus terrarum orbis quinque annorum millibus, vt tandem aliquando optatus Messias descenderet, & ecce post tam diuturnam repulsam importunitate precantium victus tandem cœlo delapsus est.

Christus ser orat

priusquã exaudiatur.

*Matth. 15.*

Hinc præclare mihi dixisse videtur qui ait:

*Gutta cauat lapidem nõ vi sed sæpe cadendo.*

& alius quidam parodice:

*Vota Deos flectunt non vi sed sæpe precando.*

Quamobrem nolite ô hæretici nos exsibilare, si modo ter Orationem dominicam, ad honorem SS. Trinitatis, modo quinquies salutationem Angelicam, ad honorem & memoriam sacrorum quinque vulnerum Christi recitemus Neque enim est, vt ideo vobis ludibrio simus, quod certum precum numerum recitemus: videte namque vt hic Iesus Christus nobis hoc faciendi viam præeat, tertio oret, & tertio eadem à Deo postulet, ac tandem post tertiam orationem à Deo exaudiatur. In quam rem videte iam accedentem Angelum, legatum cœlitus missum, qui eum consolaturus aduenit.

IV. Angelus Iesu Christo apparet, vt eum consoletur.

*Gen. 32.*

*Apparuit ei Angelus de cœlo confortãs eum.* Præclaram huiusce rei figuram habemus in Genesi. Cum enim vidisset Iacob, fratrem suum Esau instructo exercitu aduersum se properantem, vt vitam eriperet dolore angustiaque animi oppressus, diuinæ sese voluntati commisit; & ecce quam primum Angelus de cœlo ad eum missus fuit, qui eum confortaret dicens: *Si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis.* Ita namque semper fieri videmus, vt post tribulationum procellas, malacia & serenitas consolationum redeat; & sane post tentationes deserti, missos ad Dominum legimus Angelos, vti & hic modo post ingentem illã cordis tristitiam. Cum misera Agar

*Matth. 4.*

per

per agros & deserta vagabunda & sitibunda
Gen.21. erraret; ecce apparuit ei subito Angelus, qui
Iud.7. fontes ei & aquam indicauit. Gedeone irato & grauiter ferente Madianitas victoriis turgidos populum Israel premere; Angelus statim de cœlo descendit, qui eum consolatus est, mœrorem abstulit & omnem tristitiæ nubem depulit. O sanctæ & salutares tribulationes quæ semper Angelos meremini habere consolatores! Sed audiamus quid Angelus hic dicturus sit, aut quonam modo Dominum consolaturus. His porro eum verbis allocutus est.

Oratio Angeli ad Christum. O summe cœlorum princeps & totius mundi Rex, ô summe vniuersi Monarcha, venit iam ecce tempus, quo perditum genus humanum redimendum est; venit modo hora qua misera mortalitas captiuitate liberanda est. Crastina itaque die ô pusille
1.Reg.17. Dauid, ingens ille Philistæus, humanitatis tuæ funda & vulnerum lapidibus prosternendus est. Omnes iam te mortales operiuntur, omnes quotquot in limbo captiui detinentur in te vnum oculos coniecerunt, in te vno spes suas fixere, tete vnum respiciunt; quin & nos iam à quinque annorum millibus te expectauimus, te velut auctorem gloriæ exoptauimus, ac ruinarum nostrarum restauratorem, vti de te ipsi Pro-
Psal.109. phetæ prædixerunt: *Iudicabit in nationibus implebit ruinas.* Crastina igitur die, ô Princeps æterne, omnes veteres figuræ adimplendæ sunt; & omnia Prophetarum oracula ipsa
Psal.50. veritate comprobanda: *vt iustificeris in sermonibus tuis.* Quas tibi Domine hic in mentem reuocabo.

Figura passionis Christi. Postquam Cain inuidia commotus fratrem Abel interfecisset, in delicti punitionem per omnes orbis angulos velut erro vagatus est, paterna domo profugus. Crastina
Gen.4. die id completum videbis Domine, quando scilicet Iudæi fratres tui secundum carnem innocuum te, & nullius criminis reum, sed solis inuidiæ stimulis agitati, morte afficient; sed in delicti castigationem parricidæ illi domo patris tui profugi erunt, per-
Gen.6. que omnia mundi climata vagabundi & palantes errabunt, nullam certam sedem habentes. Constituit Noe secundum præscriptum Domini ingentem arcam vt in ea totum mundum ab vndis diluuii seruaret immunem. Crastina die ostendes te esse verum illum Noe, qui constructa humanitatis arca, omnes omnino mortales diluuio damnationis perpetuæ eripies. Isaac carissi- *Gen.22.*
mus Abrahæ filius, ac patri obsequentissimus, lignum suis tulit humeris, quo in monte Deo immolandus erat. Crastina vero die apparebit, te verum Isaac esse, cælestis illius Abrahæ filium, qui vt Patri tuo obsecundes, grauem illam crucis struem humeris feres, in qua in monte Caluariæ immolaberis. Permisit Deus, vt Ioseph Patriarcha, qui fratrum inuidia Ismaelitis in ser-
uum venundatus erat, ne fratrum Princeps, *Gen.39. 41.*
vti prædixerat, foret, post graues & diuturnas calamitates carceris, vitæque molestias, tandem eorum caput factus sit, & Ægypti seruator fuerit nuncupatus. Crastina vero die palam facies, te verum illum Ioseph esse, venditum à fatribus tuis, Iudæis nempe, verentibus ne aliquando Princeps eorum fieres, qui post dira & grauia supplicia è sepulchri custodia egredieris, & ab iis velut Iudex, & totius orbis Monarcha tandem agnosceris. Vidimus olim æneum in deserto serpentem erectum, in quem si qui venenatis viperarum morsibus læsi oculos conijcerent, confestim sanabantur. Crastina
die, ô verbum Patris, te instar serpentis vi- *Num.21.*
debimus in deserto Caluariæ eleuatum, vbi peccatores te intuentes à scelerum suorum puncturis & morsibus confestim liberabuntur. Itaque hæc omnia Domine complenda sunt.

Reuoca quoque in memoriam hircum *Leuit.16.*
illum emissarium, qui in desertum peccatis totius populi grauatus pellebatur. Eheu! agne sine macula, crastina die agni natura exuta hirci indues, & Ierosolymis in desertum Caluariæ totius orbis iniquitatibus onustus, exigeris. Immolabat lex quoque rufam vitulam extra castra, cuius cineribus reliqui conspersi sanctificabantur. Crastina vero die illud mysterium ad oculũ etiam cõpleri videbimus; quando nimirũ humanitatis tuæ vitula, charitate rubẽs, extra

muros

muros Ieroſolymitanos immolabitur, cuius ſacrificii cineres, tua nempe merita, omnium mortalium delicta expiabunt & delebunt.

Quare age Domine, fac obſecro, vt Prophetæ tui veritatem dixiſſe deprehendantur, nec reformides mori paſſionis inſtantis metu, noli percelli, magna & grauia, fateor, erunt ſupplicia, & cruciatus infiniti; at gloria futura eſt magna, & merita tua valoris infiniti. Sume itaque animam, ô Princeps, noli pauere aut conſternari; conſolare, conſolare, verbum Patris, diſpone te ad toleranda; ac tecum ipſe perpende, omnes omnino homines, qui ſunt, quique futuri ſunt, tibi ob hoc ſingulare beneficium in perpetuũ deuinctos fore: igitur apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mundo.

Sed quænam illæ rerum vices, ô Angele? quis ita rerum inuertit ordinem, tene conſolari eum; qui tibi in cœlis gaudio & conſolationi eſt? qui tua gloria, tua beatitudo eſt? Quam bene præuidit id Pſalmographus, cum diceret, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*? Quid igitur nos hic facere par eſt mortales? Ecce Angeli Chriſtum conſolantur, & nos quorum cauſa patitur, eundem non cõſolabimur? Quare ne nos hac in re Angeli ſuperaſſe videantur, eamus, ad hortum properemus, ac noſtram qualiſcunque demum ea futura ſit, conſolationem; totius mundi nomine, exhibeamus, dicentes:

*Pſal. 8.*

Conſolatio quam homines Chriſto afferre conantur.

Iam tempus eſt, ô exoptatiſſime & deſideratiſſime Meſſia, iam dies illuxit qua noſtri miſereris neceſſe eſt, qua declares oportet & omnib. manifeſtum reddas quãta ſemper mundum dilectione, quo amore, quo denique affectu fueris proſecutus. Iam finiri debet diuturna illa peccati originalis eclipſis, iam dies adeſt, qua tartara expugnanda ſunt, diabolus vincendus, & paradiſi repagula reſeranda. Iam pluſquam quinque annorum millia elapſa ſunt ex quo miſeri illi captiui, in terræ viſceribus detenti, hoc tempus exoptarunt, qui per te ſolum & à te ſe norunt liberandos. Hæc eſt illa dies, quæ omnem illis benedictionem, ſolatium, gaudium & lætitiam allatura eſt. hæc illa eſt dies Dominc, qua vincula captiuitatis eorum dirumpenda ſunt, ergaſtula effringenda, qua in libertatem reſtituendi, & gloriæ tuæ participes efficiendi.

Hæc eſt illa dies Domine, qua lytrum redemptionis noſtræ ſoluendum eſt, peccata noſtra abolenda ſunt, qua pro iiſdem Patri æterno ſatisfaciendum, delicta expianda, & qua denique maieſtati Patris tui reconciliandi ſumus. Quoniam hodie ſalus noſtra & vita à te dependet; feſtina igitur, propera, ſume animum, tibi ipſi iſis ſolatio, ac confeſtim ad ſacram illam crucem aduola. Paſſio quidem hæc, ô hominum redemptor, crudelis admodum & atrox futura eſt, ſed ingẽs etiam tibi inde gloria prouẽtura eſt, ſemper enim de te omnes loquentur, ſemper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt, ac de vno Ieſu Chriſto omnis loquetur poſteritas.

Finierat iam orationem ſuam Angelus, cum Dominus, viſo Patrem iam penitus in Filium decreuiſſe hæc fieri, maiori feruore & prolixis precibus inſtitit, adeoque imminentis paſſionis horrore fuit perculſus, vt ſanguineo ſudore totum eius corpus perfunderetur, & in ſanguine quodammodo natãretur. *Cum poſitus in agonia, prolixius oraret, & factus eſt ſudor eius ſicut gutta ſanguinis.* Quis vmquam ſimile quid audiuit, quis huiuſmodi ſudorem, aut adeo terribilem legit, vidit, aut intellexit. Oportuit te, natura extremos & ſingulares quoſdam dolores perpeſſam fuiſſe, cum tam inauditam criſim, & tam prodigioſos ſudores demonſtraris: ecquæ nam hæc ſunt ſymptomata, ô medici? quodnam illud prognoſticon? Quid agis iam, Magdalena, vbinam modo es, vbi ſunt crines tui, vbi vnguenta, vbi lachrymæ illæ tuæ? His nimirum ſacri illi pedes, diuinus ille vultus, pretioſum illud Chriſti corpus abſtergendum eſt, quod totum perfuſum eſt ſanguine, & cuius venæ cruorem exſudant, aliud hic non video niſi rubedinem & vnde quæſo diluuium illud dimanauit.

Sudauit ſanguine & aquam Dominus.

V.

Ezechias Rex, cum Propheta mortem ei imminentem denuntiaſſet dicens: *Diſpone domui tuæ quia morieris*, ad parietem ſe conuertens lachrymatus eſt, & ſingultibus aera lacteſſi.

*4. Reg. 20. Iſai. 38.*

laceſſiuit. Videbat enim, quod grauiſſimum ei dolorẽ cauſabatur, ſe in ægritudine ab omnibus medicis derelictum: ſuos lachrymantes, & de ſalute ac recuperanda valetudine deſperantes. Videbat hinc ſubditos plorantes, qui ſe tam pio & benigno Principe orbari, dolebat domeſticos deſperantes, & ab omnibus ſe deſertum. Illinc vero mortem imminentem, affligentem, ſepulchrum cui inferendus erat, vermes eſcæ inhiantes, vnde non mediocris doloris occaſio naſcebatur. Quid igitur mirum, ſi Ezechias noſter, Ieſus Chriſtus mortem inſtantem concipiens, & crucis ſupplicium, latronum conſortium, Iudæos blaſphemantes, Angelos fugientes, homines torquentes, Apoſtolos fuga delapſos, Patrem etiam erga filium exacerbatum ſibi proponens, vt inuſitata quadam ratione commoueatur, & ſanguinem ſudet.

Reus quidam momento tẽporis auditæ mortis ſententia canefcit.

Legimus in veterum temporum annalibus, reum quendam audito mortis in ſe pronuntiato decreto, vna nocte repente incanuiſſe, adeo vt qui pridie iuuenis & adoleſcens fuerat, poſtridie ſenex & canus viſus fuerit: ita eum mortis apprehenſio temporis momento immutauerat. Quis igitur mirabitur, Chriſtum reum, & nullius tamen crimmis reum, triſte ſibi paſſionis ſpectaculum repræſentãtem, & ante oculos ſibi proponentem, mortisque ſententiam ſibi recitari audientem, tam inuſitata ratione ſudare? ſed mirandum potius eſt, cur tam graui quaſſatus dolore non expirauerit?

Sudauit ſanguine & aquam Dominus.

Si tantum in Saluatore noſtro potuit, ipſa dolorum apprehenſio, ô homo, vt eum ſanguineum ſudare ſudorem coegerit! quomodo te percelli par eſt, cum infernalia tibi ſupplicia proponis, & æternos illos cruciatus mente voluis? ſed ſi mihi credere vultis, ipſa peccati grauitas eſt, Auditores, quæ tã inſolitum è Saluatoris corpore ſudorem elicit. O res inauditas! ô paradoxa! Atlas ille, qui ſuis vniuerſam mundi machinam ſuſtentat humeris, hodie ecce ſub peccatorum pondere & mole vitiorum defatigatus fatiſcit. O infelix & ter execrandum peccatum, quanta tua eſt grauitas, quam enorme pondus, cum omnia ſub te fatiſcant, defi-

Peccati grauitas.

V. 4. Reg. 20. Iſai. 38.

ciant, & grauitate tua collabaſcant. Vix enim Angeli huius humeris impoſitum fuiſti, quin ſtatim omnia ſub ipſo defecerint, omnia ingemuerint; nec ipſa quatuor elementa nec vterque polus impedire potuerint, quo minus ad vſque centrum abyſſi pondere tuo deuolutus ſit. Proh! quanta tua eſt grauitas, quanta moles & pondus! video namque terram ſub pedibus, Abironis dehiſcentem: video Ionam propter peccata ad ima maris deuolui: audio Dauidem ex imo, profundæ abyſſi, in quam eum præcipitem deieceras clamantem. *De profundis clamaui ad te Domine.* Et, ponderoſum in humeris ipſius eſt Chriſti Ieſu, vt vix te in humeros ſuſtulerit, nos vt onere illius leuaret: quin ſtatim cœlum ſub onere ingemuerit, & elementa eum ſuſtinere, aut Angeli defendere minime potuerint; ſed in terram delapſus ſit ad profundam vſque præſepii, vſque ad crucem, mortem, ſepulchrum, ad ipſos vſque, inferos & iam adeo graue tuum eſt pondus, vt ſub onere fatiſcens, vndique ſanguineo rore perfundatur.

*Num.* 16. *Ion.* 1. *Pſal.* 129.

Quamobrem, Auditores, cum videatis omnipotentem illum Deum, validum illum Sampſonem ſub peccati pondere curuari, ſub eiuſdem grauitate inflecti; quonam modo fieri dicam, vt erectis vos ceruicibus videam incedentes, quorum animæ infinitis ſceleribus oppletæ ſunt? cur non ingemiſcitis? cur monſtri huius grauitatem non perpenditis? cur pondus eius tam parui ducitis? quod adeo enorme & immenſum eſt, vt animas hominum, ipſos etiam Angelos, Deum denique ipſum mori cogat. Conſiderate, obſecro, quam graue ob peccata vobis pondus impendeat; nam tanta veſtra, vnico peccato mortali commiſſo grauitas eſt, vt pondere ipſo grauati viui ad inferos deſcenderetis, niſi diuina benignitas, & infinita illius bonitas vos capillis apprehenſos retineret.

Meditatio de peccati grauitate.

Sed vt ad propoſitam materiam poſtliminio reuertar, cum grauis ille & vehemens febris ardor nonnihil deferbuiſſet, æger, reſumpto aliquantulum animo, ſurgit, diſcipulosque denuo inuiſens vt ſolatium

forsitan aliquod afflicto afferrent, denuo quoque dormientes inuenit, atque hoc iam tertio contigerat. O somnum diuturnum, atque intolerabilem, *Dormitis iam*, ait tristis, & somnolentiam eorum nonnihil increpans, *& requiescitis*? Quid cogitatis, apparet sane vos de angustia, & animi mei tristitia parum esse solicitos.

Christus Apostolis valedicit.

*Surgite eamus, ecce qui me traditurus est, appropinquat*; iam satis superque dormitum est. Iudas ecce in foribus est, iam tempus est vos de somno surgere. Quare agite, accedite, vt vos iam postremum amplectar, amplectar inquam, ambabus vlnis interea dum libera sunt brachia; adeste vt vobis benedictionem meam impertiar, vt vobis valedicam nondum funibus constrictus. Adsis Petre, quem tanto honore, beneuolentia, & amore prosequor; gregem tibi meum committo, Ecclesiam tibi meam commendo; Petre pasce oues meas. Tu scilicet iam eris Noe ille, qui Ecclesiæ meæ nauiculam in mundi huius diluuio fœliciter diriges & moderaberis: tu eris ille Ioseph, qui me Rege totam Ægyptum reges & administrabis; tu iam eris ille Mardochæus, in locum superbi & insolentis Aman, Summi scilicet Sacerdotis synagogici, suffectus. Tu vero Ioannes, quem toto corde diligo & complector, vbi es, ô delitiæ meæ, vale vale charissime, dilecte mi discipule, miseram & desolatam matrem meam tibi committo. Valete denique omnes Apostoli mei, & magistri obsecro vestri memoriam habetote, defendite Ecclesiam meam, matrem meam audite, sitis illi solatio, gaudio dolori lenimini, vos ipsos etiam consolemini, me obsecro nolite deserere, aut in me scandalizari, at potius in memoriam reuocate, quę toties à me, dum essem vobiscum, audiuistis.

*Gen. 7.*

*Gen. 42.*

*Esth. 7.*

VI. *Adhuc loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladijs & fustibus missi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum dicens. Quemcumq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum*, captiuum abducite quantocyus, ducite eum caute, & quod Synagoga & concilium iussit, pro viribus quisque implere satagat, ô viri. Ipse vero quasi primipilus & manipulorum ductor, extra aciem progressus est, & accedens ad Iesum osculum ei dedit dicens: *Aue Rabbi.* Christus vero à tam sacrilego & nefando osculum sumere non recusans, nec perfidiam viri verbis castigans, blando sermone & benignis eum verbis affatus est dicens, *Amice ad quid venisti? Osculo filium hominis tradis?* Quis te huc conduxit Iuda, amice, Apostole, & alumne, itane signum amicitiæ & symbolum amoris, in proditionem vertis?

Figura proditio Iudęorum.

O proditionem, omnium quæ factæ vnquam fuere, maximam & deterrimam? Hic renouatam videmus, Auditores, perfidiam Ioabi, principis militiæ regis Dauid, qui cum Amasæ fratri obuiam factus, eundem osculari videretur, vna manu apprehendens barbam, altera sicam aluo ingessit. O perfide Iuda, ô creatura detestabilis? ô proditor omnium proditorum caput & princeps! quo te præcipitem furor agit! quid cogitas: tune, inquam, qui prius de glorioso illo Apostolorum eras consortio, & in Ecclesiæ Principem electus, & ad gloriam æternam destinatus, iam sacrilegorum & latronum ductor factus es? Infœlix, miser, insensate Iuda quid cogitas? Terrerimum hodie facinus committis, quo nullum vnquam magis horrēdum aut detestandum à quoquam patratum fuit. Videte, quid sit è consortio Sanctorum & societate Dei se proripere: videte, quid sit monasteriis egredi: Luthetus, Munsterus, Bucerus, Sergius, Oecolampadius, Pomeranus, Petrus Martyr ex Monachis & semiangelis, quales in monastica vita erant, monasteriis egressi, facti sunt Antichristi, & Iuda ac diabolis deteriores.

Excusatio Monachi facti Antichristi.

*Amice ad quid venisti?* O bonitas incredibilis, ô patientia admirabilis, ô clementia inaudita! Dominus ac Redemptor videt sacrilegum, impostorem accedentem & non irascitur, non indignatur, non intentat minas, sed dulcissime, benignissime, & humanissime traditorem allocutus est, dicens: *Amice ad quid venisti?* quis te huc conduxit, quid quæris, quid indagas? Quasi diceret: Eane mea in te sunt merita Iuda, vt hanc à te gratiā debeam in beneficiorū compensa-

penſationem exſpectare? anne vnquam te offendi? aut quidquam inſcius in te commiſi, propter quod in vitam meam cum impiis conſpires? Anne forſitan te offenderim Iuda, quod genibus tuis aduolutus pedes abluerim, terſerim, exoſculatus ſim, quod corpus meum in cibum dederim, & ſanguine te meo potauerim? quis ſcit an forſitan hinc aliquam offendiculi aut indignationis anſam arripueris?

Heu Iuda, cur me tam vilem exiſtimaſti, vt triginta tantum denariis inimicis me meis vendideris? tantillo pretio; tantaque mei ignominia & infamia? Ecquod vnquam mancipium tam vili pretio venundatum eſt? Iuda amice, quomodo te ſic à latere meo diuelli paſſus es, vt in vitam meam conſpires, & inſidias mihi moliaris, quem tot aliquando miracula patrantem vidiſti? Perpende te cum obſecro, accuratius, quid agas, rerum tuarum ſatage, circumſpice cui te periculo exponas. Metuendum eſt enim, ne infelix hæc nundinatio, horrendum hocce peccatum, ſacrilega hæc traditio te perdat, in interitum pertrahat, ad deſperandum compellat, & in æternam damnationem deturbet. Nunquam hoc de te cogitaſſem amice, nunquam tantum de te facinus concepiſſem: *Nam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem vtique; & ſi is qui oderat me ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo; tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, &c.* Pſal. 45.

Hoc nempe erat quod dolores eius augebat, quod lachrymas oculis excutiebat. Et ſane inter calamitates & graues ærumnas Iob, hæc vna è præcipuis erat, quod ſe à notis & domeſticis derelictum videret: *Noti mei quaſi alieni receſſerunt à me, & quem maxime diligebam, auerſatus eſt me.* Numquam quoq; triſtior nuntius Dauidi allatus, quam quando Achitophelem arcani conſilii caput, qui omnia eius negotia nouerat, quemque ad eam dignitatem eleuauerat, aduerſus ſe conſpiraſſe intellexit, filioq; conſilium dediſſe vt aduerſus patrem inſurgeret, eique duodecim hominum millia in bellum collegiſſe, deniq; inimicorum ſeſe caput conſtituiſſe, totumque regni ſtatum turbaſſe, & ad arma concitaſſe. Refert Suetonius, Cæſarem, cum in ſenatu crudeliter trucidaretur, inter ſtrictos gladios & coniuratorum manus, agnouiſſe Brutum quem olim paterne educauerat, honoribus cumulauerat, & ad ampliſſimas dignitates ſublimarat, & dolentem in hæc verba prorupiſſe; *Et tu fili*, vel vt Græce Καὶ σὺ τέκνον, quaſi diceret; Fierine poteſt Brute, te tam nequiter aduerſum me conſpiraſſe? amabam te ego vti alterum me, omnibus te patritiis & equitibus Romanis prætuli, te vnum præ cæteris diligebam, in te vno ſpes meas fixeram; mediam imperii partem tibi dediſſem, ſi modo poſtulaſſes; vitam, fortunas, ſalutem, omnia denique mea tibi credidiſſem, & interea tot in te collatis beneficiis ingratus, hanc mihi gratiam rependis, vt necem mihi afferas, & in vitam meam coniures, ô proditionem inauditam! His dictis vitam ſimul & imperium perdidit. Hinc colligere potes, anima, quam mœſtitiam, quem dolorem, quã animi amaritudinem ſenſerit interius Saluator tuus, Cæſar tuus, Deus tuus, cum videret inter coniuratorum turmas dilectiſſimũ ſuum Iudam quem tanta ſemper dilectione, tanto honore fuerat proſecutus, & quem in Apoſtolum elegerat, coniuratorum caput & ducem factum eſſe? 2. Reg. 15. *Sueton. in Cæſar.* Oratio Cæſaris morientis ad Brutũ.

Exaggerat quoque non parum ſummam illam ingratitudinem Popilii Lenatis erga M. Tullium Ciceronem, Valerius Maximus. Defenderat namque olim eum Cicero, cum parricidii fuerat accuſatus, & ita defenderat, vt Iudicum ſententiis fuerit abſolutus. Cui beneficio nequam ille ſicarius adeo ingratus extitit, vt cum à M. Antonio III. viro, quiſpiam quæreretur, qui Tullio Ciceroni ceruices præſcinderet, ſolus hic inuentus ſit, qui tam impium facinus aggredi tentaret, vitamque ei eriperet, qui eandem ei loquendo perorandoque peperiſſet. At maiorem longe in Iuda ingratitudinem intueor, qui tot acceptis à Domino beneficiis, tot donis & gratiis cumulatus, aduerſus eum tamen conſpirat, & in necem eius cõiurat. O impie ſicarie, ô peſtilens parricida, quo nullus vnquam in mundo deterior extitit, aut maioribus dignus ſuppliciis! Sed *Valer. lib. 5. c. 3.* *Plutar. in Ciceron.*

cui eum rei potissimum cõparabo, Auditores? nulli profecto melius quam ipso mundo.

Mundum Iudas repræsentat.

Tu namque ô munde, Iudas es, quin & Iuda ipso fallacior & pestilentior; rides enim nobiscum, cum opes confers; vendis nos, tradis, & condemnas; cum delitiis nos tuis oscularis, cum voluptatis vinum propinas, cum iocis nos tuis recreas. Quin & eos repræsentas ô Iuda, qui indigne ad S. S. Eucharistiæ Sacramentum accedunt: Christum enim quem in Sacra communione exosculantur, deinde crucifigunt, inuadunt; *Iterum crucifigentes.* ait Paulus, & ad Corinth. *Reus erit sanguinis Domini*: & ad Caluariæ montem trahunt, id est, in conscientiam vitiis oppletam, locum putidum, fœtidum, & Caluariæ monte tetriorem. Designas etiam ô scelerate & duplex Iuda, improbos & sceleratos illos Sacerdotes, qui Christum quotidie in templo salutant, & in Missa exosculantur, interea tamen eius gratias & beneficia diuendunt. Repræsentas etiam scelestos & iniquos illos Iudices, qui in templis quidem imagines Sanctorum deuorare, & præmordere videntur, extra templa sanguinem vitamque innocentium vendunt. Per Iudam quoque intelliguntur falsi illi Aulæ ministri, qui toties quidem verbis amicitiam profitentur, toties nobis supplices quodammodo manus exosculantur, obsequium deferunt, vt vbi à nobis recessere, omnium primi insidias struunt, & diuitias nostras inuido oculo intuentur. Denique paucis vt omnia concludam, non est mundus aliud, quam proditio, & technis Iudæ repletus.

*Hebr. 6.*

1 *Cor.* 10. Diuersi per Iudam repræsentantur.

VII. Cum perfidus ille & sceleratus traditor tam scite proditionis telam exorsus esset; & Dominus sciret quid sibi esset euenturum, vlterius progressus est, atque à militibus & satellitibus petiit, *Quem quæritis?* anne me? *Iesum Nazarenum*, responderunt illi: quo dicto statim ait; *Ego sum*, quem quæritis, quem cruci vultis affigere, quem mũdo expellere satagitis; ipse ego sum. Videte iam Dauidem nostrum ad certamen properantem, videte hic Gedeonẽ animos hostis conficiendi, sumentem, videte Eliam nostrum sese erigentem, & ad montẽ, non dico Oreb, sed Caluariæ, citato gressu tendentem. Præteriit iam auxus ille sudor, vehemens illa mortis apprehensio iam cessauit, terror ille & pauor eum deseruit; itaque progreditur vlterius, in conspectum hostium sese sistit, iisque in faciem loquitur.

Videte hic, qui profanis historiis legendis vos oblectatis, Scæuolam illum Romanum, qui, vt patriam in libertatem asserat, vitamque tyranno infernali (Porsenam appellare si vultis, per me licet) eripiat, non timebit, non solum manum, sed totum corpus, passionis flaminis comburendum tradere. Videte hic fidelem illum Zopyrum, qui vt rebellem hanc mundi Babylonem in Patris potestatem redigat vulnerabitur, sauciabitur, mutilabitur, ac mille corpore suo plagas recipiet. Videte hic Codrum, qui, vt non dico Græciæ, sed toti quaqua patet Orbi pacem redderet, habitum mutauit, ex Deo factus homo vt pro patria tanto melius mortem oppeteret, & bella morte sua auferret.

Insignes historiæ Ethnicorũ ad Christianã pietatem.

Tantam L. Dentati fuisse fortitudinem & animositatem historici tradunt, vt licet variis certaminibus interfuerit, & quadraginta quinque vulnerum cicatrices gestaret, nullum tamen auersum vulnus gereret, sed omnia aduersa & antrorsum; tergo cicatricibus vacuo: vnde facile colligi poterat, nunquam eum è prælio se propipuisse, aut turpi & inhonesta fuga salutem quæsisse, cum tamen centum viginti pugnas pugnasset, quem propter egregiam fortitudinem, & inuictum corporis atque animi robur, Herculem Romanum nominarunt. Ac videte hic longe valentiorem ducem, qui longe maiora & honestiora vulnera excipiet, nulli ictui cessurus, aut nulli prælio magna cum infamia se subducturus: scilicet Christianorum Hercules: videte porro, quam animosus sit, & quam inuictum animi robur præ se ferat?

*Valer. Max. lib. 3. c. 1. Plin. lib. 7.*

*Quem quæritis?* Quis ita vos vrget ô viri? quis hostis Ierosolymis imminet, vt tam importuno tempore vibe armati egrediamini? quem quæritis? anne innocentem quæritis, vt eum morte afficiatis? an quæritis eum, qui in omnium vestrum oculis tot miracula patra-

patrauit ? Anne eum quem ante quadriduum vt Regem salutastis, honorastis, agnouistis ? *Quem quaritis* ? Ille ipse, quem modo quæritis, quem vt Messiam venturum sperabitis. is *ego sum*; ille ipse sum quem crucifixistis. Ille ipse, quem tantopere quæris, hæretice, quem tam curiose inuestigas, quem tam liquide & aperte in Venerabili Eucharistiæ Sacramento intueri non potes, *is Ego sum*: adest quippe vere, plene, perfecte cum substantia sua & non figurate. At non est mirum, si vos eum in altari cognoscere non potestis: cum & cohors militum tot facibus & laternis accensis, Iuda etiam ductore, qui toties eum vidit, quemque præsentem iam loqui audit, eum minime potuerit agnoscere.

Cæcitas quam peccatum inducit. *Genes.* 19.

Illa illa nimirum est cæcitas, quam peccatum afferre consueuit; atque hinc discant peccatores, quam primum vt lethale aliquod peccatum admissum est, animam in cymmeriis tenebris versari, & cœlestia nulla ratione posse contemplari; & vt olim Sodomitæ Angelos, qui per plateas incedebant, præ cæcitate mentis videre non potuerunt, ita nec illi cœlestia. Et quemadmodum stellæ cœli, lucidæ illæ faculæ, quæ tamen singulæ vniuersa mundi machina maiores sunt, vix à nobis propter interiectam loci distantiam, videri queunt; ita mirandum non est, si Deum & id quod Deus est, resque cœlestes videre nequeamus; cum nimirum ab iis adeo per peccatum disiuncti simus. Cæcutiebant igitur & velut in tenebris palpabant sacrilegi illi Andabatæ.

Pergamus. *Ego sum*. Quid agis Domine quid cogitas ? vide quid dicas. Considera tecum quid nomen illud Iesus, quid illa appellatio mali secum trahat. Quid enim hoc nomine appellatur, necesse est, vt comprehendatur, per compita ciuitatis trahatur, velut sicarius præconis voce denuncietur, vt iniquus condemnetur, irrideatur, flagelletur, exsibiletur, crucifigatur, denique moriatur. Quamuis omnia mihi hæc sciam impendere, ait amor ille inuincibilis, *Ego tamen sum*, Ego sum ille Iesus Nazarenus, à vobis ligari, Scribis & Pharisæis sisti paratissimus, ad flagella, clauos, lanceas, crucem & ipsam passionem promptissimus. O animum ingentem, promptitudinem singularem!

VIII. *Ios.* 6. Insignis cõceptus. 1. *Reg.* 5.

Interea milites & pauore & metu perculsi, *abierunt retrorsum & ceciderunt in terram*, atque ita implentur figuræ veteres; nam vti ad sonitum buccinæ Sacerdotalis muri Iericho conciderunt; ita hic ad primã illã Christi vocem peccatores, validiores & spissiores muris, ad terram delabuntur. Idolum Dagon cum arcæ Domini appropinquaret, cõcidit, & in mille frusta confractum est; hic vero idola peccati, sacræ illi fœderis arcæ, Iesu inquam Christo, approximantia, prona in terram ceciderunt, comminuta sunt, & retrorsum abeuntia ad terram prostrata sunt. Vnde vaticinans Dauid ait; *Vox Domini in magnificentia, vox Domini cõcutientis desertum, confringentis cedros*. Sed si ad benignam illam vocem, ad dulce illud verbum, milites assuetum duritiei genus, crudelitate efferati, domorum incensores, & ad omnem nequitiam eruditi, ita consternati sint, exanimes in terram ceciderint; quid quæso fier rigido illo Iudicii die, quando nimirum terribile illud sententiæ condemnatoriæ fulmen, *Ite maledicti in ignem æternum*, perstrepet, & animos mortalium percellet. Hic blasphemant Turcæ, sacrilegi illius Mahometi sectatores, & aiunt, in subita hac militum consternatione verum Christum eorum oculis se subduxisse, & alium quendam ei persimilem in eius locum suffectum, quem Iudæi ligauerint, & cruci affixerint: quod commentum à Manichæis hæreticis hauserunt.

*Matt.* 25. Turcarum fabula.

Milites Christum ligant.

Milites igitur ad se reuersi, & feritate animos subministrante, zeloq; vires, in Christum irruunt, eum percutientes, trahentes, & funibus constringentes. Quis exprimat, ô anima, qua feritate, crudelitate, truculentia, hæc comprehensio peracta sit. Videte, obsecro, vt feri illi lupi, leones, & tigres in mitissimum Agnum irruant: videte, vt atroces illi Philistæi Sampsonem vinciant. Hic sese & Magistrum suum defendere conantur Apostoli, & præsertim Petrus, qui hanc iniuriam æquo animo ferre non valens, tollit animos, zelo exæstuat, non nisi cædem, stragem, & aurium præcisionem cogitat, & de facto vnam seruo Prin-

*Iudic.* 16.

cipis Sacerdotum, in quem primo inciderat, amputat. Sed impetus ille à Domino retunditur, & discipuli temeritas & animositas à Magistro, & merito quidem obiurgatur. Quid cogitas Petre? putas quidem animositatem te tuam; & quo in magistrum animosis, palam facturam; sed declaras potius nimis te esse temeratium, qui nimirum inermis & solus, integras militum cohortes, & armatas quidem, aggredi præsumis.

S. Petrus à Domino inhibetur ne percutiat.

Quonam dirigis oculos Petre, quid cogitas, quo mens abiit vt lictoribus & satellitibus iustitiæ, quales hi sunt, resistere; & ante omnia diuinæ impedimentum obiicere prædestinationi audeas? Quid? anne ingens illud bonum impedire, mundi sc. redemptionem velles, vellesne inquam nos adhuc captiuos, exules & miseros, in hocce mundo permanere? Noli hoc impedire, aut tanto bono obicem obiicere. Putasne alioquin ei defuturos Angelos, si auxilio aliquo opus foret? habebat enim Pater cœlestis paratas duodecim Angelorum legiones, qui in defensionem eius pugnarent. Nescis, num è militibus eius, nocte vna centum octoginta hominũ millia in exercitu Sennacherib Regis Assyriorũ interfeciſſe? Quid cogitatis, Apostoli? totum olim mundũ vos deseruisse confessi estis, dicentes: *ecce nos reliquimus omnia*; & tamen, nõ obstante voto, arma tractatis, nõ nisi ictus & verbera spiratis. Arma deponite & ad lachrymas potius conuertimini, precibus instate, non ictibus; preces namque instar loricarum, gladiorum, & scutorum vobis esse debent, prout eas S Scriptura nuncupat.

Christus instar latronis cõprehenditur.

Christus igitur cum Petri temeritatẽ castigasset, & auriculam præcisam loco suo restituisset, milites iterum allocutus est, dicẽs: *Venistis ad me tanquam ad latronem.* Quid agitis viri, itane me colitis, isne affectus est, quo me prosequimini, itane me habetis? Esse vobis latro, sicarius, aut maleficus quispiam videor. Ne porro mirũ hoc tibi videatur, Domine, si instar latronis cõprehendaris, aut instar prædonis habearis: cum enim huc ad nos è cœlo, ad furto, quod in paradiso terrestri commissum erat, satisfaciendum descenderis? par quoq; est, vt instar latronis comprehendaris, eidem cum Barabba latroni carceri includaris, cum latronibus deniq; crucifigaris, & latronum morte etiam moriaris. Ita namq; implebitur Prophetes: *Quæ non rapui tunc exsoluebam.*

Vix finierat orationem Dominus, quin ecce statim cruenti illi leones, barbari illi Geloni, Anthropophagi illi immanes, sacrilegi illi sicarii, in Redemptorem meum, irruant, funibus constringant, manus ferro compingant, idque crudeli, quadam immanitate. Quænam tunc verbera, ecquas iniurias, quas blasphemias tunc sustinuisti bone Iesu? Vide, obsecro, anima mea, sanctas, diuinas, omnipotentes illas manus, quæ omnia crearunt, dirigunt, conseruant, & vniuersam mundi machinam sustentant, ab illis iam constringi, quibus eædem vitam, Esse, sensus, & intelligentiã, rationis vsum & omnia denique contulerunt. Videte humilem illum Ioseph à fratribus iam venditum, & ab Ismaelitis abductum; videte miserum Sedechiam, à Babyloniis constrictum & in Chaldaicam captiuitatem deductum. Videte verum illum Ioannem Baptistam, è deserto à Synagoga in carcerem detrudi, qui tandem vitam in monte Caluariæ amitteret. *Psal. 58.* *Gen. 37.* *4. Reg. 25.* *Marc. 6.*

Historiarum monumentis proditum est, Darium regem Persarum aureis catenis, à Macedonibus victum bello, constrictum fuisse, vt dignitatem se regiam aliquo adhuc modo obseruare in eo ostenderent. Sed impii illi sicarii, & nefarii illi Iudæorum satellites, Regem regum, nullo dignitatis regiæ, quæ in eo summa erat, respectu ferreis catenis & grauibus vinculis constringunt. Iterum igitur considera ô anima mea, &, si vel parum Christi tui amore tangeris, qui tanto te prius ipse prosecutus est, vt nimirum tui redimendi ergo comprehendi voluerit; par esto puta & penitus rationi consentaneum sensus tuos in captiuitatem eius causa redigere, eosque totos obsequio illius mancipare: oculos nimirum, vt nihil nisi licitum intueantur; aures, ne impudicum quid audiant; linguam, nihil vt loquatur quod Deum vel proximum offendat; manus, nihil vt illicitum & prauum operentur, *Curtius.*

cor,

cor, ne malignum quid machinetur, aut nefarium quid cogitet. Hæc omnia in captiuitatem redigenda sunt, constringendum cor, manus, lingua, oculi & aures, atque omnia in obsequium Iesu Christi tradenda, cum ille nimirum tua causa captiuus adductus & in seruum venundatus sit.

Apostolorum fuga.

Interea vero dum lictores innocentem illum Agnum vinciunt, Apostoli tremebundi dispergunturs, & huc illucque dilabuntur, *Omnes eo relicto fugerunt.* Necesse namque erat, vt prophetia illa compleretur, *Percute pastorem, & dispergentur oues.* Primo namque impetu, quo lupi illi in pastorem feruntur, totus grex dispergitur, oues dilabuntur. Ecce præclaras huius figuras. Vix dilapsus & interfectus erat Absalon qui duodecim hominum millia sub signis habebat, quin statim totus eiusdem exercitus dispersus sit, & turpiter distractus Holoferne Principe militiæ Nabuchodonosoris Regis in papilionibus suis ante Bethuliam interempto, omnis exercitus confestim fugam capessit.

*Iudi.* 10.

1 *Reg.* 18.

*Iud.* 10.

Optime proinde mihi consuluisse visus est Lacedemoniorum rex Agesilaus in prælio Mantinensi vt totam belli vim & armorum impetum in Epaminondam Thebanum hostium ducem conuerterent; quem si prosternerent, cæteros facile aut interficerent, aut saltem distraherent. Idipsum mihi vsu venire hic videtur in horto. Vix enim in magnum illum Christianorum ductorem, militum impetus conuersus est; quin statim totus eius exercitus, qui non nisi duodecim constabat viris, & quidem imbellibus, distractus fuerit, dispersus & in fugam actus.

*Plutar. in Lacon. & Apophth.*

Turpis Apostolorũ fuga exaggeratur.

Quare autem fugitis ô Apostoli, fugitiui, inertes, & desides? ô imbelles & vmbratici milites, itane Ducem vestrum deseritis? vbinam ille modo est amor, fides, illa superbia & insolentia promissa; Reminiscere Petre, dixisse te quondam, *Paratus sum tecum in carcerem & in mortem ire?* Vbinam modo ille est animus, illa arrogans præsumptio? Vbinam modo es Thoma, qui olim aliis animum addens dixisti; *Eamus & moriamur cum eo?* & ecce in primo eum congressu deseris, fugis, saluti tuæ consulis. O imbelles & Dama timidiores, ô Thersite inertiores! ô ceruæ, ô lepores, nolite amplius præsumere ac dicere, *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Secuti quidem estis illum, dum lætior fortuna arrideret, quamdiu miracula patrauit, in triumpho quo vrbem ingressus est, & ad gloriam transfigurationis. Sed ad primum passionis impetum eum deseritis, & dispergimini; ita vt non absre videatur, Poeta, si tuum hic versum vsurpem:

*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Amici, parentes, & bona mũdi huius per Apostolos designantur.

Hic quoque discere possumus, parentes, consanguineos, & mundi huius bona tamdiu nobis obsequi, adesse, & auxiliari, quãdiu in viuis sumus. Sed statim vt de morte sermo incidit, omnia dilabi & fugere, ad instar Discipulorum Domini, qui Domino fideliter adhæserunt, quamdiu bene illi successit, sed cum de morte agi cæptum, omnes eo relicto fugerunt. Hos porro lepores & fæminei animi viros, nolite imitari, Christiani, perfidorum horum vestigiis nolite insistere, nunquam Christum deserite; sed sequamur eum, stipemus eum quocunque ierit; deducunt illum ad vrbem, nos piis compassionis vestigiis, singultuum & suspiriorum passibus, lachrymarumque gressibus cum eo vrbem ingrediamur.

## SECVNDA PASSIONIS PARS.

IX.

*CVm summum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret*, nefandi illi lictores, tam optata gaudentes præda, triumphantes & exultantes vrbem ingrediuntur, magno impetu, clamore, ac strepitu, adeo vt tota quamprimum ciuitas clamore excita ad spectaculum accurreret; accenduntur vndique faces & luminaria, fenestræ complentur spectatoribus, & plateæ populo, vndique clamatur, Iesum Nazarenum vinctum deduci. O quantum Scribarum & Pharisæorum tum gaudium fuit? quanta inter Principes Sacerdotum & legum Doctores exultatio? cum hostem suum coniuratum, Samaritanum illum, Dæmoniacum

niacum illum, ferro & catenis grauatum per plateas comprehẽsum deduci viderent. Statim itaque ad Annam, Caiphæ, summi tunc Synagogæ Principis & capitis, socerum deducunt; qui vt Christum conspexit, de discipulis deque doctrina eius interrogare cœpit.

Annas socer Caiphę Christum interrogat.

Adsis, inquit, tune ille seditiosus, ambitiosus turbator es, qui tanto iam tempore in Iudæa nostra turbas concitasti? Tune ille Pseudopropheta, qui legem nostram subuertere moliris, & religionis fundamenta cõcutere? Tune ille hæreticus, ille Samaritanus, qui, nescio, quæ edit miracula, & in nomine Beelzebub dæmonia fugat? qui sunt discipuli tui? quænam tua doctrina?

Dominus de discipulis interrogatus non respondet.

Ad primam illam Annæ interrogationem innocens Iesus, de discipulis scilicet, penitus obmutuit, eo quod nihil habebat, in quo eos magnopere laudare posset. Cur eos Domine nõ taxas? cur de iis nõ conquereris? cur eorum timorem & ignauiam non arguis? cur eos non reddis infames aut imbelles fugitiuos, apostatas nominas? Omnia hæc silentio inuoluit, vt nos edoceret, non esse proximi famæ detrahendum, eiusque honori ne minimum quidem derogandum. Ad alterum vero interrogationis caput de doctrina nimirum, statim respondit; Semper publice docui, doctrina mea in propatulo fuit, in facie totius mundi locutus sum, in medio synagogæ vestræ semper steti, interroga eos qui audierunt.

Dominus reddit rationem doctrinæ suæ.

Cum quo disceptas Anna? cum quo argumentaris? ipse Doctor natus est, & Doctor fuit à primo conceptionis momento; ille, ille est, qui duodecimo ætatis anno, in medio Rabbinorum considens, omnes in sui admirationem concitauit: ille, ille est qui toties Scribas & Pharisæos tuos confutauit, stupiditatemque eorum coarguit. Mille testimoniis doctrina eius comprobata est, & infinitis argumentis apud vos declarata. Lazarus, Centurio, Archisynagogus atque adeo omnes Iudæi testabuntur legem eius sanctam, veram, cœlestem denique esse: Zachæus, cæcus natus, decem leprosi, Gamaliel, Nathanael, Ioseph ab Arimathia, tibi satis sufficienterque indicabunt. Ipsæ quin etiam fœminæ, luculentum de eadem doctrina testimonium dabunt, Chananæa scilicet, Samaritana, Magdalena, aliæque innumeræ. Etiamnum de doctrina eius dubitas Anna, quam tot ac tantis miraculis confirmaui? nosti enim tres eum mortuos ad vitam resuscitasse, & nouissimum illum quem optime nosti Lazarum, & summo quidem totius populi stupore. Deinde scire te arbitror, vt leprosos mundauerit, claudis gressum, paralyticis membrorum vsum reddiderit.

Christi doctrina miraculis illustrata

Cum magnus ille legis professor in hunc modũ de Christi doctrina interrogaret, ecce tibi nefarium & impium seruum, nequissimũ furciferum, sacrilego & scelerato ausu, colaphũ sacris Christi genis impingentem, & his eum verbis reprehendentẽ; *Sic respondes Pontifici?* Hæc ne est illa reuerentia, ait ille sicarius, qua sacrum Deo Pontificem colis? Sed ô infelix lictor, ô furia infernalis, ô scelus nefandum, ô manus sacrilegæ, ô audacia plusquam diabolica, Deumne tuum audes percutere, alapã creatori impingere? An nõ emoreris, ô anima mea, cum Creatori tuo alapam infligi audis: *Exhorrescat cælum & contremiscat terra de Christi patientia & serui impudentia.* exclamat Chrysostom. Huius rei vaticinia, vel potius figuræ fuere plurimæ. Propheta enim Michæas Regi Achab veritatem dicens, ab impio quodam Propheta, Sedechia nomine, alapa percussus est, quasi contumeliosus in Regem exstitisset.

Christo ministerialapam infregit.

3. Reg. 22. Figura.

O facinus inauditum, ô impietatem intolerabilem! Creatura Creatorẽ percutit, Dominum seruus, DEVM homo. audebitne humilis terræ vermiculus impias in eum manus extendere, cuius nutu cœlum & terra contremiscunt. O sacrilegæ manus, tantane vestra fuit audacia, vt sacrum illum vultum, *in quem desiderant Angeli*, Archangeli, Seraphim & Cherubim *prospicere*, nequiter ausæ fueritis percutere? diuinæ illi faciei colaphos impingere, quam cœli ciues honorant, & proni adorant: Quid agitis in cœlo Angeli, quid hæretis super cœlestes illos orbes, quin iniuriam Regi vestro illatam vindicatis, quin crimen illud læsæ maiestatis vlciscimini, vos olim Sodomam & Gomor-

morrham sulphureo imbre & flammis perdidistis, vos Ægyptiorum primogenitos occidistis, vos in castris Assyriorum innumerabilem hominum multitudinem interfecistis, vos Adam primum illum rebellem paradiso exegistis; vos denique semper diuinæ iustitiæ vindices exstitistis, & cur modo ad hunc sacrilegum scutram puniendum non accingimini? Nullum enim vnquam huiusmodi facinus patratum est. Tu vero clementissime ac benignissime IESV multo tolerantior quam Iob, omnia æquo animo sustines? O constantiam admirabilem! Quin ignem cœlo aduocas, qui nebulonem hunc & parricidam consumat, vti olim fecit Elias. Quare siluis leones, vrsos, aliasque feras non emittis qui eum deuorent ac dilanient, vti olim Elisæum feciisse compertum est? Quin terra tuo iussu dehiscit, & nefandum illud monstrum hominis deglutit, vt olim Chore, Dathan, & Abiron cum tabernaculis suis deglutiuit. Hinc discant nobiles ignominiam aliquando perpeti mendaciumque improperatum patienter ferre, & iniurias æquo animo tolerare.

3. Reg. 18.

4. Reg. 2.

Num. 16.

Christus ad Caiphã ducitur.

Cum Annas Christum ita habuisset, ad generũ suum Caipham dimisit, apud quem Pharisæi, Scribæ, seniores populi, & sacerdotes conuenerant, consulturi quid de Iesu vncto decernerent, & vt falsis testimoniis miserum hunc Galilæum circumuenirent. Multi multa dicebant, sed non erant conuenientia testimonia eorum, nullique nixa fundamento; *Nouissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt. Audiuimus eum dicentem, destruam hoc templum, & post triduum reædificabo illud.*

Magnates Deo bellũ intẽtant, & humiles ac parui Deum sequuntur.

O verè falsa testimonia, ô res inauditas! Videte vt pestilens concilium, vt Magnates, Principes, seniores, sacerdotes aduersus Dominum conspirantes, vnanimi consensu ei bellum indicant, eique se opponant. Parui tantum & humiles Deum sequuntur, & magnates eundem persequuntur, parui cœlum lucrifaciunt, magni vero ad infernales abyssos deuoluuntur, & principes falsum aduersus veritatem, aduersus Deum testimonium quærunt. Olim Principes Israel mandato impiæ Iezabelis innocentem Naboth falsis testimoniis circumuentum morte dignum iudicarunt; ita hic Principes Israel, ad preces & postulationem adulteræ Synagogæ, falsis testimoniis mortis decretum in innoxium Naboth, Iesum Christum, ferre videmus; atque vt duo falsi testes falso testimonio pudicam illam Susannam circumuenire conati sunt, & capitis condemnare: ita hoc loco duo alii falsarii non amplius Susannam, sed sacram Christi humanitatem falsitate sua & mendaciis perdere & periculo exponere gestiunt. Videoetiam in Apostolorum Actis Stephanum à falsis testibus proditum, martyrio vitam finientem; hic vero non martyr aliquis, sed Christus Iesus, omnium Martyrum Princeps, à falsis testibus accusatus vitam amittit. Vnde bene vates regius dixisse & prædixisse visus est: *Insurrexerunt in me testes iniqui & mentita est iniquitas sibi.*

Figura. 3. Reg. 21.

Dan. 5.

Act. 8.

O benignissime Iesv, quot deinde adhuc Falsi testes falsi testes in te insurrexerunt! semel te quidem Iudæi, licet iniuste condemnarunt, sed Iesum. millies te deinde hæretici falsis testimoniis circumuenire conati sunt. Dixit namque pestilens ille Arius, te non Deum, sed merum esse hominem, impius Nestorius asseruit duas in te personas fuisse: Eutyches vnam tantum naturam credidit: asseruit Manes nunquam te verum corpus induisse. O falsitates, ô impietates, ô testimonia sceleratissima, ac penitus inter se discrepantia!

Nouissime vero ab annis scilicet quinquaginta aut sexaginta, venerunt duo falsi testes Caluinus & Lutherus; Gallus ille, & hic Germanus, nequissimi ac pestilentissimi, qui ambo teterrima quædam conuitia & blasphemias horrendas in te euomuerunt. *Nouissimè*: iam nuper, sexaginta forsitan anni sunt: deponit ille, audiuisse se à quopiam, te nonnisi figuratiue in Sacramento Eucharistiæ contineri: hic vero adesse te quidem substantialiter, sed substantiam tamen panis non abesse: Caluinus ait, te nonnisi figurate adesse, Lutherus vero dicit etiam impanate; itaque venerabile hoc Sacramentum condemnant superstitionis, impietatis, magiæ, & idololatriæ.

Falsi testes Romæ de saxo Tarpeio præcipites agebantur.

Quænam vero supplicia meremini, ô falsi testes, aut quibus digni estis tormentis? Olim sane, teste A. Gellio lib. 20 cap. 1. & vti è fragmentis legum XII. tabularum videre datur falsi testes saxo Tarpeio præcipitabantur: sed si eadem pœna hodie in vsu esset, tot falsa testimonia in innocentes homines non cuderentur.

Sed ad institutum reuertamur. Caiphas auditis hisce testimoniis vel potius calumniis, ad Dominum conuersus interrogat: *Non respondes quidquam?* quid ais ad has testium depositiones? Non respondet hic Dominus: sciebat enim se, licet appositissime responderet, semper tamen aliorum calumniis exponendum, defensioni apud iniquos illos iudices locum non esse. Non respondet, quia venerat delicta Adami reparaturus, qui à Domino de delicto conuictus excusare se cœpit; hic vero innocens cum esset, silentio se tuetur: non respondet, quoniam testes & testimonia responsum non merebantur: non respondet, vt nos ipsos consulemur, cum falsis testimoniis premimur, patientiamque adhibeamus, licet innocentiam ipsi nostram probe nouerimus. Prophetias huiusce rei plurimas ipsa Scriptura suppeditat, vel illam Psalm. *factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones* & etiam figuras: Ioseph namque inique à Putipharo accusatus, numquam vel verbum respondit: Christus quoque à Caiphæ ministris instimulatus nihil respondet.

Cur dominus ad falsa testimonia non responderit.

*Psal. 3.*

*Gen. 39.*

Summus igitur Pontifex tantum tamque pertinax in Saluatore silentium demiratus, adeo vt nec se excusaret, nec alios accusaret, adiurauit eum ex parte Dei, vt diceret, num Filius Patris æterni foret, & num aliquatenus de diuinitate participaret. Dicito audacter, nosque omnes suspensos omni dubitatione exsolue, si tu es Christus filius Dei viui; Adiuro te in nomine Dei omnipotentis, vt nobis hunc scrupulum eximas. Vide hoc in tribunali causam tuam disceptari, ô Ari, scilicet, Num Christus sit filius Dei Patris viuentis, num ὁμόσιος sit Patrique consubstantialis.

Videte hic, ô docti, maximam & grauissimam omnium quæ vnquam propositæ fuere quæstionum. Proponens, ipsa est synagoga, qua doctior nulla in mundo extabat congregatio: respondens ipsum est Verbum Patris, Sapientia æterna disputationis materia ipsa est diuinitas, num scilicet Christus filius sit nec ne: auditores, Angeli sunt, simul & homines.

Maxima quę vnquã in mundo extitit quæstio.

O Redemptor mundi, in qua modo animi angustia versaris, quid ad hocce cor nutum dilemma respondebis? quomodo te expedies? quomodo quæstionem dissolues? nã difficilis ad soluendũ est. Nam si hic taceas, fidem nostram in dubium vocabis accusaberis etiam velut legum & superiorum cõtemptor, quos licet improbos honorari præcepisti. Quod vero multo deterius est, credent illi sacrilegi, te sanctum & venerandum Dei nomen negligere, in quo & per quod adiuratis vt respondeas. Illinc vero, si veritatem dicas, si responderis; morte te dignum, ac mortis reum iudicabunt, vitæque periculum incurres.

O ignes, ô fornaces! Ætneas! ô ingens amoris incendium salutem nostram vitæ anteponit suæ, & ..imo se indubitanter que respondet, *Tu dixisti, ego sum.* Ne dubites Caipha, noli amplius interrogare; ego sum ille diuinitatis Delphinus, verus Dei filius, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero Et quamuis ad has me ærumnas redactum videas, licet me vilem abiectum, & in carne hac fragili cernas; veniet aliquando tempus, cum me regiis indutum insignibus, gloria resplendentem, & in sede maiestatis considentem videbis.

Dominum dicendo se Dei filium ostendit.

Caiphas audito, Christum Dei esse filiũ; Ira scitur ira æstuat, feruet, ardet, furit, frendet, scis Caiphas sisque vestibus, & loco suo exiliens, voce magna exclamauit, *Blasphemauit, quid adhuc egemus testibus?* quasi diceret, Licet aliunde ostendere non possemus eum mortis reum esse, blasphemia hæc in Deum prolata satis est. Quid vobis videtur ô viri, quid adhæc dicitis? Omnes porro audita Pontificis sententia vnanimi eum decreto morte dignum pronuntiarunt, ac cruci affigendũ. *Blasphemauit.* Huc aures aduertite, ô Iudices Christiani; Iudæi ob vnicam blasphemiam,

eum audit Christum filium Dei esse.

Blasphemorum supplicia.

miam, reuera tamen non blasphemiam, Christo mortem intentant, ac morte dignum eum existimant; & vos cum innumeras quotidie & horrendas proferri auditis; non castigatis, sed indemnitatem cōceditis.

Leuit. 24. In authen. Coll. 6.

In Leuitico iubentur blasphemi lapidari: Iustinianus vero Imperator morte eos affici vult, *Vt non blasphemetur in Deum præcipimus, ait Iustinianus, tales vltimis subdere suppliciis.* Paulus eos tradit Satanæ. *Tradidi*, inquit, *Satanæ vt discant non blasphemare* Nabuchodonosor quoque barbarus ille Rex decretum mortis in blasphemos tulit. O Principem vere principem. Cessent igitur, cessent linguæ illæ infernales, ora illa diabolica, Sanctum Dei nomen horrēdis blasphemiis profanare, quod à solis ortu vsque ad occasum, laudabile est: quod sanctum & admirabile est, & ab hominibus iuxta atque Angelis coli & honorari par est.

Milites faciem Christi cōspuunt oculos velāt eumque percutiunt.

Cur Principes illi nefarii tam inique Christum morte dignum iudicassent, milites qui eum vinctum tenebant, mille in eum conuitia exonerare, sputis venerandam illius faciem opplere, alapas sacris eius genis impingere, oculos velare cœperunt, dicentes, *Prophetiza nobis, quis te percussit*; Age Galilæe, ostende modo te Prophetam, & Videntem esse, prophetiza, quis hanc tibi alapam impingat. O crudelitatem inauditam! ô impietatem horrendam! ô immanitatem nullis vnquam visam sęculis! Velare oculos perspicacissimæ illi Lynci verbum Dei Patris colaphizare, æternam Dei Sapientiam irridere, sacræ illi faciei potentia & fœtentia sputa ingerere? *Quis talia fando, Temperet à lachrymis?* Videte hic iterum peragi tristem illam Tragœdiam, quam impii olim Philistęi in Sampsone egerunt: quem post vincula, funes, excæcationem irriserunt, & scommatibus prosciderunt. O anima, si vel aliquo modo Redemptorem amas, an nō ad tristes hasce tragœdias obstupesces & deficies? An non enim res est, vt ea visa præ compassione emoriaris? videre scilicet Deum tuum, Creatorem tuum, Beatitudinem tuam, & omnia, inter tortorum manus versari, tot mala perpeti, tam horrendas blasphemias excipere, verberibus & plagis contundi.

Et sane, peccator, an non animo concides, non tibi sanguis congelascet, an non ad peccandum iners & torpidus efficieris, cum peccata tua tam graues Redemptorem iniurias perpeti videas? Neque enim adeo ferreus, & durus eris, quin, dum oculos eius lachrymis suffusos, frontem sanguine cruentatam, genas acceptis colaphis tumescentes, faciem illam sputis illitam videris; Redemptoris tum miseriis tormentisque ad commiserationem exciteris. O barbari, crudeles & immites! leones Erimanthia progeniti solitudine, an non veremini, splendentem illum vultum, & figuram substantię Patris tam indignis & horrēdis tractare modis, tamque contumeliose cōspuere, percutere ac pessundare ô maledicti satellites, an non erant Hierosolymis foricę aut loca quędam abiectiora, in qua sordes vestras, putentia illa sacramenta egeretis, nisi sacra illa & augusta facies, quam Angeli in cœlis adorant, quæ instar solis in monte Thabor olim resplenduit? An non metuis, impias vestras & execrandas manus in vniuersorum Dominum extendere?

Inuectio in militū feritatem.

Quis hic, Domine, tormenta, dolores, ærumnas, afflictiones denique tuas recenseat, quis cladem illius noctis, quis supplicia tota illa nocte tibi irrogata digne exprimat? Ipsæ namque execrationes, maledicta blasphemiæ & tormenta tristes quædā Matutinæ sunt, quæ nocte hac in Caiphæ domo lugubri voce decantantur. Pro dolor! Totus in tormentis es Domine, nam hinc te excruciant, & torquent Iudæi; illinc vero discipuli. Vides namque, vt Iudas te diuendat, ceteri fugientes te deserant, Petrus dissimulet, sese calefaciens, cum militibus loquatur, teque vix agnoscat, & iamiam te negaturus sit.

Tristis & amara nox hæc Christo fuit.

X. Petrus Dominium negat.

Petrus igitur dum inter militum cohortes ad prunas staret (ô infelix & triste consortium!) ancilla quædam ostiaria eum aggreditur dicens: *Nonne tu ex discipulis eius es* Samaritani ad primum autem illum inopinatum impetum adeo concutitur & percellitur, vt coram militibus Dominum negare sit veritus. Interueniunt hisce sermonibus & alii dicentes, *Vere tu ex illis es: nam lo-*

*quela tua manifestum te facit.* Quasi diceren', Non posses negare bone vir, quin ad hunc hominem spectes, videmus enim te Galilæum esse; ipsa enim loquela tua id euidenter declarat. Hac oppugnatione nutare iam Petrus cœpit, ac contestari, & anathematizare, quia non nouisset hominem istum, vel vnde esset Quid? Fuisti olim ita animosus, ita de te præsumpsisti, Petre, & Rhodomontem aut Sampsonem aliquem te iactabas, & nunc, indignum, ad vnius ancillulæ vocem percelleris & consternaris. Quid adeone improbus & perfidus est Christus, vt eius te disciplinæ pudeat aut pœniteat, vt eum magistrum habuisse & agnoscere tibi pudori sit. I nunc Petre, & disce de propriis nunquam nimium præsumere viribus; disce, quid sit propriam fragilitatem non agnoscere: nam te, qui Rolandum quendam furiosum te ostentaueras, robustum quemdam & inexpugnabilem gigantem, ancilla ostiaria expugnat & prosternit.

Sane, si ante præsides, in tormentis, coram Synagoga tam indignum facinus commisisses, excusarem fortassis, tibique ignoscerem: sed ad primam ancillulæ vocem, te blasphemare, contestari, iurare, anathematizare, indignum est Apostolo, indignum Petro, & tanta cum ignominia coniunctum, vt eam in perpetuum eluere non possis.

*Genes. 3.* Tanta tua perfectio erat Adame in statu innocentiæ, & ad sollicitationem Euæ concidisti. *Iudic. 15.* Quam fortis eras Sampson, & ecce *2. Reg. 11.* Dalila alienigena te fascinat & vincit? Generosus dicebaris Dauid, adeo vt leones prosterneres, Goliadas expugnares, & vnica te *3. Reg. 11.* Bersabæa emasculat, & eneruat. Sapientissimus omnium mortalium habebaris Salomon, ita vt omnes quotquot viuebant sapientia anteires, & interea fœminæ te dementant, vincunt, & ad idololatriam compellunt. Fugiant Ecclesiastici improbum hoc genus, mescantem, hunc sexum, discant aulas Principum deserere; cum ipse Apostolorum Princeps, vnius ancillulæ alloquio, & aulam Caiphæ Pontificis secutus, Dominum negare, blasphemare, & impietatem colere didicerit. Videamus autem propius, & inspiciamus, quidnam hæc ancilla, hi serui, qui tam eximium & magnum virum ad peccatū incitent, designent? ipsam nimirum cōcupiscentiam, carnem inquam, & passiones nostras, quæ rationem inuadentes, eam ad peccandum impellunt.

Per ancillam hanc concupiscentia designatur.

Audiuistis iam, Auditores, peccata, pusillanimitatem, & negationem illam infamem Petri, iam obsecro pœnitentiam eius attendite. Vix desiderat blasphemare, quin statim gallus cantauit, ac tertio iterato, cantu Petro in mentem reuocauit, quod olim Dominus vaticinans illi euenturum prædixerat; Petrus vero vbi gallum audiuit, lachrymari, gemere ac suspirare cœpit, ac segnitiem animique inertiam lachrymis castigare, ita vt ex eo tempore semper quotiescunque galli vocem audiret, lachrymæ eius ex oculis prosiluerint. Sed quid designas nobis galle? forsitan conscientiam, quæ semper post admissum facinus occinit, inclamat & excitat quodammodo dormientes, quæ intus vermis instar nos corrodit? Bene quidem. Sed multo mihi conuenientius dicturus videor, si per te, gratiam præuenientem dixero significari, quæ nos somnolentos & stertentes excitat, & oculos aperit somno grauatos. Forsitan & verbum Dei: quod vbi auribus insonuit, nostrum est, peccatorum nos stratos proripere, amare flere, & austera pœnitentia eadem expiare.

Mystice galli cantus exponitur.

Verum vti hinc Petrus resipiscit, ad Dominum conuertitur, peccatumque lachrymis eluit, ita illinc nefarius ille & bipedum nequissimus Iudas, delicti sui grauitate agnita, in desperationis barathrum incidit. Ecce huiusce rei in sacris litteris figuram: Duo hirci eodē tempore, Domino sistebantur, quorum vnus Deo immolabatur, alter vero omnium peccatis onustus in desertum pellebatur. Ita & hic duo hirci, duo inquam peccatores Domino offeruntur; quorum vnus, nempe Petrus, per salutarem pœnitentiam & lachrymas ei immolatur, alter vero desperans, peccatis grauatus ad inferos detruditur, infœlix scilicet Iudas. Duo quoque in Genesi eodem tempore captiui Pharaonis carcere egrediuntur, at diuersa.

Desperatio Iudæ.

Figura. *Leuit. 16.*

*Gen. 40.*

uersa penitus sorte, hic nempe ad regios propemodum honores sublimatur, ille autem supplicio extremo vitam finit. Hic quoque duo rei, Petrus & Iudas, blasphemus vnus, & traditor alter, ambo grauissimi delicti accusati, eodem tempore carceribus diuinæ iustitiæ exeunt, sed diuerso profecto intuitu; ille namque ad gloriam, hic ad gehennam: ille ad salutem, hic ad damnationem appellatur.

Gen. 35. Duo gemini eodem tempore matris vtero prodibant, Iacob, nimirum, læuis & facie pulcherrima, Esau vero deformis, hispidus, pilosus; alter à Deo dilectus, alter reiectus. Hic quoque duos peccatores eodem tempore è sinu diuinæ præscientiæ egredientes videmus, vnum quidem pulchrum, scilicet Petrum, alterum vero deformem nimis, Iudam nimirum; vnum quidem ad salutem prædestinatum, alterum vero reprobatum. Et vt eodem camino egrediuntur prunæ ardentes & carbones nigrisantes; ita quoque eadem diuinorum iudiciorum fornace hodie egreditur Petrus igne charitatis exæstuans, & diuini ardore amoris succensus & flagrans, Iudas vero criminum fuligine nigricans, qui deinde infami laqueo vitam concludit desperans, æternæque sese damnationi addicens. Fuit ille tragicus Iudæ huius exitus, nec felicior aliorum est Iudæorum, Iudarum inquam, qui Ecclesiam Dei prodiderunt: Arrius namque, Manes, Lutherus, Caluinus, aliique hæresiarchæ desperabundi vitam finiuerunt, æterniſque supplicijs obnoxij, in æternum flammis infernalibus torquentur.

Infelix exitus Iudarũ quales in Ecclesia reperiuntur hæresiarcharum scilicet.

Apostrophe ad virginẽ Deiparam.

Sed vbinam es, Virgo gloriosa, interea dum funesta hæc tragœdia peragitur, quid agis tota hac nocte? an ignoras filium esse comprehensum, & militum potestati expositum? anne eum deseruisti, vti eum deseruêre discipuli? anne eum negatura es filium, vti eum Petrus suum negauerat esse magistrum? Cogitate, quæso, matres, quæ filios habetis, ac vobiscum perpendite, quantus tum amantissimæ huius matris fuerit dolor: contemplemini quantis tum circumuallata fuerit angustiis, quot tum illa lachrymas profuderit. Reperietis eam haud dubiè modo cum Patre æterno tacite expostulantem, modo Angelos inuocantem, modo Iudæos increpantem, modo hominum peccata incusantem, iam Apostolorum fugam castigantem, iam filium vbertim lachrymando alloquentem. Heu, fili mi, Iesu, dulcissime fili mi, delitiæ meæ, voluptas, felicitas & spes mea, iam ne me derelinquis? iamne abis, iamne tibi moriendum est? Nequaquam, sed moriar ipsa prius: te enim mortuo superstes esse vix possem. Sed tempera à lachrymis gloriosa mater, cessent clamores ac veni mecum, filium tibi tuum commonstrabo, iam enim carceribus eximetur ac foras prodibit.

XI. Christus summo mane ad Pilatum ducitur.

Cum iam dies illuxisset, & tristis illa nox finem accepisset, Principesque Sacerdotum iterum conuenissent, conciliumque coegissent, vt Christum morte condemnarent, & iam iterum eum interrogassent, Num filius esset Dei viuentis, vinctum ad Pilatum, tunc temporis Iudææ Præsidem, mittunt, vt coram eo causam eius actitarent, eumque Præsidis sententiâ, iuxta falsorum illorum testium depositionem morte afficerent. Quos vt Pilatus vidit, statim interrogauit. *Quam accusationem affertis erga hunc hominem?* in quo eum accusatis? videam tabulas, videam decreta Senatus aduersus eum lata? quid criminis ei imponitis Cur non potius petis Pilate, cur tam indignis eum tractarint modis, cur eum iniussu tuo præter ordinem, non præuia sententia percusserint, aut ei colaphos impegerint? si iudex es Pilate, qualem te oportet esse, hanc causam perpende & penitus inspice, examina rei caput. Hic namque, quem tibi adduxerunt, innocens est, omnia quæcunque afferunt, falsa & commentitia sunt; sola enim moti inuidia hunc aduersarii tradiderunt, noli obsecro nefario eorum affectui indulgere, aut prauæ voluntati obsecundare; sed compatere reo, causę eius patrocinare, quod ius & fas fuerit iudica. Quare age, mature tecum rem perpende, inspice & perspice omnia diligenter, nihilq; non prudenter agito.

Refert Pericklem, Athenarum Principem, Plutarchus, quotiescumque vestem ex muneris sui præscripto indueret, seseq; ad diuicanPlutarchus Apoph.

dicanda populi negotia conferret, dicere solitum : *Attende tibi Pericles, liberi sunt quos regis, Graci sunt, ciues Athenienses sunt*: liberi scilicet, qui non mancipiorum more regendi sunt; Græci quoque, seditiosi, turbulenti, ad regendum difficiles. Athenienses etiam, omnium mortalium ingratissimi, quibus nihil ad gustum est, & morosi: quapropter rerum tuarum satage, atque in omnem partem circumspice, ne periculum capiti tuo arcessas. Iisdem te hodie verbis vti velim, Pilate, dicendo, *Attende tibi ô Pilate, innocens est quem ipse iudicas, Messias est, Filius Dei est.* Quin etiam cogita egregium illud Alexandri Magni facinus: ille enim, cum ad eum mater Olimpias supplex venisset, vt morte quempiam quem illa mortali odio prosequebatur, quique illam offenderat, condemnaret, enixeque ab eo postularet, vt si materno eam amore & affectu prosequeretur, ei vitam eriperet; videns matrem stulto quodam impetu, & feminea quadam inuidia transuersum actam, postulationi eius noluit acquiescere, dicens: *Pete aliud mater, nam vita hominis nulla mercede potest compensari.* His ipse hodie verbis vtere Pilate, aut cogites saltem non esse hic aliud nisi affectum quemdam priuatum, ac non nisi mera inuidia sacrilegam hanc Synagogam ad innocentis huius mortem maturandam vrgeri: quare age, innocentiam rei populi huius inuidiæ antepone.

Egregium factum Alexandri Magni.

Pilatus cum causam huius comprehensionis quæsiuisset, responderunt confestim: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Mille cæteroquin criminum reus est, tota aduersus eum Iudæa conspirat, ac de plurimis criminibus conuictus est: non viuit enim hodierna die in toto orbe quisquam eo nequior, sceleratior: mille aduersus eum testimonia allata sunt, multas accusationes audiuimus, ac depositiones multorum. Principio igitur, calumniari eum incipientes, dixere, *Hunc inuenimus seducentem gentem nostram*, ac turbas in vniuersa Iudæa concitantem, quin & prohibentem tributa dari Cæsari, Messiam sese vocauit, filium Dei se dixit, atque adeo vniuersæ Iudææ regem. An non hæc ingentia & enormia crimina sunt? an non illa tibi grauiora castiganda supplicio, & mortem turpissimam videntur commerita?

In quib Iudæi Christum accusent.

O ingratissimi mortalium! ô perfidi impostores! in quo hunc deliquisse fatemini? quid fecit, in quo culpandus sit? anne eum malefactorem vocatis, quod ægris vestris sanitatem contulerit, cæcis visum, mortuis vitam dederit? Petatur ab iis potius quos à dæmonibus liberauit, à lepra mundauit, interrogentur surdi & muti, quos audire & loqui per totam Iudæam fecit, num Christus malefactor extiterit; omnes proculdubio de eius benignitate testabuntur, dicentes, *Nisi esset à Deo hic homo, non posset facere quidquam.* Ioan. 9.

O falsitates apertissimas! ô calumnias, ô accusationes falsissimas! Trium illum criminum accusant, & ad reipubl. quidem statum pertinentium; imprimis quod seditiosus sit, ac populi seductor; quod regum dignitati aduersetur, prohibendo nimirum tributa dari Cæsari, & quod regnum affectet. Sed falsissima sunt hæc omnia, viperarum genimina. Nihil enim Christus adeo, aut verbis docuit, aut re ipsa ostendit, quam pacem: nusquam etiam in toto Euangelii decursu reperietur, eum prohibuisse dari tributa principib. sed aperte potius docuisse, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, falsum quoque est, eum adregnum aspirasse, cum breui coram vobis omnibus dicturus sit, *Regnum non est de hoc mundo.* Triũ criminũ nomine accusatur Christus; primo q̃ seditiosus sit, deinde q̃ seduceret populum, vtimo q̃ ad regnum aspiraret. Ipse Pilatus Christũ interrogat.

Hæ sunt, Auditores, calumniæ, quibus Satrapæ Babylonii innocentem Danielem proscindebant, cum eius sortem æmularentur. Pilato vero non satis erat, hæc à Iudæis audiuisse, sed ipsemet Christum interrogat, dicens, *Quid feci?* quasi diceret, Omnes multa & grauia tibi obiiciunt, plurima in te testimonia producunt, sed dicito mihi bone vir, sincere, quid feceris? Pilate interroga patres tuos & dicent tibi, ipsa tibi dicet antiquitas, atque adeo vniuersus orbis confitebitur, hunc ipsum esse, qui Ioseph in Ægyptum præmisit, ibique summis eum honorib. affecit, vt Hebræos tempore famis pasceret: dicet hunc ipsum esse, qui populum hunc XII. Dan. 9. Exod. 14.

hunc Iudaicum captiuitate Pharaonica eri-
*Iud.16.* puit, & quo eum integrum & sospitem conseruaret, tyrannum Ægyptium & omnem exercitum eius in maris Rubri medio submersit. Dicent hunc ipsum esse ô Iudæi, qui patres & maiores vestros, quadraginta annorum spatio in deserto, miraculoso quodam alimento sustinuit; eum ipsum esse, qui eos in terram promissionis deduxit, mille benedictionibus illos cumulauit, qui denique illos, inter omnes mundi nationes peculiari quodam modo assumpsit, sibique delegit. Illum denique esse, qui pro ipsis humanam naturam induens, de eorum stirpe posteritateque progenitus est, ac plurima inter eos miracula patrauit. Videte quid fecerit, surdos fecit audire & mutos loqui, dæmones è corporibus fugauit, claudis gressum, cœcis visum restituit: quod præcursor eius Ioannes Baptista quoque de eo testatus est, *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur* Vix hæc media pars est eorum quæ fecit; iudica igitur tecũ, num huiusmodi rerum patrator morte dignus sit.

Perit Pilatus num Iesus sit Rex Iudæorum.

Præses cum innocentiam eius peruicaci hoc silentio satis superque testatam haberet, ad grauissimum accusationis caput descendit, quasi regnum occupare voluisset, dicens, *Rex Iudæorum es tu*? anne ad diadema aspiras? anne tu de prosapia regum Iuda? totus namque mundus eo quodammodo inclinate videtur, multisque argumentis idipsum iam à primo natiuitatis tempore declaratum scimus? dicuntur namque Magi & Principes quidam Orientales stellæ cuiusdam ductu Ierosolymam venisse, à populo petiisse,
*Matt.2.* *Vbi est qui natus est rex Iudæorum*: deinde notum est, populum sæpe tibi diadema imponere voluisse, teque instar regis agnouisse,
*Matt.20.* *Matt.21.* quippe qui tot te prodigia operantem viderit: audiuimus quoque Zebedæi vxorem, quæ te ad regnandum in mundum venisse sciebat à te petiisse, suos vt filios ad dignitates aliquas regias subueheres, cum in regni solio esses consessurus, & recenti quoque memoria vix quinque elapsi sunt dies, ex quo tibi vrbem intranti, omnes faustis vocibus acclamarunt: *Viuat Rex, Osanna benedictus qui venie in nomine Domini*, ramos arborum omnes præciderunt, eosque in terram prostrauerunt, tibi obuiam processerunt, totaque te ciuitas vt regem agnouit & salutauit. Ex quibus facile colligere est, te ad regnandum in hunc mundum venisse, neque enim ipse aliter in animum induco. quare dic veritatem & aperte confitere, num vere rex sis Iudæorum? Redemtor noster qui tacuerat, cum calumnias & blasphemias audiret, respondet cum de Regno loqui suo audit, ostendens, magis sese honores & regias dignitates, quam calumnias & blasphemias aspernari: *regnum meum*, inquit, *non est de hoc mundo*. Quid ais Domine, cur te regem negas? an tu ille ipse es, de quo Prophetæ vt de rege quodam vaticinati sunt? vnde Dauid: *Ego autem constitutus sum rex super montem sanctum eius*. Et Esaias: *Dicite filiæ Sion, ecce rex tuus venit tibi mansuetus*. Et Ioannes Apostolus, *Rex regum & Dominus dominantium*.

Dominus magis odit honores quam calumnias.

*Psal.2.*

*Esai.62.*

Quid, Domine Iesu, tot te Prophetæ velut Regem agnouerunt, de te vt de rege vaticinati sunt, & tu te regem negas? Bene quidem; non quærit Dominus sceptra aut coronas mundi huius: regnum quippe eius nõ est de hoc mundo, more scilicet regnorum mundi huius constitutum: non subiacet fortunæ casibus, nec rerum vicissitudinibus, non destruitur aduersitatibus, at in æternum permanet, perpetuum est, cum regna mundi variis casibus & ruinis obnoxia sint. Vnde Angelus olim ad Virginem: *Et regni eius non erit finis*. Neque enim regnum tuum Domine simile est antiquis illis Persarum, Medorum, Græcorum, Assyriorum monarchiis, quæ aliquot quidem sæculis floruerunt, sed victoris deinde potestati concesserunt, ac penitus consenuere. Sed regnum tuum iam mille sexcentis annis viguit, & ad mundi vsque finem inuiolabile duraturum est: quod Daniel propheta describens ait, *cuius regnum sempiternum, & omnes reges seruient ei & obedient*. Quo nullum vnquam aut florentius aut potentius exstitit, quodque omnium mundi regnorum maximum est: nullum enim veterum impiorum, nulla

*Luc.1.*

*Dan.7.*

nulla Monarchiarum, ne quidem Romana, vnquam Indum transiit, vnquam montem Calpen pertigit, aut ad montem vsque Taurum peruenire potuit: Alexander, Xerxes, Nabuchodonosor, Darius, Cæsar, aliique innumeri reges & Imperatores, rerum gestarum gloria celebres, aut victoriis turgidi, de Noruegia, Suedia, aliisque Borealibus regionibus, ne fando quidem audiuere: neque sinum Persicum, vel Gangem imperii eorum limites attigere: non ad Taprobanem, nec ad Felicis Arabiæ nemora peruenere. Nunquam Augustus in Lybiam Mauritaniam, atque inaccessos Africæ recessus signa sua intulit; numquam ad Antipodes, Romanorum aquilę penetrarunt: nunquam in Iaponia, Peru, Brasilia, vasto Chinensium regno visæ sunt; nunquam Ormusium, Cochinum, Chananoreos sinus, Malacensium portus, eorum virtus & terror percelluit. At Iesu Christi regnum ad omnes illas prouincias extensum est, ad omnia hæc climata penetrauit: omnes pæne Oceani insulas, & omnem pæne continentem sub se cõplectitur in occidente: vsque ad Molucas insulas in Oriente extenditur; vltra polum Arcticum in septentrione pertingit adusque Abyssinos & ditionem Prete Ioannis aliasque incultas prouincias in Meridie peruenit. Quin & vltra fretum Gaditanum, vltra celebres illas Herculis columnas, in quibus veteres orbem finiri putabant, octo leucarum maritimarum millibus, extenditur. O ingens regnum! *Regnum* igitur *meum non est de hoc mũdo*, simile nullum in vniuerso mundo exstitit.

Christi regnum ad omnes orbis prouincias pertingit.

Dico igitur tibi, Pilate, Christum verum esse regem, & monarcham potentissimum, non tamen instar regulorum mundi huius. Ipse namque natura imperator est vniuersi, hominum simul & Angelorum rex; atque ideo in hunc mundum venit, vt de veritate rei huius testimonium perhiberet. Quod Pilatus veritatis mentionem fieri inaudiret, à sapientia illa æterna quæsiuit, dicens, *Quid est veritas?* & cum hoc proposuisset, egressus est foras; nec expectauit, donec ad propositam quæstionem Dominus respondisset, nec veritatem audire sustinuit. O casum deplorandum! Nunquam potentes aut magnates veritatem audire volunt, vnde bene mihi dixisse videris ô Comice, *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Vox enim illa clamantis in deserto clamare desinit capite pretioso, quod veritatem Herodi dixisset; Michæas Propheta alapam coram Rege Achab in maxilla accepit, quod veritatem locutus esset; Hieremias percussus est & in carcerem trusus, quia veritatem annuntiasset. O difficilis ad annuntiandum veritas! Audi igitur Pilate, quid sit veritas: veritas est, te iniquum iudicem esse, te potentium gratiam aucupari, eorumque causis pauperum rebus neglectis patrocinari; veritas est te concussionarium esse, qui causas in annum protrahas, antequam easdem audias, & cum adhuc eas audieris iniquum fers iudicium: Veritas est, latrunculos & crumenisecas supplicio te afficere, latrones vero & homicidas indemnes dimittere. Et sane ita sese res habet: notauit enim doctissimus ille Cardinal. Baronius, Pilatum propter concussionem & personarum acceptationem de dignitate sua fuisse depositum.

Christus verus rex.

Magnates veritatis hostes.

Matt. 6.

3. Reg. 22.

Sed Pilatus his omnibus aures præbere renuit, verum foras egressus, his Iudæos sermonibus allocutus est: Nescio viri, quidnam in hoc homine tantopere reprehendatis, nihil enim eorum quæ illi obiicitis, in eo reperio, sed aperte profiteor eum penitus innocentem esse, & nullius criminis reum, quod eum dixistis ad regnum aspirare, falsum est; cum mihi libere confessus sit, non cupere regnum se suum hoc in mundo stabilire. Quamobrem quod visum fuerit, de eo statuite, equidem non inuenio in eo causam, nihil reperio ob quod mortem commeritus videri queat. Bene ais Pilate, neque enim ipsa via mortis causa reperiri potest.

Pilatus Dominum innocentem pronũciat.

Sed si mortis causam quæras, non in Iesu Christo, sed in me ipso eandem quærito; ego enim mortis eius causa existo, ego reus, ipse innocuus; ego deliqui, quod ipse luit: in ipso nihil omnino inuenies cuius causa eum damnares, sed in me magnam superbiam, ambitionem, ingratitudinem, aliaque innumera delicta reperies, quæ mille rogos, mille

Pia meditatio.

mille rotas, mille supplicia promerentur. Mihi igitur actio & supplicium, non vero innocenti huic intentandum est.

Cum hæc Iudæi audirent, dissecabantur cordibus; & attollentes vocem clamare cœperunt, Quid hunc nec sacrilegum, malefactorem, innocentem putas? nefarius est, seditiosus, turbarum commotor, qui per omnem Iudæam vsque in Galilæam gentem nostram concitauit, discordias sparsit & nefariis eam opinionibus imbuit. Pilatus vbi Galilæam audiuit; interrogauit num Galilæus esset; & vt cognouit de ditione & iurisdictione eum Herodis esse, non vero de sua, ad Herodem Galilææ Tetrarcham, eum destinauit, qui illis diebus Ierosolymam venerat. Herodes autem viso Domino nō mediocriter gauisus est; audierat namque plurima de miraculis ipsius, & magicis eum artibus imbutum putabat; sperans fore, vt coram se signum aliquod in artis ostentationē, & Principis gratiam ederet. Itaque multa curiose ab eo petiit; at Dominus, cognita curiositate eius, nullum ei verbum respondit, vt nobis exemplum daret, magnatum amicitiam esse contemnendam.

Christus ad Herodē mittitur.

Herodes igitur rigido hocce Domini silentio irritatus, & Verbum diuinum fatuum existimans, alba eum veste indutum ad Pilatum remisit. O iniquum & obtusum hominum iudicium! Filius Dei, Sapientia illa increata, qui vniuersam mundi machinam creauit & moderatur, in quo omnes scientiarum & præscientiarum thesauri absconditi sunt, in quo diuina prouidentia habitat; ab Herode eiusque aulicis instar fatui habitus est, stulti habitu indutus, & instar stolidi delusus. Ecce quam magna & sancta persona sub stulti habitu latet, Auditores! intuemini, obsecro, vt filius Dei per Ierosolymitanas plateas, instar fatui deducatur, populi sannis, risu & ludibrio excipiatur, puerorum clamoribus expositus sit, vt omnes eum sordibus & cœno conspurcent, Pharisæi calumnientur; lictores & satellites eum rapiant trahantque, atque omnes omnino indignis eum modis tractent & vellant.

Herodes remittit Iesum ad Pilatum vestealba indutum.

4. Reg. 21. Hic renouatam videmus historiam illam Elisæi prophetæ, qui cū in vrbe Bethel, in finib tribus Beniamin sitā proficisceretur à pueris ciuitatis derisus fuit: Christus vero toti ciuitati Ierosolymitanæ ridēdus & explodēdus hodie exponitur, vt de se ipso per Prophetam dixit, *Omnes videntes me deriserunt me.* Pilatus autem iterum viso Iesu, & conuocatis ad se principibus sacerdotum, & magistratibus, & plebe, ait illis: Quid huic homini vultis faciam? nihil morte dignum in eo reperio: ipse quoque Herodes, ad quem eum miseram, illum remisit quasi nihil dignum morte in eo repetiens. Credibile namque est, cum, si regno hūc imminere cognouisset, iudicio cum illo acturum fuisse, iusq; suum defensurum: magis enim illius interest quam vestra: sed cum iniquum & præterrationem esse crederet plebeium hunc & abiectum ad regnum aspirare, & coronam sceptrumque affectare; remisit illum, turpe putans diutius eum iudicio persequi, qui penitus sit innocens. Cogitate igitur, quid vobis faciendum sit. Sed quoniam solenne vobis est in festiuitatib. maioribus, in memoriam eius diei quo è seruitute Ægyptiaca liberati estis, vel quo Ionathas princeps libe- 1. Reg. 14. ratus fuit, vinctum aliquem dimittere; & ipse nobilem quendam sicarium, Barabbam nomine, seditionis & homicidii accusatum, carceri inclusum habeam; vtrum è duobus vobis dimitti vultis; Barabbam, an innoxiū hunc Galilæum? ratus hac optione oblata, Christum liberandum, & Iudæos Iesum sicario & homicidæ præpōsituros. Sed erras, Pilate, erras! Audi namq; vt plenis faucibus & buccis concrepantibus inclament, *Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam*: Barabbas indemnitatem consequatur, Iesus vero Nazarenus condemnetur.

Exod. 14. Psal. 21.

Iudæi Barabbam Christo anteponūt

O populum excæcatum, ô ciues insensatos ac tenebris circumfulos! Audetisne, potestisne homicidam huic anteponere, quem tot patrantem miracula vidistis, mortem vitæ hominibus vitam eripientem, ei qui vitam largiri etiam mortuis solet, præferre? Quænam, obsecro, maior mundo obuenire queat calamitas, aut tristius infortunium? sane, nisi per DEI benignitatem stetisset, ipse sine dubio sol adimpiā hanc vocem deliquium passus esset, cœlum horrendum

in modum ad sceleratum hunc clamorem detonuisset, orbis terrarum contremuisset, terra quoque dehiscens ingenti voragine patuisset, ipse denique ignis cœlo descendisset, ad sacrilegos hosce Iudæos deuorandos. Hic animum aduertite, Auditores, huc mentes erigite, & ingentia mysteria hic videbitis.

Insignis cõceptus.

Cogitate, quæso, vobiscum, impiam hanc Iudæorum vocem, qua Christus ad mortem deposcitur, & Barabbas innocens declaratur, fuisse vocem humanæ naturæ semper hoc ipsum ingeminantis; & Pilati sententiam eam ipsam extitisse, quam Pater æternus in filium vnigenitum ab omni æternitate tulit. Atq; hinc est, quod scriptura eum agnum ab origine mundi occisum appellet; statim namque vt orbis conditus est, & multo etiam antequam conderetur, semper clamor exauditus est, quo Barabbas saluandus denũciabatur, homo sc & Christus ad mortem deposcebatur. Barabbas hic homicidii & furti reus, ipse Adam protoplastus fuit, magnus inquam ille prædo, qui iniussu Dei in paradiso vetitum illum vitæ fructum diripuit, magnus sicarius & homicida, qui eodem quo seipsum ictu, omnem simul posteritatem nescius interemit. Fuit hic vtique graue illud iurgium, quod ab omni æternitate inter Iustitiam & Misericordiam fuit: Iustitia namque Barabbam ad supplicium deposcebat, & Christum morti gestiebat eripere: at Misericordia naturæ humanæ patrocinans semper inclamabat: *Tolle hunc, crucifige Christum, & dimitte nobis Barabbam.*

Cum vero Pilatus iterum innocentiam eius demonstrasset, eumque omni ratione dimittere conatus esset, succlamabant denuo vndique Iudæi, *Tolle, crucifige, si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris*, quasi dicerent: Quid tergiuersaris, quid nectis moras, matura, propera, nefarium hunc supplicio addicito, condemna, in crucem sustollatur: omnes alioquin dicent, te Cæsaris honori non consulere, sed imperii ruinam meditari, quin & ipse Cæsar in deteriorem hoc partem interpretabitur, teque dignitate Proconsulari priuabit. *Tolle, crucifige.* Quid dicitis ô Iudæi? quinam hi clamores? quænam ista subita mutatio, aut inconstans rerum vicissitudo? ante quatriduum aut amplius, longe aliter clamastis: an non vos illi ipsi estis, qui iam nuperrime Ierosolymam intranti applaudentes occinuistis, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis*, quasi diceretis, Viuat rex, videte hunc regem, ô regem cœlitus datum? An non vos qui ramos amputastis, vestes in terram prostrauistis, & vias aulæis exornastis? Et hodie, ecce, aduersus eundem insurgentes, clamatis, & minas additis: Condemna, tolle, crucifige, moriatur O inconstantes, ô sceleratos, ô Protheos! chamæleontes, ô gallinaceos ad minimum ventum mobiles!

Pilatus vero cum videret inuidiæ sese populi diutius non posse resistere, Christum ad flagra & virgas condemnauit, ratus, hac visa castigatione, Iudæorum animos nonnihil emolliendos, & viam hoc sese pacto inuenisse, ne innocens Nazarenus morti adiudicaretur. Similene vnquam vidisse vos spectaculum putatis Christiani, anne vnquam tragœdia magis tragica peracta est, aut funestior? Quis credidit auditui nostro? Quis credet Creatorem illum vniuersi, totius orbis Deum, illum inquam, qui in cœlis tonat & fulgurat, manibus & pedibus ad columnam alligatis, instar furis nudatum, instar prædonis flagellatum, instar malefactoris habitum plurimorum militum feritati expositum, quis credat instar agni inter tot flagra, virgas, funes, vincula penitus obmutuisse? O crudelitatem inauditam! ô barbariem incredibilem! Huc ô peccatores, lachrymas, suspiria, eiulatus, huc compassionem ad singulos ictus, ad singula flagellorum verbera cor vestrum ingemiscens, suspirans, & quodammodo in se ipso dolorem sentiens, compassionis, suspiriorum, singultuum repercussionem edat; & cum ad peccatorum vestrorum expiationem tam indigna supplicia patiatur, Auditoros, nonne æquum est vos aliquo ei modo compati, & aliquem extrinsecus dolorem ostendere? Adeone ingrata & sensus expers eris ô anima, vt sine vllo doloris sensu Saluatori non compatiaris? sunt tua peccata, quæ eum flagellarunt, virgis.

Meditationes de passione Christi.

virgis cęciderunt: præbet ille tergum & humeros tui causa, pro te ille patitur; pro te, inquam, etiam morietur. Hic audis infinita verbera, hic sanguinis Oceanum vides exundantem: tuum est igitur, lachrymarum æquor effundere, sexcenta compassionis, pœnarum, austeritatis, ieiuniorum signa edere, ac mille pœnitentiæ genera ostendere. Hic iam videbis prophetarum omnium oracula completa: *A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* & aliud: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.*

Esai. 1. Ps. 128.

Milites Christum purpura induunt spineam coronam capitiim-ponunt, ac arundinem ei in manus tradunt.

At nondum hic finis: videbitis & alia feritatis barbaricæ genera. Cum milites hac Christum ratione dilacerassent, in atrium eum Prætorii deducunt, quo omne Romanorum præsidium, quod Hierosolymis erat, conuenerat: hic eum suis iterum vestibus exuunt, ac purpurea induunt, spineam capiti coronam magna violentia infigunt, arundinem loco sceptri in manus tradunt; & genu ante eum flexo, faciemque conspuentes, illudentesque dicunt, *Aue rex Iudæorum.* O barbariem inauditam! ô feritatem plusquam ferinam! ô immanitatem tyrannicam, quæ nec primam visa est similem nec habere sequentem? Hic sc. adimpletum videmus, quod in Genesi de Abrahamo legimus: vidit ille namque arietem cornibus inter vepreta hærentem, quem in summitate montis deinde immolauit; hic vero Iesum Christum, verum illum agnum, conspicimus, caput vepribus implexum habentem, & sentes capiti horrendum infixos, qui iam iam in monte Caluariæ immolabitur.

Figura. Genes. 22.

An non sufficiebat, ô barbari, ô sacrilegi, tot vos ei ignominias, contumelias, opprobria, & tormenta intulisse? an non satis erat, corpus eius ad vsque ossa flagellis esse concisum, & quodammodo aratum? necessene adhuc erat vt infernales furiæ ac diaboli, inusitatum ac nouum hoc supplicii genus excogitarent, coronas inquam dolorum, diademata cruciantia, & sceptra infamiæ? Hoc namque modo crudeles illi lictores, ac bestiæ sanguinariæ Redemptorē adornarant, vt eum velut ambitus reum, quique ad regnum aspirasset, hac ratione exsibilarent. Audire illos iam videor dicentes, Hæc sunt ô fatuelle, ô stulte, ô hominum brutissime, sceptra, hæc diademata, hæc paludamenta quæ affectasti. Quomodo ô insensate, & vilis idiota, hæc cerebrum tuum ambitio intrauit? quid? tene ad regnum aspirare? quid cogitabas? sed iam habes quod omnes regni affectatores commerentur? Hæc vtique sunt insignia, hi honores regni tui? Sed hoc triste illud est spectaculum, Auditores, ad quod spectandum animas fideles inuitabat Salomon dicens, *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua,* id est Synagoga. Egredimini filiæ Parisienses, egredimini, egredimini inquam de cubilibus vestris, ac videte tremendū Christi tui caput, videte quomodo pexū sit, quomodo dilaceratū, vt sordeat, vt torpeat, vt tormentis saturatum sit, quid? An non verebimini, cum id ipsum cruentum, perfossum, ac spinis perforatum videtis, adhuc superbire, caput in sublime tollere, tot nouos colores tot exoticos odores, tot ascititios fucos eidē superaddere? non verebimini cerussa, stibio, purpurissa genas tingere, cum vultum illum Angelicū colaphis liuidum, sanguine fœdatum, ac sputis oblitum contēplamini.

Porro sacrilegis hisce tortoribus in feritate pergentibus, interuenit Pilatus eorumque manibus ereptum Iesum exanimem, & doloribus propemodum exhaustum, prætorio eductum, foras produxit; vt vel hoc tristi viso spectaculo efferati Iudæorum animi flecterentur, & ad compatiendum emollirentur. Quare purpureâ illa veste exutâ, & Christi corpore coram omni multitudine denudato, deformatum hoc & squalidum cadauer, vix pedibus valens consistere, vulneribus liuidum, & sanguine stillante fœdatum demonstrans, exclamat: *Ecce homo*, quasi dixisset: Ecce hic eum, quem filium Dei se facere dicebatis: ecce eum, quem recta ad regnum & coronam grassari via asserebatis: videte obsecro, quomodo coronatus sit, quomodo stipatus, videte sceptra, videte paludamentum eius & trabeam; quid hoc rege miserius? quare nolite iā amplius metuere, ne regnum vestrum inuadat.

Pilatus Christum Iudæis producit, vt eo viso ad cōpassionem commouerentur.

Piæ meditationes.

Quid ô anima non plangis, non tristaris, an non exanimaris, cum triste hoc spectaculum intueris, cum miserum illum vulneratum ante oculos vides, hic meditare, hic pietatem exerce. *Ecce homo*; qui suo tibi exemplo, & corporis proprii spectaculo viam cœlum versus demonstrat, per humilitatem nimirum, contemptum, & patientiam. Ecce hic hominem, qui propter te & propter tuam salutem infamiam subiit, opprobria sustinuit, contumeliam passus est, colaphizatus est, consputus, flagellis concisus, spinis coronatus, qui omnia denique tormentorum ignominiarumque genera tui causâ perpessus est. Quid retribues ergo Domino pro omnibus quæ retribuit tibi ô peccator? Ecce hominem qui ob delicta tua tam horrenda patitur supplicia, tam graues profert cruciatus in quo, velut in speculo, grauitatem contemplaberis, quæ tot tormenta Dei filio inflixerunt.

O Pater æterne, ecce homo, qualem eum, vt nostris peccatis satisfaceret, videre cupisti: hic nostrum vadem, sponsorem, satisfactorem vide; hic cerne eum, qui debita nostra auferet, & sanguine suo æs nostrum alienum dissoluet.

Magna quidem, ô pater peccatorum nostrorum debita erant, sed maior erit adhuc solutio & satisfactio quam tibi præstabit: nam postquam abunde iam satisfecerit, multum adhuc superabit, etiamsi decies millies plura soluenda forent. Iam igitur nobis ignosce, egregiam hanc solutionem admitte, calamitatumq; nostrarum miserere. *Ecce Homo*, ô Apostoli, quem tot olim patrantem miracula, edentem prodigia vidistis, quem aquis inambulantem, instar solis in monte Thabor rutilantem & resplendentem conspexistis.

Apostrophe ad Deiparã virginem.

Ecce hominem, ô sanctissima Maria mater, vbi nam modo es? accede; ecce in quam hominem, ecce eum quem sanctissimo vtero inclusum nouem mensib. gestasti? agnoscisne? hiccine tuus est filius? hiccine ille vultus, de quo vaticinans regius vates locutus est? *Speciosus forma præ filiis hominum.* Vestra vero, ô Iudæi, homine hoc viso feritas nondum emollitur, nondum barbaries vestra saturabitur, nondum eius miserebimini? nequaquam, sed tollatur, crucifigatur. O homines inhumanos, imo vix homines, sed leones potius, vrsos, sed feras siluestres! Legimus in sacris literis, Benadad regẽ Syriæ ab Achab rege Israel fusum fugatumque vt eius animum ad clementiam flecteret; iracundiam auerteret, pacemque impetraret, legatos ad eum è purpuratis suis misisse, cineribus conspersos, saccis indutos, & collo laqueos gestantes, qui veniam peterent, & eum ad misericordiam commouerent: quo tristi spectaculo Achab Rex adeo permotus & emollitus fuit, vt omnium præteritarum iniuriarum vltionisque conceptæ oblitus, cum Benadad in gratiam redierit. Si tristis habitus, ac lugubre illud schema Regem alioqui satis inhumanum potuit emollire; quis obsecro erit, quem miserum hocce corpusculum flagris laceratum, caput hoc vepribus redimitum, caro illa vngulis aculeisque detracta, oculi illi lachrymis suffusi, cruenta illa facies, sanieque & illuuie sordida, dura illa manuum vincula, collum illud liuidum non commoueant, emolliant, & ad compassionem non inuitent; Iudæorum tamen mentes hæc omnia flectere non potuerunt. O animos ferro & marmore duriores! ô corda ære & adamante fortiora? tantum porro abest, vt ad commiserandum incitentur, vt iterum inclament atque instar rabidorum luporum, mortem & sanguinem eius sitientes ingeminent, *Crucifige, Non habemus alium regem nisi Cæsarem.*

3. Reg. 20.

Hic videre licebit Pilate, vtrum sincerus sis Iudex, vtrum auro corruptus, vtrum æquitatem ames, vtrum timorem Dei timori Principis aut Cæsaris anteponas; Videbimus hoc loco, vtrum metus, ne honoribus & beneuolentia Cæsaris excidas, ad iniquam pronuntiandam sententiam, ad tam iniuste decretum ferendum, tamque enorme flagitium committendum, te compulsurus sit. Eheu! Perfidus ille Præses cum Iudæos de Cæsare loquentes audiret, videretq; nulla fieri ratione posse, rabie nempe inimicorum excrescente, vt Christus morte eriperetur, lotis in conspectu totius multitudi-

Psal. 44.

titudinis manibus, eundem morte condemnauit, iustissimam illam sententiam pronuntiauit. Iudæorum eum potestati tradidit dicens, *Innocens ego sum à sanguine iusti huius:* Vos videritis. O iniustam & crudelem condemnationem! ô iniquum & sceleratum iudicem! iamiam dicebas, nullum te in eo crimen inuenire, nihilque eum morte dignum admisisse; & modò eum, præter fas & nefas, repugnante iustitia, tua te ipsius quoque arguente conscientia morti addicis? iam iam eum innocuum pronuntiabas, & antequam loco ipso egrediaris, mortis in eum sententiam fers, dicens *crucifigatur*. Cauete vero vobis, ô Præsides, ô Iudices, qui hominum vitas in manibus habetis, cauete inquam, ne scelestum hunc Pontium in iudicando condemnandoque imitemini, sed examinatem semper mature, maxime cum quis capitis arcessitur: nolite innocentes morti addicere, audite & perpendite omnia diligenter, excutite testimonia, ac depositiones singulas, videte num falsa quædam aduersus innocuos proferantur.

Christus morte cõdemnatur.

Psal. 39.

Iam verum te dixisse video vates regie; cum in Psalm. cecinisti, *Captabunt in animam iusti & sanguinem innocentem condemnabunt*. Sed ô diem funestum & nefandum, ô diem plenum doloris & tristitiæ, ô diem omnium dierum infelicissimum! Hodienamque dies illuxit Dòmine, venit hodie tempus, quo tibi moriendum est, & quidem morte ignominiosissima, morte crucis, in monte Caluariæ, moriendum est inquam in medio latronum. Eo te namque peccata mea adegerunt. Vale igitur creator, vale redemptor, vale lux mundi. Heu Dòmine, deficiunt me vires, vox & latera, vt dolorem & tristitiam quam tui in animo meo dolores genuerunt, exponam, & simul extremum tibi Vale dicam. Interea vero Auditores, dum infelix illa crux compingitur, interea dum enormes illi claui sub incude gemunt, in genua procidamus, eiulemus, pectus contusionibus, & cœlum precibus fatigemus, suspiriis emoriamur: neque enim amplius nobis viuendum est, cum vita nostra, & DEVS noster ad mortem sese accingit. Hanc igitur crucem ambabus vlnis complectamur, hanc intueamur, hanc proni adoremus, dicentes: *O crux ave spes vnica.*

## TERTIA PASSIONIS PARS.

XIV.

MEridies iam erat, pro vt nos dici horas distinguimus; & hora sexta, calculo Iudaico, cum validi illi lupi Iudæi, inquam, tristi illa in Christum lata sententia, ouantes & triumphantes, purpurea eum clamyde exuunt, propriamque ei vestem, quo melius ab omnibus dignosceretur, militesque eam deinde diuiderent, circumdant. Eduxerunt igitur illum extra ciuitatem, vt in Golgatha, id est, monte Caluariæ eum cruci suffigant, qui locus supplicijs malefactorum destinatus erat, patibulis, crucibus, rotis, axibusque ac maleficiis plenus: locus tetram exhalans mephitim, fœtidus ossibus, membris, & craniis mortuorum oppletus, à mortuorum caluariis denominatus, vti Hieronymus testatur, quippe quo nullus in orbe tetrior aut fœtentior, de quo hoc eximium tantum memoratur, primum parentem Adam in eo esse sepultum, vt Cyprianus, Origenes, Epiphanius, Athanasius, Ambrosius, atque omnes propemodum sancti Patres testantur, in quorum omnium sententiam equidem libens concedo. Sed quænam illa, Deus bone, metamorphosis, quænam illa repentina mutatio, quæ rerum vicissitudo hæc? Vix quinq; elapsi sunt dies bone Iesu, ex quo te hisce meis oculis asina vectum, vrbem, regio propemodum apparatu, summo omnium applausu, lætitia, exultatione ac totius populi iubilo, ingredientem vidi, & ecce modò eadem te vrbe, instar latronis, malefactoris, aut sicarii alicuius, magno cum opprobrio egredientem conspicio. Irridet Plutarchus Athenienses, quod trecentas quas Demetrio Phalereo adhuc viuo erexerant statuas, illo etiamnum in viuis agente deiecissent, ac loco mouissent. Quis vero tuam inconstantiam non rideat Ierosolyma, quæ Messiam tuum quem tanto triumpho & exultatione ante aliquot dies recepisti, hodie magna cum contumelia & ignominia eiicis &

Describitur mons Caluariæ.

Inconstantia Iudæorum.

*Plut. in Apoph.*

expellis : Sortem tuam hic repetitam & ad viuum repræsentatam video, Daniel; hodie namque totius Babylonis Princeps & Rex quodammodo declararis, ac centum ac viginti satraparum primus, crastina vero die in leonum lacum præceps agêris. Video namque Christum, vix quinque elapsi sunt dies, instar Regis ab omnibus salutari; agnosci vt regem, hodie vero ad mortem condemnari, Hierosolymis ad præconis vocem educi, à tortoribus & lictoribus, tota ciuitate ad nouum hoc spectaculum confluente, conduci, & graui onustum cruce ad supplicii locum pedetentim procedere.

*Isai. 22.* *Baiulans sibi crucem*, vt scilicet Isaiæ prophetia adimpleretur, qua dictum erat: *Dabo clauem Dauid super humerum eius.* Vidisses hic verum illum Isaac, lignis sacrificii in humero sublatis, ad montem & supplicii locum procedentem. Hic vid sses omnem Ierosolymorum populum portis vrbis magna festinatione erumpentem, vt tristi huic & funesto spectaculo interesset: Aderant hic lictores, satellites, tortores, carnifices, atque omnes Romani Præsidiarij, aliique innumeri, qui ad solemnitatem Paschalem confluxerant, qui Christum crucem baiulantem, ad locum vsque supplicii comitabantur.

Aderant inter alios & mulieres lachrymantes, ac plangentes: inter quas & te fuisse certissimum est ô virgo Deipara, & te Magdalena, cum Maria Cleophæ. Quonam doloris gladio pectora vestra dissecabantur ô matres, cum ruentes videretis equites, populum magna frequentia portis vrbis erumpentem, & tubæ clangor auribus vestris insonaret. Eiulant illæ, lachrymantur, & plangunt, & quidem adeo vehementer, vt auditis singultibus & suspiriis Dominus respiciens, eas fuerit allocutus dicens: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super filios vestros.* Videte hic Historici constantem illum Socratem, qui inique ad mortem ab Athenien sibus condemnatus, cum ad supplicium duceretur, vxoremque Xantippem illachrymantem conspiceret, eandem consolatus ait, Desine flere vxor, nam tibi maximæ futurum est gloriæ, fuisse vxorem eius qui iniusta mortis sententia condemnatus fuit.

Socratis morientis constantia.

Videte hic vltimum Lacedæmoniorum regem Agidem, qui cum iniqua mortis sententia ad mortem duceretur, & aliquê è suis domesticis flentem videret, *Desine*, inquit, *me flere, quia tam scelerate & iniuste morti addictus sum, meliore sum quam qui me neci uit, conditione.* Agidis regis magnanimitas.

Nolite igitur, ô mulieres, Christo afflicto collachrymando compati, sed flete potius super filios vestros: veniet enim tempus quo dicetur, *Beata sterriles quæ non genuerunt*, tempus quo matres filios deuorabunt, & ciues à feris dilaniabuntur: nolite Christum meum deflere, sed vos ipsas, & cogitate, si Pater æternus tanto rigore peccatum in vnico suo castigauit filio, quid in vobis facturus sit: & si hæc in viridi ligno, in arido quid fiet, sed relictis hisce, redemptorem cruce grauatum comitemur.

Tradunt Euangelistæ Christũ ponderosa illa cruce onustum; exhaustum viribus, & sanguine destitutum aliquoties in via ad terram concidisse: adeo vt Iudæi metuẽtes, ne in via expiraret, antequam ad montem peruenirent. Simonem quendam Cyrenæum venientem de villa, angariauerint, vt illi in portanda cruce auxilio esset. Quanta porro Simon, ô ter beate Simon, tua felicitas fuit, Christi crucem portare potuisse? docemur hic, Christiani, Christo nos in cruce ferenda socios existere debere, si socii gloriæ esse desideramus, ad quod ipse nos quoque inuitat dicens, *Qui vult venire post me abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me, ad montem vsque Caluariæ.* Cyrenæus Christi crucem sustentat.

Cum iam peruenisset in Golgotha, id est Caluariæ locum, cruci eum confixerunt. Hic iterum efferati & truculenti illi milites vestibus eum suis exuerunt magno cum dolore, vulnerumq; omnium quibus vestis inhærebat, redintegratione, adeo vt eam violenter detrahendo sanguis iterum è concretis vulneribus, instar torrentis exundãtissimi, circumquaq; scaturiret. Hic quoque in crucem eum coniicientes, in lectum scilicet honoris omniaq; eius membra funibus durissimis Christus in Golgotha pendet.

rissimis extendentes, manus ei & pedes tribus obtusis clauis transfixerunt: audisses hic malleorum ictus, lictorum verbera, tortorum contumelias, & opprobria exprobrantium militum, quod præuiderat vates regius dicens, *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.* O crudelitatem incredibilem! quis verbis tam immane facinus exprimat, aut tam atrox parricidium oratione consequatur?

*Cicero in Verrem.* Aureum illud eloquentiæ flumen Tullius, verbis satis exaggerare non potest crudele quoddam C. Verris facinus, quo præter fas & æquum præterque patriæ consuetudinem P. Gauium virgis primum cæsum crucifixerat: *Facinus*, inquit, *vincire ciuem Romanum; scelus verberare; prope parricidium, necare; quid dicam in crucem tollere? teterrimum crudelissimumque supplicium.* At non hic de cruce P. Gauii, sed de cruce Iesu Christi agitur; non hic de ciue Romano, sed de Dei filio loquendum est: dicemus igitur, *Facinus est vincire Deum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere.* Cõtemplare hic igitur, anima mea, æneum illum serpentem in deserto in sublime eleuatum, qui omnes quotquot vipereis sauciati morsibus eum intuerentur, persanabat. Cõtemplare hic, non amplius filios Resphę Saulis concubinæ à Gabaonitis crucifixos, sed filium Mariæ sponsæ Dei, à Iudæis in crucem actum. Contemplare hic miserum illum Absalomum, diuinæ iustitiæ bellũ mouentem, misericordiæque pattes fouentem, ad crucis arborem, humanitatis suæ crinibus adhærescentem, & tribus durissimis & obtusis clauis; trium lancearum loco, confixum. Considera hic denique anima mea sponsum tuum in medio crucis velut in lectulo deliciarum, reclinatum. Ipse quidem Psaltes, vt Deum ad misericordiam flecteret, dicebat supplex, lachrymis se stratum rigaturum, totumque cubile iucundo illo pœnitentiæ flumine perfusurum: at sponsus tuus, ô anima vt te ad amorem sui & commiserationem excitet, seipsum hic in sanguine dormientem ostendit, ostendit inquam cubile sanguine perfusum. Contemplare igitur attentius, vt fixus hic sit; & firmiter affixus, quo te venientem exspectet; vide vt brachia extendat, te vt amplectatur; vide vt caput inclinat, vt tibi accedenti osculum præbeat; vide denique vt sanguinem effundat quo te lauet & perluat.

*Num. 21.* *2. Reg. 21.* *2. Reg. 18.* *Psal. 6.*

XV. Christus inter latrones suspenditur medius.

Hic vero noua contumeliarum genera in Saluatorem tuum cusa perpende: crucifigitur nimirum inter duos latrones: Nullum profecto contumeliæ aut opprobrii genus fuit, quod Saluator hic non pertulerit. Primo namque morte ignominiosissima mortuus est, qua nulla vnquam exstitit vilior aut abiectior: idque in vrbe regia, totius Iudææ Metropoli, scilicet Ierosolymis, tempore quoque celeberrimo in solennitate nimirum Paschali, ad quam varii vndecunque Iudæi, ex diuersis orbis locis confluxerant, hora quoque opportuna, medio scilicet die; deinde in altum sublatus, vt ab omnibus conspiceretur: denique in medio latronum, vt adimpleretur quod à Prophetis prædictum erat: *Et cum sceleratis deputatus est.*

Vide hic ô homo, Deum tuum, qui in cœlestibus habitaculis inter beatas illas mẽtes versatur, inter sceleratos & medio latronum crucifixum: perpende tecum vt quem adorant Angeli, ab hominibus vt sicarius & latro habeatur: contemplare, vt qui alias in mõte Thabor medius inter duos Prophetas glorioſus & instar solis resplendens apparuit, hodie in monte Caluariæ deformis & sanguine cruentatus, in medio sicariorum pendeat: heu *quantum* mutatus ab illo Hectore!

Tu jam ille viator factus es Domine, qui ex cælesti illa Ierusalem in mundi huius Iericho descendens in latrones incidisti, in sceleratos illos Iudæos, qui vestibus te penitus despoliarunt & semiuiuum inter latrones reliquerunt; quin & patiens ille Iob, non quidem in simario sedens, sed in cruce suspensus, vulneribus oppletus, & sanguine cruoreq; perfusus. O si sciretis, latrones, quid sit Christum Dominum ad latus habere, iuxtaque eum constitutum esse, vestram

*Luc. 10.* *Iob. 2.*

vestram proculdubio sortem clementius & æquiori animo ferretis, & ingenti gaudio profunderemini! felices profecto, modo sciretis, quanto vobis honori sit, cum hoc innocuo vitam finire. Egregiam porro in hanc rem de Phocione historiam prodit Plutarchus. Hic enim cum in carcerem nullo tamen commisso crimine, sed innocuus omnino, coniectus esset, & in carcere alium quemdam reperisset, Tudippum nomine, capitalis criminis reum, qui fortunam & mortem sæpius deplorabat; his cum verbis consolatus est, *Num tibi satis est Tudippo cum Phocione mori?* quasi diceret! Quid angeris, quid ploras Tudippe? quid ita sortem tuam defles? lætari potius & exultare oporteret, quod tibi cum Phocione viro innocentissimo sit moriendum. Tu quidem iuste ob crimina in Rempubl. commissa ad mortem deposceris, & tamen ploras? at ipse, qui semper patriæ salutis studiosus fui, ac de ea semper bene sum meritus, qui neminem vnquam ne verbo quidem læsi, iniqua tamen sententia ad mortem condemnatus sum, æquo animo casum meum fero: sed hoc tibi honori sit & ingentis gloriæ loco, Tudippe, cum Phocione expirare. eisdem vos verbis affari queam ô latrones, num vobis satis sit cum insigni illo Phocione mori? nam vos quidem iuste, ob flagitia vestra, morti addicti estis, sed Iesus, nullo vnquam admisso crimine, sine vlla noxa moritur. Sed quid denotant nobis gemini isti latrones? duo scilicet hominum genera, Iudæos nimirum & gentiles. Sed maius adhuc in duobus hisce mysterium latet: nimirum, ideo CHRISTVM inter duos latrones crucifixum esse, vt hinc disceremus Spiritum inter carnem & mundum esse crucifigendum.

Insignis de Phocione historia.

Quid duo latrones designent.

Porro sceleratus ille Iudex Pilatus, vt Christum iuste ad mortem condemnatum fuisse ostenderet, quasi læsæ reum maiestatis, & quasi in Imperium Cæsarisque potestatem aliquo modo deliquisset, titulum cruci imposuit, *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Erat autem titulus scriptus Hebraice, Græce & Latine*, vt Iudæi, Græci, & Romani, alienigenæ & externi, qui Ierosolymam aduenerant, ex eo mortis causam legerent. Fuit hoc quodammodo augurium & præsagium, in alio illo incruento Missæ sacrificio, trium harum linguarum vsum futurũ. Quid igitur ad hæc dices hæretice, quid tu nouator turbarum auide, & omnis nouitatis studiose qui omnia mysteria vulgari religionis lingua peragi & tradi cupis? perpendere hic te velim & tecum cogitare, fuisse tum temporis plurimos Ierosolymis alienigenas, vt Cretas & Arabas, aliosque incognitos qui nec Græce nec Latine nec Hebraice nossent; Pilatum tamen alias, nisi tres hasce linguas, vsurpare noluisse.

Titulus crucis tribus cõscriptus linguis, & quare.

Domino igitur cruci affixo, & in altum sublato, omnes ecce circumstantes contumeliis eum proscindere, & Iudæi crudelitatem feritatemque maiorem quam antea ostendere cœpere. Milites quippe sub cruce de vestimentis eius digladiantur, atque omnes prætereuntes conuitia in eum exonerant, mouẽtes capita sua & dicentes, *Vah, qui destruis templum, & post triduum reædificas illud? Salua te modo si filius Dei es, & descende de cruce.* Scribæ quoque & Pharisæi, montem Caluariæ obambulantes ei diminutam quodammodo potentiam exprobrant dicẽtes. *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluũ facere: si Rex Israel est*, vt semper præ se tulit, patefaciat modo, *descendat de cruce, & credemus ei.* Præuiderat hæc omnia Psalmographus, & in Domini persona locutus est, *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs, & mouerunt caput.*

Blasphemiæ in Christum.

Psal. 25.

Quid obsecro, bone Iesu, de nobis actum fuisset, si inimicorum consilium secutus de cruce descendisses, quot eheu! animæ sub tribulationum & ærumnarum in hoc mundo eis irrogatarum pondere gemiscentes oppressæ fuissent, nihil præclarum hoc illis patientiæ constantiæque exemplum præbuisses? Voluisti nimirum vsque ad extremum perseuerare, & in ipsa cruce mori, vt nos edoceres, ad mortem vsque esse tolerandum, nec vnquam de tribulationum cruce descendendum. Ipse mundus, Auditores, ipsa caro & diabolus nobis quotidie inclamant & semper suadent, vt de cruce descenderemus, deliciasque vitæ huius consectare-

Insignis cõceptus.

D. Martini verba.

ctaremur. Hinc bene olim mihi dixisse visus est, Martinus ille Turonensis, non decere Christianum, nisi in cruce, in cilicio, & cinere mori, illa namque quasi quidam gradus sunt quibus ad Christum ascendimus. Sed mitissime ac benignissime Iesu, quid ad hæc opprobria, contumelias, irrisiones, cõfusiones; quas scelerati hic effundunt, replicas? *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* O amor, ô charitas, ô incendia dilectionis! omnes eum mortales oppugnant, eique bellum mouent, totum eius corpus grauissimos dolores perfert, pœnis vsque ad summũ saturatum est, & tamen non conqueritur, non excandescit, aut succenset, non aduocat ad vindicandum Angelos, non intentat tortorib. minas, sed orat pro ijs ipsis qui in se deliquerunt, dicens, *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt* & bene quidem: si enim sciuissent, numq̃ Dominum gloriæ crucifixissent, aut tam enorme flagitium cõmisissent. Peccatores quoque dum delinquunt, nesciunt quid faciunt: si enim scirent, aut præuiderent, q̃ graues cruciatus, quamq; horrenda tormenta sibi præparent, quamq; ingentẽ gloriam amittant, dum gloria illa cœlesti excidunt, numq̃ vel minimum delictũ admitterent: vnde clamat vates regius, *Errant oẽs qui operantur iniquitatem*

Dominus pro inimicis suis patrem orat.

B. Virginis dolor.

Aderat tristi huic spectaculo tristis & dolorosa mater Maria, iuxta crucem cum aliis mulieribus, Maria Cleophe & Maria Magdalena, cõsistens. Quis hic exprimat, virgo, omnium martyrum regina, extremos illos dolores animique amaritudinem, cum dilectum filium, quem tanto olim gaudio concepisti, tam crudeliter à barbaris hisce militibus haberi vides? cum sacra illa brachia, quæ te olim in ætate puerili tam amanter strinxerũt, affixa cruci cernis? cum diuinam illam faciem, quã toties exosculata es, sanguine fœdatam, sputis deformatam, sordib. oppletam contemplaris. Si enim Tobiæ mater flebat lachrymis irremediabilibus, quod absentiam filij ferre non posset: quid hanc hodie matrem fecisse arbitramur, cum filium in crucem sublatum & in cruce morientem videret.

Tob. 10.

3. Reg. 3.

Cum olim sapientissimus ille mortalium Salomon sapienti responso puerum, ob quẽ duæ mulieres inter se contendebant, mediũ diuidi iussisset: eius, quæ vere mater erat, viscera confestim ad misericordiam compassionemque commota sunt. Quantum vero dolorem benedictæ huius Matris fuisse credendum est, cum vnicum filium in cruce affictum & desolatum, omniaq; membra eius loco mota, & à se inuicem distracta, intueretur? Si Agar Abrahæ ancilla, cum Ismaelem filium in deserto morientem cerneret, eumque præ animi angustia videre agonizantẽ non valeret, retrorsum abiens ait, *Non videbo morientem puerum.* Quid fecisse putabimus amantissimam hanc filii matrem, cum filium grauissimis affectum supplicijs, exspirantem conspiceret? Heu qualem eius dolorem, quas animi angustias, quem mœrorem fuisse credimus, Auditores? Eheu,

Gen. 21.

*Quis est homo qui non fleret,*
*Christi matrem si videret,*
*In tanto supplicio?*

Neque minor dolor matris erat sub cruce constitutæ, quam filii in cruce suspensi.

Tres iam horas Christus in cruce pependerat, à sexta nimirum vsq; ad nonam, cum cœlum tam triste spectaculum, non sustinẽs luctum, ob creatoris mortem, cœpit induere, & terro amictũ velamine tenebras super vniuersam terræ superficiẽ inducere, *Tenebræ factæ sunt super vniuersam terram.* Circa horam igitur nonam cum Dominus vehementi febrium ardore correptus, doloribus scilic. crucis, passionis, & mortis, bibere postulasset, eiq; acetum felle mixtum in potũ ministri dedissent, atq; omnia de seipso pronuntiata consummata esse dixisset, impletas nimirum figuras, ceremonias legales iam finitas: cum clamore valido ad Patrem sublato. *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*, atque omnes adeo mortales & vt gratũ tibi sacrificium hoc meum existat, supplico, inclinato capite emisit spiritum.

Tenebræ super vniuersam terram.

O tristis & funesta dies, dies è dierum numero eradenda! ô casus, qualis nullus vnquã accidit! ô triste infortunium, & acerbũ nuntium! Iesus Christus mortuus est, Dei filius mortuus est, ô paradoxa! ô res ad credendũ difficilis! annon emoreris anima, cũ Deum

tuum audis exspirasse? Si Iuda Machabæo fortissimo viro mortuo omnis Iudæa plãgebat & lamentabatur, dicens, *Quomodo cecidisti potens in prælio, qui saluum faciebas populum Dei?* nonne te illud ipsum hodie dicere par est, cum Dominum Iesum in prælio audis cecidisse? quin non frangimini, scindimini, emollimini animi indurati, ferro, ære, adamante duriores. Funduntur, ecce, irrationabiles & mutæ creaturæ, velũ templi in duas partes à summo ad imum diuiditur, terra cõtremiscit, columnæ & marmora ad terram deiiciuntur, monumenta aperiuntur, mortui sepulchris prodeunt, atque adeo totus mœrore & luctu orbis in morte creatoris cõficitur, omnia denique lugubrem amictum induunt, cum Christum in cruce emorientẽ contẽplantur; omnes proinde mortales crucem hanc adorant & venerantur.

O crux aue benedicta, ô crux aue spes vnica, ô beata, gloriosa, & adoranda crux, hoc potissimum nomine beata, quod in te Saluator meus pependerit; veneranda, quod sacra te Christi membra tetigerint, ac pretiosus eius sanguis perfuderit. Saluete quoq; sacræ spinæ, ac regium diadema è vepribus veluti gemmis pretiosissimis contextum, quo nullum vnquam ab hominum memoria exstitit aut pretiosius aut excellentius. Saluete claui salutiferi, gemmæ inquam cœlestes, adamãtes Angelici, qui diuinas illas manus, ac sacros illos pedes exornatis, & decorem quendam illis eximium superadditis. Salue ô lancea, quæ tale vulnus inflixit, cui nullum vnquam par fuit inflictum, quæ latus referasti Domini, & ad vsque sacrum Verbi diuini cor penetrasti, thesauros gratiæ Sacramentorumq; mysteria aperuisti. Salue crux pretiosa, dulce lignum, dulces claui. Saluete spinæ, omni admiratione & cultu dignissimæ.

Cum te contemplor ô crux, pretiosa in quam crux, arborem illam vitę in medio paradisi plãtatam videre videor: videre videor virgam illam Moysis, quæ serpentes Ægypti nostræ deuorauit, lignum quoq; illud Moysis, quod in aquas Mara coniectum, easdem dulces reddidit: thronum Salomoni fultum leonibus: tabernaculum illud fœderis, alis Cherubicis coopertum: quin & rubum illum ardentem in deserto Caluariæ. Merita porro tua explicare quis sufficiat crux pretiosa? hoc vnum tamen dicam, esse te nimirum clauem illam Dauid, quæ portas æternales referasti, virgam quoque Iacob, cum qua mundi huius Iordanem transimus; pedum quoque pastorale, quo Goliadas & Philistæos infernales prosternimus; scalã quoque Iacob, per quam ad cœlum ascendimus.

Exod. 15.

3 Reg. 10.

Exod. 2.

1. Reg. 17.

Gen. 28.

O crux pretiosa inter omnia ligna siluarum! ô arbor decora, fulgida! nulla silua talem profert, fronte, flore, germine. O Cedrum, non dico Libani sed Caluariæ! ô laurum semper virentem, & à fulgure nos defendentem; ô cœlestem oleam, per quam misericordia nobis designatur.

Ὦ ξύλον μακάριστον ἐν ᾧ θεὸς ἐξετανύσθη. vt canit Sibylla. O crux prodigiis & miraculis nobilis, quo tu modo cultu digna redderis, quo te omnes honore prosequũtur! Regum tu vertices exornas, Pontificum infulas cõdecoras, te timent & verentur diaboli, te honorant Angeli, te adorant homines. Et quo plura tui encomia produxero, quo & plura inuenio: tu scilicet es egregia & procera illa terebinthus, ad cuius radicem Iacob noster Iesus Christus idola Labani, id est, totius orbis peccata, defodit & sepeliuit: tu es egregium illud torcular, in quo ingens humanitatis Iesu Christi botrus expressus est. Per te ô crux, iam cœli gloria, inferorum terror, mundi spes facta, hodie & semper, peccatores delictorum suorum veniam, iusti gratiæ augmentum, afflicti solatium, & nos iubilemus & omnium in hoc mundo criminum indulgentiam, in altero vero gloriæ sempiternæ fruitionem consequamur. Amen.

IN

# IN DOMINICA RESVRRECTIONIS, SIVE SOLEMNITATE Paschali.

Partitio.

I. *Quod Resurrectio sit fide capienda.*
II. *Quod oportuerit Christum exaltari.*
III. *Quod & nos oporteat in Christo resurgere.*
IV. *Quia mortuo Christo, status fuerit corporis, animæ & diuinitatis eiusdem?*
V. *De genere mortis.*

*Resurrexit sicut dixit.*

## FIGVRA.

Ion. 1. PRopheta Ionas cum Tharsis nauigaturus mare conscendisset, & vehemens ventorum procella, & horrida tempestas ingruisset, sorte in mare à nautis, quo ita procella quiesceret, & tumentes vndæ compescerentur, coniectus fuit; quem immanis deinde cetus deuorauit, triduoque in aluo incolumem seruatum magno sane miraculo, in litora effudit, ac iucundum cœli lumen fecit intueri. Fuit hoc, Auditores, figura proculdubio magni huiusce mysterij, cuius hodierna die memoriam Ecclesia celebrat. Nam ecce plus quam Ionas hic, imo verus quidam Ionas; qui cum vastum redemptionis nostræ Oceanum ingressus esset, & vndique deinde minis, iustitia, punitione, & vltione opprimeretur, quo iram diuinæ iustitiæ compesceret, ac tumentes illæ indignationis vndæ sæuire desinerent; in passionis profundum coniectus fuit, & in sepulchri vtero visceribusq; seruatus, ac tertio demum die, hodie nimirum, resurgens, vitæ ac luci est restitutus. O diem lætissimum & glorioſissimum! ô diem vere prodigiosum, ac triumpho Christi Iesu nobilem, eiusque victoriis, trophæis, & resurrectione celebrem! ô diem iucundissimum & lætis plenũ nuntiis! quæ vobis iamiã narraturus sum, si prius mecũ auxilium cœleste, idq; gloriosæ triumphantis hodie filij matris precibus postulauero, recitate igitur mecum salutationem Angelicam:

AVE MARIA.

Lib. de resurrectione. Ingens ille Africæ honor Tertullianus de grãdi hoc & diuino resurrectionis agens mysterio, iam à mille circiter & quingentis annis dicebat, nihil esse in fide vel ad credendũ difficilius, vel quod maiorem admirationem mereatur, quã resurrectionem mortuorum. Et merito quidem, ipse namq; instar Oceani cuiusdam est, magnis agitationibus & motibus obnoxij, quem humanorum iudiciorum ingressa cymba, secure enauigare nequit, si fides eam non dirigat, vel illa ad fidem, velut ad Cynosuram, nõ dirigatur. Maxima & terribilissima omniũ, quas Ezechiel Propheta vidit, visionũ fuit illa, cum fluuium vidit, cuius aquæ ita intumuerãt, vt eum tranare nequaq; posset. Ita quoq; in mysterij huius torrente humanus intellectus pene submergitur; adeo namque vehementes eius vndæ & fluctus sunt, vt nulla sit aut ingenij vis, aut rationis robur, q̃ illos securè queat transire: tantæ quippe in Euripo illo syrtes, tot scopuli, tot breuia, tot rupes, tot abyssi reperiũtur, vt Philosophia naturalis eundem nunquam ausa fuerit tentare, aut eidem sese tuto committere. Aristoteles namq; & cum eo omnes veteres Philosophi gẽtiles, aiunt, à priuatione ad habitũ nullum regressum dari. Aquila quoq; illa Euangelica Ioannes librum quendam in Apocalypsi describit, intus & foris septem signatum signaculis: quem *nemo neq; in cœlo, neq; subtus terram aperire poterat, nedum aspicere*; adeo vt nec homines, nec dæmones, nec ipsi quinetiã Angeli, eundem legere possent, solus namque Agnus eum legebat & intelligebat. *Et animalia clamabant: Dignus es Domine accipere librum, & soluere signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos.* Ezech. 47. Apoc. 5.

Quid porro nobis denotas, ô liber, nisi sacrum illud resurrectionis mysteriũ, scriptum intus & foris, in anima inquã & corpore exaratum, nõ septem quidẽ signatum signaculis, sed innumeris miraculis ac prodigiis circumseptũ: adeo ad aperiendum & reserandũ difficile, vt nulla vnquã creatura id potuerit aut intelligere, aut ad vitam redeũdo aperire, nisi Christus Iesus, innocens ille Agnus in Caluariæ monte immolatus. Hic scilicet sapientissimi Salomonis deficit sapientia, hic eiusdem sapientia ignaram se fatetur, hic sibi aquam hærere ingenue profitetur, dicens: *Tria sunt mihi difficilia, & quartum peni-*

*Prouer.* 30. Tria quæ Salomon nequiit comprehendere.

*tuis ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia:* per viam aquilæ in cœlo, Christi ascensionem; per cursum nauis in mari, Incarnationis eiusdem mysterium: per serpentis viã in petra, glorioſum mysterium resurrectionis designat.

*Matth.* 22.

O sublime mysteriũ, ô resurrectio penitus diuina, ab humano ingenio admodum remota, atque ad comprehendendum omnino difficilis. Fuére olim Sadducæi, qui resurrectionem non admittebant, sed penitus negabant, qui cum ad Christum Dominum accessissent, de resurrectione mortuorũ disputaturi, hoc ab eodem responsum retulere: *Exod.* 14.

*Erratis nescientes scripturas, neq; virtutẽ Dei.* Sed discat humana ignorãtia & stupiditas, quod quemadmodum in exitu Israël de Ægypto, Ægyptij quidem & Hebræi simul se in viam dederunt, hi ad fugiendum, illi vero ad fugientes prosequendum: sed cum ad rubrũ mare ambo venirent, illi quidem vndis eius submersi sunt, hi autem sine vllo sui suorumque detrimento incolumes transierunt, ac deinde in terram promissionis sine vllo omnino morbo integrisq; vestibus peruenerunt: ad eundem modum cum corpora è terræ visceribus, velut ex vltima Ægypto egressa, rubrũ diuinorum iudiciorũ mare transire debent, peccatores quidem in eo perituros; electos vero incolumes transituros, corpora quoque eorũ integra & perfecta, atq; omni mortalitatis contagio infirmitatibusque corporis huius liberata, gloriam cœlestem ingressura.

*Gen.* 40.

Considerate quoq; vobiscum, Auditores, quemadmodum duo illi in Ægypto captiui, propter delicta in carcerem coniecti, eodem tempore simul carceribus egressi sunt, quorum vnus in crucẽ actus, alter vero in pristinum dignitatis locũ à rege restitutus est: ita quoq; eodem temporis momẽto duos captiuos è mundi ergastulo egressuros, iustos, simul & peccatores; hos quidẽ æternis suppliciis addicendos, illos vero ad gloriam destinatos. Discite, inquam, & considerate, ô increduli mortales eũ ipsum qui è nihilo molitus est omnia, qui è nihilo cuncta produxit, qui Adamum de limo terræ formatũ in hunc mundum induxit, qui potis est de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, longè facilius cineres posse coaceruare, ossa recompingere, pelle vestire, vitamq; iisdẽ conferre. Egregiã huiusce rei figurã in Ezech. Propheta habemus. Cum. n. Deus Prophetæ vastum campũ mortuorũ ossibus oppletũ monstraret, & diceret: *Putasne viuent ossa ista?* & ipse diceret: *Domine Deus tu nosti.* Dominus vero iterum adderet, vt ossibus inclamaret: *Ossa arida audite verbum Domini*; illa statim ad Prophetæ vocẽ in pedes constiterunt, animaq; subintrante ad vitã redierunt. Erat hoc vtiq; eius rei signum; quæ magno illo extremi iudicij & resurrectionis generalis die euentura est. Insignis figura. *Ezech.* 37.

Sed nunquam id Philosophi credere potuere, scriptum est enim in Actibus Apostolorum, Paulo Athenas veniente, vbi doctissimi quiq; Philosophi commorabantur, & de mortuorum resurrectione verba faciente, ab omnibus doctrinam eius explosam fuisse, veluti si fabulas quasdam & anilia commenta narraret. Refert adhæc Euagrius Ecclesiasticæ histor. lib. 1. cap. 15. Synesium Cyrenensem Episcopum, doctissimum iuxta ac subtilissimum Philosophum omnia quidem fidei nostræ mysteria initio credidisse, excepto profundo illo resurrectionis mysterio, ô paradoxa! quin & ipsi Apostoli difficulter admodum idipsum credere potuerunt, de quibus Scriptura ait: *Recumbentibus vndecim apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatẽ eorum, & duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non crediderunt.* Lucas vero ait, eos viso Iesu, putasse se spiritum videre, adeo vt præ metu conturbati fuerint. S. Thomas quoque adhuc vlterius in incredulitate processit: cum enim Apostoli vidisse se Dominum dicerent, addidit ille: *Non credam nisi videro fixuram clauorum.* Sed satis iam est, ô Thoma, satis est Apostoli, Sadducæi, Philosophi, nolite amplius de mysterio hoc dubitare: videmus enim hic ad oculum Dominũ à mortuis resurrexisse, videmus magnum illum librum apertum, videmus Christum ingẽtem illũ torrentẽ pertransiisse, Iesus *resurrexit sicut dixit.* Nihil igitur hodie aliud quã triumphi, quam victoriæ decantandæ sunt, ac non nisi de resurrectione loquendum. *Act.* 17. Nunquã Philosop. mysteriũ resurrectionis agnoscere potuerũt. *Matt.* 16. *Luc.* 24. *Ioan.* 20.

Glorioſa Domini resurrectio, quam tot olim

olim Prophetarum oracula prænuntiarunt, tot veteris Testamenti loca designarunt, quam Christus Dominus semper & vbique prædicauit, quam ipsi quatuor Euangelistarum commentarij annuntiarũt, infinitis hodierna etiam die testimoniis demonstrata fuit. Ipsi namque Angeli Mariis eam denuntiant, præcipientes vt eandem Apostolis manifestarent, plurimi etiam mortui ad vitam resuscitati, & cum Christo resurgentes in sanctam ciuitatem venerunt, & eam notis & amicis declararunt. Duo quoque viatores ab
Luc.24. Emaus reuertentes eandem discipulis annũtiarunt: S. Petrus, vt Apostolorum omnium vertex eandem suis ipse oculis conspexit: cæteri quoq; Apostoli eam firmiter credide-
Matth.27. runt, cum Dominum iuxta mare Tiberiadis ambulantem viderunt. Si vero Ambrosius nulli ait eam prius cognitam & manifestam fuisse, quam sacratissimæ Virgini: sed quoniã testimonium illius fortasse suspectum fuisset, quasi illa præ nimio in eũ amore asseruisset, Euangelistæ id penitus silentio inuoluerunt. Tanta scilicet, tamque grauia testimonia requirebantur, quibus res tam ad credẽdum difficilis confirmaretur, quo ab hominibus credi posset. Resurrexit igitur sicut dixit, aiunt Angeli, Marię, viatores, Apostoli atque omnes adeo homines.

Tribus de causis Christus resurrexit.

Aquinas ille Thomas, Doctor Angelicus, quinq; affert rationes, ob quas Redemptorẽ nostrum à mortuis resuscitari oportebat: sed omissis duabus, tres tantum potissimas huc adducam. Primo scilicet, vt diuinam suã iustitiam notam faceret; cuius est quos deiecit & humiliauit sublimius erigere, & priorem deiectionem nouo maiorique honore compensare, quod apud Lucam Maria significat:
Luc.1. *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Christum igitur, qui sese ad mortem vsque crucis humiliauerat, par erat & consentaneũ exaltari, tantumq; subleuari, quantũ se prius depresserat. Vnde Paulus ad Philipp. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.*

Cõceptus è natura traductæ.

Occulta & naturali quadam ratione fieri videmus, non altius fontes posse ascendere, quam eorum origo & scaturigo deducatur: sed eandem & eruptionis, & initij esse altitudinem. Cùm igitur puteus ille aquarum viuentiũ è stabulo & præsepio, vt sic dicam, exortus fuisset, deinde ad vsq; crucẽ adhuc penetrasset, quin & ad sepulchrũ in rupe excisum, & præ humilitate nimium quantum profundum erat, necesse quoq; erat, eum ad cœlos vsque, vnde venerat, erũpendo ascendere. Audite, obsecro, vt id exprimat Psalmographus, *à summo cœlo egressio eius*, videte *Psal.18.* eius ascensum. Par quoq; erat, vt lucidus ille *Iosu.10.* & effulgens sol, qui ad nutũ magni illius Iosue, Patris inquam, æterni, in cruce confixus & clauis affixus, immobilis steterat, interea dum inimici nostri profligarentur, & mundus subigeretur: par inquam erat, vt sol ille, qui decem gradibus retrocesserat, sub nouem scilicet Angelorum choris, humanamque naturam induendo, quo homines qui instar Ezechiæ regis in extremis versabantur, redimeret: vt inquam lucidum illud astrum hodie in locum reuerteretur. Quamobrem hodie resurrexit sicut dixit, & sol ille noster ad Zodiacum suum & orbem rediit.

Insignis cõceptus.

Patientiæ illud exemplar Iob, cum è Cræso factus esset Iro pauperior, omnibusq; facultatibus spoliatus, adeo vt velut opprobrium suorum factus, & omni destitutus auxilio in sterquilinio sederet: breui interiecto tempore talem rursus à Domino benedictionem consecutus est, vt omnia ei duplicia, & non sine fœnore, reddita fuerint. Præsignabat hoc, verum illum Iob, Christum Dominum, Dei inquam filium, adeo deiectum iri, vt in infami cruce, in medio latronum, nudus omnino, morituros sit, sed hodie iterum adeo exaltandum, vt quidquid prius quodammodo amiserat, duplici mensura ei reddendum sit: gloria scilicet, quo ad corpus, de qua dictum est, *gloria & honore coronasti eum*: & no- *Psal.8.*
minis exaltatio, de qua scriptũ: *Et exaltatũ est* *Psal.148.*
*nomen eius solius.* An non igitur ei omnia du- *Psal.109.*
plicia reddita? Hic igitur completũ videmus regium illud vaticinium Dauidis: *De torrente in via bibit, propterea exaltauit caput.* Redemptor enim noster cum in vitæ suæ curriculo & via abunde de passionis torrente bibisset, hodie caput exaltat, idque resurrectionis suæ virtute. Sed pergamus in figuris.

Genes. 41. Ioseph iniquissime à fratribus venditus, falso accusatus, & injuste in carcerem coniectus, cum in libertatem iam restitutus esset: vestibus regiis indutus fuit, & carpento per omnes vrbis plateas inuectus, ab omnibus Ægypti saluator salutatus, ac Dominus vniuersæ domus regiæ & princeps omnis possessionis Pharaonis constitutus. Hodie igitur figura illa completa fuit, & Ioseph noster, Christus inquam Dominus, ab Apostolis venditus, inique à Iudæis accusatus in sepulchri carcerem coniectus, inde egrediens, vestibus gloriæ & immortalitatis circundatus fuit, & glorioso ac triumphali diuinitatis currù inuectus, atque vniuersi orbis Monarcha constitutus, ab omnibus mundi Saluator est appellatus. vnde de eo prædicarunt Apostoli: *Hic est qui constitutus est à Deo Iudex*
Actor. 9. *viuorum & mortuorum*; vaticinatus est Psal-
Psal. 71. tes: *Dominabitur à mari vsq; ad mare*. pater
Psal. 2. quippe æternus hoc ei quondam pollicitus fuit, dicens: *Tibi dabo gentes hæreditatem tuã, & possessionem tuam terminos terræ*. Verum progrediamur vlterius.

Scriptum est in historia Esther, Mardochæum, qui à superbo & insolenti Aman ad crucem postulatus erat, precibus & intercessione formosæ Esther reginæ, depositò sacco, & exuto cilicio, purpura regia indutum fuisse: victoriaque de hoste relata, & eodem ipso in ligno, quod Mardochæo parauerat, Amano suspenso, omnem populum suum, qui iam publice regiis diplomatibus proscriptus erat, in libertatem vindicasse. An non vobis hic significari ac præsignari videtur, Auditores, miserum nostrum Mardochæũ, Christum Dominum, Satanæ crudelis inferorum Principis inuidia ad crucem condemnatum, exutis hodierna die mortalitatis exuuiis & ciliciis, & veste gloriæ induta, tantam tamque luculentam victoriam relaturum, vt hoste cruci, quam ipsi hostis parauerat, affixo, pacem, salutem, quietem, libertatem denique humanæ naturæ sit allaturus? Præsagit id vates ille & Psaltes Dauid, di-
Psal. 109. cens: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*. Audiui, inquit vates, cum Pater æternus filio, Verboque æterno diceret, post tristem illam & funestam passionem glorioſa tibi imminet resurrectio, & hostibus nostris, morte nimirum, diabolo & mũdo, prostratis, & glorioso illo bello feliciter confecto, ipse te exaltabo, & ad dexteram in gloria collocabo.

Cum Mosem illum, Domine Iesu, qui se Pharaonis filia prognatum esse tuto poterat asserere, in profluentẽ coniici intueor (quippe qui mallet cum electo Dei populo afflictiones subire, eumq; per mare rubrum ducere & deducere, Ægyptoque Pharaonem & omnem potentiam eius conculcando inque nihilum redigendo, educere) sortem tuam videre videor: filius namque Altissimi cum esses, homo factus es, & pro hominibus pati voluisti: eosque Ægyptio iugo ereptos per rubrum passionis mare deduxisti: ac statim deinde princeps & caput totius Ecclesiæ factus, hodieque à morte resuscitatus, omnem mundi, mortis, & diaboli crudelitatem ac tyrannidem destruxisti; vnde Psalmista: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.*

Et sane cum innocuum Danielem, Babyloniorum inuidia in lacum leonum coniectum video, eiusdem aditus vndique communiri, & à militibus custodiri, ipsum tamẽ incolumem & illæsum egredi, supraque omnes satrapas, & regni principes constitui: ipse mihi persuadeo, nõ esse hoc aliud quam figuram eius rei, quam hodie in Saluatore nostro videmus contingere. Cum enim iam abhinc triduo in leonum spelunca, in sepulchro inquam, militum (qui in sacris litteris leones nonnunquam appellantur) præsidio custodito collocatus esset, & principes synagogæ idipsum sigillis obsignassent: hodie ecce integer & sanus resurgit & egreditur, supraque omnes cœli, terræ, & inferorũ principes, supraque omnes mortales constituitur. Huiusce testem rei habeo Dauidem, dũ
Psal. 8 ait: *Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius.* Atque hæc est prima Resurrectionis Dominicæ, quam attulisti, ratio, ô Thoma.

Venio ad alteram: Resurrexit nimirum Dominus, vt nos aliquando à mortuis resuscitandos demonstraret: ita namq; id docet

Simile. Exod. 2.

Psal. 67.

Dan. 6.

Altera re surrectionis ratio.

Tertul-

Lib. de pa tien. & 3. aduersus Marc.

Tertullianus: atque aliud non prædicat Paulus 1. Cor. 13. *Christus resurrexit, ergo & mortui resurgunt.* quin & negatiue. *si Christus non resurrexit, ergo & mortui non resurgunt.* Nam vti

3 part. q. 26 art. 1.

bene D. Thomas, resurrectio Christi est causa nostræ resurrectionis, propter diuinitatem eius cui nostra per vnionem hypostaticam, & personalem humanitas copulata erat. Vnde idem qui supra Paulus, & eodem quoque loco, *Per vnum hominem mors, & per vnum hominem resurrectio mortuorum.* Quamobrem arrigite aures, Auditores, egregios hanc in rem conceptus, tum iucundos, tum ad permouendum graues, depromam.

Vis Magnetis.

Ea magnetis esse vis dicitur & potentia, vt ferrum omne occulta quadam sympathia, ad se trahat, extra centrũ rapiat, in altũ libret, & sursum sustollat. Paulus, atque adeo, omnis scriptura sacra Christum petram esse ac lapidem testantur, *Petra autem*

1. Cor. 10.

*erat Christus*, sed lapidem magnetem, qui corpora instar lapidum grauia, sepulchris educit, & in generalis resurrectionis die sursum in aera subleuabit. Vnde ipsemet de se

Ioan. 19.

olim dicere non erubuit, *si semel exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum*: quasi dixisset, Scire vos velim ô mortales, esse me veluti magnetem quendã ita vt si semel in cruce subleuari me contingat, omnia ad me sim attracturus, quin & mortuos sepulchris educturus.

Omnia animalia pantherã sequũtur.

Tam suaues, tamque gratos odores exhalat (vt omnes naturalium rerum scriptores tradunt) panthera, tãq; egregiis maculis variegata est, vt quoties in apertum se dat & siluas pererrat, omnia eam animalia, odore allecta, sequantur: Iesus Christus quoque merito cum panthera, cum ipse se vermem appellare non erubuerit, *Ego sum vermis & non homo*, componi potest: pellis namque humanitatis eius insignibus immortalitatis, impassibilitatis, agilitatis, & charitatis maculis consperſa est: suauissimos quoq; & iucundissimos meritorum odores spirat: adeo vt hodie resurgens in apertum vix prodeat, quin omnia statim animalia rationis vsum habẽtia, homines dico, eius vestigiis insistant eumque quoquo se vertat sequantur, omnes namque Patres & sanctæ illæ animæ, quas limbo eripuit, eum comitantur, forsitan & omnes quæ in purgatorio detinebantur. Præsagisse id Salomon visus est cum diceret, *curremus in odorem vnguentorũ tuorum* quasi diceret. O sacra Panthera, ad odorem meritorum tuorum animæ quidem hoc in mundo te sequẽtur post resurrectionem vero ipsa corpora sepulchris egredientur.

*Cant. 1.*

Venit mihi hic alterius conceptus in mẽtem. Iacob & Esau, fratres vterini, quos toties iam in scenam, etsi diuerso semper schemate, produximus, hoc modo in lucẽ editi sunt. Cum Esau vt primogenitus matris vtero egrederetur, Iacob calcem pedis eius arripuit, atque ita ambo vno enixu in mundum prodiere. O ingens mysterium! Christus & homo fratres gemini, eodem in vtero, scilicet humanitatis, vel si videatur, mundi huius, comprehensi & enutriti erant: vnus eorum hodie nasci, & è terræ vtero prodire cum gestit, Christus Iesus inquam, primogenitus mortuorũ: homo fratris pedẽ apprehendit, nostram videlicet humanitatem, atque ita alter alterum educit: ita vt vno resurgente necesse fuerit & alterum resurgere. Atque hoc ipsum est quod toties eũ dicentẽ audiui, *Traham vos in funiculis Ada:* nostra nimirum humanitate, funiculis, inquam, quibus Deus à mortuis resurgens, nos secum facit resurgere.

*Gen. 25.*

Qua industria cerui aquas trãseant.

Refert Plinius, ceruos cum flumen trãsire parant, in vnum simul locum congregari, tum omnium fortissimum in vndas sese deiicere, ac violentiæ aquarum tranando sese opponere, cuius tergo secundus cornuum mox pondus imponit, secundi vero tergo tertius sua, ac prioribus semper post sequentes inniti, atque ita industria & auxilio primi, qui impetum aquarum frangit, in terram, quam petunt, commodissime transire. Necesse profecto erat Oceanum nos damnationis ac mortis fluenta tranare, quo ad salutis terrã pertingeremus: & ecce magnus ille ac potens ceruus Iesus Christus, in hoc sese mare primus coniicit, primus mortem patitur: cuius meritis innixus Adam, Adami Abel, atque huius, omnis retro venientium morta-

mortalium ſeries, procelloſum hoc & periculoſum damnationis mare, mortis periculo exẽpti, tranſeunt, vt ita infortunatas illas Inſulas, idque meritis primi illius cerui Ieſu Chriſti, perueniant. Audite & aliud non minus auditu iucundũ aut raritate eximium.

4. *Reg.* 17. Eliſæus Propheta iam ſepultus corporis ſui contactu mortuum in vitam reuocauit. Verus noſter Eliſæus Chriſtus eſt, ad cuius nudum humanitatis contactũ mortui peccato ad gratiam redeunt, & de morte ad vitã tranſeunt: quod præclare ait Euſebius illo Emiſſenus: *Hom.* 7. *de Paſchat.* *Noſter Eliſæus Chriſtus, mortuus, morte ſua ſalutem largitur, & vitã ſepultus operatur.* & ante eũ Apoſtolus Paulus: *Rom.* 4. *Qui mortem veſtram moriendo deſtruxit & vitã reſurgendo reparauit.* Dauid quoque, Prophetico ſpiritu præuidens Meſſiam moriturũ, ſepultum iri & reſurgẽdo omnes ad ſecum reſurgendum inuitaturum, magno eum affectu obſecrat, vt tempeſtiue reſurgat, dicens, *Pſal.* 107. *Exſurge gloria mea exurge pſalterium & cithara:* quaſi diceret, Noli diutius in ſepulcho hærere, ſed quamprimũ ſurge: cui deinde Meſſias reſpondet, *Exurgam diluculo.* Et Pſal. 3. *Ego dormiui, & ſopor atus ſum. & reſurrexi.*

Tertia ratio cur Chriſtus reſurrexerit.

Tertia poſtremo ratio, ob quam Redemptor reſurrexit, hæc fuit, vt corpus ſimul & animam omnibus numeris abſoluta redderet: corpus namq; anima deſtitutum imperfectum eſt: anima quoque, cum corporis naturalis forma ſit, ſine corpore imperfecta eſt & informis. Itaq; neceſſe erat, quo perfectus quidam Chriſtus exiſteret, corpus vt animã reſumeret, & anima ſuo iterum corpori vniretur: adeo vt ſi Chriſtus non reſurrexiſſet, imperfectus ſemper manſiſſet, atque perfectus homo nequaquam exſtitiſſet, & ſane quamdiu corpus Ieſu Chriſti in ſepulchro exanime iacebat, anima vero ad inferos deſcenderat, verus & perfectus homo nõ erat.

3. *Par. q.* 50 *art.* 4. Teſtẽ huiuſce rei habeo Thom. Aquinatẽ, & ſimul Ariſtotelem, qui in Metaphyſicis ait 4 *Metaph.* hominem mortuũ vere hominem appellari non poſſe, niſi æquiuoce. Lombardus vero & Hugo de S. Victore contrariam opinionẽ tuentur & aſſerũt Chriſtum triduo illo, quo apud inferos vagabatur, vere hominem extitiſſe, ſed errant: vt n. quis perfectus homo dicatur, animam corpori naturali quodam nexu vniri & copulari neceſſe eſt: & repugnat illa opinio veritati qua credimus Chriſtum vere mortuum eſſe.

Neceſſaria igitur erat reſurrectio, vt duæ illæ naturæ iterum cõiungerentur & perfectum quid; quod reſurgeret, efficerent. Hoc quippe Dominus tantopere deſiderabat, tãque inſtanter à Patre poſtulabat, dicens, *Pſal.* 70. *Caro mea requieſcet in ſpe* (reſurrectionis ſcilic) *quoniam non derelinques animam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem* Et alibi: *Pſal.* 15. *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas? & conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.*

IV. Vbi nam diuinitas latuerit interea dũ corpus in monumẽto, anima apud inferos eſſet.

Hactenus Domine Ieſu, de glorioſo tuo corpore, deque anima verba feci, ſed ſemper ſuſpenſus & dubius, quid de diuinitate interea actum ſit: nam vbinam latebat illa, interea dum corpus in monumento iacebat ſepultum, anima vero inter beatarum animarũ choros in limbo verſabatur? vbinã hærebat? quid agebat? Arrigite aures, Chriſtiani, quid de ea actum ſit, paucis aperiam: licet in ſeparatione illa, quæ in morte accidit, anima à corpore ſeiuncta fuerit, & alterum ab altero penitus diſcretum: ipſa tamen diuinitas nunquam à corpore, quod in ſepulchro iacebat, aut ab anima quæ apud inferos vagabatur, diuiſa fuit: nam vt bene Damaſcenus ait, *Lib. de ear. verit.* *quod ſemel aſſumpſit, nunquã dimiſit.* Quod vt intelligatis, aperta vobis ſimilitudine patefaciam. Quemadmodum n. arcus, dum nimiũ intenditur, in medio frangatur oportet, & vtrumq; extremum alterũ ab altero ſeparetur: neruus vero, qui vtrique extremitati annexus eſt integer perſeuerat, & vtrimque adhæreſcit: ita de arcu humanitatis Ieſu Chriſti dicendum eſt, eam ſcilicet adeo in cruce extenſam fuiſſe, vt in duas partes fracta ſit, animã ſcilicet & corpus qua fractione vtraque pars à ſe mutuo diuiſa fuit: at diuinitatis neruus, qui vtramq; combinabat, nunquam diuiſus aut fractus fuit ſed vtriq; firmiter adhæſit. Egregia militis.

Alia ſimilitudo.

Producam & aliam: cum miles quiſpiam gladium vagina educit, vagina quidem & gladius à ſe inuicem ſeparantur, miles tamẽ vtrumque geſtat, gladium manu, vaginam vero

vero ad latus. Ad eũdem etiam modum validus ille miles & dux Christus animæ gladium corporis vagina in Passionis certamine, educens, vt inimicos suos prosterneret ac profligaret, alterum quidem ab altero separauit, sed diuitias veluti dux, vtrumque licet à se mutuo diuisum, complectebatur.

Egregiæ quidem hæ similitudines sunt, sed addam & figuram è Leuitico depromptã. Præcepit olim Deus, vt mortuo turturi caput non abscinderetur. Quid hocce mysteriũ denotare putamus, Auditores? Aliud nihil, quam casto illo turture Christo Iesu mortuo, caput, id est diuinitatem à reliquo corpore non segregandum.

Figura. Egregia igitur illa diuinitas, duas illas partes, duas extremitates, duas naturas, animam inquam & corpus, hodie coniungens, & noua illis dona nouasque dotes impertiens, sepulchro easdem educit, Angelorumq; testimonio se surrexisse declarat. Hodie igitur impletas video figuras, quas sacra nobis Biblia aperiunt: hodie quoque verum fuisse cõperio, quod tibi accidisse in sacris historijs legimus ô Sampson. Hic enim Auditores, infamis Dalilæ amoribus irretitus cum per regiones Philistinorum erraret, Gazam deueniens, ab inimicis obsessus fuit & detẽtus, sed in inimicorum ludibrium portas vrbis confregit ac secum abstulit: noster autẽ Sampson Christus, è cœlo in mundum hunc descendens, quæ vere regio Philistiim est, impuræ Dalilæ, naturæ inquam humanæ, amoribus irretitus, cum sepulchrũ intrasset, quod Iudæi militum præsidio & custodia vallauerãt, rati illum eidem includere. hodie magna cum inimicorum ignominia & opprobrio, portas eius & repagula cõfregit, ac resurrexit sicut dixit.

*Iud.16.*

*Gen.39.* Ioseph falso ab ijs Ægyptiis accusatus, & inique in carcerem coniectus, factus est magister carceris, clauesq; custodiæ gerens, & inde egressus, alios secum eduxit: hodie vero Iesum Christum falso accusatum, & duplici carcere seruatum sepulchro nimirum, & infernali limbo, vtrisque dominari video, eorumque clauos gestare, egrediendoque alios secum educere. Resurrexit igitur sicut dixit.

Nolebat igitur Pater æternus dilectissimum filiũ sepulchri ergastulo diutius detineri, sed quamprimum eum eduxit. Referũt naturalium rerum indagatores, leunculum recens natum tres continuo dies dormire, adeo vt quodammodo videatur mortuus, donec leo pater horrẽdo quodã rugitu eum à somno excitet. Leũculus ille de tribu Iuda, Iesus Christus, post passionem triduo quodammodo in terræ visceribus dormierat, sed vbi magnus ille leo Pater æternus auribus eius insonuit, *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara*: repente excitatus, sepulchro egressus est; quod Angeli annuntiantes mulieribus dixere, *Resurrexit sicut dixit.* Insignes cõceptus.

*Psal.107.*

V.

O lætum ac iucundum nuntium! ô glorioſam resurrectionem! ô diem plenum gloria, honore, ac vere triumphalem! Hodie te Domine plenum maiestate, victoriis, ac triumpho nobilem intueor. Hodie, ô Cæsar, ô mundi Hercules, morte tua mortem destruxisti. Legimus fortissimum virum Eleazarũ, cum elephantũ, cui regem insidere putabat, ventri belluæ subiectus, interficeret, seipsũ ignoranter interfecisse. Eleazarus hic mortẽ mihi significare videtur, quę Christũ magnũ illum elephantũ, mundi præsidiũ, parans interficere, eundẽ in cruce occidẽdo se ipsam nescia occidit. Ita namq; prædixerant Prophetarum vaticinia, *Ero mors tua, ô mors.*

*Mac. 6.*

*Oſe.13.*

Iacob tota nocte cum Angelo luctatus, ab eo in femore læsus fuit, victoriam tamen retulit verus noster Iacob, Christus Iesus, cum morte tota passionis nocte ad mortem vsq; luctatus, in femore tandẽ humanitatis vulneratꝰ est, sed victor euasit. O quis hic figurarum sese campus aperit? Rex Israel Saul cũ à Philistæis; è bello fugiens, premeretur, ait armigero, *Euagina gladium & perime me*, quod vbi ille præstitisset, eodem se gladio interemit. Saul noster Iesus à Iudæis in passione pressus & afflictus, morti præcepit, vt se feriret, simulque occideret (*oblatus enim est quia ipse voluit*) sed eodem statim illa gladio cecidit, suisq; se armis interfecit. Neq; enim præsumebat ei mors manus iniicere, si hic Cæsar, inclinato capite, non permisisset. Et vt Sãpson morte inimicos occidit, ita quoque Redemptor in crucis patibulo exspirãs,

*Gen.32.*

*1.Reg 15.*

*Iud.16.*

mundum, diabolũ, inimicos ſuos & noſtros iuratiſſimos, eadem morte inuoluit. Cantemus ergo Domino, glorioſe enim magnificatus eſt: cum nimirum hodie equũ & aſcẽſorem, mortem videlicet, & diabolum, proiecit in mare.

Vos vero, animæ, quæ in captiuitate limbi, & purgatorij ergaſtuli captiuæ detinebamini, quo gaudio exultare par eſt? quãta iucunditate ad tam iucundũ nũtiũ affici? cum nimirũ iam optata illa dies, tempus illud expectatum aduenit, quo carceribus eſtis eripiendæ? Quantũ autẽ veſtrum gaudium ſit oportet ô animæ in hoc adhuc mundo peregrinantes, cum iam tyrannis & crudelis illa poteſtas, qua miſerum in modum oppreſſæ eratis, finem accepit? At vbinam tu es, ô ſacratiſſima virgo Maria, quid ais? an non hodie iure meritoque dicere poteris quod olim Iacob viſo filio Ioſeph, quem velut mortuũ luxerat, *ſufficit mihi quia filius meus Ioſeph viuit*. Noli amplius, ô veri Tobiæ mater, quæ irremediabilibus filii tui abſentiã lachrymis defiebas, Caluariæ montem gemebunda ac ſuſpirans conſcendere, vt filium eminus venientem videas: nam rediit, *ecce reſurrexit ſicut dixit, Mulier ecce filius tuus*.

Gen. 45.

Tob. 26.

Nolite vero eum ô Mariæ, amplius in ſepulchro quærere, neque enim eſt hic, nolite eum, ô piæ animæ, quæ Hieroſolymis: id eſt peccatis veſtræ orto iam ſole gratiæ, diuinarumque inſpirationum, pietatis & deuotionis vnguento onuſtæ egreſſæ eſtis quærere in monumento, non eſt hic. Nolite eum amplius in præſepio, in deſerto, in monte Caluariæ, in cruce, aut apud inferos quærere, non eſt ibi; Reſurrexit ſicut dixit. Quam bene dicitis, ô Angeli, *non eſt hic*? non eſt amplius miſer ille & afflictus Iob, in crucem extenſus: non eſt amplius Noe nuditatem in monte Caluariæ reuelans: non eſt amplius ille, quem ſanguineo perfuſum rore in horto oliuarum vidiſtis, aut quem ſpinis coronatũ, cruce grauatũ, nudiuſtertius vrbe egredientem conſpexiſtis. Hem quantum mutatus ab illo eſt pauper? Iã totus pulcher eſt, iam nouis effulget exuuijs, noua luce coruſcat, nouis exultat trophæis, deniq; iam reſurrexit, vti prædixerat. O totius ſeruator mundi, hominum Angelorumq; Redẽptor! ô Theſeu, qui feliciter ab inferis remeaſti, ô monſtrorum domitor Hercules, qui diabolum, mundum, mortem, aliaq; portenta viſu & auditu horrenda ſuperaſti: ô zelator animarum & amator Deus, qui, vt ijs vitam cõferres, mori voluiſti: vt eas in paradiſo voluptatis collocares, ad inferos deſcendiſti: vt eas perſanares, amaram mortis ac paſſionis cicutam in earum medelam hauſiſti: vt earũ debitis ſatisfaceres, vendi, tradi, ſanguinẽq; pretioſum in vadimonium dare, teq; ipſum totum pro ijs exponere voluiſti, qui deniq; quo eas reſurgere faceres, prius ipſe reſurrexiſti.

Fac igitur clementiſſime ac benigniſſime Domine, vt è peccato ad gratiã, è ſuperbia ad humilitatem, ex auaritia ad libertatem, è libidinum cœno ad caſtitatem, ex illicito amore mundi, ad amorem tuũ: ex diſſolutionib. ad collectionem animi, ex inanib. mundi ineptiis ad mentis reformationem, deniq; è luxu & exceſſu ad moderatam agendi, viuendique rationem tecum hodie reſurgere mereantur. Inſignes profecto reſurgendi modi. Sed concede gratiam, Domine, vt cũ ſemel per te reſuſcitatę fuerint, ad tui etiam imitationem non amplius deinde moriantur, neu ad depoſita peccata, velut canis ad vomitum, reuertantur: neue imitentur hic elephantos, qui cum ſemel ad terrã proſtrati fuerint, iterum reſurgere nequeunt, ſed venatorum funibus facile conſtringuntur, ita quoque animæ cum ſemel in peccata inciderint, nulla ſeſe ratione leuare queunt, ſed tum proſtratis diaboli laqueos & prauæ cõſuetudinis vincula iniiciunt. Quamobrem Domine mi Redemptor, cum eas a mortuis iam excitaſti, concede, ne iterum in mortis periculum incidãt, ſed tutæ & ſecuræ in adiutorio & protectione tua habitent: quoſemel hic ſpiritualiter, è peccato ad gratiam reſuſcitatæ, tandem aliquando in generali etiam reſurrectione, à morte ad æternam gloriam corporaliter reſurgere mereantur.

Egregia militudo.

Amen.

FERIA

# FERIA II. PASCHATIS.

Partitio.

I. *De humana vita miseria.*
II. *De Magistro sese discipulis associante.*
III. *De peregrinatione Christi & cuiusq; Christiani.*
IV. *De perpessorum malorum oblivione.*

*Duo ex discipulis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus.* Luc. 24.

## FIGVRA.

Tob. 12. NOn prius potuit Tobias tam Pater quã filius, Angelum qui peregrinantis & viatoris habitu assumpto, itineris sese sociũ ac ducem semper gesserat, & cum iisdem frequenter locutus erat, recognoscere: quam confectis iam negotiis, & peracto itinere, cum iam iam abiturus vtrique valediceret, quisnam esset & vnde missus, ipse declararet, iisq; stupore perculsis ex oculis euanescere. Simile quid in Euangelio hodierno intueri videor: cerno namque duos discipulos Ierosolymis in Emaus castellum tendentes, quibus sese Angelus testamenti, Iesus Christus itineris socium præbet: qui, cum eum minime agnoscerent, tandem in fractione panis sese manifestauit, & ex oculis eorum euanescens, vtrumq; stupore defixum reliquit. Insignis historia, & ad audiendum iucunda: sed vt eam pro dignitate exponere valeamus, superne illud lumen, quod tenebras pellit, quod mentis caliginem aufert, animos suggerit, & linguas impeditas dissoluit, sanctissimi inquam Spiritus auxilium, nobis imprimis necessarium est: eius igitur opem imploremus, idque auctoritate, qua apud eum valet plurima, Angelorum regina, quã verbis Angelicis salutabimus, dicentes:

AVE MARIA.

Heraclitus Philosophus toto vitæ tempore plorauit.

Philosophus Heraclitus cum vitæ huius calamitates & miserias, quas indies videbat, secum tacitus reuolueret, easdem toto vitæ tempore deplorauit. Inter fideles vero, Deiq; cognitionem habentes, Iobum Heraclito similem fuisse, dicere possumus: cum enim vitæ huius breuitatem ille sibi ob oculos poneret, & simul ingentes illas calamitates & ærumnas, quibus tantillo tempore homo dum viuit, obnoxius est (de quibus ait: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis*) nunquam nõ lachrymabatur, & plangebat, dicens: *Tædet animam meam vitæ meæ.* Et quem obsecro, Iob, non tæderet viuere, vbi quidquid est, homini aduersatur, eumque destruere contendit, cœli namque influxibus eum suis corrumpunt, elementa continuis præliis impetunt, animalia quoq; venenato afflatu eum inficiunt, omnia denique, quæ in hoc mundo sunt, in vnicum hominem videntur coniurasse. Infelix igitur ac rer infelix, qui in loco adeo infausto, tam misera tamque ærumnosa vita viuere desiderat: & vere infelices sunt & insensati, stulti hi mundi amatores, qui vitæ fragili & fugaci nimium innituntur, eamque stabilem arbitrantur.

Quid-quid in mundo est aduersus hominem conspiratur.

An non stulti & stolidi fuisse videntur Hebræi, dum magna cum inopia, & mille pressi ærumnis in Ægypto viuere, quam terram promissionis lacte & vino manantem, ingredi maluerunt, in qua iucundissime viuere ac quiete vitã deliciis voluptatibusq; affluentes transigere poterant? maior tamen eorum esse mihi videtur demẽtia, qui in miseri huius mundi Ægypto infinitis conflictati ærumnis, ac plurimis pulsi calamitatibus, degere maluit, quam animo cogitationeque ad felicem illam viuentium regionem, vbi perfecta iucunditas, ac iucunda felicitas ac societas est, aspirare. Quanta igitur vestra est cæcitas, ô cosmophili! nescitis, eheu nescitis, quid hæc vita sit, quæ mala secum trahat, quibus casibus & infortuniis sit obnoxia. Vnde bene mihi scripsisse visus est Seneca: *Vitæ hominis*, inquit, *numquam acciperetur, si sapientibus daretur:* quis enim, obsecro, futurus est qui eius sese legib. subiiciat, & se Iliadis miseriarũ hæredẽ profiteri velit? Quis dic mihi, obsecro, hæredẽ sese tuũ dicere audeat, infelix vita, quis te adire & accipere præsumat, q̃ quasi flos egredieris & cõtereris, & fugis velut vmbra? Vita vestra, Auditores,

De breuitate vitæ.

Vita hæc cursui solis comparatur.

cursui solis persimilis est: videtur namq; lucidum illud astrū non moueri, cum tanto tamen impetu tantaq; violentia feratur, vt ad singulos horæ quadrantes centū viginti milliarium millia illud conficere doceant Philosophi: idipsum de vita hac nostra dicere possumus, in statu quidem suo manere videtur, ac loco quiescere, attamen celerrimi instar cursoris semper ad finē properat, adeo vt nō prius cucurrisse videamur, quam ad sepulchrum iam peruentum fuerit. Hinc bene eā D. Greg. nauiganti similē esse dixit, ij namq; qui nauem conscenderunt & nauigant, arbores, agros & scopulos moueri, se vero in loco putant quiescere: cum tamen secus id se habere omnes sciant, nauem scilicet semper recedere, cetera vero loco neutiquam moueri. Idipsum tibi accidit, ô homo, qui in mundi huius mari nauigas: omnia moueri existimas, & te immobilem persistere: cum tamen ipse ad mortem citatis quasi equis properes, cetera omnia quieta maneant.

*Greg. in Reg. ist.*

Equidē eam animalculo, quod Ephemerū appellant, comparauero, quod mane quidem nascitur, vesperi autem occidit, cuius licet vita vltra diem vnum non extendatur, tanta tamen eius in quærendo victu sollicitudo & cura est, quanta coruorum quinq; seculis viuentiū. Magna profecto huius insecti stultitia est: at vestra longe maior est, ô mundi amatores, qui cū decē aut duodecim tantū annis hic vobis viuendum sit, tantas tamē opes aggeritis, & ita de cōmeatu solliciti estis, quasi mille annis in hac arce viuendum foret. Sed ingens reuera amētia est, tantopere erga fragilē hanc & fugacē vitam affici: eum ipsimet Ethnici hac nobis in re multo sapientiores exstiterint. Spartiatæ namq; toto quidē vitæ tempore lugubribus & atris vestibus induebantur: at cum morti appropinquarēt, sumptuosis & regificis: quo agendi modo satis indicabant, quam amara iis vita foret, quam læta vero & iucunda mors. Eandem pene agendi consuetudinem habuere Thraces, qui infantibus iam recens in lucē editis lamentabantur, & cunas lachrymis perfundebant, quod eos lachrymarum & miseriarū locum ingredi putarent: morientibus vero festiuo cantu & lætitia applaudebāt, quod omnibus

Explicatur humanę vitę miseria.

hisce ęrumnis erepti, quietis iam portum intraturi essent. Quin & ipsa nobis animalia vitę huius ærumnas & calamitates quodammodo velle ostendere videntur: cygnus nāq; egregia illa auis, toto vitæ tempore cantare detrectat: sed vbi fata vocant, vdis coniectus in herbis, iucundissimo cantu aëra permulcet, lætus quodammodo & gaudens hac infelici & lachrymosa vita se liberandum.

Et quoniam cantus mentio incidit, ipsi quoq; Israëlitæ, quamdiu in Babylonica captiuitate captiui detinebantur, nunquam canere potuerunt, adeo vt si quādo eos Chaldæi ad patrios psalmos decantandos inuitarent, lachrymantes responderent: *Quomodo cantabimus canticū Domini in terra aliena?* At heu, mundus hic multo Babyloniis illis deterior est, nostraq; sors longe iniquior sorte Hebræorum. Quis igitur in eo ridere, cantare, choreas agere, ineptire, deliciisque indulgere præsumat? Et sane vita hæc nostra vera Babylon est, terra aliena, locus peregrinationis, receptaculū, & colluuies malorū, miseriarum diuersoriū, solitudo tetrica & tristis, ac perpetuo exilio infamis, deniq; via & quidem transitus: ita namq; eam nuncupare hodiernum Euangel. videtur, in quo non nisi de peregrinis, viatoribusq; sermo est, adeo vt & Dominus viatoris personā & habitum induerit. *Duo ex discipulis Iesu ibant ipsa die in castellum, &c.* Adeamus primo hosce viatores, & videamus quinā sint, ac deinde quid dicant, quos sermones habeāt, ad inuicē audiemus.

Hebræi in Babylone non potuerunt cantare.

*Psal. 136.*

Quod ad primum igitur spectat, refert Euangel. duos ex discipulis fuga dilapsos, in Emaus castellum, quod 60. stadiis, vel duobus cum dimidio milliaribus, nostra metiēdi ratione ab vrbe aberat, profectos esse, deq; Messia qui ante dies aliquot cruci affixus erat, sermones habuisse cuius morte & absentia magnopere se affici & affligi demonstrabant. Sperabamus, inquiebant, nos & totam gentem nostram à captiuitate & Romanorū tyrannide per eum liberandam, regnumque Israël eius ope restaurandum, sed nulla iam eiusce rei spes affulget: dixerat adhæc tertio se die à mortuis resurrecturum, & tres iam ecce dies elapsi sunt, & nihil huiusmodi videmus contigisse. Cum hos itaque inter se sermo-

sermones haberent, atque ita fabularentur, ecce derepente Saluator itineris se socium præbet, inque medium eorum se sistit.

Simile. Et sane quemadmodum post cruentum & diuturnum prælium, quiescentibus iã turbis & armorum strepitu, dux milites huc illucq; dispersos colligit, eosq; de victoria certiores reddit: ita quoq; hodierna die Christum generosum illum ducem agere videmus. Apostoli namq; & discipuli, Christi inquam milites, metu perterriti & consternati, è cruento illo passionis certamine fugerant, & huc atq; illuc dispersi erant; & ecce dux eos hodie è fuga retrahit, reuersosque de victoria, de mundo & dæmonibus relata, certiores facit. Magdalenã namq; errantem querit, tres Marias in vrbẽ redire compellit, hinc Petrum insequitur, & omnibus sese Apostolis in Ierusalem manifestat, eosq; ad castra reducit: illinc vero, duobus discipulis in Emaus tendentib. apparet; quos inertiæ & ignauiæ arguit, quod duce suo in discrimine relicto, castris se turpiter proripuissent. Sed ante ceteros tibi se manifestum dedit, ô SS. Virgo, tibiq; lætum resurrectionis nuntium attulit.

Simile. Nam sicut sol, cum mane oritur, summa montiũ cacumina radiis suis primũ ferit, deinde humiles colles irradiat: ita quoque Dominũ feciſſe compertum est. Virgo Deipara namq; *mons* erat *in vertice montiũ*, vt Isai. ait, Isai. 2. vel, vti Dauid canit, *mons pinguis, mons in quo beneplacitũ est habitare Deo*. Apostoli vero instar colliũ, de quib. scriptum est, *fundamenta eius in montibus sanctis*, i. Apostolis. Sol hic igitur ex altero veniẽs orbe, radiis se suis magno illi monti Virgini Marię primo, ac deinde cæteris collibus, Apostolis nempe, videndum præbet. Hic vero videmus, vt quos hosce viatores radiis suis illustret; eosq; ita accendat, vt calore intus ęstuante ad inuicẽ dixerint: *Nonne cor nostrũ ardens erat in via?* sole nimirum directe capitib. eorum imminente.

II. Quinam in viatores sint? Quinam vero vos estis ô peregrini? vel vnde? quo vos appellabo nomine? nescio: vni quidem ex Euangelij textu certũ est, nomen fuisse Cleophæ, qui quatuor sanctissimorum virorum, trium Apostolorum, Iudæ, nimirum cognomento Thadæi, Simonis & Iacobi Minoris, ac Ioseph vnius è Lxx. discipulis cognomento Iusti, pater extitit. Alterius autem nomen ignoratur; sed omnes pene Patres vnanimiter tradunt, hunc fuisse Lucam Euangelistam, & Actuum Apostol. scriptorem. Eiusdem namq; opinionis fuit Gregor. Magnus, Nicephorus, Theophylact. in Lucam, & Epiphanius. Solus Hieronymus alteram sententiam tuetur, in prologo enim in Lucam ait, eum Dominum in carne non vidisse, idq; ex verbis ipsius Lucæ se colligere 24. ait: *Sicut tradiderunt nobis hi qui ab initio suis oculis viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Sed nihil inde effici potest aliud, quam Lucam de primis Apostolis non fuisse, sed longo post alios interuallo ceteris accessisse. *Gregor. Mor. c. 2.* *Eccles. hist. li. 2. cap. 34.* *In Luc. cap. 24.* *Actor 1.*

Quicquid demum sit, hoc saltem constat, Dominum duobus hisce discipulis socium se habitu viatoris, adiunxisse. Sed cur his te potius Domine quam mulieribus adiungis? in promptu ratio est, quia te nimirum illæ aromatibus & vnguentis pretiosis onustæ quærunt, atque ideo eas fugis, discipuli vero à te fugiunt, & tu eos persequeris.

Exclamat hic Augustinus admirans: *Vere Domine, maiori semper occurris necessitati*; quẽ admodum enim cor hominis in medio corporis cõstitutum, magis ad sinistram vergit, & sanguis in eodem habitans corpore, partes eiusdem, eo maximè opus habentes, defendit ac tuetur; vti in subita formidine fieri videmus (partibus namq; exterioribus destitutis, ad cor quasi ad locum, cuius permagni interfit, sese recipit, qui si amittatur, de vita penitus actum est: atque hæc causa est palloris, & verecundiæ, quæ in vultu sese interdũ manifestat.) Idipsum hic à Domino fieri videmus: qui relictis aliis discipulis, duobus hisce in primis succurrendum censuit, in maxima scilicet necessitate ac discrimine cõstitutis. Perdiderunt namq; iam fidem, spes quoque eos deficere incipiebat. Insignis cõceptus.

Sed quonam pacto fieri putamus, vt tanto beneficio à Domino afficiãtur, vt Christi Iesu consortio societateque digni iudicentur? causam quærimus? in promptu est, quod ad inuicem loquerentur de omnibus quæ abhinc triduo Hierosolymis cõtigerant, de Passione videlicet Redemptoris. O sanctæ sermocinationes! ô diuina colloquia! de his s.

Cur Dominus hisce discipulis socium se adiunxerit.

nobis *in via*, interea dum hic viuimus, & in vitæ huius curriculo velut viatores ambulamus, loquendum est, si Christum peregrinationis socium habere desideremus.

O sancta & salubris passionis memoria! quantum tu animabus iustis commodum afferre, quantum potes prodesse? ad diuinum quippe amorem nos accendis, humilitatem instillas, superbiam suffocas, & delicias carnis à nobis expellis.

Insignis figura. 2. *Reg* 11.

Cum Dauid Vriæ Hebræo, vni è Principibus suis è castris Ierosolymam redeunti persuaderet, domum vt secederet, fracta bello membra lautius nonnihil haberet, genio indulgeret, & vxore vteretur: statim Regi in hæc verba respondit: *Arca Dei & Israël, & Iuda, habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedã & bibam & cubem cum vxore mea.* De te hoc dictum puta Christiane: quando te mundus ad delicias inuitat, teque inescare machinatur: quam congrue illi respondere poteris & apposite, passionem Domini respiciendo. Quid? Arca Dei, sacra, inquam, Iesu Christi humanitas, atq; omnis Sanctorum nobilitas, in desertis Caluariæ locis commorantur, tribulationũ crucibus affixa: quin & dux meus Iesus Christus super duram cubat, in duram scilicet crucem extentus, & tu me ad delitias inuitas, vt genio indulgeam suades, vt voluptatibus me patiar inescari, vt laborem, qui mihi subeundus est, quãtum possum, declinem? sed parum hoc est conueniens: meræ sunt nugæ hocce mihi occinere, numquam enim huiusmodi flagitium committam.

2. *Reg.* 15.

Simile quid in secundo Regum lego commentario. Cum enim Dauid Rex per deserta, per agros nudus & vdus, omniq; destitutus auxilio fugeret, & torrentẽ tristitia grauatus transiret, omnes eũ nobiles & subditi lachrymis comitabantur, eiusq; casui, quantum poterant, condolere se planctu & lamẽtis demõstrabant. Ecquis, obsecro, erit Christianus, verus cœlestis aulę inquilinus, Christiq; Domini fidelis Vasallus, qui passionem Domini cum ruminet, Deiq; Filium tãta humilitate, cruentam Iudęorum in caput suum conspirationem fugientem, & torrentẽ passionis transeuntem, perque Caluariæ rupes serpentem contempletur: eum, tristi hoc spectaculo commotus, oculis lachrymantibus, corde gemebundo, linguaque querula, non comitetur: quis inquam, pedem in terra non figat, non se demittat, aut humiliet?

Quinetiam ô sancta Dominicæ Passionis recordatio validum propugnaculum es, aduersus omnem infernalem proteruiam, salubre aduersus diabolicos incursus antidotũ, ac singulare ad mundi technas versutiasque detegendas remedium. In quam rem figuras vobis adducam. Daniel Propheta sparsis in fano cineribus technas sacrificulorum, & ementitam Beli diuinitatem detexit. Cineres hi, cineres sunt Iesu Christi, & memoria passionis eius, qui statim vt in animarũ nostrarum templo sparguntur, Sathanę statim versutias, carnis blanditias, & vasti idoli, mundi nimirum, dolos detegunt & reuelant. *Dan* 14.

Similes propemodum conceptus, sed alterius tamen generis. Præcepit apud Ezech. Deus omnes eos interfici, qui signum Tau frontibus non præferrent. denotat hoc mysterium omnes & singulos, qui signo crucis, cuius imaginẽ Tau nota referebar, & passionis insignibus notati, signatique non essent, frontiq; memoriæ suæ eadẽ insculpta nõ gererent, in magno vitæ discrimine versari. *Ezech.* 9.

✕ O miseri mũdani, ô infelices cosmophili! non reperitur Christus in medio vestri, nec se vobis itineris socium adiungit, quia *in via* vitæ huius, de his q̃ in passionis eius diluuio contigerunt, non disseritis. Non agitis in hoc itinere de Iesu Nazareno, non loquimini nisi de mundo, de honoribus, dignitatibus, diuitiis. Non ambulat vobiscum Deus, ô inanium rerum indagatores, & nouarum rerum scioli, quia non loquimini de iis quæ in domo Annæ, in qua Christus percussus fuit, de iis quæ in domo Caiphæ, vbi conspurcatus & consputus, de iis quę in Palatio Herodis, in quo veste alba delusus: de iis quæ in prætorio apud Pilatum contigerunt, vbi ad mortem condemnatus fuit: non sunt sermones vestri de iis quæ circa crucem peracta sunt, vt nimirum clauis fuerit cõfixus, aceto potatus, lancea perforatus, denique vt mortuus fuerit: non sunt nisi de rebus mundi huius

Mundani de mũdo sermones miscent.

huius, de iis quæ in aula, quæ Romæ, quæ in Hispania, quæ in alio orbe geruntur.

At si Deum socium habere desideretis, quemadmodũ eum duo hi hodie habuerũt, loquimini potius de cœlo, de cõscientiæ vestræ statu, de suppliciis quæ Domin⁹ in cruce pertulit, de tota passionis eius Iliade. Et perpendere hic obiter vos velim, si ob solos Deus sermones, propter aliquot verba hisce se tertium adiunxerit: quid facturus sit ob bona opera? si tantam sola verba gratiam promeruerint, quantam ipsa bona opera habitura sperandum est?

Christus hos viatores allocutus est. Cleophæ respõsio.

Allocutus quin etiam eos vltro est: audiamus quid dicat. *Qui sunt hi sermones quos confertis adinuicem, & estis tristes?* quo vos & vnde tristitiam quippe vultus præfert. Cui Cleophas, *Tu solus peregrinus es in Israel, & hæc ignoras?* Quid, rideri nos à te puto. Venis Ierosolymis vti nos, & fingis te nihil eorum scire, quæ ibi ab hinc triduo contigerunt? Iã enim tres dies elapsi sunt, ex quo Principes nostri & Pontifices Iesum quendam Nazarenũ, qui erat vir potẽs in opere & sermone eruci ignominiosissime affixũ mori coegerunt.

Vere potens erat in opere: quoniam plurima per Iudæam miracula edidit, leprosos mũdauit, paralyticos sanauit, cæcos illuminauit, dæmones ex hominum corporibus fugauit, mortuos ad vitam reuocauit: an nõ igitur vere potens in opere fuit? at non minus in sermone. *Nunquam* enim *homo sic locutus est*: alter Orpheus fuit: voce namque arbores & rupes attraxit: famosissimas peccatrices ad bonam frugem eadem voce conuertit: milites quoque à Principibus Sacerdotum ad se comprehendendum missi, vt eũ loquentem audiuere, cœptis desistentes re infecta, ad suos reuersi sunt sancte asseuerantes, nullum vnquam hominem ita sese loquentem audiuisse: alii quoque milites in horto Oliuarũ statim vt vocem eius audiere, licet armati & spirantes minarum, supini in terram considerunt. O magnum oratorẽ, ô linguæ fulmina! an non igitur potens in sermone fuit, cum ad vocem mare & venti quieuerint, illiusq; imperio obsecundarint, cum eadem Lazarus quatriduanus tumulo prodierit, Doctores synagogæ in tẽplo stupore defixi steterint, ad eandem denique tot peccatores & peccatrices à praua vitæ consuetudine ad proprietatem redierint? Nostri tamẽ Pontifices magnum hunc Prophetam cruci affixerunt. *& tu solus peregrinus es in Israel, & hæc ignoras?*

Ioan. 7.

Matt. 7.

Matt. 14. Ioan 11. Luc. 2.

Christus verus peregrinus in hoc mundo extitit. Ioan. 7.

Quam verus vates existis ô Cleophas, & tamen iocando verum dicere te nescis: ipse enim vere solus peregrinus est, qui in mũdi huius exilium cœlo pulsus, propter flagitia nostra hanc peregrinationem peregit: vnde de seipso apud Euangelistam testatus est, *Vos de deorsum estis, ego de supernis.* Vere, vere inq; peregrinus fuisti Domine: ab omni enim æternitate, præuiso iam Adæ peccato, votum feceras, præsepe te Bethleemiticum, montẽ Caluariæ, ac sanctũ sepulchrum, quod Hierosolymis est visitaturũ. Inaudierat id quoque Dauid rex cũ diceret: *Votum vouit Deo Iacob*: perinde ac si dicere voluisset: votũ fecit Verbũ illud Dei, Patri suo æterno, profectionem quandam se iam olim in hunc mundum instituturum. Hem quæ peregrinatio! triginta tres & quot excurrit annos in eadem facienda insumpsit, seruilemq; habitũ induit, formã serui accipiens, & viator factus est.

Psal. 131.

Christus difficile iter ingressus est, & longum.

O quantum interea cucurrit, quas nõ regiones, quæ non loca peragrauit? Deuenit primo ad præsepe Bethleemiticum: inde in Ægyptum, transiit, septemq; annos in hoc iter impendit: tum desertum & intimam solitudinem petiit, & quadraginta dierum spacio eam perlustrauit. Quantã hic pietatẽ, quantum feruorem declarauit? At nondum hic quieuit, sed & alia lustrare voluit: Caluariæ quin etiam montem cõscendit, inde crucẽ, ac demiq; sepulchrum ipsum visitauit. Hem quantas in eũdo molestias sustinuit, quãtos labores exantlauit, quantũ sudauit, & alsit, quas nõ passus est ærũnas? Hausi id ex D. Gregorio Papa, qui Christi iter relegit dicẽs: *Vultis fratres charissimi, ipsos eius saltus agnoscere? de cœlo venit in vterũ, de vtero venit in præsepe, de præsepi venit in crucẽ, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum.*

Homil. 29. de ascensione.

Soluisti iam vorum Domine, omniũ peregrinorum princeps, peractum iam est iter, peregrinatio tua iam finẽ accepit, nullus in orbe iã locus restat quẽ adire possies: oĩa obambu-

ambulasti, & percurristi, iam tempus est, vt quietem capias. Erro, erro auditores, nondũ vult quiescere, nam & limbum adire est animus, visitare purgatoriũ, & ad inferos vsque descendere; atq; hoc est iter de quo loquebatur vaticinans Hieremias: *Dimisi domum meã, reliqui hæreditatem meam.* Infinita nobis hoc itinere merita, sibi vero immensã corporis gloriam, & æternã nominis exaltationem cõparauit. Sed quid est Cleopha, q̃ *solus peregrinus* dixeris, an non & nos omnes peregrini in hoc mũdo sumus? ita profecto; testem huiusce rei habeo Apostolum Paulũ qui ait: *Non habemus hic ciuitatem permanentẽ, sed futuram inquirimus.* Præuiderat id etiã vates regius, *Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Primus qui vrbes extruere cœpit, fuit Cain, atq; ideo fortasse cœlo exeidit: hinc S. Euangelista Ioan. in reuelationib. ait, audiuisse se Angelũ clamantem, *Væ væ habitantibus in terra*: è quo efficitur, mundũ hunc inferiorem non esse nisi exilii & ærumnarũ locũ. Atq; hoc ipsum de eo iudicium fuit Philosophi Anaxagoræ licet gẽtilis, & veri numinis ignari. Refert namque Laertius, hunc, cum æmuli ei, ppter facultates & opes actionem intentassent, omnium potius iacturam facere maluisse, q̃ iudicio ius suũ prosequi, ac sese coram iudicib. defendere: cumq; eũ amici & noti fatuũ dicerẽt, quod sua se negligentia omnib. iis bonis & possessionibus, quas maiores tãto sudore ac labore sibi peperissent, orbari sineret, digitos eum ait in cœlum sustollentem respõdisse: *Illa patria mea est, illa hæreditas mea est, illam ego curo, non ea quæ super terram:* nã mundus hic instar exilij est, locus quidam miseriarum ac lacrymarum occasio. O præclaram hominis Ethnici sententiam! ô virum Christiano dignum nomine.

Hiere. 10.

Hebr. 13.

Psal. 38.

Apoc. 8.

Laertius.

Præclara Anaxagoræ sententia.

Verum vt ad propositã materiam redeamus; Cleophas cum hæc Christo dixisset, & lachrymis oculos oppletos haberet, tristitiaque animũ eius occupasset, statim Christus subintulit, *& quæ?* quid accidit Ierosolymis? dic, quæso quidnam ibi cõtigerit, redde me certiorem. Quid? anne tu illa oblitus es, an ignoras ipse, qui eadem in corpore pertulisti, & de quo totus orbis loquitur? Quid hoc est? an nõ meministi crudelis passionis, anne oblitus es clauorum, spinarum, flagellorum, sudoris illius sanguinei? Eheu Domine, vix tres elapsi sunt dies, cum in monte Oliueti paueres & tæderes, cũ tot in monte Caluariæ supplicia perferres, & hodie ecce rogas, *quæ?* quasi hæc omnia in ventos & auras abiissent.

Christus post resurrectionẽ priorum

dolorum oblitus est.

Fuit, fuit, Auditores, ardẽs illa charitas, & ingẽs illud amoris incendium, quod omnes priores dolores præteritaq; supplicia penitus excoquebat: charitas inq̃, de qua vaticinatus Salomon dicebat, ærumnarũ vitæ huius aquas, & flumina dolorum quos in passione sustinuit, charitatẽ hanc extinguere nequaq̃ potuisse! quam ingens illa fuit charitas! Et sane si tota elementi ignis sphæra, sp eluuca aliqua hoc in mundo posset includi, non est profecto dubiũ, quin ipse omni semper ratione erumpere gestiens, libertatemq; affectans, omnia repagula, cõclusi indignatus, in mille partes disrumperet. Cum igitur vniuersa diuinitas, quæ amor est & ignis quidã infinitus, humanitatis nostræ ergastulis, licet volũtarie inclusa fuerit; numq̃ quiescere potuit, donec corpus hoc suum in cruce disrumpens, lacerans, ac quodãmodo in frusta cõminuens, mille nobis amoris signa & argumẽta charitatis immensæ ad oculum demonstraret. Videte quales calores, quales ardores in ipso fuerint; adeo vt omnium aliorũ, quos in passione pertulit, non amplius iam reminiscatur.

Et quoniam de ardoribus incidit mentio, certum est solem, quo magis capitibus nostris imminet, nobisq; fit vicinior, eo quoq; maiorem ardorẽ edere, & splendidiorẽ fieri. Idem in sole oculorum nostrorũ Christo Iesu vidimus contigisse: quo enim altius in cruce fuit exaltatus, quo & maiorem charitatem, & dilectionẽ vehementiorẽ monstrauit. Nam quemadmodum motus violenti & naturales in eo differunt, quod violentis rapidus sit & vehemẽs in principio, sed ad finẽ vrgens paulatim deficiat, & tandem ẽt penitus quiescat: naturalis autem initio sit lentior, sed quanto magis mouetur, & vlterius procedit, tanto sit maior ac vehemẽtior. Ita quoq; amor, quo nos in Deũ ferimur, aliud non est quã motus quidam animæ in Deum, qui

Infignis cõceptus.

Ingens Christi charitas.

Insignis eõceptus.

qui peccato iam cõmisso quodãmodo coactus est, & instar motus violenti, hinc fit vt Amor Dei in principio penitus ferueat, sed sensim tepidior fiat, ac tandẽ ẽt penitus frigefiat. Sed in nos naturalis est. amor quidam naturalis est, quo procedit vlterius, eo fit & maior, maioremq; charitatẽ demonstrat: quem hodierna die ita videmus excreuisse, vt crucis, clauorum, passionisque quam nostri causa pertulit, penitus oblitus, petat quidnã hæc ẽt sint, quasi eadẽ ignoret.

IV. *Quæ?* inquit, Charitas quippe illa adeo eũ incẽdit, inebriat, adeoq; demẽtat, vt omniũ præteritorũ suppliciorũ oblitus & omnem eorũ memoriã exuisse videatur. Accedit adhæc ẽt ipsa resurrectionis gloria, quæ omnẽ ei memoriã, quos pertulit cruciatuũ, adimit.

Resurrectionis status omnium quæ hic passi sumus oblitionem inducit.

Tantæ porro beatitudinis est, ipse resurrectionis status, Christiani, vt cũ semel eiusdem nos compotes reddi contigerit, omniũ laborũ molestiarumq; hic olim toleratarum memoria nobis penitus excidat, & omnia licet grauissima fuerint prorsus nihil & ludicrũ quid fuisse videantur. Docuit hoc gentium Doctor Paulus dicens: *Nõ sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriã quæ reuelabitur in nobis*: adeo vt quidquid hic nos pati contigerit, vel quæcunq; hoc in mundo molestia acciderit, eius respectu ludicrum quid & leue nobis videre debeat, imo ne attendi quidem vel pensari mereatur. *Rom. 8.*

Martyres nõ recordãtur cruciatuum quos hic sustinuerunt.

Et sane si cui nostrum contingeret, alicui sanctorum iam cœlestib. gaudijs perfruentiũ loqui, & petere ab iis daretur: quid ipsis de suppliciis, dolorib. martyriisq;, quæ in hoc mundo sustinuerũt, videretur; eodẽ prorsus modo, quo hic Christus, eos respõsuros putãdũ est, *quæ?* Quid? an nõ recordaris gloriose Apost. Bartholomæe, fuisse tibi viuo olim hic pellem detractam? nõ recordaris Stephane, lapidibus te obrutũ à Iudæis? nec te Laurenti craticulæ superimpositum, lento igne, vt holocaustum Deo gratum fieres, assatum esse? non meministi amplius Petre crucis, cui affixus expirasti? quid dicis de mucrone tuo Paule, quo tibi venerandum illud maiestate caput, præcisum fuit? *Et quæ* inquiũt, de qua re loquimini, quas nobis narratis fabulas? anne aliquid in hoc mundo vobis visi sumus sustinuisse? nihil est hoc Christiani, dicẽt, nihil est, nõ fuere flagella, sed ferula, nõ rotæ sed rosæ, non lora sed flores, non equulei sed delitiæ. E contrario vero, tanta damnatorũ infelicias & calamitas est, vt omniũ priorum voluptatum delitiarumq;, quas in hoc mũdo habuere, nullã iam prorsus memoriã habeant, sed nihil illis hęc omnia fuisse, imo ne fuisse quidẽ videantur. An non verũ me dicere testaberis tu Cæsar, & tu Alexãder, nullam sc. vobis honorũ, dignitatum, regnorũ, coronarum, sceptrorum amplius memoriã restare? Non recordamini fuisse vos aliq̃do reges potentissimos, monarchas orbis diuitiis affluentissimos? *Et quæ* respõdebunt: *quid profuit nobis superbia, diuitiarum iactantia quid contulit nobis: Transierunt omnia velut vmbra.* *Sap. 5.* *Luc. 16.*

Diues ille Epulo cum apud inferos sepultus Abrahã patrem inuocaret, sui vt misereretur? respondit Abrahã è summo cœlo, *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua*: non recordabatur, ecce priorum delitiarum, aut præteritorum cõuiuiorum. Sed venit mihi, quoad hanc rerum priorum obliuionẽ, insignis cuiusdam figura in mẽtẽ. Cum septem anni in Ægypto transiissent, septẽ alii sterilitatis aduenerunt adeo quidẽ vehementes ac duri, vt eorum præsens memoria & experiẽtia, priorum annorum abundantiæ mortales obliuisci cogeret. Heu! anni illi æterni famis qua damnati quietẽ, gloriam & gratiã esuriunt, quæq; semper apud inferos duratura est, adeo horrendi & pertimescendi sunt, vt omnem præteritarum voluptatum, quæ in hoc mundo fuere, interea dum anni abundantiæ durarunt, deliciisq; vita affluxit, memoriam è mentibus auferant. *Gen. 40.*

*Et quæ?* expedi Cleopha, temporis nos premit angustia, & Dominus tibi ait, dolorũ se nõ meminisse: quid igitur subest? *De Iesu Nazareno qui erat vir potens &c.* Adiungit deinde: *Nos sperabamus*: ô modicę fidei omnis tua spes concidit: misera cymbula, quanto modo in discrimine versaris? fidei tuæ malus confractus est, & spei anchora amissa. *Vn* inquiunt: neq; enim amplius in eo diuinitatem agnoscunt, an nescitis, ô discipuli, hunc Deũ simul & hominẽ esse? Potens namq; est opere, vt Deus: & potens sermone sicut homo: duobus quoq; gladiis instructus, virtute &

Christus soli & tormento bellico cõparatur.

doctrina: quoad virtutem potens est quoad doctrinam eloquens. Sol lumen & simul calorem habet: tormentũ bellicum, quod nonnisi puluerem nitreum in se habet, & globo non est suffertum, mugitum quidem & boatum edit, sed nihil effringit aut diruit, at Iesus Christus bombarda erat quæ & effringebat, & simul sonitũ edebat: Sol erat qui verbis illuminabat, & operibus calefaciebat.

Inanis Lutheri ac Caluini spes.

*Nos sperabamus* Valeat iã spes nostra, quæ concidit, sperabamus per eum à Romanorũ nos imperio liberandos, & eorum iugo eripiẽdos: vti Moyses seruitute Ægyptiaca Patres nostros liberauit. O insensati discipuli, nondũ præteriere tempora, adhuc hora est, sumite animos, nolite animo concidere. An de vobis, ô Luthere & Caluine, perfidis inquam peregrinis dicam, quod de duob. hisce discipulis dicitur: toties namq; vos audiuimus dicentes, Ecclesiæ nostræ Ierusalem egrediendo, vt in Emaus Geneuæ aut Wittenbergæ secederetis: *Nos sperabamus* Sperabatis scilicet, post bellum Pontifici Romano illatum, post oppugnatum purgatoriũ, post effusum sacerdotum sanguinem, post diruta templa, Ecclesiam ipsam vos euersuros: sed spes vestra eodem tempore quo exorta est, cõcidit. Iactauerat Lutherus secũdo rebellionis & dominationis suæ anno, se, si ad tres vel quatuor adhuc annos vita ei prolongaretur, omnem Papatum destructurũ, atq; euersurum, & tamen viginti quatuor, & quot excurrit, annis, libere dominatus est, nihil tamen vnquam huiusmodi præstitit, aut factum vidit.

*O stulti & tardi corde ad credendum!* Quanta vestra insania est, Luthere & Caluine, in solidã illam Ecclesiæ petrã insensatum caput velle impingere? quanta vestra amẽtia est ô hæretici, sumptis armis ita veritati bellũ mouere, Deoq; quapotestis ratione resistere? Vos vero miselli discipuli, q̃ stupidi & tardi ad credendũ estis: quid? nunquãne Prophetas & veteres scripturas legistis? nunquãne audiuistis, Messiã ad Ionæ imitationẽ, triduo in viscerib. terræ, vt ille in aluo ceti, permãsurum, & tum demũ resumpto corpore lumen solis conspecturum? An non eum dicẽtem audiuistis, quod templum hoc destrueret, & post triduum aliud reædificaret, atq; hoc de corpore suo intelligi voluit. O igitur *Stulti & tardi corde ad credendum.*

Ionæ 2.

Et sane stulti sumus, Domine, & fatui qui te relicto mundũ sequimur, qui solem fugientes in tenebris viuere malumus, paradiso exulare vt tartarũ ingrediamur, qui cœlum veram patriam nostrã negligimus, vt in hoc mundo, qui locus peregrinationis est, habitare & sedẽ figere valeamus. Ecquæ maior in hoc mundo dementia inueniri potest: *stultorum infinitus est numerus*, id est peccatorum ait Sapiens. Et bene quidẽ: quot n. sunt peccatores, qui relicta gratia Domini, peccãtũ vltro amplectuntur quique tibi bellum mouent, quo diabolo seruiant: tot ẽt fatuos, tot phreneticos, tot demẽres esse dicendum est. Sed accedit ad hãc dementiã Domine duritia quædam grandis, & stupida ad scripturis credẽdum tarditas: toties quippe admonemur, toties nobis cõcionatores ingeminãt, esse sc. infinitam quandã gloriam paratã ijs, qui fidele tibi hic obsequium exhibebunt, æterna vero supplicia iis qui te mortali aliquo delicto offendent: & tamen credere vix possumus: aut si credimus, vix in animum demittimus, aut parum curamus. Quapropter Domine, qui hodie duobus hisce discipulis peregrinantib. oculos aperuisti, te supplices obsecramus, vt oculos nobis idẽ prorsus iter ingressis aperias, vt sc. Scripturas sacras intelligendo, tuaq; semper iudicia ante oculos habendo, è stultis sapientes effecti, confecto longo vitæ huius itinere ac peregrinatione, feliciter ad patriam cœlestem peruenire valeamus. Amen.

Peccata veras vere fatuitas.

## FERIA III. POST PASCHA.

### Partitio.

*I. De cœlo laboribus obtinendo.*
*II. De stante in medio.*
*III. De imprecante pacem.*
*IV. De voce Ego sum.*

*Stetit Iesus in medio discipulorum suorum & dixit eis, Pax vobis Luc. vltimo.*

EIGV-

## FIGVRA.

Tob.12. CVm Angelus Raphael Tobiæ patri & filio seſe manifeſtaret, ſuamq; conditionem aperiret, eſſe ſe nimirum è ſeptem illis ſpiritualibus, qui ſemper ante diuinæ maieſtatis oculos conſiſtant: adeo ambo conſternati & perterriti fuere, vt præ metu & reuerentia in terram proni ceciderint: quibus ſtatim Angelus ait: *Ego ſum, nolite timere.* Hodie vero in præſenti Euangelio intueor, vt ipſe omnium Angelorum rege, Domino Chriſto Ieſu, Apoſtolis, quo eum velut verum Dei Filium totiusque orbis Dominum agnoſcerent, ſeſe manifeſtante, omnes ita perculſi & pauore concuſſi fuerint, vt rati ſeſe ſpiritum videre, in terram prolapſi ſint: quibus deinde Chriſtus, vt illos confirmaret, animumque adderet, ſtatim ait: *Pax vobis, ego ſum, nolite timere.* Egregia profecto hic vtriuſq; eſt hiſtoriæ concordia, & concors per omnia harmonia figuraque figurato quam optime reſpondens: quam vt latius deducere poſſimus Spiritum Paraclitum velut directorem, & glorioſam Virginem vt patronam inuocemus, dicamus igitur:

## AVE MARIA.

Q. Cicero de petitione conſulatus. Magnus ille & nobilis Orator, Oratorumque omnium princeps Tullius, cum Romæ conſulatum ambiret, frater eius Q. Cicero, homo in rebus gerendis prudentiſſimus, & in negotiis Reipubl. optime verſatus, cognito Marcum ad Conſulatum aſpirare, his eum verbis admonendum cenſuit: *Attende tibi frater, peregrinus es, Roma eſt, Conſulatum petis.* Quaſi diceret, Vide quid agas, atque in omnem partem circumſpice, qui ſis cogita: ex Arpinate municipio progenitus es, peregrinus es, & non Romanus. Romæ quoque conſulatum ambis, in Vrbe omnium vrbium regina, totius orbis vertice: Conſulatum, inquam, quo nulla Romæ dignitas eminentior, nulla maior haberi poteſt: non ambis Quæſturam, non tribunatum, non munus Ædilicium, ſed ipſum omnium magiſtratuum ſummum. Quamobrem attende tibi frater. Quod Quinctus Marco fratri de Romano conſulatu dicebat, mihi hodie fratri meo Chriſtiano de beatitudine æterna liceat dicere: *Attende tibi Chriſtiane,* qui beatitudinem ambis, *Peregrinus es, cœlum eſt, beatitudinem petis,* Peregrinus inquam exul, profugus, miſer peccator, creatura viliſſima. *Cœlum eſt,* domicilium ſcilicet Angelorum, Seraphinorum palatium, beatorum omnium aula, quam nihil coinquinatum ingreditur. Deinde *beatitudinem petis,* qua nihil aut maius, aut excellentius & præſtantius dici aut cogitatione comprehendi queat, quonam tibi igitur pacto laborandum eſt, quomodo ſudandum, eam vt promereare? qua in re optime conſentire mecum viſus eſt Paulus, dicens: *Nemo coronabitur niſi qui legitime certauerit*; quoniam præmium hoc, vt omnia comprehendam paucis, bonis operibus vincitur ac paratur. 2. Tim. 2.

Prodit Plutarchus, Romulo extincto populum Rom. dubium & anxium fuiſſe, quippe qui neſciret, verum violenta manu eſſet diſcerptus, vel alio quopiam diuiniore mortis genere exſpiraſſet. Cum itaque omnium animi fluctuarent, prodiit ſubito in forum Eques, qui fidem fecit, viſum à ſe Romulum affirmans, auguſtiore forma quam fuiſſet, & armatum ad cœlos ſublatum, ac mandaſſe, vt ſe pro numine haberent. Equidem haud credo, ſed commento hoc, etiam apud Ethnicos denotari putem cœlum armis acquiri: cui ſuccinit & apud Euangeliſtam Dominus, dicens: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* *Plutarch. in Romulo.*

Vnde bene mihi vetus quidam Poëta ceciniſſe viſus eſt, *Vendunt Dei laboribus omnia mortalibus,* ſed cœleſtem imprimis beatitudinem: cuiuſce rei ſexcentas adducere figuras poſſem. Dauid namque rex, prius quam Saulis filiam in vxorem acciperet, in prelium debuit deſcendere, coloſſæum illum Gigantem proſternere, centumque eam ſibi præputiis gentilium redimere; quo docemur, prius nobis eſſe decertandũ, Goliatam mundi huius debellandũ, vitiorumq; Philiſtæos profligandos quam Regis filiam, beatitudinem inquam cœleſtem, promereamur. Iacob ante quam pulchram Rachel omnium Meſopotamiæ filiarum pulcherrimã duceret, libertatem ſuam oppignorare, & alteri ſe ſubäce- Heſiodus in Theogenia. 1. Reg 2. Gen 29.

ſubiicere debuit, ac ſeptem prius annis Labano ſeruire, quam eam in ſponſam acciperet: docet nos hæc hiſtoria, prius quam cœleſtem illam Rachel nobis deſpondeamus, libertatem eſſe nobis amittendam, voluntatem proprie abnegandam, magno illi Laban ſeruiendum, idque non ſeptennio, ſed toto vitæ tempore, obſequiis denique eam vincendam eſſe & acquirendam.

*Gen.40.* Ecce aliam paulo recentiorem. Ioſeph lõgè priuſquam ad Ægypti coronam pertingeret, veſteque regia indueretur: venditus fuit à fratribus, falſo accuſatus, inique in carcerem detruſus: atq; hiſce ſimilibusq; gradibus viam ſibi ad honores dignitatesque parauit. Præſagium hoc eſt, Auditores, longe prius nobis tribulationes & ærumnas tolerandas, quam beatitudinis cœleſtis compotes reddi valeamus: easq; eſſe veluti gradus quoſdam, quibus ad gloriam peruenimus: teſtati hoc nobis ſunt Apoſtoli dicentes: *Per multas tribulationes oportet introire in regnum cœlorum:* iter nempe ad cœlos tribulationibus & afflictionibus, veluti lapidibus quadratis, conſtratum eſt.

Omnes ſancti per multas tribulationes cælũ ingreſſi ſunt.

Dicite vero nobis, glorioſi Martyres, vos inquam, qui modo cœleſti beatitudine perfruimini, quibus ad eam gradibus aſcenderitis, quibus ad eam itineribus perueneritis? Audire illos videor dicentes: *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* an non hinc tribulationes deſignari videntur? nullus eorum profecto eo conſcendit, niſi hiſce gradibus, hi per craticulam, illi per ignem, alij per cruces, alij per rotas & equuleos, omnes deniq; quotquot illic ſunt, per tribulationes, ærumnas, afflictiones, & moleſtias. Audebone dicere quid amplius? tremo profecto & exalbeſco, tacere ſatius eſſet: dicam tamen, Chriſtum, niſi paſſus fuiſſet numquam ad gloriam peruenturum fuiſſe: *Oportebat* nimirum *Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Perpendite quæſo verbum hoc *Oportebat*, neceſſe nempe erat Chriſtum pati, vt in gloriam intraret ſuam: vt intraret in propria, mori debuit: quonam igitur pacto nobis hic laborandum eſt, vt in alienam intremus, vt eius nos hæreditatis cõpotes reddamur, quæ ad alium ſpectat: nobis inquam, qui nullum ad eam ius prætendere poſſumus. Atque hoc in præſenti Euangelio dicitur, in cuius initio hæc verba: *Stetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum* explicabo. Primo igitur loco ingreſſum eius in cubiculum deſcribam, & vt Apoſtolos ſalutauerit: deinde vt eo viſo fuerint conſternati & perculſi, ac mox recreati.

*Pſal.66.*

*Luc.24.* Chriſtus in gloriam ſuam intrauit per tribulationes.

II. Quinque apparitiones Ieſu Chriſti.

Quod ad primum igitur ſpectat, Chriſtus poſtquam quater ſeſe iam manifeſtaſſet, iterum omnibus Apoſtolis vnũ in locum congregatis, apparere voluit, vt videlicet eos ne nimis iam diu verſabantur, & dolore ac lachrymis ob amiſſum Dominum conficiebantur. Ingreſſus igitur cubiculum, hoc eos modo ſalutauit, *Pax vobis*, Apoſtoli mei, non eſt iam amplius de paſſionibus loquendum, ceſſent lachrymæ, iam fletus finem accipiat: nolite iam diutius de mea reſurrectione dubitare, *Ego ſum*: ne vero exiſtimetis vos ſpiritum aut ſpectrum videre, *Palpate & videte*: & cum hæc diceret: ait eum Euangeliſta ſtetiſſe *ſtetit*. quam appoſite autem hoc in loco verbum *ſtetit* vſurpauit? quam hoc ipſum efficax eſt ad reſurrectionem eius inſinuandã? nam antequam Dominus reſurrexiſſet, ſemper eum Euangeliſtæ aut iacentem, aut reclinatum, vel defatigatum, ſedentem, vel ſub peccatorum noſtrorum onere proſtratum deſcripſerunt.

Dominus poſt reſurrectionem ſeſe rectum ſemper oſtendit, & ante eam ſemper incuruũ.

Vidimus eum namque olim in præſepio reclinatum, vidi eum ego nuper laboribus exhauſtum ad puteum ſedentem: *ſedebat defatigatus ex itinere.* Petrus, Ioannes, & Iacobus eum incuruatum, & in terram proſtratum in Oliueti monte aſpexerunt. Tota Ieroſolymitana ciuitas eum defatigatum, ſub onere crucis ingemiſcentem, & ad terram præ virium imbecillitate nonnunquam concidentem vidit. Totus deniq; orbis in cruce eum caput demittentem, ac terram reſpicientem, quippe qui ſub tam immenſo & graui peccatorum, quod ei imminebat, onere, erectum id & in altum libratum ſuſtollere non poterat: quodq; eum tandem ita grauauit, vt ſub onere expirarit. Sed hodie, graui illo liberatus pondere, ſtetit rectus in medio diſcipulorum, & ceruices in altum erexit.

Proh infelix ac deteſtandum peccatum, Peccato-

tantane

rum gra-uitas.

tantane tua est grauitas, tantumne tibi pondus ineſt, vt infinitam illam potentiam incuruarifacias, Deumque mori cogas? quamobrem peccatores hoc fixum indubitatumq; ſtatuamus, quamdiu grauem hanc molem humeris geſtamus, quamdiu onus hoc nobis impendet, numquam nos caput in altum poſſe ſuſtollere, ſed illud ſemper inclinatum geſtare, ac veluti Iobos in vitiorum noſtrorum ſterquilinio extenſos eſſe. Et quemadmodum miſer ille qui Ieroſolymis in Iericho deſcendens, è gratia videlicet in peccatum, incidit in latrones (qui vulneribus impoſitis, atque eo ſemiuiuo relicto abierunt) ſurgere è terra non potuit, niſi à Samaritano in equũ ſublatus eſſet: ita quoque Ieſus Chriſtus non prius erectus incedere potuit, aut in altum caput erigere, quam graue peccatorum onus abieciſſet: quo abiecto, refert Euangeliſta eum in medio diſcipulorum ſtetiſſe. Adhæc S. Ioannes, cum ſanctorum numerum Deum laudantium in Apocalypſi deſcriberet, ſtantes eos deſcribit: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat; ex omnibus tribubus & linguis, ſtantes ante thronũ Dei:* vt nimirum felicem eorum & ſtabilem beatitudinis ſtatum declararet, in qua cœleſtes illi ſpiritus nunquam fatigantur, tædio afficiuntur, ſaturantur, ſed ſemper erecti ſunt, ſemper ſtant, & diuinam illam eſſentiam, maieſtatemque Dei perpetuo ſine vllo tædio contemplantur. Iam à ſex & quot excurrit annorum millibus, Angeli ſteterunt, & nullo ad ſedendum tædio trahuntur, nec minimũ de ſedendo verbum faciunt. Quantam igitur nobis, ô felix ſtatus, ô beatitudo exoptãda, felicitatem paris, cum per te factum ſit, vt Saluator noſter in medio diſcipulorum ſteterit.

*Iob.1.*

*Luc.10.*

*Apoc.7.* Angeli & Sancti ſemper ſtant.

Quid in medio ſignificet.

Deinde illud, *in medio*, neſcio quam beatitudinem & felicitatem includit. Ariſtoteles namq; imprimis virtutem in medio collocat, & eam in mediocritate ſitam ait: extrema namque ipſa ſunt vitia, & virtus medium occupat: atq; ita liberalitas inter auaritiam & profuſionem conſtituta eſt. Sol quoque in medio omnium Planetarum, veluti Rex in medio Principum, à Deo conditus eſt: video quoque terram aërem inter & terræ globum librari: cor medium in homine locum occupat: arbor vitæ in medio Paradiſi terreſtris plantata erat: Crux Chriſti in meditullio terræ fixa: quod me Dauid vates docuit: *Operatus eſt ſalutem in medio terra.* Quin & longe amplius exaltabo te ô medium: nam Verbum illud Patris medium inter Sacratiſſimæ Trinitatis perſonas locum occupat: *Chriſtus* 1.*Tim.*2. quoq; *mediator eſt* Dei *& hominum*, ait Paulus. Quid amplius? maxima quoque fidei noſtræ myſteria medium locum occupant; Incarnatio in duabus naturis, Chriſti Natiuitas inter duo animalia peracta eſt: in quo mihi Abacuc Propheta præiuit, dicens: *in medio duorum animalium cognoſceris.* Transfiguratio inter duos Prophetas cõtigit, Eliam & Moyſem: Chriſtus quoque in medio latronum paſſus eſt, reſurrexit quoq; inter noctem & diem, quod vates Regius declarat: *Exurgam diluculo*, id eſt, ad auroram: quæ & dies & nox ſunt. *Pſal.*107.

Omnia ſi-mi medio quodam conſtitu-ta ſunt.

dici poteſt: Vere igitur neſcio quid diuinum denotare mihi videris, ô medium! Saluator namque meus Chriſtus Ieſus te iam anno ætatis duodecimo dilexit, quando in medio doctorum in templo repertus fuit: heri quoque in medio duorum in Emaus euntium viſus eſt, atque hodie in medio diſcipulorum ſtetit. Sed videamus quid in eorum medio poſitus agat, quid dicat? audio eum dicentem: *Pax vobis, ego ſum: nolite timere, palpate & videte.* Perinde ac ſi dixiſſet, Timuiſtis quidem cum in nauicula conſtituti tempeſtate iactabamini: timuiſtis & conſternati eſtis in Oliuarum horto, in paſſione etiã mea perterriti huc & illuc diſperſi eſtis: ſed iam quieſcite, ſecuri eſtote de reſurrectione mea, de potentia mea nolite dubitare: ſed firmiter iam credite, me verum Meſſiam eſſe in lege promiſſum. An non toties verbis dixi, & ante me ipſi Prophetæ, tertia me die reſurrecturum? *Ego ſum*, reſpicite me, me inquam & non alium, nolite putare ſpectrum aliquod eſſe, vel illuſionem diabolicam: videte manus meas, & eas oculis veſtris propius inſpicite: *Palpate & videte.*

*Pax vobis.* Tu igitur, ô ſancta & diuina pax donante Deo, in corda noſtra deſcendis, & donum ſancti Spiritus es: tanti olim te veteres Philoſophi, inter quos Parmenides & Heſio-

Pax & amicitia omnium rerum effectrices.

Hesiodus, fecere, vt pacem & amicitiam omnium rerum eicatrices esse dicere non sint vẽriri, & per vtramque omnia, quæ in rerum natura existunt, subsistere. Nouistis, crediderim, Antiquarij, Romanos pacem vt deam coluisse, templumque ei, haud procul à Capitolio extruxisse: Christus quoq; tanto hodie pacem honore prosequitur, vt primo quo Apostolos affatur verbo, pacem nominarit, *Pax vobis.*

Prædixerant hoc Prophetæ, & diu ante mortales docuerant, Messia in mundum veniente, pacem vbique terrarum promulgandam: atque adeo inter cæteros, quos Messiæ Isaias tribuit honorum titulos, *Princeps pacis* appellatur. Et sane, vix in mundũ natus erat, quin statim gloriosus Angelorum exercitus pacem mundo annuntiauit: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bona voluntatis.* Natus quippe pacem attulit, moriẽs eandem suis delegauit: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*; vnanimes in pace viuite. Hodie quoque iterum post resurrectionem Apostolis apparens, ait: *Pax vobis*; perinde ac si diceret: Pacem meam nascens pollicitus sum, & hocce promissum moriens sanguine meo signaui: resuscitatus quoq; idipsum confirmo & ratum facio: *Pax vobis.*

*Isai.9.* *Luc.2.* *Ioan.10.* *Psal.49.*

In Messiæ aduentu pax mundo affulsit.

Dauid spiritu Prophetico omnia hæc præsagiens, omnes omnino mortales ad mirabilia hæc spectanda inuitat, dicens: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram auferens bella vsque ad finem terræ: arcum conteret & confringet arma, & scuta comburet igni*, adeo vt armorũ memoriam penitus velit aboleri, & de sola pace sermones haberi.

*Dan.7.*

Egregiam nobis in hanc rem figuram Daniel dabit. Vidit ille olim quatuor animalia rabida & truculenta (quibus quatuor quæ in orbe fuerunt, Monarchias designari putamus, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum) à filio hominis debellari, & pedibus eius prosterni. Denotabat hoc, Messia in mundum veniente, & humanam Deo assumente naturam, omnia mundi Imperia, armorum eius vi expugnanda, ac solã Christi Monarchiam pace perfruituram, & caput altius cæteris elaturam.

Tempore miserandi illius diluuij, vndæ maris omnia mundi palatia, locaq; eminentiora demolitæ sunt, sola autem Arca Noë incolumis aquis supernatauit: designari hic puto bellorum diluuio omnes orbis Monarchias esse euertendas & pessumdandas, ac solum Christi Iesu regnum perpetua pace fruiturum, Ecclesiam nempe, verum inquã, regnum eius, cuius Rex, Princeps ac Dominus Christus est, & cuius fines & termini ipsa pax: ita namq; cecinit vates regius Dauid: *Lauda Ierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*; tu inquam Ecclesia: & quare ô Propheta? *quia confortauit seras portarum tuarum, & posuit fines tuos pacem*, quia portas Iani clausit, bella sopiuit, & pace limites tuos stabiliuit.

*Gen.7.* *Psal.147.*

O qualem quamq; luculentam nobis pacem Messias attulit! per quinque, eheu annorum millia bella orbem diuexauerant, atque omnia armorum strepitu perstrepebãt: nil præter diluuia, ignes, pluuias sulphureas descendere videbamus, ipsi quin etiam Angeli aduersus homines belligerabant. Toties iam humanum genus pacem petierat, missi erant tot Patriarchæ, Prophetæ, Reges, aliique magnæ authoritatis viri, veluti legati, qui negotia pacis agerent, eamque à mundi Principe obtinerent. Missus fuit & Dauid Rex, & his eam verbis obtinere conatus est: *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis*, sed re infecta discessum est, nulla vnquam aut pacis aut induciarum spes affulsit vel minima, donec ipse venit Messias, qui eam secum ferret. Ita namque prædixerat Psalmista: *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis*: & ecce hodierna die eam ipse promulgat, dicens: *Pax vobis*; viuat pax, floreat, vigeat pax, Apostoli mei, viuite in pace, pace fruamini, quę confirmata iam est, & vtrimq; iuramentis stabilita: *iustitia* quippe hodie *& pax osculata sunt.*

Mundus ante Messiæ aduentum bellis plenus erat.

*Psal.121.* *Psal.71.* *Psal.71.*

Interea vero, Auditores, dum ob temporalem hanc, quam Christus in mundum pacem inuexit, gestitis & exultatis: aliam equidem, longe magis necessariam, quam idem Princeps animabus nostris attulit, contemplor & animo voluo: pacem inquam spiritualem & quietem internam conscientiæ:

Christus pacẽ quoque spiritualem animabus nostris attulit.

feli-

felix eius in mundum aduentus hanc nobis felicitatem, pacem, tranquillitatem attulit, & vsque in hodiernam diem continuare, non definit: ille tentationum bella consopiuit, prauorum affectuum tumultus pacauit, & vitiosæ naturæ nostræ impetus compescuit.

Egregiam profecto allegoriam, quæ huc optime facere videtur, in Euangelio Ioannis legimus: nam cum tempestas valida cymbam, qua vehebantur Apostoli, vndiq; pulsaret, vt iamiam fluctibus marinis haurienda videretur: Iesu Christo nauiculam ingrediente, *cessauit ventus & facta est tranquillitas magna*. Ad eundem quoque modum, si animæ Christianæ nauigium, tentationum turbinibus concutiatur, & prauorum affectuum procellis fluctibusq; agitetur, & Christus gratia sua idipsũ ingrediatur, vel ingredi tãtum paret: omnis statim tẽpestas abiit, ventorum turbines sæuire desinunt, & maior quam prius fuit, serenitas redit.

Gen.7. Idem propemodum in libro Geneseos legitur: quamdiu namque Noe in arca commorabãtur, omnia animalia pacifice inter se viuebãt, vrsi cum leonibus, tigres cum tauris, pardi cum lupis, concorditer & sine vllo maleficio inter se versabãtur: sed quamprimum vt Noe ea dimisit, & vnumquodq; animal ad solitam solitudinem & spelæa rediit: iterum in se mutuo sæuire, armari, seq; inuicem deuorare cœperunt. Tantumdem de animabus nostris dicere liceat, eas nimirum quamdiu Dei nutu & imperio reguntur, in pace viuere, & oẽs eiusdem facultates miro inter se modo consentire: tunc nimium peruicax illa concupiscentia, appetitus ille irascibilis, rabies illa sensualitatis, & ferinitas quiescit, & rebellare nesciunt: sed quãprimum vt Deus hinc recessit, præter bella, motus, tumultus, seditiones nihil apparet: Spiritus namque concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus Spiritum.

Gen.3. Quamdiu Protoplastus Adam in iustitia illa perseuerauit, felici & inuiolata pace vsus est: sed statim, vt ea ipsa excidit, vt Deum reliquit, vt peccatum amplexus est, mille eum motus iliades malorum inuasere, sexcentæq; tribulationes virum incessere, ipsis quin etiam animalibus aduersus eum conspirantibus, morte quoque ei bellum indicente. vnde illi dictum est, *Morte morieris*. Idẽ omnino circa animas nostras fieri indubitata fide credendum est. Huiusmodi igitur *Pax vobis*, charissimi mei Apostoli: Quid amplius? Gen 2.

IV. *Ego sum, nolite timere*, sumite animos, nolite consternari. *Ego sum*, vere tu es Domine, tu enim solus es, qui vere hoc dicere potes: tu namque es ὂν ὄντως ens entium, nos vero plane nihil sumus: tu verũ esse es: nos nihil nisi priuationes, negationes, imperfectiones. Tu Vera substantia: nos tantum accidentia: tu esse à te ipso habes, nos vero nostrum mutuo à te accepimus: ita namque omnes creaturæ vno ore confitentur, dicentes, *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*: solus sol natura lucidus est, cætera sidera lumen ab eo mutuãtur: tu sol noster es Domine, nos vero stellæ tuæ, tu ipsum esse, viuere, subsistere, æternitatemq; à te ipso habes: at nos quidquid habemus, non nisi à te habere contingit. Psal.99.

Nam quemadmodum omnia quæ in mundo sunt flumina à mari deriuantur, sine vlla tamen maris imminutione: ita omnes quæ in creaturis in rerum natura versantibus sunt perfectiones, à profundo diuinitatis Oceano originem sumunt, ipse licet Oceanus non imminuatur. Oleum quoque Eliæ Prophetæ, quo magis à Propheta dabatur, eo & magis augebatur adeo vt vasa ad excipiendum deessent. Manna quoque in deserto, quo magis colligebatur, quo magis & cœlitus dimittebatur. Hordeacei quoque panes, quibus Dominus tot hominum pauit millia, eo multiplicabantur magis, quo magis manducabantur. Sunt hæ tres insignes figuræ, quæ euidenter demonstrant, abyssos illas diuinitatis, licet semper ex ijs hauriatur, nunquam exhauriri: sed infinitam illam essentiam, quo plures creaturas producit, eo & prægnantiorem manere, paratioremque semper ad nouas quasdam & nunquam visas producendas, existere. 1.Reg.17. Exod.17. Ioan.6.

Producam hic & alios conceptus, aliaque mysteria eliciam, *Ego sum*. quid es Dom-

Christus Deus erat & homo.

Domine? homo nimirum, & Deus: Deus sum, idq; propria virtute resurgendo, facile declaro: hoc namq; nec naturaliter, nec humana industria, nec virtute quadã Angelica, sed per meram fit omnipotentiam, quandamq; vim diuinam & supernaturalem testatur. Homo sum, humana nimirum indutus forma, cuius hic vestigia videtis & aperta indicia: testabitur hocce meum corpus. Nolite porro existimare me spiritũ esse vel spectrum: sed huc oculos, huc ferte manus, videte, palpate, accedite, & inspicite, an nõ verum sit corpus simile vestris.

*Ego sum.* O verba ingentibus referta mysteriis, & diuinis intellectibus plena! Duobus hisce oculis duo maxima innitũtur mysteria: ipsum nimirum Trinitatis & Incarnationis Verbi Dei. τὸ *ego* tribus constat litteris ac duabus syllabis, & vnum est vocabulum, quo sublime Trinitatis mysterium denotatur: quæ tribus personis, duab. processionibus, intellectus & voluntatis constat: cum vna & eadem trium natura sit. *Sum* quoque vocabulum æque diuinum, eodem modo efformatum est: vna scilicet vox, & tres literæ ac per ipsum, Verbum illud Patris, atque Incarnationis mysteriũ designatur, tribus constans naturis, corpore, anima, & diuinitate, iisque in vnam personã Iesum Christum scilicet, coadunatis eum nimirum qui hodie dicit *Ego sum*, homo pariter & Deus.

Quid vero ô Apostoli, semperne timebitis? nondum eum agnoscitis? nondum vocem eius percipitis, quam toties concionantem, clamantem, exhortantem, audiuistis: an non eadem vox est, ad cuius imperium venti & mare siluerunt? an non eadem vox, quæ Scribas & Pharisæos, legisque Doctores toties confutauit? an non discernere valetis, vtrum illa ipsa vox sit, de qua milites dixere, *Nunquam homo sic locutus est.*

*Matt.* 8.

*Ioan.* 8.

Isaac cæcutiens Iacobi vocem agnouit, licet Esau indutus esset exuuias, de qua statim dixit. *Vox quidem Iacob, manus autem Esau.* Vos autem verum Iacob, Iesum Christũ è voce agnoscere non poteritis licet vestimenta gloriæ indutus sit.

*Gen.* 27.

Equidem, ô Apostoli, Saluatorem meum hunc esse ausim asseuerare, atq; omnes fortunas meas in idipsum oppignorare: agnosco vocem eius, eam ipsam vocem quæ Dæmones fugauit, quæ Lazaros à mortuis excitauit, quæ ab hinc tribus diebus septies in cruce exclamauit. At si vocẽ eius agnoscere nõ potestis, accedite propius & videte, palpate & tangite.

*Ioann.*

*Matt.* 27.

At quomodo videri potes Domine, quomodo palpari, qui penitus iam glorioſum corpus habes? Habes nimirum adhuc vulnera, seruas adhuc fixuras & vestigia clauorũ, stigmata lãceæ, vibices virgarum, cicatrices flagrorum, & puncturas spinarum. At cur? quanam potissimum de causa hæc seruasti insignia Domine, cur has in corpore notas apparere voluisti? cur ipsa resurrectio hæc omnia nõ erasit? Seruat hæc vt vos aliquando confundat, Iudæi, vt vobis in vltimo Iudicii die pudorem incutiat: vobis, vobis inquam hæc stigmata reseruata sunt, vt videatis in quem confixeritis, vobis ea seruat in vltimum Iudicii diem, ac tum propter hæc vos vulnera condemnabit.

Christus stigmata in suo corpore seruat vt Iudæos aliquando cõfundat.

Seruauit etiam has cicatrices propter vos, ô Christiani, vt eas quotidie inspicientes, & in animo habentes agnoscatis, quantum Christo humanam propter vos carnem induto, & crucifixo, vestri causa vulneribus cooperto, debeatis: & sane si delicatas autes habueritis, quotidie eum ingratitudinem vobis vestram exprobrãtem audiretis, ac dicentem, *seruire me fecistis peccatis vestris*: perinde ac si diceret, Peccata me vestra, ô ingrati, seruũ reddiderunt, ignominiosam me mortẽ subire coegerunt, mille me vulnerib. cooperuerunt, quorum adhuc cicatrices & vestigia cõspicitis, & interea ea vestra ingratitudo est, vt noua quin etiam mihi vulnera infligatis, cum tortoribus meis amicitiam contrahitis, peccata inquam amplectamini quæ mortem mihi attulerunt. Tot tamque ego vestra causa feci, vos vero mei ergo qdquam facere recusatis: manus hæ, pedes, sacrum hoc & venerandũ caput, totum hocce meum corpus, tot supplicia sustinuit, vestrũ vero nihil omnino perpeti vult. Quamobrem sanguis, claui, lãcea, & vulnera illa mea vindictam aliquando clamabunt.

Item vt Christianos ad gratiarum actionem excitet.

Ob

Ob hanc videlicet causam Christus sacra illa vulnerum vestigia in corpore suo seruauit, Auditores. Palpate igitur & videte, inspicite, contemplamini, considerate eadem attentius: atq; vbi attentius ea inspexeritis, asseuerare ausim ac sancte promittere, ita vos iisdem permotum iri, vt nihil vnquã Christi causa perpeti recusaturi sitis, cum tanta illũ vestri causa videritis pertulisse.

Suetonius Augustus.

Referam hic è Suetonio egregiam de Cæsare Augusto historiam. Hic cum quodam tempore per vrbem eques incederet, miles qui olim sub eo stipenda meruerat, eum aggressus est, & his verbis allocutus: Iam dudum est Cæsar, ex quo sub tuis ego signis merui, ex quo ductu & auspiciis tuis arma indui toties, tam variis in præliis Maiestas vestra, credo, videre potuit, quanta pro eiusdẽ salute & incolumitate discrimina adierim, pericula subierim. At modo nescio quæ me aduersa fortuna castris exciuit, ciuilibusque causis & litibus immersit, in quibus de honore, fortunis, aris ac focis, vita deniq; mea agitur: adeo vt si secundum me non pronuntietur, egens & inops omnibusque fortunis destitutus victurus sim. Hinc ô sacra maiestas, regiam tuam opem imploro supplexq; obsecro, meum vt negotiũ suscipias, ac tua potissimum commendatione meum iudices ius tueãtur, causamq; ex voto iudicẽt. Victus supplici hac militis oratione Cæsar vni è suis mandauit ad iudicem vt referret, vt suũ militi ius conseruetur, at miles indignatus & hanc dedignationẽ ægerrime ferens, aperto pectore omnium, quæ pro eo in bello acceperat, vulnerum cicatrices detexit dicens: *Non ego te Cæsar per procuratorem, periclitantem in bello Actiaco defendi:* sed meum ipse corpus hostibus obieci, quod hæcce vulnera abunde testatum faciunt. Augustus porro modesta hac militis castigatione, & vehementi eiusdem affectu nonnihil erubescens, equo quamprimum descẽdit, iudicem adiit, eique mandauit, militis vt patrocinium susciperet, eiusque causæ æqu tatem defenderet.

Hoc vt tibi accommodem, Christiane, vt inde erubescas, cogita, cum generosus ille miles Iesus Christus tibi ieiuniũ indicit, cũ te peccata plangere, pœnitentiã pro iisdem agere, aliquid sui causa perpeti vult, & tu idipsum detrectas corporis imbecillitatem obiiciens, eique per alterum, siue per procuratorem, obsequi desideras: cogita inquam, eum vulnera tibi ostendere, cicatrices pro te seruatas exhibere, tibique exprobrare dicẽdo: *At ego peccator periclitantem te in bello passionis per procuratorem non quæsiui*: dum scilicet vita tua in extremo discrimine versabatur, in monte Caluariæ, in conflictu passionis, non quæsiui qui meas partes ageret, non adhibui Angelos, ipse certamen subiui, tibi opem tuli, ego tibi vitam seruaui: quamobrem contemplare vulnerum cicatrices, vide vibices verberũ, quæ tui causa sustinui, Palpate & videte.

Eloquentiæ flumen Tullius refert, M. Antoniũ summum illum Romæ Oratorem, cum in rostris M. Aquilii causã defenderet, videretque Iudices nullos ad commiserationem verbis flecti posse, seque incassum neruos ingenii, vocem & latera intendere, reo apprehẽso pectus aperuisse, pectus inquam, vulneribus ob patriæ salutem, incolumitatemque Reipub. acceptis deforme ac dicere cœpisse: si mea vos hactenus verba P. C. flectere non potuerint, vt Aquilii causæ patrocinaremini, eiusq; misereremini, moueant saltem, q̃ in patriam suam cõtulit beneficia, moueant inquam hæc quæ ob Remp. accepit vulnera, illa quorum hic cicatrices plurimas videtis, illa vos incitent, vt hunc virum morte ereptum viuere patiamini. Et sane tãtum potuit tristis hic vulnerũ apud Iudices statuitus, vt Aquilium statim communi sententia absoluendum iudicarint. *Cic Act. 7. in Verr.*

Si te, peccator, piæ inspirationes, illæ per alios exhortationes quæ pœne quotidianæ sunt, hactenus à peccando retrahere nõ potuerint, teque vt tui ipsius miserearis, non permouerint: moueat te saltem Saluator, dũ tibi sacrum pectus nudat, mille vulneribus plagisq; deformatum, cum tibi caput spinis coronatum, manus clauis confixas, latera spiculo aperta faciem sanguine oppletam, & contusionibus liuidã exhibet, atq; ea quidẽ omnia salutis tuæ causa, tui defendẽdi ergo tolerata: & sane cum tam triste, tam lachrymabile

mabile spectaculum vides, an non commoueberis, vitamque emendabis? vitiis valedices? an nō tui ipsius misereberis, Redemptorisque tui tormenta an non te ad compatiendum excitabunt, & efficient, ne eum in posterum offendas?

*Palpate & videte.* Aliud nolite tangere ô peccatores, aut aliud conspicere quam hanc crucem, hæc vulnera, illa tangite, & palpate quā dura sint hæc intuemini & videte, quātum dolorem incutiant. crucem stringite brachiis, & in oculis habete vulnera.

Aliud obsecro Domine oculi nō videant, aliud manus non tangant, aliud reliqui sensus non respiciant, quam pretiosum & sacrū tuum corpus pro nobis compūctum, excruciatum, vulneribusque coopertum: aliud oculi speculum non intueantur, quam illud ipsum corpus, vt in eo peccati, quod hæc tibi vulnera inflixit, fœditatem, & Patris æterni iram, qui tibi filio suo noluit ignoscere, contemplentur: amorem item grandem, omnia transcendentem, infinitum & ineffabilem, quo nos prosecutus es, pro nobis [illegible] patiendo & sanguinem nostri causa effundendo, inspiciant. Sed præsta Domine, vt hinc etiam colligat anima, quantum ad redamandum obligata sit, & quale quamque diligens tibi hanc propter crucem, hanc passionem, mortem tam amaram, tormenta adeo atrocia, tamq; pertinacem longanimitatem præstare debeat obsequium.

Heu! quid est quod tibi non debeamus Domine? quid exigis? quid postulas? quomodo tibi cupis satisfieri? scilicet vt quemadmodum te ipsum nobis totum dedisti, ita quoque nos tibi totos vicissim offeramus & impendamus. hoc igitur tibi cor offerimus, vt nihil aliud cogitet quam te: hanc voluntatem, vt aliud non amet quam te: hoc denique corpus & animam hanc tibi destinamus, vt in hoc mundo tibi obsequium exhibeant, exspectantes interim, donec te in altero sæculo laudent & glorificent.

Amen.

DOMI-

# DOMINICA PRIMA POST PASCHA SIVE IN ALBIS.

Partitio.

I. *Tribulationis necessitas & vtilitas.*
II. *Dotes corporum glorificatorum.*
III. *Eucharistiæ veritas probatur.*
IV. *Gaudium Apostolorum.*

*Cùm serò esset die illo vna Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, venit Iesus & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.* Ioan. 20.

## FIGVRA.

Genes. 45. PATRIARCHA Iacob, audito, filium Ioseph, quem vt mortuum planxerat, adhuc in viuis esse, & dominari in tota terra Ægypti, somniũ se audire existimabat: & quamuis decem eius filij id ei certo certius affirmarent; nulla tamen vt crederet, vnquã potuit ratione persuaderi; sed dixit: *Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit; vadam & videbo illum antequam moriar.* Itaq; in Ægyptum descendens, & filium suum videns, irruit super collum eius, & inter amplexandũ ait: *Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Similem propemodum historiam in hodierno Euangelio videre est; nam loco Patriarchæ Apostolum conspicio, D. Thomam scilicet, qui audito verum Ioseph Christum, Dominum suum, quem mortuum prius putarat, adhuc viuere, & vniuersum orbẽ imperio moderari, fabellam, aut commentum quoddam fictitium sibi narrari existimabat: adeo vt quamuis decem Apostoli certissime sanctissimeq; Dominum sibi apparuisse asseuerarent, diceret: *Non credam nisi videro fixuras clauorum.* Atque hinc factum est, vt Domino hodie in medio discipulorum se sistẽte Thomas quam primum, vt eum conspexit, in genua procíderit, præque animi lætitia, & interno spiritus iubilo exclamarit: *Dominus meus & Deus meus.* Dispicite vobiscum, Auditores, & considerate, num eædem vtrimq; sint concurrentiæ, & non ouum ouo sit similius. Hac de re plura vobis verba facturus, in hunc locum veni, si cæleste auxilium gloriosæ Virginis interuentu impetrare valeam: quam obrem nostras prius ei offeramus preces, dicentes:

AVE MARIA.

Philosophorum moralium Princeps Seneca refert Demetrium, magnum itidẽ virum, Apophtanti tribulationes & afflictiones feciſſe, vt thegma-



Demetrij

vitam, quæ sine vlla hic aduersitate transigitur, mari quidem mortuo, quod magis quã procellosum aliquod pelagus pertimescendum est, similem esse dixerit. Demetrij porro vestigiis insistens Chrysostomus, dicere nõ est veritus, prosperitatem virtutis nouercam esse: aduersitatem autem veræ Philosophiæ matrem. Equidem eiusdem opinionis sum, & semper futurus sum, plus vt emolumenti animabus nostris, ex aduersis, quam lætis, prouenire sentiam.

Insignes de tribulatione cõceptus.

Dixit olim nescio quis, & bene quidem, neruos belli esse pecuniam: ego vero parodice & melius quoque meo quidem iudicio, dicam, afflictiones aduersitatesq; virtutum omnium neruos esse, atque verum animarum robur.

Et sane verum id esse mecum fatebuntur omnes naturalium rerum periti: quid enim aliud mundum, eiusq; generationes sustentat, quam perpetuum illud & assiduum inter ipsa elementa dissidium, adeo vt si vel ad minimum temporis spatium eadem à sese inuicem oppugnãdo desisterent, omnis illa Physica Monarchia pessum iret & deficeret. Ad eundem etiam modum cum animabus nostris agi putandum est, non posse nimirum virtutes earum nisi per tribulationes & aduersitates ingruentes, subsistere, &, propter vel etiam minimam pacem tranquillitatemque, quam ipsa prosperitas interserit, multũ iis decedere, virtutes videlicet languescere, robur earum luxari, illarumq; meritum imperium penitus collabascere.

Herbæ amaræ, vt absynthium, ac vehemens aliquod rhabarbarum, magis medicatæ sunt, quam dulciaria, vt sirupi, sacchara mellitaque: carnem præseruat à putredine sal, mel vero corrumpit: ventus ignem succendit, eiusque flammas adauget: ignis metalli scoriam excoquit, ac sublimat reliquum. Idipsum de tribulationibus dictum esto: quas æquo animo tolerare par est: ita mirandum non sit, si easdem Deus electis, imo & Apostolis suis, immittat, & tanto eos tempore per easdem probari velit. Ne hoc, inquam, vobis mirum videatur.

Omnes qui in Salomonis tẽplo insumendi erãt lapides, cõcinnati & politi Ierosolymã aliunde inuehebantur: Electorum quoq; animæ, quæ instar lapidum sunt, ad cœlestis templi fabricam prædestinatorum, tribulationum malleo contundi & poliri debent, nam per multas tribulationes in regnum cœlorum intrandum est. Noluit in veteri lege Deus, victimas sibi in sacrificium offerendas melle conspergi: vnde colligere possumus eundem ipsum Deum animas sibi in sacrificium per pœnitentiã offerendas, prosperitatis alicuius melle & dulcedine aspergi nolle.

Quin etiam maxima & præcæteris notabilia conuiuia, quę Dominus dilectis suis exhibuit nõ nisi panibus hordeaceis, duris & ad digerendũ difficilibus constabant. Vnde manifestum redditur, Deum electos suos hoc in mundo nonnisi panibus hordeaceis, cibo inquam tribulationum, pascere: ipsæ namque sunt sumptuosissimę ac nobilissimæ illæ epulæ, quas iis hoc in mundo præparauit. *Ioan. 9.*

Et sane nutrit animas, electos nimirum suos, tribulationibus Deus, donec eos vsque ad extremum deducat, vt hinc appareat, omnem auxilium ab illo descendere. Ita namq; id profitetur vates Regius, dicens: *Tu Domine exaltas me de portis mortis*, & subito eripis me, & consolationibus tuis me prostratum reereas: alibi idipsum aliis verbis repetit, dicens: *Tu deducis ad inferos & reducis* deducis scil. tribulationes immittendo, & repente consolationes immittendo, me ad cœlos vsque subleuas. Didicerat id vates ab Anna Samuelis matre, quæ se præter naturæ ordinem matrem effectam videns: hoc Deum encomio celebrat: *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Cur Deus suos, tribulationibus mittat. *1. Reg. 2.*

Testis sit lugubris ille & simul lætus casus Iob, quem tribulationes adeo depresserunt, vt omnes eum nunquam ad priorem fortunam reuersurũ crederent. At hac eum abysso Deus educit, sterquilinium in iubilum commutat, diuitias ei geminato fœnore duplicat, & centum & quadraginta annos vitę addidit, vt viderit filios filiorum suorum, vsq; ad quartam generationem. Exemplis, quãtis tribulationes prolegadre, & auxilium dii.

Hem quãta defuncti Lazari afflictio fuit, ferre quanto tempore eius Christus resuscitationẽ distulit, quam sero venit? iam enim quatriduanus erat, fœtebat, verminabat, & ecce cũ minus *Ioan. 11.* *Iob. vlt.*

minus resuscitandus videretur ad vitam redit. Ecce & aliud quidquam huic non omnino absimile apud Marcũ Euangelistam legimus. Cum Apostoli toto die graui tempestate essent agitati, & sero iam factum esset, omnesque de auxilio diffiderent: ecce tibi Christus ad eos venit mari inambulans. Quo exemplo certi reddimur, nos cum remos patientiæ agitando defatigati sumus, & tribulationum procellis concutimur, sero licet, à Deo tandem aliquando adiuuari. Sed pulcherrimum omnium exemplum nobis hodie in Euangelio spectandum proponitur: videte enim, vt Iesus Christus Apostolos, licet sero admodũ, licet ianuis, ianuis inquam spei clausis, licet triduo post grauem quam perpessi erant tempestatem consoletur. Verba Euangelij audiamus: *Cùm sero esset die illo, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, venit Iesus, & stetit in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis.* Ingressum igitur hic primo Domini, Apostolorum deinde gaudium & exultationem exponamus, quod vbi fecerimus, finem habebit & præsens hæc concio, & tota nostra Quadragesima.

Mar.6.

Principio igitur dum ipsa Textus verba diligentius mecum perpendo reperio Dominum, duas glorioſi corporis dotes hic ostendere, subtilitatem nempe, ianuis clausis ingrediendo, & agilitatem singularem toties sese vna eademq; die, tamq; diuersis in locis, manifestando. Primo namque in horto locutus est Magdalenæ in forma hortulani, deinde duos discipulos in Emaus castellum euntes, vt simul viator aggressus est: tum vero Ierosolymis Apostolis sese omnibus manifestum reddidit. Hinc certo colligere licet, Auditores, nostra, postquam resurrexerimus, corpora easdem qualitates habitura. Et hęc D. Augustini sententia, quam hic mihi sequendam proposui, *Vbi volet spiritus, ibi protinus erit corpus*, quod magnus ille Doctor à Salomone didicerat, qui olim de beatis corporibus scripsit, *Sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Huius autem gloriæ imaginem apud Ezechielem Prophetam expressam videre est, dum de animalibus à se visis ait: *Quæbant & reuertebantur instar fulguris coruscantis*: quibus verbis vates innuit, glorioſa Beatorum corpora instar fulguris agilia fore, & subito quo voluerint discursura. Habebant hæc item animalia pedes & alas: quibus denotatur, sacra illa corpora etiam alas, id est in sublime euolandi facultatem, habitura: pedes quoque quibus terram adeant & ad nos, quotiescunque visum illis fuerit, descendant.

Lib. 22. de ciui. Dei. Sap. 3. Ezech. 2.

Vidit idem Propheta rotas, quæ à spiritu quodam mouebantur, & eodem, quo ille dirigebat. An non rotæ illę, ô vates, ipsa Beatorum corpora denotant, quæ, quocunque eadem impulerit anima, vltronee sequuntur: An non meminisſtis vt Angelus Abacuc Prophetam, breuissimo temporis spatio, è Iudæa in Babylonem, quingentis passuum millibus distantem rapuerit? An ignoratis, Angelorum motu & impulsu cœlorum orbes, quatuor & viginti horarum spatio, viginti quatuor milliarium myriades, quoad primum saltem mobile, conficere? E quibus aperte cernere est, cum naturalia illa corpora, quæ à cœlestibus intelligentiis impelluntur: tanta celeritate ferantur: sanctorum corpora maiori adhuc celeritate pollere, cum eadem ab animabus sanctis semel dirigi, & impelli contigerit: quod euidenter hodie in Christo Domino videre licet, qui similem in corpore suo agilitatem declarauit. Olim quidem si forte meminisſtis, parum agilitatem ostendit, cum adhuc in viuis agens, aquis superinambulauit: hodie vero etiã eiusdem corporis subtilitatem, cum ianuis clausis ingreditur.

Dan. 14. Mar. 6.

*Ianuis clausis.* Vt hinc colligamus, nihil Deo non esse possibile, ac penes hunc omnium locorum claues custodiri: ingreditur & egreditur ille quocunq; & vndecunq; visum fuerit. Monumentum quidem sigillo obfirmatum erat, eodem tamen egreditur: ianuæ hic clausæ erant, nihilominus intrauit. Ionas quamuis duplici ergastulo ac claustro conclusus esset, ventre videlicet ceti, & maris, Deus tamen ad eum penetrauit & incolumẽ eum in littus stitit. Daniel in lacu leonum regio sigillo obsignato versabatur, quo nemo adire præsumebat: Deus tamen eundem ingressus est, Prophetamque in libertatem vindicauit. Tres illi pueri in succensa fornace constituti erant flammis rapacibus vndique

Ion. 3. Dan. 6. Dan. 2.

dique circumuallati, adeo vt nullus effugio locus pateret: illã tamen omnia penetrans vis diuina intrauit, repagula effregit, obices euertit, & nos incendio liberauit.

Peccantiũ insania putantiũ Deum peccantes non intueri.

Quanta porro stultitia tua est & amentia peccator, dũ cordis tui penetralia & abstrusos pectoris recessus ei patere nõ putas? dum cunctividentem eius oculum peccando te posse fallere cogitas? Quid? deregit illa tartara, portas infernales transit, profundissimas vsq; abyssos penetrat, & cor tuũ putas eiusdem potentiæ posse resistere? Contriuit ille portas æreas ac vectes ferreos confregit, & tu cordis tui credis claustra eũ impedire posse? perfringit illa, vt futiles aranearũ telas, vt festucas comminuit: transit omnia, perspicit omnia. Huc alludens Ezech ait, vidisse se olim duos senes qui clãculum & clausis super se ostiis adorantes, existimabant se à Deo nõ videri. Similes vos hisce sensibus dico, vos inquam peccatores, qui varia vitiorũ idola colitis, putãtes vos a Deo nequaquã conspici. Audite, obsecro, vt vestrã rideat insaniam Psalmographus, dicens: *Et dixerũt, Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob: intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite: Qui plãtauit aurẽ non audiet, aut qui finxit oculũ non considerat?* Videte porro, vt hic trãs parietem videat, & ianuis clausis ingrediatur.

*Ezech.8.*

*Psal.93.*

Venerabilis Eucharistiæ veritas adoratur.

*Ianuis clausis* Hic Theologicè nonnihil de ianuis hisce disserendũ est. Felices ianuæ! felix & faustus introitus! per ianuas hasce, per hunc introitũ, Catholici Auditores, hæreticorũ argumenta & cauillationes infringimꝰ: hinc.n. velut ex armamentario quodã arma depromimus, quibus & eorũ hæreses expugnemus, & veritatẽ Sacramenti Eucharistiæ astruamus. Hic sc. iis ad oculum demonstrare possumus, quomodo vnum & idẽ numero corpus, manendo corpus, diuersis in locis, non occupando tamen locũ, esse possit, vt in tremendo Eucharistiæ Sacramento fieri credimus. Si enim Dominus hodie clausis, vt Euangelistæ tradunt, ianuis intrauit, inde efficitur corpus Christi nullũ hic occupasse locum, vel fuisse hic penetrationem quantitatum & dimensionum alterius corporis.

Hæretici sanctos Euangelistas mendacij coarguere conantur, dũ Christum ita ingressum fuisse, vt ostia non aperuerit. *Lut. 4. Inst. c. 17. §. 30.*

Hęretici porro vim & energiã huiusce argumenti agnoscentes, quantumq; prędudicij eorum falsitatib. afferat, sacrum Euãgelistarum calamum mendacij coarguere non sunt veriti, Christũ clausis ianuis nõ intrasse asserentes. Ita nãq; Berengarius Sacramentarius, teste Guitmondo lib. 3. Euangeliorum textũ deprauare conatus est. Nostra quin etiã ætate Ioannes Oecolampadius adeo effrons & impudens exstitit, vt Christũ per fenestras, aut per camini respiraculũ intrasse dicere nõ erubuerit. O blasphemiã intolerabilem! dicere nimirũ Christum cubiculũ non ingressum fuisse, sed instar furis aut latronis aliunde irrupisse. Alius itẽ Ioannes Caluinus nempe, ait: Christum virtute quadã diuina in cubiculum, vbi Apostoli cõgregati erant, irrupisse, & quodãmodo irruisse, atq; ita ianuis clausis intrasse: neq; enim exspectare voluisse, donec qui intus erant, eidem aperuissent, sed omnipotente quadã potentia fores aperuisse, vel pessundedisse, subitoq; easdẽ fartas tectas restituisse. Petrus Martyr autẽ libro contra Gardinerũ aliud adhuc commentum excogitauit, atq; Christũ intrasse introitu sibi primũ parato, vel fores instar ceræ emolliendo, & miraculosa quadã ratificatione, extendendo, vel vt cederent aditumq; præberent, absoluta quadam potestate imperãdo.

III.

At falsa sunt hæc omnia, erroribus, impostoris, mendaciisq; refertissima: nam Ioãnes, fidus huiusce historiæ scriptor, velut notatu dignam circumstantiam, hæc verba addidit: *Ianuis clausis*, bisq; eadem repetiit, vt eo magis miraculũ celebraret: si vero per fenestras aut aliunde ingressus esset, nullũ miraculum foret. Lucas autẽ eandem historiam describens ait: *Stetit in medio discipulorum*; non præuio aliquo ad ianuã tumultu, aut vllo in tota domo strepitu. Accidit adhæc, quod omnes SS. Patres instar miraculi hũc introitum habeant, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Euthymius, & Theophylact. in hunc locum, Iustinus quæst. 117. ad Orthodoxos. S. Ambros. in vltimum caput Lucæ: Epiphanius hæresi Lxiv. S. Hieronymus Epist. ad Pammachiũ: Gregorius Homil. xx. in Euangelia, & Bernardus serm. 1. de resurrectione.

Omnes SS. Patres hunc ingressum velut miraculum celebrant.

Quænã igitur tua audacia impudentiaq; est Caluine, Europæ tyranne, tempestas pietatis, religionis & fidei pestis, tartaro educte

titio,

titio, seculi nostri labes ac calamitas, tã horrẽdas blasphemias euomere, cum tã spissam sanctorum Patrum aciẽ tibi obiectã videas?

Quinam è veteribus hereticis hoc scripturæ loco abusi sint.

Ipsi quinetiam Marcionistæ, Valẽtiniani, Origenistæ aliiq; magni nominis hæretici, qui verã Iesu Christi resurrectionẽ negabãt, hoc Euangelij loco ad impietatẽ suam astruendam abusi sunt: atq; ita argumentabantur: Verũ aliquod corpus ianuis clausis introire non potest: at Christus hoc intrauit modo: ergo corpus quod habebat, verum & perfectum corpus nõ erat. Facile quidem huic difficultati SS. Patres respondissent, & omnem si quis esset scrupulum abstuliissent, si eum non ianuis clausis, sed per fenestras intrasse, dicere voluissent: adeo vt oẽs quotquot fuere Patres, hoc insignis cuiusdã miraculi loco duxerint. Ipsi quinẽt veteres hæretici de eo minime dubitarũt, cum hoc ipsum resurrectionem Christi negarent, adhibuerunt. Solus a. Caluinus huic sese veritati audet opponere.

Sed adeste huc omnes qui miraculũ in prodigioso Christi ingressu declaratũ oppugnatis, & dicite, quid vobis de eiusdẽ natiuitate videatur? Egressus ibi est clausis vteri ianuis sine vllo virginitatis in Deipara detrimento, aut minima etiam eiusdem violatione: hoc porro sine aliqua penetratione fieri non potuit, vel ita vt corpus locũ nõ occupatit. Respondet hic, naturã secretis quibusdam dilationib. & occultis extensionib. huic rei partu prouidisse: O blasphemias intollerabiles! hoc n. sine ingenti dolore & cruciatu fieri nequeat, q; nec ipsi Mahometani audebũt asserere.

Iob. 37. Cœli solidi sunt.

Quid vero de egressu eius è sepulchro dicetis? quid de ascẽsu eius in cœlũ? *Ascendit super omnes cœlos.* Ipsi porro cœli vt appheta Iob ait, solidissimi sunt, quasi ære fusi: nõ habent fenestras, carẽt ianuis, carẽt ingressu, pfringi nõ possunt, quia corrũpi nequeũt, quomodo eos igitur pertrãsire potuit, cũ ad cælos ascẽderet? Dicendũ est igitur, vel fuisse hic penetrationem aliquã, vel corpus eius extensione caruisse, atq; ideo nullum id occupasse locũ, vel cœlos eum perfregisse: quod penitus absurdum est, & fieri nulla ratione potest.

Quomodo cœli aperti dicantur.

Quod autẽ in sacris literis sæpe cœli aperti dicantur hic locum non habet: nam hæc apertio metaphorice capienda est, vt Marci 3. dicitur n. cælum ibi apertum ac velut in duas isse diuisum partes, S. Spiritu in columbæ specie descendente. Sed mera hic metaphora est: neq; enim Spiritus S. hac diuisione ad descẽdendum opus habet, cum vbiq; locorum sit: vti nec credendũ est columbã hanc cælo descẽdisse, sed ex aere, & in aeris regione efformatã esse. Ita quoq; cum Ioan. 1. cæli descendentib. Angelis aperti dicuntur: tropologice intelligendum est: notũ est enim in cælis ianuas non esse, & Angelos, cum meri spiritus sint, nec grauibus corporib. grauati, eosdem facili negotio posse pfringere. Deniq; cum in actis Apostolorũ scribitur Stephanus cælos apertos vidisse, secundum apparentiã, & noua quadã illustratione qua vidit ea prius non viderat, apertos eum vidisse intelligi debet. *Act. 7.*

Credendum est igitur & quidem firmiter, Corpus aut par est, corpus aliq; diuersis in locis esse liquod posse, nullum tamen locum occupare: vti & pluribus mysteria Ascensionis, Resurrectionis, Nati- in locis esuitatis, & hodiernus ille ianuis clausis ingres- se potest. sus euidenter ostendunt, & fidẽ faciunt. Proferã tamẽ & aliud argumentũ, quo nullũ mihi in sacris literis ad hanc rẽ euincendã videtur exstare validius. Cum diceret Dominus facilius esse camelũ per foramẽ acus transire, q̃ diuitẽ aliquẽ regnum cælorum ingredi: petebant Apost. rigida hac sententia perterriti, ecquis igitur saluari posset, quib. deinde Dominus respondit: *Hoc apud homines impossibile est, sed apud Deum omnia possibilia sunt.* Cũ igi- *Matt. 19.* tur dixerit, Domino, rem hominib. impossibilẽ, possibilem esse, diuitẽ scil. regni cælestis *Luc. 18.* participem effici: quanto magis eidem possibile erit, efficere quod non adeo difficile est: camelum scil. per foramen acus traducere. Sĩ igitur Deus prout Christus dicebat tam vastum animal per tam angustum locũ possit cogere: quod non nisi absq; loci occupatione fieri potest: neue minor in eo sit repugnãtia, quam Christi corpus in tam exiguo subiecto contineri asserere. Non erit igitur impossibile, corpus aliquod diuersis in locis esse: nec etiam corpus aliquod verum manendo corpus, nullum occupare locum: cuius rei euidens argumentum & signum hodie videre est. Iesu Christi enim corpus hodie clausis ianuis intrauit, & statim in medio cubi-

culo

culo inter Apostolos, qui eius aspectu mirũ in modum recreati sunt, constitit.

Christus Apostolos cõsolatus.

Est hoc secundum concionis nostræ mẽbrum. Dominus igitur cum ita in medio Apostolorũ cõstitisset, hanc eis salutationem impertiuit, *Pax vobis*. Pax inquã vobis, discipuli absq; pastore, milites sine duce, peregrini sine ductore, nauigantes sine sidere, Pax inquã vobis ô pupillæ oculorum: disponite iam corda vestra ad lætitiam, præparate animum ad gaudiũ, manus ad plausus, os ad exultationẽ, linguã ad cantãdũ Alleluia, verba vestra laudẽ concrepent, vox Io pœan sonet, atq; omnes lætitiæ neruos intẽdite. *Pax vobis*, Therſitæ, ceruo timidiores, iã amplius nolite metuere synagogas, minas iam cõtemnite: nam adest ecce hic leo de tribu Iuda, qui vester in omnib. certaminib. ductor futurus est: *Pax vobis*, sumite iam animos exanimes: hic enim eum conspicitis qui triumphanti dextera & tartara cõfregit & dæmonis regnum exspoliauit. Videte hic magnum illum Alexandrũ, æterni Philippi filium, qui expugnato iam huius mũdi regno, & audito alia longè potentiora, maioraque in terræ visceribus esse ad eadem expugnãda se accinxit: quibus etiam in potestatem redactis, hodie victor de triũphatis inferis, expugnato purgatorio, limboque euerso ad superos reuersus est.

*Pax vobis*. Lætamini ô afflicti, exultate tristes: Dominus enim vester post mortẽ, & Satanam expugnatũ gloriosus & ouans sepulchrũ effregit, sigilla euertit, milites perterruit, præsidia consternauit, deniq; trophæis onustus, triũphis & victoriis turgidus, ad superos remeauit. *Pax* igitur *vobis*, nolite amplius eõtristari, luctũ exuite, cessent iam lachrymæ tuæ Petre, desine plorare ac ingemiscere Deipara. *Ecce Filius tuus*, ecce Tobias tuus nouis nuptiis exultans: videte vestes illas nuptiales, gloriam inquã immortalem, quare gaudeat modo cor vestrũ, & gaudium vestrũ nemo tollat à vobis. Quis vero Apostolorum hic gaudiũ, ac discipulorũ omniũ lætitiam verbis exprimat, aut dicendo cõsequatur? Si enim fratres Ioseph, videntes eũ principem in Ægypto factũ, ita percussi sũt, vt præ pauore loqui non possent: quantum fuisse gaudium putatis dolentium horum discipulorum, cum fratrem ac patrem suũ, magistrum suum, suum omne, resuscitatũ & quidem in corpore adeo glorioso, atque in vniuerso orbe late dominari, viderunt.

*Tob.11.*

*Gen.40.*

Quantum putamus fuisse gaudium eorũ qui in arca Noe, aquis circumquaq; sæuientib. & circumfrementib. cõcludebantur, dũ columbam ad arcam cum ramo virẽtis oleæ redeuntẽ conspexerunt: vnde euidenter colligere poterãt, aquas diluuii esse per orbem imminutas? At q̃to maius Apost. iubilum & lætitiã cubiculi angustiis concluſorũ, & propter passionis diluuium trepidantium, fuisse putandum est, cum hodie pulchrã illam columbam, Dominum inquam suum, Iesum Christum cum lauri ramo, de foris reuertẽtem viderunt, & sacratissimo ore pacem denunciantem audierunt: vnde facile cõiicere poterant sæuas illas aquas, & tumentes passionis fluctus esse imminutos. Præuiderat hoc vates regius dum diceret, *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*. Lætitia inquam inæstimabilis, incomparabilis, ineffabilis, lætitia tanta, quantus est amor eius, à quo proficiscitur: tanta, quantus dolor est, cui succedebat: tanta, quanta spes erat, quam producebat. O lætitiam, quæ verbis explicari nequeat, amoris filiam, dulcedinis sororem, spei matrem, matrem inquam, sororem & filiam incredibilis, ineffabilis, incomprehensibilis consolationis.

*Gen.7.* Allegoria.

*Psal.29.* Gaudium Apostolorum explicatur.

Tunc ô anima audiuisses dulce illud canticum: audisses inquam Apostolos vno ore confitentes quod olim Prophera Iob dixit: *Credo quod redẽptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meũ*: audiuisses vniuersum orbẽ cãtantẽ, *Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus*. Atq; inter cæteros & elatius cæteris, Thomã dicentẽ audire potuisses, ab incredulitatis tenebris reuersus: *Dominꝰ meꝰ, & Deus meus*. Dulci huic iubilo mihi interesse videor, ô anima, ac Petrũ mille admirationis, exclamationisq; signa edẽtẽ videre, atq; ita dicẽtẽ audire: O Sãson admirabilis, qui à morte captiuus detẽtus, portas carceris eius abstulisti, ac mundi cardines numine tuo concussisti! O Iona, qui tam potenter è profundo maris infernalis, & à ventre mortis reuersus es! O felix Theseu, qui inextricabilem

*Iob.19.*

*1.Cor.15.*

Insignis cõceptus.

bilem Labyrinthi Minotaurici exitum reperisti: ô prodigiose Phœnix, qui busto & rogo in crucis arbore exstructo, tanto cum amoris igne succendisti, vt ipsa etiam glacies eodem deflagrare potuisset: quique sepulchrũ intrans, in quo alii putrescunt, & in cineres rediguntur, te ipsum de nouo quodammodo producens, integer & totus quasi tui ipsius pater factus emersisti. Ne quid nimis ô Petre, contrahe lætitiæ habenas, cesset hoc gaudium, sile & reliquum salutationis huius attende.

Christus Apostolos cõsolatur.

*Pax vobis*, pax viuat in cordibus vestris, ô discipuli mei: nihil videbitis iam amplius quam descendentem cœlo Spiritum S. non videbitis aliud quam noua resultantia miracula. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Potestatem vobis dimittendorum peccatorum impertior, claudendi tartari, reserandi cœli, effugandorum dæmonum, mortuorum ad vitam reuocandorum. Quidiam aliud restat, nisi vt quasi Dii sitis & filii excelsi omnes, sicut me esse conspicitis, nisi vt nouos ad mei imitationem mundos creetis. Et sane *Ego mitto vos* vniuersum me duce orbẽ subiugabitis, mundum frenabitis. Cæsares potentissimos expugnabitis, Alexãdros debellabitis, Romani Imperii sedem Capitolium euertetis & cathedram pontificalem in Vaticano monte stabilietis. Nec vero exstimate, me inania aurib. vestris commenta occinere, aut aniles fabulas narrare, aut spectrum vos aliquod cõspicere, aut spiritu quodã phantastico agere, aut sermones miscere; *Palpate & videte*: Inspicite, tangite intus & foris & videte, nũ is ipse sum, quo in hostiũ medio derelicto fugistis; quem tam nequiter & tã turpiter, tanta infamia & ingratitudine deseruistis. Sed hoc modo nõ agimus, ignosco delicto, omnia oblitus vobiscum in gratiam redeo. Ecce vos amplector & foueo carissimi mei, vos ego stringo & diligo Ecclesiæ meæ bases & fulcra; hoc vnũ à vobis exigens, vt me diligatis, ac mei ipsius memoriã semper habeatis, ad me vnum semper respicite & nunquam vos derelinquam, sed præsentẽ in omnibus laboribus & molestiis semper sentietis. Quin & vos Christiani hic allocutus est dicens. *Palpate & videte.* Huc oculos conuertite, huc manus dirigite: videte obsecro quo redempti sitis pretio, quantaq; animæ vestræ dignitas sit & excellentia, cũ tanto redimi eam oportuerit pretio: videte, quantus peccati sit horror & abominatio, cum ad eius expiationem Dei filium tam crudelia & atrocia perpeti supplicia, proque eo denique mori in cruce, fuerit necesse. Sed iterum palpate & videte.

Considerate hæc, obsecro, vulnera, inspicite cicatrices & stigmata, ac videte quanto vos Deus amore dilexerit, quamque fidus vobis extiterit. Refert Antipatrum Herodis patrem Iosephus, cum apud Cæsarem Iuliũ cõiurationis aduersus eum initæ accusatus foret, vel quod partes Pompeianas secutus esset, vt criminis à se suspitionẽ dimoueret, suamque innocentiam Cæsari testatam faceret, Romam quamprimum aduolasse, & Cæsari ad pedes prouolutum, & pectore vulnerum cicatricib. deformi ostenso, his eum verbis supplicem esse allocutum. Quonam meo fato fieri dicam magnanime Cæsar, vt semper æmuli fortunæ meæ felicitatiq; inuiderint, meq; modo regno exuere satagant? At nullos vnquã aut acerbiores, aut capitaliores expertus sum iis, qui me paucis abhinc dieb. apud Maiestatem tuã, quasi perduellionis & coniurationis aduersus sacrum caput tuum initæ reũ detulerunt. At tantum abest, maxime Princeps, vt quidquam in te moliri ausus vnquam fuerim, tibique necem aut regno perniciẽ machinari, vt te regnumq; tuũ semper ab insidiis & conspirationibus cum lingua tum manu defenderim. Quare vt inimicorum malitiam meamque innocentiam perspectam habeas, vide obsecro euidentia fidelitatis & affectus erga te mei indicia & argumenta, cicatrices inquam & vulnera: inspice stigmata & notas in corpore meo deformes, sanguine etiamnum stillantes; quas in Cæsaris defensionem & tutelam Antipater accepit. Cæsar porro tã tristi viso spectaculo eum vt innocentem & absoluit: & vniuersæ Iudææ procuratorem constituit.

*Lib. 3. de bello Iud. cap. 8.*

At videte hic, ô Christiani, non Antipatrum aliquem, sed Iesum Christum non pectus modo, sed sacrum etiam caput, latus, ac totum denique corpus denudantem & vul-

nera, plagas, cicatrices, hiantes adhuc notas, demonstrantem, quæ vestri redimendi, liberandi, saluandi, vobisque seruiendi ergo pertulit. *Palpate* inquit, *& videte* notas & signa fidelitatis, amoris, & obsequii erga vos mei.

*Xenophon 13. Padiæ.*

Refert magnus ille Philosophus & historicus eximius Xenophon, historiam non minus egregiam, quam iucundam, qua recitata finem faciam. Potens ille Persarum Rex Cyrus, cum Tigranē Armeniorum Regem bello victum, vna cum vxore captiuum in vinculis haberet, quodam die cum mensæ vtrumque adhibuisset ridens & iocans a Tigrane petiit, quantum pro redimenda vxore vellet persoluere? cui alter confestim respondit; si mihi regnum quod abstulisti, adhuc esset, equidem ipsum pro ea redimenda libens impenderem, quod si nec hoc sufficeret, sanguinem & vitam meam insumerem.

Cyrus porro tanto amore coniugali perspecto, & eorum misertus, regnum iis & libertatem restituit. Cum vero Tigranes iam ad propria reuertisset, ad reginam ait, Quid tibi de Cyro rege videtur vxor mea? an non egregius ac magnanimus rex est, ac regio nomine dignissimus? Prudens mulier statim subintulit; Nescio quid ais, neque enim noui quid dixerit aut egerit, vnde prudentiam possem agnoscere: toto namque tempore, quo apud Persas tecum in vinculis hæsi, nunquam in alium, præterquam in eum, qui sanguine me suo liberare decreuerat, oculos habui.

Vobis ipsis hanc historiam velim accommodetis Auditores: si enim regina illa tantum se coniugi suo debere fatebatur, quod sanguinem, vitamque propriam in eius redemptionem impendere decreuisset, nullum vt alium virum in aula Persarum, præ amoris quo suum prosequebatur, vehementia ausa fuerit intueri. Quantum vos regi & sponso vestro Iesu Christo debebitis, cum proprio non modo vos sanguine redimere decreuerit, sed reipsa etiam præstiterit, tot tormenta vestri causa subierit, aliumne igitur quempiam præter ipsum poteritis intueri in aliudne quippiam quam in Christum Iesum oculos vestros in mundi huius aula coniicere.

*Palpate & videte.* Nihil aliud toto vitæ vestræ tempore quam crucifixum hunc meditamini, considerate assiduè ac semper, quantum ei ob tot tantaque ab ipso accepta beneficia debeatis. At quantus amor ille fuit quo te prosecutus est? Magnum profecto vehementis dilectionis argumentum fuit, solem in medio cursu quiescentem, ac velut hæsitabundum in axe suo, Hebræorum gratia, subsistentem intueri: at quantus amor est, cum sol iustitiæ, orbe suo deserto, in terram nostri causa descendit? Quantus amor fuisse putandus est, cum iisdem Israelitis iter per maris rubri gurgitem præbuit, quo in terram promissionis peruenirent? verum nonne maius amoris signum fuit, cum per pretiosi eius sanguinis torrentem nos ad beatitudinem cœlestem perducit? Magnus denique amor extitit, cum, vt populum suū seruitute Ægyptiaca eximeret, Ægyptiis innumeras plagas immisit: sed nō minor amor extitit eius erga nos, cum nostri causa plurimas in corpore plagas accepit, & ad mortem vsq; vulnerari voluit. Palpate igitur cicatrices, videte vulnera, ac toto vitæ tempore eadem in mente habetote, ante oculos gerite, continuam passionis Dominicæ memoriam habentes; exultate igitur in hac solemnitate Paschali, qua Christus victor ab inferis rediens, à morte resurrexit, eamque semper ex toto animo, ex tota mente, ex corde perfecto, diligite.

Figura. *Ioh. 10.* *Exod. 4.*

Sed iam

*—immensum spatiis confecimus æquor*
*Et iam tempus equum spumantia soluere colla:*

iam quadraginta diebus & amplius inærūnarum molestiarumque pelago euagatus sum, tempus est, in portum me recipere, ad cymbam quæ tanto tempore per breuia, per Syrtes, per Scylleos scopulos & charybdis voragines nauigauit, ad terram subducere. Fui, Auditores, fui ille Ionas, qui Dei iussu auribus vestris inclamaui, *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* Fuit illa vox in deserto pœnitentiæ exclamans, *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, facite fructus dignos pœnitentia.* Faxit Deus, vt hæc

*Ionæ*

vt hæc mea vox, mea latera, clamor ille meus, verba mea aliquid apud vos ponderis habuerint. Vtinam, Auditores, horum vos memineritis, meas adhortationes non negligatis, meas admonitiones animo vestro insculptas geratis: toties iam ad virtutes amplectendas, peccata detestanda incitaui, vt memineritis, obsecro, vt Deum super omnia diligeretis, & mundum odio haberetis, vos monui; vt recordemini, vt pœnitentiam pro delictis ageretis, salutemque semper vestram ante oculos haberetis iam toties insinuaui; ne obliuiscamini Deum precor.

Genes.7. Ii tempore diluuij superstites erant, cum Noachi monita, quibus ad vitæ emendationem excitabantur, vtque sibi ipsis attenderent, neglexissent, diluuij vndis submersi fuere. Sodomitæ, cum Lothi verbis quibus eos ad bonam frugem pœnitentiamque excitarat, fidem adhibere noluissent, fulmine interiere, sulphureque ac funesta Catastropha vitam terminarunt. Fui instar Noe, alter Loth vobis extiti, admonui, vt caueretis, saluti vestræ attenderetis, vt pœnitentiam ageretis excitaui, ne scilicet diuinæ vindictæ diluuium vos obruat, & iudiciorum summi numinis fulmina caput vestrum feriant. Beatum me, si credideritis, væ autem vobis, si neglexeritis, ter miserum me & ter infelicem, oleum & operam si perdiderim.

4. Reg. 4. Quam animi amaritudinem sensisse putatis miserum Elizæi Prophetæ puerum, quem ad Sunamitidis filium excitandum Propheta cum baculo prodigiorum operatore destinauit, cum omni tentata via & ratione, sese puer nec moueret, nec loqueretur, & ipse re infecta ad Prophetam redire cogeretur, dicens cum lachrymis & gemitu: *Non surrexit puer.* Simili profecto modo ad vos missus sum, Auditores, non quidem à Propheta aliquo, sed à Deo, idque cum potenti verbi Dei baculo, videlicet ad animas vestras peccato mortuas excitandas, sed eane mea fortuna futura est, vt, cum eum tanto tempore adhibuerim, & omnibus quidem, quibus adhiberi poterat rationibus & modis, suauiter nimirum & austere, præmia proponendo, & minas intentando, verberando & demulcendo, vulnerando, & sanando, ac pro viribus enitendo; vt inquam, hodierna die videndo, non esse in vocem qua de vitæ emendatione loquamini, neque sensum quo de rebus cœlestibus cogitetis, me cum lachrymis & gemitu dicere necesse sit, *Non surrexit puer*, nihil lucratus sum Domine, nihil omnino sanctum verbum tuum profuit, non surrexit peccator, vitia in eo adhuc viuunt & regnant. Quantus ille mihi futurus esset dolor, quæ animi amaritudo! Sed date potius, vt daturos vos confido operam, Auditores, ne hac me grauatum infamia domum dimittatis, verum vt lætum de conuersione vestra, de pietate, de resurrectione, deque renouatione spiritus vestri nuntium audire queam.

Interea vero immensas vobis & humillimas gratias ago, quod meis hactenus concionibus frequentes interfueritis, in conueniendo fueritis assidui, & in audiendo attenti: & si fortasse minus vobis expectationique vestræ satisfecerim, prout vobis forsitan alius, cui doctrina & vis dicendi esset maior, satisfaceret; cogitetis velim, nunquã me prius ad vos verba habuisse; & si prima forsitan vice non placuerim, omnem me posthac, si iterum apud vos verba habere me contigerit, daturum operam, vt luculentius & melius quid, ac vestris dignũ meritis adferam, & expectationi de me vestræ melius satisfaciam.

Tibi vero sancte Seuerine, insignis huius templi patrone, parochiæ huius tutela & protector, atque inter Beatorum animas ex præcipuis, quem longæ huius nauigationis meæ directorem & veluti nauclerum delegi immensas & innumeras grates ago, atq; infinitis me tibi nominibus obligatũ profiteor. Quamdiu enim orationis meæ cymba in hoc pœnitentiæ Oceano fluctuauit, tu eius astrum, eius pharo, eius Cynosura extitisti: tuoque potissimum auxilio factum arbitror, quod portum aspexerit, quod conseruata sit, & in tutum tandem locum deuenerit, ad te quoque semper in posterum meas preces & obsecrationem dirigam. Et quoniam

indigno mihi tam prompte & assidue hactenus succurristi, ad te solum imposterum confugiam, te solum ô glorioſe compellabo, qui pro me apud supremum iudicem interpelles. Perge obsecro, ô beate Seuerine, qui me tam feliciter portum aspicere fecisti, quo magis tibi me deuinctum sentiam, pro me intercedere: ac precibus tuis apud Deum obtine, vt sanctum verbi diuini semen, quod in Ecclesiæ huius, quæ, quoniam nomini tuo dedicata, in tua protectione & tutela est, agro seminauit, crescat ac fructum centesimum afferat, & profundas radices agat. Ac tandem apud Deum efficias rogo, vt hoc ipsum quod tanto sudore laboreque plantaui, tu quidem imbre aspirationis & protectionis tuæ irriges, Deus autem omnipotens largiter det incrementum. Sis deinde, potes namque apud Deum plurimum, magnique cœlesti in curia es nomini, secundus pro nobis Ieremias, & alter Onias, ora pro magna hac vrbe Parisiensi, ora pro hac tua parochia, ac pro vniuersa demum Ecclesia: ô Beate, quem inter omnes beatos plurimi facio, quem honore & veneratione imprimis prosequor, ora pro Pontifice, pro Rege nostro Christianissimo, pro Regina, Delphino, ac Principe nostro Illustrissimo: intercede pro vniuerso huius regni statu, pro omnibus fidelibus, atque adeo omnibus qui in mundo sunt hominibus, vt precibus & intercessione tanti viri tamque glorioſi; eius qui omnium Sanctorum Deus est, gratiam in hoc mundo, & gloriam in altero assequi mereamur. AMEN.

## CONCIO SECVNDA IN DOMINICAM IN ALBIS SIVE QVASIMODO.

Partes.

1. *De causis resurrectionis Dominicæ.*
2. *Cur serò venerit Dominus.*
3. *Quid ianuis clausis ingressio, & statio in medio sibi velint.*
4. *Qua pax Christi, qua mundi.*
5. *Qualia Domini vulnera fuerint.*
6. *Cur cicatrices à Christo retenta.*

*Cum esset serò die illa, vna Sabbatorum, & fores essent clausæ.* Ioan. 20.

### FIGVRA.

INter omnes veteris Testamenti Patres & Patriarchas, qui quidem Christi Iesu imago & typus exstitere, principem facile locum tenet Ioseph magni Iacobi filius, qui vera eius figura & ad prototypum quam proxime accedens, exstitit: in primis quod plus cæteris fratribus à patre amatus, quod fratribus exosus in cisternam veterem demissus, venditus, inque carceres Ægypti coniectus fuerit; dein quod eisdem ereptus ad totius regni gubernacula capessenda delectus, & mundi Saluator fuerit nuncupatus. In his quidem omnibus Christum expressit; at maxime, quod eadem ipsum inter & fratres, quæ Christum inter & discipulos, post resurrectionem, acciderint. Filij namque Iacob cum in Ægyptum profecti grauiter angerentur, ac non mediocriter percellerentur, tum ob famem & rerum omnium penuriam quæ mortales omnes premebat, cum quod vnus eorum scyphum aureum, in quo Ioseph augurari soleret, clanculum abstulisset; stabant hic quidem attoniti, anxij & trepidantes, cubiculi angustiis concluſi, pauidi & de rerum successu dubij, nescientes quem tandem res exitum esset habitura: donec tandem Ioseph in eorum medium prosiliens, dulci & amica voce diceret: *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptu? nolite*

Gen. 45.

*nolite pauere, neque durum vobis esse videatur, quod vendidistu me in his regionibus.* Idipsum in Euangelio hodierno videmus contingere: cum enim discipuli ipso resurrectionis die grauiter dolerent & angerentur, tum ob famem & caritatis penuriam, quæ per vniuersum mundum inualuerat, ita vt in omniũ cordibus illa refrixisset; tum quod pretiosum illud monile, Christus Iesus inquam, oculis eorum ereptum esset; ideoque pauidi & trepidi ob metum Iudęorum, vno in cubiculo, ianuis clausis, vt quidem Euangelista tradit, ignorantes quem tandem finem res consequeretur, se continerent; ecce tibi Iesum Christum in medio eorum consistentẽ, & suaui illos voce consolationemq; spirante alloquentem: Ego sum Iesus frater vester, cum homo sim similis vobis; sum Iesus, quẽ vestrum vnus Scribis & principibus Sacerdotum triginta denariis vendidit: cæterum nolite pauere, pax vobis; potius gaudete, & exultate, ego sum; Vniuersi hic Euangelij nucleus est & essentia, quam vt ampliorem Dei gloriam animarumque vestrarum emolumentum exponam, gratiam illius precibus carissimæ Genitricis postulemus: quod vt libentius & melius præstet salutatione eam Angelica prius salutabimus:

AVE MARIA.

I. Quotquot hactenus, vel nostra, vel Patrũ, vel etiam præcedentium sæculorum memoria, Religionis nostræ mysteria inquirere, curiosiusque pertractare voluerunt, gloriosam ac triumphalem Redemptoris resurrectionem imprimis demirati sunt, quam nũquam pro dignitate exponere potuere: sed cum abstrusas illius abyssos ingenij sui solide timari non possent, mysteriique magnitudinem difficulter admodum comprehendere, infinitis de eodem productis conceptibus varias ac multiplices, cur resurgere à mortuis Dominus, & tam admirabile opus edere voluerit, rationes produxerunt. Prima quidem à diuinæ iustitiæ iure dependet: æquum scilicet erat ac rationi consentaneũ, vt, sicut D. Thomas docet, quandoquidem hæc ipsa iustitia tam crudeles de Christo Iesu pœnas depoposcerit, & tam atrocem eum mortem adeoque ignominiosam subire voluerit; alia quadam ratione, vti promeuerat, tantum opprobrium & pœnas compensaret, id est, corpus illius in terræ visceribus nis non contineret, & à putredine corruptione- que immune præseruaret: cum enim Deus æquissimus sit & iustissimus, idcirco tam in remunerando quam flagellando æquus sit oportet, & iustitiæ tenacissimus, atq; vt vna manu castigat & corripit, ita altera præmia & mercedem elargiatur.

3 part. qu. 54 art. 4.

Prima resurrectionis ratio.

Hoc potissimum fundamento nititur & Pauli Apostoli ratio, cum Philippensibus scribens ait: *Factus est obediens vsque admortem, &c. propter quod & Deus exaltauit illum.* Ipse quoq; Christus duobus incredulis discipulis in Emaus proficiscentibus non aliam, quo illos ab errore reuocaret, rationem proposuit: *Nonne oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Idem quoque ait & Petrus in egregia illa oratione, quam omnium Apostolorum nomine, coram vniuersa Iudæorum multitudine habuit, dicẽs: *Quem Deus suscitauit, soluto doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri eum ab eo;* non secus ac si dixisset, Iustitiæ nomine coarguendus foret Deus, magnamque haud dubie filio suo Iesu iniuriam irrogaret, si eum tam atrocia passum, ac proinde meriti infiniti, sepulchro includeret, & angustis monumenti limitibus coarctaret, nam eo ipso, quod Dei filius sit, sepulchri carcere contineri non potest. Philosophum hic agere visus est Apostolus, & ad naturalem rerum ordinem quam proxime allusisse: sunt enim quædam in rerum natura corpora, quæ centro suo & naturali loco mota contineri & subsistere non possunt: Verbi gratia, ignis terræ visceribus inclusus, quo egredi & in altum conscendere queat, turrium fundamenta conuellit, vrbium valla perfringit, arces validissimas euertit: aër quoque intra terram coarctatus, erumpere gestiens, vniuersam terræ machinam concutit, & insolitos fragores & agitationes causatus, montes etiam altissimos loco mouent. Ita quoq; fieri non poterat, vt iustitiæ sol Christus, obscura mortis regione, & sepulchro tenebris obsiti concluderetur, filius Dei à morte ad vitam non resurgere.

Philip. 2.

Luc. 24.

Actor. 2.

Res naturales cum extra centrum naturale sũt contineri nequeũt.

Christus ob solam gloriam suam resurrexit.

Et sane glorioſa hæc reſurrectio Chriſto ad maius gloriæ & honoris incremẽtum debebatur: quamuis enim ad noſtram iuſtificationem reſurrexerit, tamen, quo gloriam ſuam manifeſtaret, pluriſque ab hominibus fieret; mortis eum ſpicula potiſſimum effregiſſe, inferni repagula rupiſſe, & infernorum principem colligaſſe dicendum eſt, vti eum prius, eadem de cauſa, humanam naturam aſſumpſiſſe ac mortem dein ſubiiſſe, ſcimus. Debebatur hoc ſc. verbo Dei, in quo corpus & anima mirabili quadam ratione vnita erant; quę cum mors a ſe inuicem abſtuliſſet, à diuinitate eadem vnienda, & iterum ſibi mutuo copulanda erant. Hic autem honor corpori erat acquiſitus: nam propter vnionem illam hypoſtaticam immortalitas ei debebatur: quamuis enim ad momentũ mortuum fuerit, diuinitus id & Deo volente factum fuiſſe credendum eſt.

2. Ratio.

Secunda, cur Chriſtus à mortuis reſurgere voluerit, ratio eſt, vt diuinitatem ſuam oſtenderet; quam nulla commodiori ratione quam reſurgendo probare potuit, vt etiam Apoſt. ad Rom. teſtatur: *Rom. 1.* *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ex reſurrectione mortuorum.* Tribus autem argumentis ſe Deum eſſe declarauit, primo tot tantisque, quę per omnes Iudææ angulos edidit miraculis; ſecundo tot animas; dum peccata iis remiſit, ſanctificando, & cœleſtis gloriæ participes faciendo. Tertio reſurrectione à mortuis tum alios ad vitam, abſoluta ſcil. auctoritate & præcepto, quod nulli hactenus conceſſum fuerat, reuocando: quamuis enim Elias & Eliſæus aliquos à morte ad vitã reſuſcitarint, vt è Reg. libris legenti manifeſtum redditur, precibus tamen prius ad Deum fuſis id impetrarunt: at Chriſtus ſolo iuſſu & verbo, & auctoritate abſoluta, mortuos monumentis eductos vitæ priſtinæ reſtituit, vt inprimis filium viduæ, & Lazarum quatriduanum; illi namq; ſolo verbo imperauit: *Adoleſcens, tibi dico, ſurge:* item & huic, *Lazare, veni foras.* Tum etiam ſeipſum & alios innumeros pariter ſepulcris educendo, & mortis potentiam & vires eludendo. In lib. Reg. leguntur quidem oſſa defuncti Eliſæi mortuum ad vitam reuocaſſe, at non ipſa redanimata; ſed Chriſtus reſurgens plures ſecum ſepulcris eduxit, & fecit reſurgere. Cuius rei præclaram in Geneſi figuram legimus.

*3. Reg. 1.* *4. Reg. 4.* *Luc. 7.* *Ioan. 11.* *1. Reg. 13.*

Ioſeph Patriarcha iniuſte admodum in carcerem coniectus, repertâ in oculis cuſtodis carcerum gratiâ, egrediens omnes ſecum captiuos eduxit, dederat quippe ille in manus eius vinctos omnes, qui compedibus conſtricti gemebant, & nutu eius omnia in cuſtodia tenebantur. Audiamus Scripturam: *qui tradidit in manu illius vniuerſos vinctos,* *Gen 39.* *qui in cuſtodia tenebantur, & quidquid fiebat, ſub ipſo erat.* At potiori iure de Chriſto Ieſu eadem referri poterunt, ille quippe inique accuſatus, & morti innocens adiudicatus, in ſepulchri cuſtodiam compactus eſt, & in mortis clauſtra carceremque coniectus; tantam tamen in patris ſui oculis gratiam reperit, vt de vniuerſis, qui in limbo captiui detinebantur mortuis, deque omnibus quos purgatorium expiabat, libere diſponere potuerit, & mortis & inferni claues ab eodem acceperit. Atque ob hoc initio Apocalypſeos gloriatur, dicens: *Habeo claues mortis & inferni.* *Apoc. 1.* Hinc ipſe reſurgens & terræ clauſtris egrediens, plurimos ſecum fecit reſurgere, & in libertatem effractis carceribus reſtituit. Adeo vt, quemadmodum moriendo hominem ſe eſſe demonſtrauit, ita reſurgendo verum ſe Deum declararit; in quantum enim homo, reſurgere non valebat, in quantum vero Deus, à morte immunis erat, & funeri exemptus. Fuit igitur reſurrectio hæc verum ac viuax diuinitatis argumentum, & ſupremæ abſolutæque auctoritatis & omnipotentiæ ſignum & character.

Quid cogitabas Iſaia, quid imaginabaris cum prophetando conceptis verbis diceres: *Mortui non viuent, & gigantes nõ reſurgent.* Videmus enim hic ad oculũ, vt mortuus reuiuiſcat, & gigas, de quo Pſaltes cecinit: *Exultauit vt gigas ad currendam viam,* à mortuis reſurgat. Atq; hæc ſola eſt ratio, vt quidem Epiphanius aſſerit, cur Chriſtũ doctor Gentium Paulus primitias mortuorum vocarit, non tam quod nõ amplius mortuus reſurrexerit, quam quod ſeipſum ad nouam vitam excitarit, vt qui morti dominaretur, & Parcarum

*Iſai. 26.* *Pſal. 18.* *Lib. de Incarnatione Verbi.*

carũ ſtamina imperio ſuo dirigeret ac temperaret: adeo vt reſurrectio ipſa vere opus diuinum exiſtat, & omnem humanam potentiam excedens; ipſe quoq; Chriſtus quotieſcunque Iudæi promiſſionis illius ſigna, & certiſſimum quod Dei filius eſſet characterem peterent, nullum alium quam reſurrectionis ſuę quaſi nullus ipſo maior aut euidentior foret, ſemper protulerit. in Euangelio enim Ioannis negotiatores templo eiiciẽs ait, *Soluite templum hoc, & poſt triduum reædificabo illud.* alibi quoque Phariſæis & Scribis miracula in miſſionis confirmationem poſtulantib. reſpondit, *Non dabitur illu ſignum, niſi ſignum Ionæ Prophetæ.* Quin etiam olim; vt Ezechiel populo perſuaderet, poſſe Deum ruinas vrbis & templi rudera reſtaurare, vtpote qui omnipotens ſit; coram ipſo varia mortuorum oſſa per agrum ſparſit, redanimauit, ac in pedes ſubito fecit conſiſtere Sed tranſeamus vlterius.

Ioan. 2.

Matth. 16.

Ezech. 37.

3. Ratio. Tertia reſurgendi ratio ſit, quod ipſum reſurrectionis myſterium fidei noſtræ & ſpei fundamentum ſit, omniaque Chriſti opera eodem reſpiciant, nullumue alium habeant finem: ipſa ſiquidem incarnatio, natiuitas, prædicatio, mors, vita, paſſio, miracula denique omnia, in reſurectionẽ illius confirmata ſunt. Ita nimirum argumentatur in prima ad Corinth. Apoſtolus. *Quod ſi Chriſtus non reſurrexit, vana eſt fides noſtra.* multoque apertius Propheta Iob, omnem ſpem ſuam in reſurrectione Dominica conſtituens, *Credo*, inquit, *quod Redemptor meus viuit, & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, &c. repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Idem quoque illi viatores Emaus properantes dicebant, *Nos autem ſperabamus, &c* Quid, fierine poſſet, aiebant Meſſiam ab inferis reduiuium non reuerti? credendumne, in ſepulchro eum captiuum & cõcluſum detineri? nequaquam, nam reſuſcitandum eum ſperabamus, & in reſurrectione illius omnem ſpem & fiduciam noſtram collocaueramus.

1. Cor. 15.

Iob. 19.

Luc. 24.

4. Ratio. Quarto; à morte ad vitam rediit, vt ſic omnia prophetarum oracula complerẽtur, & figuræ quæ dudũ ante hoc deſignarant veræ fuiſſe probarentur. Nam in Chriſti reſurrectione verus ille Adam, generis humani parens & auctor, à mortis ſomno excitatus eſt, & Eccleſiam, quæ vna cum ſanguine è latere eius pulchra nimis exſilierat, ſibi deſpondit. In ipſa magnus ille Moſes miraculoſè vehementes Nili paſſionis aquas euaſit, & captiuos in libertatem aſſeruit, & mortuos ad vitam reuocauit. Tũc quoque verus ille Iſaac, diuina eum protegente potentia, Patris irati manus euaſit, & ceruicem gladio ſubduxit. tunc etiam paſſer ille, quem in ſui mundationem leproſus immolabat, dimiſſus eſt, & priſtinæ libertati reſtitutus. Plura vultis? tunc etiam myſticus ille Ioſeph, à fratribus inique venditus, traditus, derelictus, poſt opprobria & captiuitatem, poſt carceris ſqualorem & anguſtias mundi totius Dominus conſtitutus eſt. Tunc etiam virga illa Aaron tormentis & ſupplicijs expoſita, mortis nocte floruit, & pulcherrimos gloriæ & honoris fructus protulit. Tunc miſer ille Mardochæus hoſte cruci affixo, purpura & byſſo indutus & glorioſus apparuit. Tunc denique Ionas, in tormentorum pelagus cõiectus, ac deinde in terræ ventre ſepultus, iterum ſolem videre, & tertia die in apertum prodire meruit.

Figuræ in CHRISTI reſurrectione cõpleræ.

*Gen.* 1.

*Exod.* 2.

*Gen.* 22.

*Leu.* 14.

*Gen.* 39. & 41.

*Num.* 17.

*Eſth.* 8.

*Ionæ* 3.

Quinta & vltima ratio eſt illa, quam Paulus in Epiſt. ad Rom. adducit. *Mortuus eſt*, inquit, *propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Egregiæ profecto rationes, quas in orationis huius exordio afferre viſum fuit, quod hodierna etiam die in Eccleſia Dominicæ reſurrectionis celebretur lætitia & gaudium: Chriſtus enim eandem, octauo poſt reſurrectionem die, coram Apoſtolis, & maxime incredulo Thoma, adſtruere & confirmare geſtiens, vulnera ſua & loca clauorum demõſtrauit, quæ ille mox ſupplex & in terram proſtratus coram omnibus adorauit. Hiſtoriæ ſeriem deſcribit Ioannes, cuius hæc ſunt verba: *Cum eſſet ſero die illa, vna Sabbatorum, & fores eſſent clauſæ*; hæc ipſa expoſiturus, primo de apparitione qua Dominus diſcipulis apparuit, deinde de vulnerum & ſignorum manifeſtatione actutus ſum.

5. Ratio.

*Rom.* 4.

*Ioan.* 20.

II. Chriſtus quinque ipſo

Principio igitur antequam longius proue-
hamur, notandum venit, quinq; diuerſas ab
Euangeliſtis Domini apparitiones, quibus

diuersis vicib. apparuit ipso resurrectionis suæ die.

ipso resurrectionis die hinc inde se manifestum dedit, describi. Primam, qua Mariæ Magdalenæ, haud procul à monumento; secundam, qua tribus Mariis à sepulchro redeuntibus; tertiam, qua Principi Apostolorum Petro; quartam, qua duobus discipulis in Emaus profecturis; quintam & vltimam, qua decem discipulis cubiculo præmetu inclusis apparuit: de qua hodiernum loquitur Euangelium. Porro quina hæc apparitio in Missa quotidie à sacerdote quinies se inter celebrandum ad populum cõuertente repræsentatur: Conuersio autem illa tacita, qua se submisse loquendo vertit, denotat apparitionem, qua Dominus Petro visus est; quod Euangelista eam tacitam prætereat, nec vbinam, quando, aut quomodo facta sit describat. His igitur præsuppositis, & hoc fundamento locato, historiam examinemus. Refert igitur Ioannes, Christum cum sero iam esset, & fores essent clausæ, Apostolis suis se manifestasse.

Atq; hoc in Missa designatur a sacerdote quinquies se vertente.

Christi diligentia in iuuandis Apostolis.

Cum sero esset factum. Id est, cum adueſperasceret, Græce legitur ὄψιας, id est, existente vespere. Bene hanc temporis circumstantiam notauit Euangelista, ita vt Christi diligẽtia & ardor moras pati nescius, manifestus fiat, quem nimirũ nec tenebræ, nec temporis importunitas impediat, quo minus Apostolos solatum veniat, & in fide quæ propemodum nutabat, confirmatum. Ita hunc zelum præsignauit olim ardens ille sponsus in Canticis, qui dilectæ suæ amore saucius, eamque summopere videre desiderans, noctem integram quærendo insumserat, adeo vt & caput suum rore matutino, & cincinnos guttis pruinosis madidos fuisse confiteatur. *Caput meum plenum est rore & cincinni mei guttis noctium.* Sero quoque ac circa vesperam hic apparere voluit, quo discipulos in vnum congregatos reperiret, vt quidẽ Chrysostomus, Leontius, Euthymius & Theophylactus sentiunt: Ipse verò aliò collineo, & aliam serotinæ huius apparitionis causam esse existimo.

*Cant. 5.*

Deus fidẽ suorum diuersis

Audito enim verbo *Sero*, quamprimum auguror & ipse mecum cogito, Deum, quãuis diuersis rationibus & mille modis fidem & spem amicorum suorum experiatur & probet; vt plurimum tamen Sero & circa vesperam ac finem, in rebus aduersis & afflictis opitulari, suisq; adesse cum nullum aliunde auxilium expectatur: quem probandi modum si Deus non vsurparet, plurimæ, quæ iam splendent & emicant, virtutes obscuræ in mundo laterent, & incognitæ. Si enim præceptum, quo Abrahamum filium immolare volebat, ille ad hoc patrandum domo egressum reuocasset admirabilẽ Isaac obedientiam nemo omnino cognitam habuisset. Si diluuium aquarum vniuersalis inquam illa inundatio nonnisi triduo aut quatriduo durasset, sinceritas, pietas & magnanimitas Noachi nemini cognita fuissent. Si calamitates & ærumnæ sanctissimi viri Iob ad primæ cladis nuntium finem habuissent, si ad primum turbinem afflictionum procella desæuisset; quis vnquam patientiam illius deprædicasset? si Idololatra Laban tempus seruitutis Iacob non prolongasset, nemo quo Rachelem amore Iacob prosequutus fuerit, perspectum aut cognitum haberet. His igitur modis suos Deus tentare consueuit, & auxilium & opem sæpius in vesperam vsque differre.

mode experitur. Gen. 22. Gen. 6. 7. Iob. 1. Gen. 29. 4. Reg. 4.

Samaria cum arctissimo obsidio circumcingeretur, & obsessi tanta intus egestate & rerum penuria laborarent, nulla vt salutis auxiliique spes affulgeret; Deus tamen, licet omnes ad eum auxilii causa peccando confugerent, eiusque opem enixissimis postulationibus efflagitarent, quasi obsurduisset, neutiquam ad misericordiam conuerti posse videbatur. Clamabant siquidem ciues, & his obsecrationibus diuinum numen flectere contendebant. Respice, obsecramus Domine penuriam & inopiam nostram, caput asini iam octoginta siclis venit, tempus igitur succurrendi nobis. Vide, vt stereus columbinum auro appendatur, subueniendi igitur tempus adest. Considera, vt miseræ matres, rabida fame stimulante, & omnem naturæ legem excedente, proprios liberos in cibum mactent, & ferales sibi epulas parent. Nondum igitur miserendi tempus? Nullæ in vrbe iam commeatus supereſt, sed dira egestas & inopia per omnia grassatur; omnes prope-

propemodum fame enecti exsanguia trahũt membra, ac deficientes per compita emoriuntur, regi quoque necessaria ad vitam sustentandam desunt. An non igitur auxiliandi tempus? ô inanem hominum spem ac fiduciam malesidam! Nouit, nouit hæc omnia Deus; momenta temporum manu sua librat, & horas dinumerat; confidite circa vesperam auxiliaturus aduenit. Et sane cum hora auxilii iam aduenisset, tanta rerum omnium abundantia & vilitas post inopiam illam & caritatem successit, tamque ampla post afflictionem benedictio, vt farinæ modius in portis Samariæ denario venierit.

Dan.14. Conijcite etiam oculos in Danielem, rerum omnium indiguin, & ab omnibus derelictum, in laci fundo iacentem leonibus septum, & præ cibi potusque penuria pene cõfectum: Iam diem integrum, Domine ieiunus transegit; tempus igitur vt in te solum speranti subuenias; leones quoq; præ fame rabiunt & efferaseunt, & prædæ auidi rugiũt, quamuis eum attingere non præsumant: succurrendi igitur tempus. Sex iam Domine dies in hoc rerum statu constitutus opem diuinam exspectat: & quamuis fortassis homo tanto tempore ieiunus famem patiatur, animal tamen rapax & in prædam natum, quales sunt leones, latrantem stomachum compescere nequit. Sume animos & confide Daniel, sero enim cum fuerit, aderit auxiliaria manus: video enim Abacuc capillitio per Angelum transuectum, in Babylonia sisti, pulmentumque mossoribus præparatum Danieli famelico deferentem.

Matt.8. Apostoli cum in lacu Genezareth nauigarent, ecce tibi subito excitari procellam, ventos desæuire, fluctus intumescere, mare turbulentum concitari, adeo vt omnes in periculo vitæ versarentur, & nauis à naufragio haud procul abesset. Ipse tamen nauita Christus secutus in carina dormitat: præsenti periculo nihilum sollicitus, quem cum Apostoli pauidi à somno excitarent, pusillanimes mox audierunt, cum diceret. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Quid ais, Domine. Vide obsecro, inquiebant, vt mare insurgat, vt venti per æquora grassentur & fluctus ad littora voluant, vide vt vndæ spument, nauis periculum adeat, omnes sibi metuant, naufragium reformident; & indignaris quod à somno exciteris, aut opem tuam imploreront periclitantes: O mysteria, ô mirabilia! Vt hinc nimirum discant fideles in Ecclesiæ nauicula constituti, in omni tribulationum procella, in omni aduersitatum tempestate ad Deum confugere, & in ipsum spei omnis ancoram iacere consuescant: tandem enim ventis imperabit & mari, magnamque & inexspectatam tranquillitatem mediis in turbinibus superinducet.

Ait olim Prophetæ Deus: *Scribe visum; & explana eum super tabulas: vt percurrat qui legerit eum*; id est; quicunque in eum oculos coniecerint; sine mora illum perlegere queant. quid autem scripturus est Domine. *Si moram fecerit Deus exspecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Vult igitur vnicuique nostrum & omnibus in genere hominibus notum esse, quin etiam sesquipedalibus litteris in corde omnium exaratum permanere, quo facile legi queat, Deum suis semper auxiliari; nec suorum, in necessitatibus, obliuisci; &, si initio venire differat, tandem tamen & circa afflictionum vesperam, adfuturum. Abac.2.

Holofernes princeps militiæ regis Nabuchodonosor cum numeroso exercitu Bethuliam obsideret; & vt se, vicinarum ciuitatum exemplo, obsessi dederent, indies instaret; summus Sacerdos Ozias & seniores populi, re bene discussa & vtramque in partem mature (vt ipsi quidem arbitrabantur) discepta, consilium tandem inierunt, in Assyriorum se manus tradere, ni intra quinque dies suppetias ferret Deus, aliunde, auxilium affulgere. Quo audito, sanctissima vidua Iudith, vtpote Dei agendi morẽ penitius cognoscens, non mediocriter cõmota fuit, indignansq; ob iniquam hanc & friuolam consultationẽ, Oziam & vniuersam populi multitudinem cõuocauit, hacq; eos est oratione allocuta, *Qui estis vos, qui tẽtatis Dominũ? non est iste sermo qui misericordiã prouocet, sed potius qui iræ excitet, & furorẽ accẽdat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitriũ vestrum diem constituistis ei?* multisq; verbis Iud.8.

eorum inertiam ac pusillanimitatem increpans, tandem concludens ait, *Exspectemus humiles consolationem eius, & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum: & humiliabit omnes gentes, quacunq; insurgunt contra nos.*

Similis propemodum historia in libris Regum legitur. Saul enim, quodam tempore prælio cũ Philistæis decertaturus, Samuelem Prophetam opperiebatur, qui victimas pro felici belli successu immolaret; verum cum Samuel diutius æquo moraretur, nec in tempore adesset, ipse moræ impatiens, dolensque tam præclaram conserendi prælii occasionem sibi elabi, sacerdotali sese officio temere ingerens, sacrificium peregit. Superuenit igitur sacrificio Samuel, & Saulem bobus immolandis occupatum cernens, imo ingemiscens corde, acribus eum verbis; quod sacerdotalem sibi functionẽ arrogasset, corripuit temeritatisque coarguit, dicens: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini DEI tui, quæ præcepit tibi. Quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternũ.* Plures hodierna die Sauli persimiles reperire est, qui quod moræ impatientes sint, multa tum agunt, tum dicunt quibus Deum ad iracundiam prouocent. At non ita faciendum est, Christiani, patienter sustinendum, & ad vesperam id est, ad finem vsq; exspectandum: tunc enim auxiliari consueuit Deus, tunc suos consolari, tunc ferre afflictis suppetias, sero inquam & dum fores clausæ sunt.

1. Reg. 13.

III. Hæretici cauillãtur Christum ianuis clausis non intrasse.

Euangelista porro secundo ipsum magna cura repetiit, vt ita miraculi subsecuturi magnitudinẽ splendoremq; magis patefaceret. Et sane nullus ante impium Caluinum dicere aut cogitare ausus fuit, Christum aliter quam clausis ianuis, conclaue, in quo Apostoli delitescebant, ingressum; quemadmodum & prius vtero materno, sine vllo virginalis pudicitiæ detrimento; & sepulchro, sine lapidis ad tutelam superimpositi læsione fuerat egressus. Omnes vero quotquot hactenus vixere Patres, mirum in modum hic inter se conspirarũt, magnoq; consensu docuere Christũ clausis & obseratis foribus ad suos introiisse; imo, nullius vnquã tantam audaciã, ne dicam impudentiam, fore credere, qui contrariũ blasphema lingua asseueret: cum nec ipsi Marcionitæ, qui hinc contra Ecclesiam astruere conabantur, Christum verum non habuisse corpus, vt Hieron. Augustin. Cyrillus tradunt, tam apertæ veritati refragari ausi sint; nec ipsi etiam Manichæi, qui tamẽ hoc etiam loco abutebantur. Nullus autem vnquam Catholicorum Patrum docere præsumpsit; non clausis sed patentibus, non obseratis sed reseratis eũ ianuis ingressum, vti modo nefarii docẽt, Caluinistæ.

Diuersæ hæreticorũ opiniones quoad hic ianuæ patefactionẽ.

Hinc tamen apertissime veritati nostri tẽporis Nouatores aduersari conati sunt, ne forte, si Christi corpus hic ianuis clausis ingressum admitterent necessario etiam, in Venerabili eum Eucharistiæ Sacramento, nullum occupando locum subsistere, fateri cogerentur: quam vt melius etiam & coloratius astruant, in varias se opinionum formas transmutant, diuersaque querunt ad effugiẽdum diuerticula. Nonnulli siquidem aiunt, ianuam quidem ipso veniente clausam fuisse, sed cum forinsecus pulsaret, mox ab aliquo apertam alii omnipotentia eum sua cãdem laxasse aut aperuisse, aut ipsam etiam sponte reductam, viam Domino dedisse docent, vt Petro in Actibus Apostolorum fores carceris patuisse constat. Alii deniq; credunt eum per fenestram aut alia quadam occulta via insiliisse. Sed ab Euangelistis omnes mẽdacii coarguuntur, diligenter notantib. obseruantibusque, ianuis eum clausis ingressũ.

Act. 12.

Cur autem ianuis obseratis, & occultè repagula penetrando, ad suos introire Dominus voluerit, variæ dari rationes queunt, & eæ è Patrum scriniis productæ. Credit namque Leontius id factum, quo Apostolos suos edoceret, ne iam amplius secundum carnem iudicarent, sed imaginationum oculos altius sustollendo agnoscerent, glorioso modo eum, cœlestibusq; dotibus insignito corpore donatum. Theodorus Heracleota ad diuinitatẽ suam declarandã, cui nihil etiam vectibus ferreis occlusum, resistere possit, sic illum ingressum putat. Euthymius, ad Apostolos nõ percellendos, si enim per ianuã intro euntẽ vidissent, credidissent haud dubie, aliquẽ à Iudæis & Pharisæis esse, ad comprehenden-

Cur Christus ianuis clausis ad suos ingressus fit.

hendendum eos submissum. Theophyl. non aliam fuisse rationem putat, quam vt hac ratione Apostolis quomodo à mortuis resurrexisset, demonstraret; eo se scilicet modo sepulchro egressum, quo iam conclaue sit ingressus.

Ioan. 20. Non ingreditur Deus, nisi vbi ianuas clausas reperit.

*Cum fores essent clausæ.* Cum Christū clausis hic foribus introeuntem contemplor, altiores animo incidunt conceptus, & docere voluisse mihi persuadeo, nullam eum domū ingredi solitum, nisi cuius fores & ianuas clausas viderit. Quinq; homini sunt ostia & fores, quinq; inquā sensus exteriores, quos, qui Deum ad se cupit diuertere, diligenter clausos obseratosq; habeat necesse est Non quod cæcos vos esse velim aut surdos, aut insipidos, vel etiā penitus insensibiles, verum vt habentes sensus, quasi nō habentes viuatis, vt in 1 ad Corinth. præscribit Apostolus.

1. Cor. 7.

Ierem. 9.

Ipse quoq; Ieremias de oculis loquens ait, mortem per fenestras illas ingredi consueuisse. Hinc diligentes ad omnes portas locandę sunt excubię, quę si obseratę fuerint, si sensus omnes nullis rebus exterioribus accessum dederint, si nihil illicitum admiserint, Deus haud dubie ad huiusmodi animā diuertet. Nam vt sponsus ille in Canticis, Amicæ suæ domum ingressurus, fores omnes & aditus occlusos reperit, adeo vt pulsare coactus fuerit, *Aperi mihi soror mea, columba mea*; ita quoq; animæ nostræ, quarū sponsus Christus est, si à dilecto visitari, & eius foueri alloquio velint, omnes mūdo aditus occludant necesse est, & nullā exteriorē voluptatem admittant. Videmus n. vt Apostoli, domus angustiis cōclusi, à Domino hic visitari meruerint, ad quos ianuis clausis ingreditur.

Cant. 5.

Christus semper medium occupat.

*Et stetit in medio.* Cum Christum in medio hic stātem video, victoria statim animo occurrit; stat quippe in medio, necessitatibus nostris vt succurrat, bona sua vt communicet, & extremitates pares reddat ac suum vnicuiq; ius tribuat. Et sane medium præ cæteris locum semper videtur dilexisse; si enim nascitur, in medio animalium nascatur, si in templo reperitur, in medio doctorum reperitur, cum moriendum fuit, inter latrones mori voluit; denique cum resurrexisse se voluit demonstrare, in medio Apostolorum stetit: atque hæc omnia, vt omnis se boni nostri principium & finem designaret.

*Stetit in medio.* Scilicet vt mediatorem se, Deum inter & homines constitutum ostenderet, vtpote qui quo hominem defenderet & interitu sempiterno eriperet, Patris iræ se opposuit, diuinæq; iustitiæ flagellum tergo excepit suo. Ita quippe aliquis è Prophetis prædixerat: *In me transierunt iræ tuæ*: fuit enim verus quidam Dauid, qui medium se, inter Angelum gladio stricto stragem edentem, & miseros subditos constituit, dicens: *Ego sum qui peccaui, ego qui inique egi.* verus etiam Ionas, qui inter miseros naufragium metuentes, & iratum mare, mediatorem se & sequestrum posuit: *Mitte me in mare, & cessabit mare à vobis.* Fuit enim vere, qui, ad homines saluādos & tempestate cœlesti eripiendos, in mundi huiusce mari nauigans, in passionis oceanū deiectus fuit, vt vel hoc pacto tempestas detumesceret, & cæteri pacifica nauigatione vterentur. Tantaq; illius bonitas est, & clementia, vt nō modo in media discrimina se hominis defendendi causa coniiciat; sed ante illum se constituens, pericula in caput suum arcessat, illum abscondens & post se celans. Scripsit enim vates regius: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ*; & alibi: *In occultū faciei tuæ, &c.*

Ioan. 20. Christus medius inter Deum & hominē stetit.

Psal. 87. 2. Reg. 24. Ion. 1.

Psal. 30.

Quamobrem cum hic & alibi, sępius eum in medio constitutum, video, non possum, quin meum illum, nec meum solum, sed & totius mundi mediatorem appellem. Vnde & Apostolus: *Vnus est mediator Dei & hominū homo Christus Iesus.* Quod vt melius intelligatur, sciendum, tria Philosophos ad medium aliquando constituendum requirere. Primo, vt æqualis illius ab extremis sit distantia, & spatium inter extremitates ad medium æquale sit. Secundo, vt de proprietatibus vtriusque extremi æqualiter participet, & cum vtroq; similitudinem & affinitatem communem habeat. Tertio, vt in medio ipsæ extremitates combinentur & coniungantur, & per ipsum extrema sibi mutuò cohæreant, quæ alias incompatibilia sunt. Exempli gratia, homo medius est inter substantias spirituales, & corporales, quod Angelis sit inferior, bestiis & brutis superior:

Tria ad medium requiruntur.

Homo medius inter Angelos & bestias.

intellectum, voluntatem, & liberum arbitrium cum intelligentiis superioribus commune habet; sensus autem corporeos eosdem, quos bruta: in ipso quoque duo extrema combinantur & vniuntur, quod animam habeat quæ de spiritu participat, & carnē quę ad corp⁹ & res materiales refertur.

Discrimen ingens inter Deum & hominem.

Quod cum ita se habeat, & hoc fundamentum veræ Philosophiæ collocauerimus; dicendum Deum & hominem duo quodammodo extrema esse, &, quoad naturam, infinitam inter vtrumque distantiam & discrimen existere; nec tantam inter cœlum & terram, album & nigrum, colores nimium quantum inter se distantes, seque mutuo semper interimentes, discrepantiam existere, quantam inter Deum & hominē. Si enim naturam vtriusq; dimetiri velimus, distantia & discrepantia infinita est, inter ipsum, inquam, quod è nihilo est, & quod essentiâ suâ est; inter creaturam inquam & creatorem. Et quamuis adeo infinitum inter vtrumq; sit distantię spatium, peccatum tum longius adhuc alterum ab altero disiunxit.

*Isa. 59.* Testatur hoc Propheta quidam dicens, *Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Cæterum in tanta inæqualitate distātiaq; nullum dari poterat medium, quod nimirum Deus sanctus sit; immortalis & infinitus; homo econtra peccator, morti & corruptioni obnoxius, ac proinde finitus. Quænam igitur extrema hæc combinandi ratio? Deus hominē induat, & ipse medium, Deum & hominem inter, occupabit; & quidem Deus Filius, inter personas diuinas medius: qui hoc cum Deo Patre commune habet, quod aliam personam gignat & producat, (cum idem cum ipso sit principium) Spiritum inquam sanctum, quem ambo spirant, cum Spiritu S. autem, quod genitus sit & productus; à Patre enim genitus. Pater vero & Spiritus S. in eo à se mutuo differūt, quod Pater genitiuam potentiam habeat; gigni vero non possit; Spiritus S. producatur & procedat, multumque ipse producat Filius autem medium tenet, quod simul & producat & productus sit.

Christus verus mediator.

Hæc de ortu, emanatione, relatione, notione & productione ad intra dicta sint; eodē prorsus modo de illa, quæ ad extra se habet, differendum; dicendumque filium Dei, etiam in quantum incarnatus, medium inter Deum & homines esse. Primo, quod Patre, in quantum humana carne indutus, minor sit; ita namque de se apud Ioannem testatur, *Pater maior me est*; maior vero ceteris hominibus, idq; propter vnionem hypostaticam, & simul ob plenitudinem gratiæ & gloriæ, quæ naturaliter vnionem hanc comitantur. Secundo, quod de extremorum proprietatib. participet; à Deo namq; infinitatem, iustitiam, gratiam & gloriam capit; ab hominib. vero paupertatem, pœnas, calamitates, miserias & mortem, inter vtramq; naturam igitur communio quædam est & vnio. Tertio, q; duo extrema vniat & quasi maritet; coniungit siquidem paupertatem & ærumnas nostras cum diuitiis & magnitudine diuina; & in Iesu Christo, Deus & homo pacem iniēre; amicitiam contraxēre, fœdusq; nullo vnquam tempore violādum pepigēre.

diatorin. ter Deum & hominē.

*Ioan. 14.*

Hūc alluſit Apostolus, cum in secunda ad Corinth. diceret, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, pacemque cum illo immortalem contrahens, quod & ipse, interea dum hic in terris ageret, aperte demonstrauit, cum semper medium sibi locum delegerit: quem etiam modo in regno cœlesti occupare cum Ioannes in Apocal. testatur, cum in medio septem candelabrorum aureorum illum stantem describat. Hodie vero rursus in medio Apostolorum stetit, eisdem salutem & pacem impertiens, amplexando exosculans, & dicens: *Pax vobis, nolite timere.*

*2. Cor. 5.*

*Ioan. 20.*

## IV.

Bellum quod cœlum inter & terram gerebatur, omnia perdebat & dissipabat; cœlum fulgura, ignes, fragores, diluuia & iustitiam producebat; terra vero spinas & tribulos, idololatriam, aliaque peccata abominanda: erant & intestina bella inter carnem & spiritum, inimicitiæq; immortales, de quibus loquens Apostolus ait: *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Bella quoq; implacabilia Iudæos inter & Gentes indies inualescebant & dominabantur: q̄ omnia Christus Dominus in mundum veniens, penitus sustulit, & pace immissa gladiū amouit. Testatur hoc idem q̄ supra Apostolus.

*Gal. 5.*

Ephes. 2. stolus ad Ephesios, *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraq; vnum.* & de eodem mox: *per crucem interficiens inimicitias in semetipso.* Plurali autem numero dicit *inimicitias*, quod omnia in eius aduentu inimicitiis, discordiis & bellis scaterent; bella siquidem erant inter Deum & homines, animam & corpus, cœlum & terrã, quæ Deus morte sua sustulit, aboleuit, & mundo pepulit, pacem eorum loco & quietem superinducens. In quam rem egregiam historiam depromam.

Val. Max. de amore erga patriã. Codrus Atheniens. rex, vt historiæ monumentis proditum est, cum Doribus bellũ gerens, cum ingentem numerosumq; exercitum conflasset, oraculum Delphicum, de rei summa belliq; exitu consulturus, adiit. Respondit Apollo, non prius Athenienses pacem, bellum finem; exercitum victoriam habiturum, quam rex inter præliandum occubuisset. Quo audito, Dores edicto cauere, ne quis in Regem Codrum manus iniiceret, aut illum quamuis inermem, prima in acie constitutum, interficeret. Codrus autem, pacis & patriæ amans vt qui plurimum, & metuens ne sui cladem, & hostes victoriam referrent, hostile consilium elusit; nam posito diademate & paludamento gregariiq; militis habitu assumpto in cõfertissimum hostium agmen se coniicit, itaque ementitio schemate incognitus occumbẽs, morte sua suis victoriam, & vniuersæ Græciæ pacem peperit.

Codri mors morti Christi collata. O amorem admirabilem, & amplissimis dignum præconiis! Idẽ omnino Christo Domino, totius vniuersi Monarchæ euenit. Videns n. mundum hũc inferiorem discordiis flagrare, inimicis suis bellum indicere constituit: antequã tamen bello decertaret, diuinum consuluit oraculum, quem tandem successum & exitum certamen esset habiturum. Cõmuni hic voce responsum; nõ prius bellum sopiri; pacem cõponi, victoriam referri posse, quam dux ipse in certamine gloriose occumberet. Hostes igitur hoc cognito vetuere, ne quis in ipsum violentas manus iniiceret, omnique ratione impedire conati sunt, ne in passione occumberet, ne suis moriendo pacem afferret, neue inclita tot sæculis discordia cæde sopiretur. Verum generosus ille Monarcha, qui pacem allaturus aduenerat; hostium detecto consilio, vitamque suam publicæ saluti & commodo postponens, Deum quodammodo exuens hominem induit; sepositaq; maiestate diuina, humanam fragilitatem, & serui formam assumpsit; vnde Apostolus, *Formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Atq; hoc schemate indutus, in medios se hostium cuneos coniecit, & ita incognitus in crucem actus fuit, in qua moriens luculentissimam victoriam retulit, pacemque generalem mundo peperit, pacem illam quam hodie Apostolis impertitur, dicens, *Pax vobis.*

Phil. 1.

Ioan. 20.

Christus pacem imprecatus vulnera sua manifestat.

Pacem autem hanc suis precando, vulnera manuum pedumque, & fixuras clauorũ demonstrat; perinde ac si dixisset, Anne timebitis, charissimi cum vulnera hæc intuemini? in his spem figite, hæc vos solentur & confortent. Sponsus in canticis, vt dilectam suam in tuto collocaret, & ab omni hostili incursu defenderet, metum quoque & formidinem eriperet, in foramina petrarum eam inuitat. *Columba mea veni in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ,* id est, in sacra hæc Christi vulnera, in quibus animæ sanctorum, columbæ illæ simplices & sine felle, requiem inuenient, & à rapacibus vulturibus & miluis tutæ permanebunt.

Cant. 2.

Pax quam nobis Christus reliqt, multo labore parta est, & magni constitit.

Deinde ideo, pacem impertiendo, vulnera & cicatrices vulnerum manifestat, vt discipuli hinc, quanto sudore & ærumnis pax hæc parta sit, discerent; perinde ac si illis dixisset, Videte obsecro carissimi, quanti mihi hæc mediatoris dignitas constiterit; videte quid pacem procurando lucratus sim; testes sunt cicatrices hæ & stigmata; cruentæ illæ vulnerum notæ, sanguine etiamnum stillantium, euidens testimonium dabunt, quanti hæc mihi mediatio & pacificatio constiterit. Docere quinetiam nos voluit, quanti pacem hanc facere & æstimare debeamus, quam tot nobis sudoribus, tot laboribus & ærumnis comparauit, pacem inquam, quam morte sua & vitæ dispendio nobis lucratus est.

Notate autem, duplicem hoc in mundo pacem statui posse; vnam quæ à Deo de-

Duplex pax.

scendit omnis auctore pacis & concordiæ; de qua dicitur, *factus est in pace locus eius*: pacem illam desiderabilem & votis omnibus exoptandam: alteram, quam mundus adfert, & habere se putat, pacem fucatam, perfidam, & bello deteriorem, mundus enim pacem ore præfert, sed bellum & discordiam corde fouet, vt Psalmographus monuit, *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.* Si Ioab Abnerem in amplectendo, & amicis eum verbis compellando, cor suum patefecisset, nunquam illum tam perfide ac proditorie interemisset; vidisset enim ille haud dubie latens in corde virus, odium, & inimicitias quas fouebat. Mundi huius imaginem gessit versipellis hic Ioab; qui nos adulando, blandiendo, amicitiamque præ se ferendo, amorem mentiendo, sæpenumero obtruncat. at si perfidiam quam celat, si technas quæ imo corde latent cernere possemus, non tam facile in casses nos suos traheret incautos. Impius quippe pacem ore loquitur, & bellum corde spirat; ac pax diuina à corde, & in verba similiter pacem spirantia desinit. Hinc Christus discipulis pacem hodie donans, manus illis & latus ostendit. quod haud procul à corde abest; vt manifestum fiat, pacem corde se & ore præferre, nec minus re quam verbis amicum esse.

*Pſal.* 75.

*Pſal.* 27. *2. Reg.* 3.

Pax cum mundo inita merum bellum.

Viuat igitur pax diuina, non autem illa quã mundus præfert. Pax n. quæ cum mundo initur, quæ cum prauis affectib contrahitur, Pax non est, sed bellum inimicitiæ. Vnde Rex quidam Ezechiam esse credo, lacrimans dicebat, *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Nã vt in Mercurii caducea serpentes illi circumpositi seipsos exosculãtur; ita in mundo, nouo illo Mercurio, pacis ementitæ nuntio qui se mutuo amplectuntur & exosculantur osculo amicitiæ, serpentes sunt & virulenti: quales sunt ii de quibus apud Prophetam legimus, *Qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem.*

*Iſa.* 38.

*Mich.* 3.

Mundani vulpibus Samsonis comparantur.

*Iud.* 15.

Vulpes Samsonis caudas quidem colligatas habebant, sed nonnisi ad messem destruendam, & sui ipsarum deflagrationem; Quid autem aliud sunt mundi huius assectæ & amatores, quam vulpes subdolæ & versipelles; quos si interdum amicitia inter se conneros videas, nõ nisi ad perniciem aliorum amicitiam illam cessuram crede; hac ipsa alios euertunt, fortunarum proximi naufragium causantur, familias nobilissimas destruunt, famam alienam lædunt, & simul cum aliorũ interitu seipsos ruinæ inuoluunt. Illa nimirum mundi huius pax est, & amicitia: at pax, quam Christus donat, amoris est vinculum; cordium vnio, voluntatumque in virtutum, pietatis, diuinique obsequii exercitio sympathia & consensus: atque ideo Christi discipulis & sequacibus, & non mundi mancipiis traditur.

*Pax vobis.* Efformabant veteres, vt Pausanias & ex eo Pierius Valerianus tradunt pacem, forma muliebri, quæ Pluto diuitiarum Deo vbera sugenda offerret, eiusque nutricem ageret Innuere nimirum volebant, nihil esse quod regna magis beet, prouincias feliciores reddat, diuitias plures & copiosiores causetur, quam rerum publicarũ inter principes pax & concordia Hinc etiam Chilon dicere solebat, amorẽ vel pacem, natiuitatis, discordiã vero ac bellum, feralem & mortis clauim manu gestare. Vnio quippe ad natiuitatem imprimis necessaria est, diuisio vero & discordia mortis est causa: & verbum diuisio sæpissime in sacris litteris pro morte accipitur, vt in loco illo Paralipomenon, vbi cum legitur, *Contristatus est Dauid, eo quod diuisisset Dominus Ozam.* de morte sermonem esse certo certius est. Domus aut ædificium cum diuiditur & rimas agit, ruinam minatur: nauis quoque quæ circa latera aut proram rimosa aquam bibit, in naufragii periculo versatur: ideo quoque virginitas coniugali statui præfertur, quod qui connubio iunctus est, teste Apostolo diuisus sit. Adeo vt, quemadmodum discordia & diuisio mundo noxia est, ita pax salutaris sit & vtilis.

*Ioan.* 20. Pacis genus.

*1. Paral.*

In hanc rem tradit Clemens Alexandrinus, Cleantem Stoicum Philosophum litteris aliquando mandasse, ideo Apollini, id est Soli, chelym olim esse dedicatam. Quod iubar in oriente fulgens mundum veluti pulsans, in concinnum aptumq; cursum lucem deducat. Nam vt citharœdus, hanc chordam depri-

*Li. 5. Strom.*

deprimendo, illam vero exacuendo, omnes inter se coaptat, vt harmoniam reddant suauissimam, & sonum edant auribus gratissimum: ita sol lumine se suo interdum sustollens, interdum demittens, res inferiores superioribus & cœlestes terrenis attemperat; adeo vt & in elementis, & in totius vniuersi statu pax & concordia reperiantur. Sed relicta fabulosa hac interpretatione, verius hoc de Christo Iesu, qui idcirco in Sacris literis sol iustitiæ appellatur, dici potest; ipse enim vere omnia hoc in mundo coniunxit, & sibi mutuo conciliauit, pacem vniuersalem orbi afferendo

Ioan.20. *Pax vobis.* Christus, ecce, nonnisi de pace loquitur, pacem solam vult, præter amorem & dilectionem nihil quærit. In quam rem venit mihi hic illius in mentem, quod de M. Lib.1.c.19. Catone Roman. refert Alexander ab Alexandro: intantum enim summus ille vir pacem diligebat, vt in annuli quē gerebat gemma, sequens sculpi iusserit elogium, *Amicus Venus, inimicus nullus.* Tradit etiam Plato, regē Gygem gemmā, quę in fronte draconis in India reperitur, vt plurimum è digitis gestare solitum, quæ pacis olim & cōcordiæ symbolum erat; vt hac ratione pacis se studiosum & belli inimicum ostenderet: quem imitatus etiam Christus Redemptor noster, nonnisi de pace apud suos agit.

Ioan.20. *Pax vobis.* Verba hæc & sententiam exponēs Magnus Pontifex Gregorius, ait, Dominum veram & iucundam pacem afferre Lib.4.in1. iis, qui mundo fores occlusere, & nulla terKg.c.4. rena negotia in animum admittunt. Soli enim qui mundo valedixere, illius vanitates explodunt, Monasticam vitam profitentur, & in deserta & solitudines quietis potiundæ ergo secedunt: vera pace gaudent, & sinceris delitiis perfruuntur: qui num veritatem dicam norunt & me, si mentiar, mendacii arguere queunt. Quamobrem finem hic faciam, & in pace hac primum cōcionis membrum terminabo, ad alterum properans: quo Christi vobis vulnera manifestabo, mysteriaque illorum patefaciam.

V. Crucifixus discipulis

Dominus igitur mox vt conclaue in quo Apostoli ob metum Iudæorum delitescebāt, ingressus est, & pacē iis precatus: quo se illis manifestiorem redderet, fixuras clauorum quibus cruci affixus fuerat, iis ostendit, manus inquam, pedes, & latus præsertim omnium oculis exhibuit. Quamuis enim Lucas lateris nullam mentionem faciat; Ioannes tamen eiusdem meminit: qui vicissim de pedibus silet, quos tamen Lucas asserit, eum Apostolis ostendisse. In eo autem omnes Sācti Patres consentiunt, vulnera hæc non superficie tenus aut ementita fuisse; sed vera, quæq; perpetuo in sacro Christi corpore futura sunt: & hoc potissimum Zachariæ Pro- *Zach.13.* phetæ loco confirmant, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* quod à Christo Angelos, spiritus illos cœlestes pertisse fit verisimile, cum cœlos conscenderet gloria cœlesti in æternum fruiturus: quemadmodum olim Isaias petiit, *Quare rubrum est in- Isa.63. dumentum tuum?* Aug. autem his omnibus suffragatur accedens, ait Dominum, cum ad *Epi.49.q.1.* iudicium venturus est, plagas suas & cica- *& l.20.de* trices vulnerum, ad maiorem inimicorum *ciuit.ca.30.* confusionem & Iudæorum infamiam in cor- *Ioan.19.* pore gestaturum; in qua sententia S. Ioannes clare præluxit dicens, *Videbunt in quem transfixerunt.*

vulnera sua ostendit. *Luc.24.* *Ioan.20.*

Disquirendum autem hic est: qualia & cuius formæ hæc vulnera fuerint: credit Augustinus, vt glorioſi & beati status, quo Christi corpus iam donatum erat, perfectionem omnimodam statuat, eadem non patuisse: indignum, sc. esse & præter beatitudinis decorum hiantia, cruentaq; corporib. Sanctorum vulnera affingere carnemque illorum mutilam & truncatam credere. Qui taciræ simul obiectioni, quinam igitur Thomas fixuras clauorum in manibus pedibus & latere digitos iudere potuerit: respondebit, Corpus glorioſum, ob egregiam subtilitatis dotem, alii corpori tangere volenti cedere posse & non posse, & ita B. Thom. vulnera lanceæ & clauorum potuisse tangere, etsi non hiarent, & carne oppleta forent. Verum alia sententia & communior est & veracior: nemque quinque vulnera illa semper patuisse. Neque enim necesse est, ob neruorum, venarum, carnisq; cohærentiam & continuitatem, nouum miraculum cudere, neq; etiam imperfectionem beatitudinis arguit, si caro in vul-

Ingens circa hæc vulnera difficultas.

in vulnerum locis desit, & concauum carne vacuum in beato corpore reperiatur, cum hoc nulla ratione excellentiam pulchritudinis, quæ in glorioso hoc corpore emicat, diminutum eat, sed auctum potius & illustratum; foramina namque & scissuræ in chirothecis, per quas annulorum gemmæ transparent, ad ornatum sunt & decorem: vt & vestium aperturæ, per quas subtus latens aurum & bractea, aut aliud subtilioris byssi genus translucet. Christus igitur redemptor post resurrectionem suam in triumphi & gloriæ signum, plagarum & vulnerum suorum cicatrices ostendere discipulis voluit.

*Ioan. 20.* Christus vna cum sanguine suo resurrexit.

*Ostendit eis manus & latus.* Hinc igitur sine vlla refragatione inferre & astruere possumus, Christum simul cum corpore, anima, diuinitate, vulneribus, quin & cum sanguine suo, resurrexisse: sanguine inquam suo. Credibile namque est Angelos, priusquam à mortuis resurgeret, omnem, quem in monte Oliueti, in prætorio Pilati, per vrbis Ierosolymitanæ vicos, denique & in monte Caluariæ effuderat sanguinem, diligenter collegisse. Adeo vt verosimile sit, imo certo certius, nullam notabilē sanguinis Christi quantitatem in terra remansisse. Huius opinionis est angelicus Doctor Thomas, in cuius sententiam libens secedo, qui etiam asserit, omnem, qui in variis orbis partibus ostenditur, sanguinem, Christi sanguinem non esse, at ex imagine aliqua, permittente Deo, miraculose & prodigiose effluxisse.

Non est notabilis aliqua quantitas sanguinis Christi terræ relicta.

Eiusdem opinionis & fuisse videtur Athanasius fidei illud scutum inexpugnabile, quemadmodum in septimæ Synodi Constantinopoli celebratæ actis legitur: Dixi quantitatem notabilem, neque implicat, aut inconueniens est, credere exiguam aliquam guttulam spineo serto, clauis, cruci, sacræque sindoni & sudario, quod Veronica crucem baiulanti porrexit, adhæsisse: quamuis tamen is ipse, quem in vitreis vasculis & lipsanothecis videmus, sanguis proprie, quoad substantiam, non sit, sed color tantum sanguinis, qui iam euanuit, nec amplius iam comparet. Est quin etiam Extrauagans quædam Pii II. Pontificis, quæ ait, fidei non aduersari, credere Christum aliquam sanguinis portionem in sui memoriam & passionis reuerentiam hic in terra reliquisse.

Tradit quoque Nicephorus Callistus in primo historiarum libro, Deiparam & Ioannem Apostolum, Dominicæ passionis tēpore, aliquot sanguinis Christi guttas in vasculo collegisse, quas magna dein diligentia & sollicite admodum conseruarint. Hinc est quod quemadmodum fidei non repugnat, credere, aliquam sanguinis nutritiui Christi Iesu partem in terra mansisse, ita ratio nulla dari possit, quæ nobis id credere persuadeat. Quamuis certum sit, sanguinem Christi, si quis in terra remanserit, cum diuinitate iam nulla ratione coniunctum esse, quod hic humanitatis eius pars nec modo sit, nec futurus sit: veruntamen, quamuis iam eidem vnitus non sit, adorandus est, quod prius vnitus eidem fuerit. Hęc doctioribus dicta sunt, ad vulnera iam postliminio reuertor. *Lib. 1. c. 20.*

*Ostendit eis manus & latus.* Vulnera hæc foramina, antra & cauernæ maceriæ in Canticis dicuntur, *Veni columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*; quem pleriq; Hebræorum locum hoc modo transferunt; *in ciuitatibus rupis*, aiunt enim per verbum hoc apud Hebræos sphæram, ambitum, & circuitum terræ designari: quod quam pulcherrime lateri Christi adaptare licet, quod vniuersum terrarum orbem, simulque, omnes eiusdem incolas comprehendere & continere valeat. Verborum autem sensus hic est, Charissima mea, instar columbæ pauida & meticulosa, in foramina te petræ absconde, id est, sponsi vulnera, & in cauernam maceriæ, id est, latus illius, secede. *Ioan. 20.* Christi vulnera foraminibus collata. *Cant. 10.*

Huc allusisse videtur & Deus, cum Mosi vultum suum videre cupienti ait, *Est apud me locus, & stabis supra petram, & transibo, & abscondam te in foramine petræ, & manu mea protegam te.* Quasi dixisset: Nimis sublimia sunt desideria tua Moses, maiora æquo petis, sperasque impetrare posse, quod penitus fieri nequit: sed, audi locum tibi demonstrabo: stabis nimirum in petra, & ipse ante te transibo, &c. Respexere huc etiam plura alia scripturæ loca, vt ille Esai. 2. *Ingredere in pe-* *Isa. 2.*

*in petram, & abscondere in fossa humo, à facie timoris Domini*: consulit nimirum peccatoribus vt in petra, quæ Christus est, delitescãt & abscondantur: simulque fossam humanitatis eius, ad diuinum furorem declinandũ, ingrediantur. In Psalmis etiam legitur: *Montes excelsi ceruis, & petra refugium erinaceis*: id est, iustis, qui per ceruos denotantur, habitaculum sunt excelsi diuinitatis, maiestatis, prouidentiæ, prædestinationis, præscientiæ montes, in quibus noctes & dies contemplando, meditandoque per sancta desideria exspatientur: petrarum autem foramina, id est, vulnera incarnati Christi, miseris peccatoribus, refugium, in quibus herinaceorum instar delitescant.

Psal.103.

Abac.3. Christi vulnera cornua appellantur. Psal.111. 1.Reg.2.

Noui conceptus. Abacuc Propheta, sacra hæc vulnera cornuum nomine appellat: *Cornua manibus eius ibi abscondita est fortitudo eius*. Porro cornu in sacris literis symbolum est fortitudinis, vt Psalm.74. *Nolite extollere in altum cornu vestrum*. Item 88. *Exaltabitur cornu vestrum*. Et: *Cornu eius exaltabitur in gloria*. Et primo Regum: *Exaltatum est cornu meum*. Ecclesiast. quoque 47. legitur. *Exaltauit in æternum cornu eius*; aliisque locis innumeris. Christus autem cum in manibus gestare cornua, quæ natura animalibus in fronte dedit, dicitur, de vulneribus intelligendum est, quæ manibus gessit, quæque magna meritorum illius fortitudinis pars fuere.

Ité fontes. Isai.12. Iud.7. Gen.26.

Isaias vero fontes salutis & vitæ eadem nuncupat: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, id est, de vulneribus Christi Iesu: ad Hebraicos quippe fontes transferri potest, *de visceribus Saluatoris*, quæ nobis per acerba hæc vulnera abunde patuerunt. Hæc nimirum scaturigines & fontes sunt quos animarum nostrarum hostis diuertere, alioque deducere gestit, ne aqua gratiæ & salutis inde scaturiens mentes nostras inebriet. In cuius rei signum Holofernem historiæ produnt aquæ ductus Bethulienses & fontes aquarum obturasse, aut alio deduxisse: Philistheos quoque Isaac detestatos, pueros quos Abraham reliquerat, lapidibus implesse, adeo vt nulli postea vsui fuerit, quos diaboli etiam imitati, præ inuidia impedire conantur, ne aqua vulnerum horum ad nos dimanet.

Appellantur adhæc sculptura, vt apud Zachariam: *Super lapidem vnum septem oculi sunt, ecce ego celabo sculpturam eius vt Dominus exercituum*; quem locum magnus Hier. de Christo Iesu interpretatur, putatque Scripturam hanc de sacris illius vulneribus intelligi: quod Pater æternus vulnerari eum, tum à clauis quib. cruci affixus est, tum à lancea militis, quæ corpus illius plagis & contusionibus quodammodo arauit & sculpsit, voluerit, igitur beata ac ter beata vulnera! *Ostendit eis manus & latus*. Christus porro resurrectionem confirmaturus, non Philosophorum more, syllogismis, Sophisticis demonstrationibus, Enthymematibus, aut Epichirematis, aliisque argumentis topicis est vsus: sed reipsa, & miraculis euidentibus ad oculum eamdem asseruit. Quanta autem horũ argumentorum efficacia & robur? an non enim magnum prodigium, terram concutere, vtrumque mundi cardinem cõmouere, mortuos ad vitam reuocare, sepulchra reserare, infernos carceres spoliare, Angelorum apparitionem inducere, vigiles percellere & exanimare, Pilati sigilla infringere, lapidem ab ostio monumenti reuoluere, naturam in admirationem rapere, mundo se post mortem manifestare, vulneraque astantibus patefacere? O miracula insolita & inaudita, imo vix vnquam visa!

Zach. 3. In commẽt.

Ioan. 20. Christus resurrectionem suam miraculis, non Sophisticis argumẽtis probare nititur.

VI.

Ioan. 20. Christus cur vulnera retinuerit.

*Ostendit eis manus & latus*. At quoniam de vulneribus longior iam sermo incidit, non omnino abs re videtur, rationes inquirere, cur eadem à resurrectione Christus retinere voluerit: Patres nobis easdem suppeditabunt: quas vbi audieritis, pulchras haud dubie & egregias iudicabitis. Primo, in signum victoriæ, ita D. Thom. *vt in perpetuum*, inquit, *gloriæ suæ triumphum circumferret*. Beda deinde ait, non aliquod imperfectionis aut impotentiæ signum fuisse, Christum cum vulneribus resurgere, sed perpetuum cuiusdam triumphi & victoriarum de hoste relatarum monumentum. Chrysostomus credit, quamuis vniuersum Christi corpus rediuiuum & à monumento redux, lucidissimum & splendidissimum fuerit, vulnerum tamen

3.part.q.54. art.4. & opus.60.c.22 in ca.24. Luc. In signum nimirum victoriæ.

tamen loca & cicatrices sole tunc fuisse splẽdidiores: ex ipsis quippe emicabat quidam fulgor ac lucidi diuinitatis radii qui omniũ oculos lumine suo & iubare præstinguerent.

Glorioſas igitur has cicatrices in glorioſo corpore ſeruauit, vt generoſum & ſtrenuum ducem imitaretur. Vt enim militi glorioſum eſt, prælio peracto, obtuſis armis, hebetato ac ſemifracto gladio veſtibus laceris, manibus hoſtili ſanguine cruentatis, facie puluerulenta, vulneribusque deformata, ad ſuos reuerti: ita profecto non modica Chriſto regum Regi gloria fuit, è cruento paſſionis conflictu, vulnerato & cruentato corpore recedere: has quippe plagas velut fidas animi ſui teſtes, virtutisque indices retinere voluit, vtiiſdem velut titulis, elogiis, patergis & acroamatis humanitatis ſuæ ſcutum inſigniaque condecoraret.

*Thren.3.* Chriſti paſſio ſcuto comparatur.

Scutum dixi, quod ita vſurpatum vocabulum hoc apud Ierem. legam, *Reddes ei*, inquit, *vicem Domine iuxta opera manuum ſuarum, dabis enim ſcutum cordis dolorem tuum.* De Iudæorum hic peruicacia agit, qui ſe excuſare nitebantur, quod Chriſtum debito non eſſent cultu proſecuti: cum inſtar aliorum hominum eum occubuiſſe, & ſepulchro reconditum cernerent: ait igitur, Pro meritis eos caſtigabis Domine, paſſionemque tuam & dolores, vti cordis illorum ſcutum, ſtatues. Gregor porro locum hunc interpretatus ait, Chriſti paſſionem deſtinatam Iudæis vt eſſet ſcuti loco, quod eadem, ſi prout par erat eam ſibi applicuiſſent, aſylum, protectio & aduerſus omnia pericula & fallacis mundi incurſus, clypeus & vmbo impenetrabilis fuiſſet. Et ſane Pater cœleſtis filium in terram miſit vt inſtar ſcuti inexpugnabilis & clypei validiſſimi Eccleſiam ſuam protegeret ac defenderet.

*Lib.1.in 9. Æneid.*

Referunt T. Liuius, & cũ eo Seruius Honorans tempore Numæ Pompilii ſcutum quoddam cœlo delapſum, quod ancile nominarunt. Oraculum de rei euentu Numa rex conſulens, reſponſum tulit, tam diu Roman. Imperium ſaluum & incolume fore, quamdiu ancile hoc Romæ ſeruaretur: at eodem ſublato aut perdito remp. quoque perditum iri. Quo audito, vndecim alia, ad cœleſtis illius ſimilitudinem, ancilia ſculpi à Mamurio præcepit, vt ita alterum ab altero non eſſet dignoſcere, & nemo hac ratione ſacrum imperii pignus & tutelam auferret, ſed ſimilitudine & rei incertitudine deterritus à cœpto deſiſteret.

Melius hoc & aptius de Chriſto Ieſu, eiuſque morte, paſſione, & vulneribus dici queat, qui non ob aliam cauſam cœlo deſcẽdit, quam, vt velut clypeus & vmbo, protegeret eos, qui diligenti cuſtodia eũ penes ſe ſeruare niterentur. Et quoniam Iudæos cõprimis ſaluaturus venerat, ideo apud eos naſci, & ancile illud regiũ & pretioſum penes eos deponere voluit. At Satan, qui late tunc per orbem imperitabat, omnesque imperio premebat, cognito, Propheticis oraculis prænuntiatum, rempub. illam conſeruandã & immortalem fore, & ceteris dominaturam, quæ ipſum magna ſedulitate ſeruare conaretur, omni ſtudio eum abſcondere, eiuſque honorem imminuere, imo celare cõtendebat, atq; ideo, ne quis ipſum agnitum clanculo auferret, ceteris ancilibus permiſcuit, ne ita verum ancile agnoſceretur. Qui quoniam è vulneribus, & ſanguine etiam facile à quolibet agnoſci potuiſſet, ideo ceteris eum maleficis & ſupplicio extremo afficiendis, vt Barabbæ aliiſque homicidis carcere detentis, ſimilem reddidit. Quin & cum in crucem iam agendus eſſet, omni ratione contẽdit, vt medius inter latrones exſpiraret, vt ſimul cum latronibus latro, cum ſicariis ſicarius appareret, nihilque ab eiſdem diſcreparet. Ideo Propheta prædixit: *Et cum iniquis reputatus eſt*: Sed iam æquo diutius euagati, ad lineam redeamus vulnerumque Seruatoris cauſas reddere pergamus. *Iſa. 53. Marc. 15.*

Reſurrectio difficilis ad credendum.

Saluator igitur mundi glorioſa hæc vulnera in ſacro corpore retinere voluit vt ita fidem noſtram confirmaret, reſurrectionis inquam ſuæ veritatem aſtrueret: eſt enim reſurrectionis articulus ad credendum perdifficilis. Inualuerat iam namq; apud omnes, & cunctorum animis inſederat, commune illud, & in Philoſophorum ſcholis vſurpatum principium & ſcitum: *A priuatione ad habitum non dari regreſſum*, id eſt, Neminem forma priuatum aliqua eandem iterum recupe-

recuperare posse; cæcũ, verbi gratia, oculorum vsum; surdum, aurium; mutum linguæ. Cum autem mors omnium priuationũ maxima & funestissima sit, vtpote quæ non visu solum aut auditu priuet, sed instar nobilis prædonis & piratæ, omnes corporis nostri sensus auferat & diripiat, hinc est quod naturaliter loquendo, nemo à morte ad vitam redire possit.

S. Paulus Athenis exsibilatur, cum de resurrectione ageret.

Atq; hæc ratio est, Auditores, cur Apostolus Paulus Athenis, vbi ingens Philosophorum omniumq; sapientum numerus erat, & quo totius Græciæ, ne dicam orbis, ingeniorum nucleus confluebat, quamdiu de vnius Dei cultu, de inanium deorum simulacris, quæ nec audire, nec loqui valent, ageret; magno cum silentio, attentioneq; omnium sit auditus: at mox, vt de mortuorum resurrectione sermonem instituere cœpit; omnes eum exsibilarẽt, exploderẽt, & alii eum agyrtam, alii nouorum dęmoniorum assertorem appellarent, cuius rei non aliam S. Lucas rationẽ tradit, quam *quia Iesum & resurrectionem annũtiabat eis.* Ipsi quoq; Apostoli, cum mulieres resurrexisse, & à se visum Dominũ asserterent, credere omnino noluere, sed vt Euangelista refert: *Visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista, & non crediderunt.*

Act. 17. Luc. 24.

Hanc etiam causam existimo, cur Patres in Concilio Nicæno congregati, in symbolo suo, soli articulo de resurrectione addiderint verba illa *secundum scripturas*: quæ ab Apostolo Paulo mutuati erant dicente: *Et quia resurrexit tertia die secundum Scripturas.* credebant quidem Gentiles Christum passum, mortuum & sepultum esse, sed à morte eum resurrexisse omnino negabant. Idcirco ad maiorem rei confirmationem addidere Patres secundum Prophetarum oracula & Scripturæ signationem eum resuscitatum. hunc porro articulum Augustinus veram & propriam Christianorum fidem appellat.

1. Cor. 15.

Est quoq; euidens diuinitatis argumentũ, & apertum dexteræ excelsi opus Hinc Sunamitis illa videns filium ab Helisæo, non sine miraculo, ad vitam reuocatum, mox in hæc verba prorumpit: *Nunc scio, quia verè Propheta Dei es tu.* Quoniam autem articulus hic ad credendum difficillimus erat, & magni interesset fides illius, Christus Dominus easdem in corpore, post resurrectionem glorioso, plagas & vulnerum notas retinere voluit quas viuens corpore exceperat; quo hisce visis mors & resurrectio sua gloriosa, euidentior & manifestior foret.

4. Reg. 4.

Vulnerũ adhæc cicatrices retinere Dominus post resurrectionẽ voluit, & coronã suam his velut gemmis insignire, vt nostra hinc spes & fiducia cresceret & roboraretur. Ad dexterã quippe Patris residens, quotiescunq; furoris ille suitela in nos detorquere parat, eadẽ repræsentat, passionisq; suæ merita illi ob oculos ponit, quo visis his, tela ponat, nos in gratię sinum admittat, & iratus recõcilietur. Olim quidẽ Patrem viua voce pro mortalium genere obsecrauit, vt de se in Euãgelio testatur: *Ego pro eis rogo*; alias etiam *cum lachrymis & clamore valido*, quin etiam pretiosi sanguinis sui effusione & exuberãtia: *Accessistis ad sanguinis effusionem melius loquentem quam Abel.* At modo in gloria constitutus, à lacrymis, fletu, clamore, sanguinisq; effusione penitus liber & immunis, vulnera Patri irato exhibendo, cicatricesque amorem spirantes manifestando, pro nobis intercedit, & omnium impetrat veniam delictorum.

Vulnera Christi spem nostram confirmant.

Ioan. 17. Heb. 5. Heb. 12.

Antipater, Herodis Ascalonitæ, eius inquam qui infantium stragem edidit, frater, cum Augusti Cæsaris partes secutus, plurima corpore vulnera excepisset, & illius obsequio deditus fuisset; sed deinde proditionis & perduellionis reus constitutus esset, nullam in sui purgationẽ apologeticam aut deprecatoriam orationem recitari passus est: sed crimen hoc nefarium à ceruicibus suis depulsurus, coram Cæsare pectus cicatricibus deforme, plagis deturpatum, & vulnerum notis quodammodo compunctum aperuit; & ait: *Non sunt hæc proditionis, sed fidelitatis indicia, maxime Cæsar.* quo spectaculo permotus Cæsar, solio surgens, Antipatrum mox amplexus est, maiorique quam prius, amore est prosecutus, omnem quam accusatus indignationem incurrerat, animo deponens, & tam spectatam viri fidem in discrimen & periculum adduci dolens. Quantum igitur roboris ad Patrem cœlestem filii vulnera, quæ ob illius honorẽ cor-

Ioseph. ant. Iud.

pore excepit, habitura putabimus, cum eadem, hominis reconciliandi gratia, iratis eius oculis exhibet?

Quam rem Ioannes Apostolus cognitam habens, in epistolis dicere non dubitauit: *Aduocatũ habemus apud Patrem Iesum Christum.* In quæ verba commentatus deinde Bernardus, hominum fœlicitatem mirum in modum deprædicat & extollit, dicens: O te fœlicem, ô homo, qui tam facilem ad Deum accessum habes, tam molles aditus! *Mater ostendit filio pectus & vbera, & filius exhibet latus & vulnera.* quam meditationem tandem concludens ait: *Quomodo poterit ibi esse repulsa, vbi tot concurrunt caritatis insignia?* Quis igitur hæc animo voluens, simulque aduocati nostri apud Patrem affectum considerans non intrinsecus ad eundem diligendum, & animo amandum, velut viuis quibusdam facibus succendatur.

1. Ioan. 2.

S. Bernar. meditatio.

Tanta Absalomi, in seditionem tamen vergentis, benignitas erat, vt omnes, qui negotiis implicati ad regem Dauid accessissent, vltro ipse, in portis regiis considens, audiret, & examinando accurate, suum vnicuiq; ius tribueret; gauderetq; non parum, si negotiis ex animi sententia confectis, eosdem ad propria lætos remitteret: dicebatque interdum apud se: *Quis me constituit iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuste iudicem:* Perinde ac si dicere voluisset. Vtinam ipse negotiis populi huius examinandis, diiudicandisque præsiderem, neminem profecto tetricum aut subiratum dimitterem; paterent quoque fores meæ, & suum vnicuique ius rederem. Sciebat siquidem, hac se ratione animos popularium deuincire posse, suasque in partes pertrahere, quod & reuera factum est. nam, teste Scriptura, ad primum buccinæ clangorem, *toto corde vniuersus Israel sequebatur Absalomum.* Quid? si sola & nuda audiendarum controuersiarum voluntas, & simplex, quo regni iudex constitui volebat, desiderium totius regni animos deuincire potuit; an non amor & cura, quam nostri Deus habet, omnium nostrum animos inflammet, & ad reciprocum amorem inuiet? Hic enim, iam inde à suæ resurrectionis die adeo se de nobis sollicitum ostendit, tantumque amorem exhibuit, vt non modo in negotia nostra inquirat, sed quotidie apud Patrem eadem ipse agat, pertractet, procuret, atque ad optatum tandem finem perducat: atque in hanc rem sacra in corpore vulnera reseruauit, quæ Patri irato & flagella immittere parato exhibet. ac proinde non patronus modo noster, verum etiam Iudex est, vt in Actis legitur: *Ipse est cõstitutus à Deo iudex viuorum ac mortuorum.* An non hoc affectum nostrum erga illum excitet, cor inflammet, diuinoque obsequio mancipet? Dicatur igitur, obsecro, de nobis aliquando *Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom; Toto corde,* inquam, *sequitur populus Christianus Christum.* Sed procedamus vlterius.

2. Reg. 15.

Christus noster apud patrem patronus & iudex.

Act. 10.

Quarta seruatorum vulnerum ratio est, vt hac ratione amorem nobis suum testatum faceret, vicissim nos ad amandum proliceret, memoriamque sui in animis nostris perpetuo excitaret. Hanc etiam loco superius allegato rationem attulit D. Thomas dicens: *Vt sua morte redempti, quam misericorditer sint adiuti, propositis suæ mortis indiciis, insinuet.* Ipsa quippe sacra Christi vulnera euidens amoris & dilectionis testimonium dant. Cum domum aliquam incendium corripuit, solent qui eadem inclusi sunt, fenestras aut ostia laxare, ne ignis interius coarcturus, nec erumpere valens, omnia depascat & absumat; sed vt ita foras prorumpens euagandi habeat spatium. Tota Christi anima, Auditores, viuo amoris incendio æstuabat, & consumebatur, ideo in cruce, à vertice ad calcem vsque eandem denudari necesse fuit, & aperiri non vnam modo fenestram; at quinque simul, quia inquam illa hiantia vulnera, itaq; per eandem ignis ille & flamma amoris, & amor ille flammeus, tum è manibus, pedibus, tum etiam è latere prorumpens, egressum est.

Christus vulnera sua velut amoris erga nos testimoniatecinuit. Simile.

Et quoniam fenestræ mentio incidit, venit mihi hic in mentem, Augustinum vulnus illud lateris Christi, fenestræ, quæ in summitate arcæ Noe constituta erat, quæq; circa finem diluuii aperta fuit, & per quam columba aquarum fundum exploratura emissa fuit, cõparasse: auctorem quoq; histo-

lib. 13. de ciu. c. 21.

riæ

Hist. Schol. c. 31. in Gen. tiæ Scholasticæ eandem vitream posuisse, vt in arca constituti per eandem lumen haberent, & ne, si lignea foret, pluuia indies decidente, putresceret; itaque inclusi imbre profunderentur. Quamuis Hebræi tamen eiusdem in loco lapidem aliquem pretiosum positum credant, qui, pyropi instar & carbunculi, rutilaret, & per arcam, omniaque eius latera resplenderet. Dici non potest, quam scite hæc omnia sacro vulneri lateris Christi conueniant; hoc enim crystalli instar, & vitri pellucidi fuit, per quod amorem eius & misericordiam perspicere potuimus; & quod fulgore & ardente caritatis splendore, ad instar carbunculi radiante vniuersam Ecclesiæ arcam mirabiliter illustrauit.

lib. 3. in libr. Reg. ca. 10. Rupertus autem, vir tum sanctitate, tum doctrina illustris, commentario in libros Regum, de admirabili illa templi Salomonici fabrica loquens, ait, per ostium lateris templi illius, vulnus in lanceato Dominici pectoris latere, præter quod nullus sit aditus, neque ostium, vel ianua, qua quis ad Deum intret, designari.

Christus gloriatur magis in signis humilitatis suæ quam gloriæ. Quinta & postrema ratio hæc est, Vulnera seruare Dei filius, post resurrectionem voluit, vt humilitatem nos omnibus in rebus edoceret. Agnosci nimirum voluit è signis humilibus, abiectis & humilitatem spirantibus, non vero gloriam & splẽdorem redolentibus. Hinc Apostolis hodie non triumphantem se gloriosum, aut splendidum ostendit, vt quidem olim in transfiguratione, sed humilem & vulneratum, quali in passione schemate conspectus est. In Actis quoque Apostolorum, cum Paulum Christianos persequentem in via compellaret, non honorifico aliquo, sed humili se nomine nuncupauit, dicens: *Ego sum Iesus Nazarenus quem tu persequeris*, ad titulum cruci superpositum allusione facta; cumque dicere magna cum gloria merito potuisset. Ego sum verbum Patris secunda in Trinitate persona, mundi totius Redemptor, viuorum & mortuorum Iudex, magnus Angelorum magister ad dextrã Patris residens; dixisse sat habuit; *Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Ipsi quoque Angeli non alio ipsum compellauere nomine, cum mulieribus illum quærentibus dixêre: *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum.*

Act. 6. Ibid. Marc. 16.

Fratres Ioseph corã Pharaone se humiliarunt. Filii autem Iacob in conspectu Pharaonis constituti, & quales nam essent interrogati, quamuis libere respondere potuissent, se totius Ægypti vicarii fratres germanos esse, claro Patriarchæ Abraham sanguine oriundos, Iacob viri Dei dilectissimi filios, summorum Prophetarum affines; Iosepho tamen instigante, magna animi demissione dixêre: *viri pastores sumus.* Isaias de inde Propheta de futuri Messiæ ortu & progenie loquens, & genealogiam illius texens, tenuibus incipit principiis, & omnium infimo & abiectissimo Iesse: *Egredietur virga de radice Iesse.* Dauid rex ad summos honores & dignitates euehendus, gener scilicet regis constituendus cum esset, & heroica sua gesta recensere, victoriarum olim relatarum catalogum texere, & magnanimitatem iactare posset; præ animi tamen dimissione ait: *Quis ego sum, aut quis filius Isai?* Idem omnino Christus hic fecisse dignoscitur, cum Apostolis se vulneratum, cruentatum, plagis refertum ostendit, è quibus magna illius humilitas & amor colligi queunt. Hæ sunt vulnerum seruatorum rationes, quas huc afferre visum fuit, quibus in aciem productis, receptui canam.

Genes. 47. Isa. 41. 1 Reg. 19.

Conclusio. Quamobrem Auditores, hæc, obsecro animo vestro inhæreant, examinate, quæ dicta sunt diligenter, mysteria deducta excutite; omnem mundo aditum occludite, efficite, ne quis illi ad cor pateat introitus, & ita cœlestem cum Apostolis pacem obtinere valebitis. Cum Christum stantem videtis, cogitate gloriosum resurrectionis statum omnia, quæ prius curuata erant, recta reddere, cum in medio suorũ, denotari credite, illum mediatorem nostrum esse. Cogitate etiã, ideo illum vulnerum notas in corpore retinuisse, & perpetuo retenturum, vt ipsa victoriæ & triumphi relati iudicia forent, fidem nostram confirmarent, spem certam redderent, amorem illius erga nos testatum facerent, humilitatem denique docerent. Exclamem igitur merito, ô felicia, beata ac gloriosa vulnera!

Beata, inquam, Domine Iesu, nobisq; salutaria, cum nostri eadem causa receperis, amorisque in nos testandi gratia retineas. Sunt vtique foramina petrarum, & cauernæ maceriæ, in quibus animæ nostræ columbarum instar ab incursu hostili tutæ delicescant; sunt fontes salutares, è quibus aquas gratiæ, & misericordiæ hauriant; sunt decora sculpturæque sacræ humanitatis tuæ: sunt quin etiam, mundi redemptor, passionis tuæ trophæa, fortitudinis indicia, triumphorum testimonia, veraq; amoris & affectus tui erga mortales argumenta. Gratiam igitur nobis, ô animarum seruator, præsta, vt per eadem, per quæ redempti sumus vulnera, gloriam tandem cœlestem obtinere mereamur; ad quam deducere nos digneris, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas. Amen.

## DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

Partes.

1. *Quam periculosa sit multis prælatura.*
2. *Quod verus pastor sit Christus.*
3. *Veri pastoris proprietates.*
4. *Dotes pastoris boni generatim.*
5. *Eiusdem dotes quædam singillatim.*
6. *Pastoralis regiminis partes.*
7. *De mercenario.*

*Ego sum Pastor bonus, &c.* Ioan. 10.

### FIGVRA.

*Num. 16. 17.* CVM grauis hinc inter Dathan, Chore, Abironemque, illinc Mosem atq; Aaronem, quo ad summum sacerdotium, orta esset contentio, nolentibus nimirum illis Aaronem summo sacerdotio, & totius populi pastoratu initiari, sed eundem sibi potius ambientibus, Deus controuersiã hanc prodigiose terminaturus, virgas 12. principum tribuum filiorum Israel, tabernaculo inferri mandauit, & vnicuique tribus nomen inscribi; cuius porro virga mane floruisset, illius ex tribu summus Sacerdos constitueretur. Cum igitur die cõstitutæ virgæ tabernaculo illatæ essent, sola Aaronis postridie floruisse, fronduisse, fructumque amygdalinum protulisse comperta est; quo signo declarabat Deus, solum hunc præ ceteris ad summum sacerdotium populique sactam prælaturam delectum. Eadem haud dubie, Auditores, inter Scribas & Pharisæos, & Christum Dominũ viuebat controuersia & contentio; ostendere conabantur illi, summũ Pontificatum, principatum ac regimen populi apud se reperiri, sibique longi temporis præscriptione deberi: hic vero solum se Pontificem & populi caput, reliquis exclusis, à Patre esse constitutum. Qui quoniam solus, diuina adiuuante potentia, gratia in conceptione, vita & tempore resurrectionis floruerat, hodie ab omnibus in vniuersalem pastorem, & summum & œcumenicum Pontificem recipitur; cum ipse de se aperte testetur: *Ego sum pastor bonus.* Hoc ipsum *Ioan. 10.* Euangelii nostri subiectum est, quod hodie expositurus cathedram conscendi; Vtinam ad ampliorem Dei gloriam, animarumque nostrarum emolumentum! Sed quoniam humana genua labant, & ignorantiæ mihi meæ sum conscius; ad Spiritum paraclitum, qui linguas infantium fœcundas reddit, confugiendum, eiusque auxilium, Deiparæ virginis intercessionibus, prout consueuimus, implorandum. Dicamus igitur ingenua procumbentes cum Angelo Gabriele, *Aue Maria.*

I. Sententia D. Gregorii de prælatis.

Magnum illum Ecclesiæ ornamentum & caput Gregorius, de Episcoporum & Antistitum dignitate loquens, dicere solebat, Prælati potestatem non honorem, sed indigens potius onus esse, & merito profecto; inter cætera enim quæ reperiri in mundo possunt, onerosa & grauia ipsa Episcopalis dignitas primum obtinere locum merito dici potest. Quo etiam quam proxime accedentes Concilii Tridentini Patres, vnanimi suffragio asseruere, tam graue Episcoporum onus esse, vt ipsi etiam Angelorum humeri, si ipsum imponeretur, sub mole labascerent, aut saltem fatiscerent: *onus angelicis humeris formidandum*, quod nimirum Cherubim suscipere exhorrescant, sub quo Seraphi- Item Cõcil. Trid.

Seraphinorum humeri curuentur. Ipse etiam Apostolus Paulus, cum futuro Episcopo Timotheo, requisitas in perfecto Episcopo virtutes & dotes perscriberet, inter cetera adiungit, eum qui ad Episcopatum adspirat, onus & labores, & opus in humeros ciere: *Quicunq; Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Et quemadmodum ipse onus ingens est & magnum, ita quoque virtus & merita ipsum suscipientium magna sint oportet & varia.

1 Tim. 3.

Plutarch. in Apoph. Quo optime facit scitum illud Agesilai regis responsum: interrogatus enim, quæ in optimo requirerentur Principe virtutes, ait: *Principis est non molitia deliniue, sed temperantia & fortitudine priuatis hominibus antecellere.* Quod sapiens ille & cordatus rex de sæcularibus Principibus olim; ipse maiori iure de Præsulibus, qui Ecclesiæ Christi Principes sunt, iam dicturus videor: non esse Episcoporum scilicet, inanes mundi delicias consectari, voluptatibus carnalibus indulgere, sed soli virtutum exercitio, laboribus, sollicitudinibus pro Ecclesia incumbere. Vt enim onera grauia sunt, ita quoque & athlætæum Herculeumque ad eadem humerum efferre par est.

Isa. 22. Hinc Dominus Sobnam, ad magnos apud Ezechiam regem honores euectum depositurus, & summo sacerdotio priuaturus, vt in Eliachim domui regiæ præfectum ipsum transferret, grauem ac ponderosam se ei clauem ait traditurum, quam manibus ferre non posset, vt in humerum eandem sumere necesse futurum sit. *Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius.* Quis simile quid vnquam aut vidit aut legit? an non claues domus alienius de zona pendent? sed audite, ingens hic latet mysterium, Dominus quippe per clauem hanc, quam vt pontificiæ dignitatis signum & symbolum dare decreuerat, designare volebat, quantas dignitas hæc & honor Episcopalis molestias, labores & onera contineret, ad quæ nimirum subeunda etiam ferrei humeri necessarii videantur.

Onus Præsulũ graue.

Idem etiam Propheta Messiæ venturi functiones & officium recensens vtpote qui & præsul, superior & Pastor esset futurus, tam graue eius onus futurum ait, vt manibus ferendo non sufficientibus, in humeros ipsum relaturus sit: *factus est, inquit, principatus super humerum eius.* Quid hoc audio? si nec ipse filius Dei validus ille Athlas; qui vtrumque mundi cardinem sustentat, & portat omnia verbo virtutis suæ, manus oneris sacerdotalis clauibus ferendis pares habuerit; quas, obsecro, habebunt homines, vento leuiores, frágiles, imbecilles, infirmi? Hæc, precor, mente & animo voluite Ecclesiastici, qui ad honores & dignitates aspiratis; prælaturas ambitis, & easdem adepti & animi effrenati directione administratis. Messias, ecce, plumbo grauiores, onerosioresque iudicauit, quas vos pluma leuiores arbitramini.

*Isai 9.* Messiæ manus clauib. sacerdotii ferendis nõ sufficiunt.

Scio verba illa Iob, *& sed gigantes gemunt sub aquis*, in varias expositiones detorqueri, & velut nasum cereum omnem propemodũ interpretationis formam admittere, adeo vt quænam vero quam proxima sit, difficile sit discernere. Imprimis tamen mihi placet illa Rodulphi Elauiensis Paraphrasis, quæ de Prælatis eadem exponit: *Gigantes gemunt sub aquis*, id est, inquit, *potentes huius sæculi sub prouidentia & gubernatione temporali dignitatum.* Cuius interpretationi ipse accedens, aio Ecclesiasticas Prælaturas vere aquas, abyssos & voragines esse, sub quibus non idiotæ modo & simpliciores, sed robustissimi etiam gigantes gemunt & tremunt, id est, in quibus viri etiam omnium virtutum præsidio communiti difficultatem ingentem reperiunt, & sub onere muniorum collabascunt.

*Iob. 26.*

Pericles reip. Athenensis præfectus, quotiescunque senatum aditurus, togam ex magistratus sui præscripto sumeret; ita dignitatem exhorruit, vt sæpius his se ipsum verbis compellaret; *Attende tibi Pericles, liberi sunt quos ipse regis, Graci sunt, & Athenienses.* Idem repetant obsecro Episcopi & Antistites, quotiescunque habitum Pontificum assumunt, quoties rochetum induunt, quoties infulam capiti imponunt, quoties pedum in manus capiunt: dignitatis, inquam, in qua constituti sunt, cuius & pericula perpendant; cogitent quoque interdum, quos

*Plut. politicis.*

quos sub se constitutos habent, animas esse, fideles & Christianas, ac proinde sibi excubandum, quo debita eas ratione regant.

Respexit huc Martialis Poeta vetus, cum amico scriberet.

*Quaris onus magnum, magnum dum quaris honorem.* Idem omnino de Præsulibus nostris dictum esto, sciant inquam se, dum honores ambiunt, onera & molestias ambire; dignitates quippe grauissima pericula adferunt, & animæ sæpenumero mortem causantur.

*Iud. 9.* Rhamnus cum ad dignitatem regiam, & præ cæteris arboribus eminentiam adspiraret, suiipsius & aliarum arborum interitus causa exstitit: nam dum ipsam flamma corripuisset, incendio vna cum cæteris consumpta fuit. Parabola hæc quidem fuit, designare tamen voluit, minimos quosque & abiectissimos, honores & dignitates Ecclesiasticas ambiendo, ac cæteris præesse gestiendo, sibi & aliis persæpe perniciem creare.

*Isid. lib. 3. de sum. bono.* Huc Isidorus Hispalensis etiam respexit cum ait: *Quanto quisq; in superiore constitutus est loco; tanto maiori versatur in periculo.* Hoc si in omni dignitate locum habet, vt reuera habet, quotidiana nimirum experientia id demonstrante, in Ecclesiastica potissimum locum obtinet: quo enim quis in Ecclesia ad maiores dignitates & sublimius honorum culmen euectus est, eo maiori discrimini viuit expositus, maiores ruinæ occasiones pertimescat necesse est. Quo etiam facit quod in Epistola quadam refert Bernardus: *si tentatio est vita hominis cuiusque super terram, quantis putas, periculis patet vita Pontificis?* in quam omnes quæ reperiuntur tentationes collimant? quod & suiipsius exemplo confirmat: *si ego in cauerna latens, & sub modio fumigans, tamen ventos euitare nequeo, & instar arundinis huc illuc agitor, quid persona super montem, super candelabrum posita?* perinde ac si dixisset, si ipse qui mundum declino, qui honores detestor, tantis tamen tentationibus concutior, exagitor, & percellor: quomodo concutiendos credam eos, qui dignitatibus inhiant, honorum fastigia adspirant, & Ecclesiasticas Prælaturas consectantur.

*Epist. 42. Bernardi sentent. cõtra Præsulum ambitionem.*

Ipse Pontifex Gregorius ad summum Ecclesiæ apicem, & ad Principem dignitatem sublimatus, cognitis periculis in quibus versabatur, locum hunc Psalmorum *detecisti eos dum alleuarentur*, de ambitiosis Prælatis exposuit, quos eo ipso, quo ad honores euehuntur, deprimi & deiici credit. Videmus enim plerosque, dum ad summum in Ecclesia culmen extolluntur, & sublime nimis cõscendere conantur iugum, magna sui infamia & dedecore, ad imum confusionis barathrum delapsos esse. In quam rem facit illud Poetæ, *Greg. in Psal. 72.*

——— *Tolluntur in altum*
*Vt casu grauiore ruant.*

Præceptum hoc Domini in Deuter. legitur: *Cum ædificabis domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua;* id est, ne aliquis è tectis & pinnaculis ad terram corruens ceruicem frangat; itaque domum sanguine cruentet. Docere siquidem voluit, honorum fastigia, id est, sublimes in Ecclesia gradus, alto & valido virtutum vallo ac pariete cinctos esse debere, ne quod inde discrimen oriatur, nullus sanguis effundatur, animarum nulla sequatur damnatio. *Deuter.*

In primo Regum commentario legitur summus Põtifex Heli de sella retrorsum collapsus, fractis ceruicibus expirasse, quem repentinum & lugubrem casum si allegorice exposuero, à veritate tamen ne hilum declinando, dico plurimos è sella pontificia & sedibus Episcopalibus retrorsum excidisse, & fractis animæ ceruicibus, magno sui dedecore, in omnium oculis expirasse. *1. Reg. 4.*

II. Hæc hactenus de Pastoribus & Prælatis: quod in Euangelio hodierno de eisdem plurima habeatur mentio; veri enim pastoris hic dotes describuntur, & se pastorem esse Christus confiteri non erubescit. Singula Ioannes describit, cuius verba sunt: *Ego sum pastor bonus.* Quæ vt pro dignitate exponam, & concionem Catholicam de iis instituam, bifariam eam pro consuetudine diuidam, primo de bonis pastoribus, ac deinde impiis & mercenariis agam; in quo si faciles & attẽtas aures mihi præbueritis, egregios vobisq; haud dubie gratos conceptus producã. *Ioan. 10.*

Prin-

Ante Christum terrā aduentum mundus pastore destitutus erat.

Principio igitur, antequam longius proüehar, sciendum, ante Christi in mundum aduentum, genus humanum, velut dispersum, derelictum, & pastore destitutum, in mundi huius deserto victitasse. Ita quippe ait Michæas Propheta coram Israel rege: *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem.* quam rem Moses miseratus olim, à Domino ardentibus precibus pastorem contendebat: *Prouideat Dominus Deus spiritum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, ne sit populus iste sicut oues absque pastore.*

3 Reg 22.

Num. 22.

Dominus igitur suorum precibus fatigatus, & diuturnis postulationibus lacessitus, fidum se populi pastorem emissurum, per Prophetam pollicetur, qui eundem custodiat, & ab omni inimicorum incursu protegat & tueatur. *Ego saluabo gregem meum, & non erit vltra in rapinam, & suscitabo super eos pastorem vnum qui pascat eas.* In quæ verba commentatus Hieronymus, ait verba hæc de Dauide rege intelligi non posse, qui longo ante tẽpore mortuus erat, at de solo Christo Iesu exponi debere: quomodo & Apostolus ad Hebræos exposuit, *Deus pacis qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium in sanguine testamenti aterni, Dominum nostrum Iesum Christum*: eum ipsum inquam, qui hodierno in Euangelio bonum se pastorem esse profitetur, *Ego sum pastor bonus.*

Ezech. 34.

Hebr. 13.

Ioan. 10.

Ipse siquidem est fidelis ille pastor, quem vetus synagoga, sponsæ nomine insignita, tantopere in Canticis videre exoptabat cum diceret, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Est ille pastor de quo vere ad litteram locutus est Michæas Propheta, *Et suscitabimus super eum pastores & octo primates homines.* Cuius loci Hieronymus interpretem agens, ait, tres SS. Trinitatis personas hic inter se de Christo Iesu, quasi de pastore adeo eximio, loqui, vt in ipso omnes veteres pastores suscitandi sint: inter quos septem præcipui ac primates fuere, Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses, Dauid, ac præcipui quique duces, id est, Hebræorum iudices, quos inter octo cæteris antecessere, vt ait in Michæam Rupertus, scilicet Iosue, Caleb, Othoniel, Aoth, Barac, Gedeon, Iephte & Samson: hos autem tum strenuitate, tum æquitate, pastores autem diligentia & vigilantia superaturus dicitur Christus. Itaque verum esse comprobabit, quod in Euangelio legimus, *Ego sum pastor bonus.*

Cant. 1.

Hebr. 5.

Septem pastores apud veteres celebres.

Item octo duces.

Ioan. 10.

His ita constitutis tria potissimum in fideli & bono pastore requiruntur: primo infracta laborum difficultatumque tolerantia & inuicta in molestiis tolerandis constantia. Cura quippe & onus pastorale multis difficultatib. & angustiis expositũ est, quod pastor ille fidelis Iacob apud socerum de se testatus est dicens, *die noctuque æstu vrebar & gelu, & fugiebat somnus ab oculis meis.* Secundo implacabile cum lupis, feriisque rapacibus bellum gerat necesse est, ne quod ab iis gregi periculum immineat: vitam quoque suam, si opus est pro ouibus exponat. Ita fecisse comperitur Dauid pastor: nam de rebus olim fortiter & strenue gestis, apud Saulem regem gloriatus, hoc se potissimum nomine iactauit, *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis & persequebar eos, & percutiebã, eruebamq; de ore eorum.* Tertio ita gregem pascat, alat, seruetque necesse est, vt indies accrescat & augeatur: excubet inquam & omni ratione enitatur, grex vt bene habeat, nullumque morbidum pecus inueniatur, exemplo inquam pastorum illorũ, qui Christo recens in orbe nato, *Erant custodientes vigilias noctis super gregem suum.* Tria hæc quã optime Christo Iesu omnium pastorũm primo conueniunt, vt merito de se dicere potuerit: *Ego sum pastor bonus.*

Tria bono pastori necessaria.

Gen. 13.

1 Reg. 17.

Luc 2.

Ioan. 10.

Fuit enim ipse, de quo olim ænigmatice & parabolice Nathan Propheta coram Dauide rege locutus est dicens, *Pauper habebat quem vnam paruulam quam emerat & nutrierat, & creuerat apud illum cum filiis eius: simul de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia.* Quis est, obsecro, ô Theologi pauper hic pastor, nonnisi vnicam ouiculam habens nisi Iesus Christus? qui toties de se olim testatus est, *Pauper sum ego, & in laboribus à iuuentu-*

2 Reg. 12.

Psal. 87.

*uentute mea.* Vnica porro ouis eius fuit natura humana, quam ouis illa centesima denotauit, quam pastor hic, nonaginta nouem in deserto relictis, quæsiturus aduenit? an non eam ipsam sacro Eucharistico pane nutrit & fouet? an ad sanguinis sui fluenta adaquaturus eam deducit? an non & in sinu & gremio illius recubat, hypostasi quadam admirabili Verbo diuino vnita? Ipse denique est magnus ille Pan, pastorum Deus & caput: quo eum nomine S. Petrus Apostolus vocitauit dicens, *Cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem coronam.* Non quod caput ac summus pastorum fuerit, at quod omnes in hoc munere & cura superauerit: adeo vt solus de se dicere queat, *Ego sum pastor bonus.*

2. Pet. 6.

III. Ioan. 10. Difficile bonum aliquem pastorem reperire. Luc. 12. Chrysost.

At dici non potest, quam difficulter bonus aliquis pastor reperiatur: quod Dominus in Euangelio ait. *Quis putas, est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* Quem locum D. Chrysost. interpretatus, adiunxit, *Quærit Dominus, non quasi fidelem & prudentem dispensatorem ignorans, sed innuere volens huius rei difficultatem & raritatem.* Cæterum Dominus verbis his necessarias bono pastori conditiones & qualitates insinuat: Primo fidelitatem, quæ tribus potissimum in rebus sita est, vt nimirum pastor ore, corde & operibus fidelis sit, verbis quidem, vt quod ore faciendum iubet, manibus etiam exequatur: secus enim si faxit, homines decipit, neque est sincerus. nam si fucus omnes homines dedecet pastores tamen & Ecclesiæ præsules quam maxime, viri enim & sinceri, non autem subdoli, veri & duplices in verbis sint, oportet, de quo vitio Ecclesiastes ait, *Deuoratio pessima super bilinguem.* Corde vero ne versipellis & subdolus sit, aliud, sc. loquendo aliud autē cogitando, aut animo concipiendo in quo scorpionem imitari videretur, qui anterius quidem blanditur & ludit, cauda vero ferit & virus spargit. Hos autem Ieremias notare videtur, dum ait, *In ore suo pacem cum amico loquitur, & occulte ponit ei insidias.* Operibus denique, ne hypocrita audiat, qui aliud quidem doceat, aliud vero operibus demonstret: in quo dæmonem illum Euangelicum imitabitur, qui tritico superseminauit zizaniam: & eos quos Isaias descripsit. *Principes tui infideles omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Secunda pastori bono necessaria cōditio, est animi humilitas, quæ in verbo *seruus* delitescit. Præsul enim humilis & modestus sit, vt scilicet tanta se dignitate cogitet indignissimum, omniumq; se ouium infimum. Omnibus quoq; sit affabilis & suauis, sapienti consulenti auscultando, *Rectorē te posuerunt, noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsa.* Dignitas enim hæc insolentem eum aut iactabundum reddere non debet, at humilem, & humilia consectantem, ne forsitan Deus ad hos te honores prouexerit, ita vt castigandorum delictorum occasionē habeat. Proponat, inquam, sibi assiduo ob oculos, ꝙ in Salomone de iniquis iudicibus & populi præfectis legitur, *iudicium durissimum his qui præsunt fiet.* Ad quæ verba Ecclesiæ pastores tremant & consternentur.

Boni pastoris proprietas.

Eccles. 13.

Ierem 9. Matth 13. Isa. 1.

Pastor humilis sit oportet. Eccles. 32. Nec de adepta dignitate debet extolli.

Sap. 6.

Matt. 4.

Spiritus pietatis Iesum in desertum procul à mundi strepitu, in quo ieiunio quadragesimali sese exerceret, pœnitentiamque faceret, duxit: at princeps tenebrarum Satanas è desertis eum iterum in mundum reduxit, ac supra pinnaculum templi, vanæ gloriæ stimulis tentaturus, constituit. Docemur hic, plurimos à Spiritu S. in religionum desertum agi, vt in illo precibus & pœnitentiæ vacent: sed illos deinde à Satana ad honores & dignitates sustolli; vt quos in humilitatis area superare nequibat, ad summos dignitatum apices euectos deiiciat.

Saul, priusquam in regem electus esset, humilis mansuetus benignus & affabilis erat, vt qui maxime: at mox vt ad solium & sceptrum euectus fuit, regnumq; capessiuit: nequitiam induit, insolescere, superbire, & durus esse cœpit, & omnibus grauis. Ad eundem modum plurimis Ecclesiæ pastoribus & prælatis contingere videmus: qui antequam ad honorum fastigium promouentur, sapientiæ, modestiæ, pietatis, omniumque virtutum nomine bene apud omnes audiunt: verum quamprimum vt honores adepti sunt, & in oculis omnium versantur, nihil illis haberi potest vitiosius aut scelestius.

1. Reg. 15.

Dignitates præsules insolentes reddūt.

Qui

Qui si sibi optime consulum vellent sapiens illud Sapientis consilium sequerentur: *Quanto maior es, tãto magis te humilia in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam*: quo honoratior es Prælate, & pluris ab omnibus fis, eo teipsum humilia magis profundiusque dimitte: abiectio & humilitas sint æquilibria machinæ vanitatum tuarum, ad quorum pondera æqualiter dependeat, atq; ita gratiam coram Deo inuenies, & grauissimæ ruinæ pericula & scopulos effugies: Optimum profecto & laudabile consilium.

Eccles. 3.

Pastor prudens esse debet.

Prudentia tertio & sapiens discretio vitam Præsulis mirifice exornant, & ad dignitatem illius plurimum faciunt, inclusa in verbis, *& prudens*: qualitates inquam in Episcopo in primis requisitæ: pastorem n. haud dubio prudentem & sapientem esse oportet: ideo Dominus in Euangelio omnibus in genere Præsulibus dixit, *Estote prudentes sicut serpentes*. Absurdum enim foret & præter decorum, eum, qui alios regendos susscepit, & ad dignitatem pastoralem euectus est, suiipsius curam non habere, nec iuxta rationis normam vitam instituere. *L. fin. Cod. de leg. tut.* In quem etiam sensum loquitur Apostolus, *Si quis domui suæ præesse nescit, Ecclesiã Dei quomodo diligentiã habebit*? Hinc scite admodum S. Bernh. huiusmodi superiores, seipsos regere non valentes simiæ nunquam quiescenti, & omnia destruenti comparat, *Rex fatuus in solio est simia in tecto, qua nihil cõponit vel vnit, sed quod cõpositum est dissoluit & diuidit*. Solebat Salomon rex naues quotannis in Tharsis mittere, quæ inter cætera quibus onustę redibãt, pauones & simias deuehebãt. Vt mystice hoc exponam, dico Ecclesiam nauem esse Christi Iesu, qui longe plusquam Salomon: plurimos autem pastorum prælatorumq; eadem vectos esse instar simiarum fatuos & stolidos, pennis tamen pauonum coopertos, & tyrio ostro nitentes: quorum vt plurimum stoliditas & ineptia in causa est, vt Dei Ecclesia secus ac par est, gubernetur. Atq; vt consiliarii Roboami cæteriq; magistratus, stolidi & iuuenes, rerum inexpertes interitus illius causa fuere, regnoque extremam attulere perniciem: ita status Ecclesiasticus, quoties à iuuenculis stolidis & fatuis, nullaq; rerum cognitione pollentib. administratur (nam teste Salomone, *stultitia colligata est in corde pueri*) vt plurimum maximã iacturam facere solet. Verum in legitimi pastoris dotibus enarrandis pergamus.

Matt. 10.

1. Tim. 1.

Mali pastores simiæ collati.

Li. de consider.

1. Reg. 3.

2. Reg. 12.

Prou. 12.

Quarto ipsa paternitas ad boni pastoris Pastor vt perfectionem pertinet, quam è verbis illis pater erga Euangelistæ eruimus. *Quem cõstituit Dominus super familiã suam*. Cogitare quippe pa gerere destorẽ par est, vt pater familiæ & domui ita se bet. Ecclesiæ præfectum diligentem illius curã, vt ille domus habere, animarumq; sibi creditarum commodis prospicere debere: quod si facere negligat, non pater aut pastor, sed tortor & suorum carnifex audiet. Quod ne cui nouum & absurdũ videatur, Gregorium *Gregor.* testem producam, cuius quoties verba perpendo, toties horrore totus percellor & tremo: *Tot*, inquit, *occidimus, quot ad mortẽ quotidie tepide & tacentes ire videmus*. Apud Eze- *Ezech.* 18. chiel. etiam Dominus comminatur, se, si Pastores quem pastorum negligentia, socordiaq; per- negligenire contingat, sanguinem illius de horũ ma- tes veri anu requisiturum, Episcoporumq; dispendio nimarum eorum perditionem & interitum vlturum. interfecto- Vnde manifestum redditur, Pastores negli- res, idque gentes & inertes veros animarum carnifices tribus de & interemptores esse: quod tripliciter con- causis. tingere potest Primo virulentas & venenatas escas illis in cibum præbendo, id est, tum malo vitæ exemplo eos offendendo, tum etiam falsam doctrinam instillando, prauisq; dogmatibus imbuendo. Secundo necessaria iis alimenta subtrahendo, id est, diuini verbi prædicatione priuando. Tertio, vitæ libertatem concedendo, omnem delinquentibus impunitatem elargiendo, & ad vitia conniuendo. Idem enim hodie sæpenumero in Episcopatibus videmus contingere, quod olim in regno Israel accidisse sacri cõmentarii perhibent, *In diebus illis non erat rex in Israel, sed vnusquisq; quod sibi videbatur, hoc faciebat*. At non ita verus & sincerus *Iud. vlt.* Ecclesiæ pastor se gerat, sed instar patrisfamilias seduli & suorum amãtis, vitam componat. In quam rem egregiam è libris sanctis figuram producam.

In Exodo præcepit Dominus, vt summus

*Exod. 25.* Pontifex in medio tabernaculi mensam panibus calidis semper instrueret, *Pone super mensam panes.* Quas exteriori cæremonia denotare voluit, boni pastoris esse oues suas Sacramentorum, verbi diuini, aliarumque sanctarum rerum pabulo pascere, & singularem animarum saluandarum rationem habere. Nam, vt bene D. August. ait, decimus *Lib. de 12. abusiu. cap. 10.* & vltimus abusuum & absurditatum mundi huius gradus est, prælatus & pastor negligens, deq; ouib. nequaquam sollicitus. Christus autem verus pastor existit, qui merito *Ioan. 10.* in Euangelio dicere potuit, *Ego sum pastor bonus.*

IV. Tres in sacris litteris pastores celebrantur.

Tres in sacris libris pastores potissimum commendantur, meritisque efferuntur laudibus: primus in lege naturæ, alter in lege Mosaica, tertius in lege gratiæ. In lege naturæ fuit Iacob: quamuis enim Deus circumcisionis præceptum iam Abrahæ dedisset, scripto tamen ipsum non commisit, sed *Gen. 31.* oretenus solummodo edixit: scripta siquidem *1. Reg. 17.* lex nonnisi in Mose incepit, cui eadem in monte digito Dei exarata tradita fuit. Iacobi autem pastoris diligentia, vigilantiaque, super soceri sui gregem diligenter excubantis, & æstum & frigora, aliasque cœli iniurias tolerantis è libro Geneseos manifeste colligi potest. Alter in lege inquam scripta, fuit Dauid, qui in siluis & solitudinibus agens, ouiumque curam habens lupos præclusis faucibus enecabat, leones prosternebat, vrsos suffocabat, vt ita gregem à periculo immunem præstaret, quemadmodum è libris Regũ legenti euidens fiet. Tertius, in lege Euangelica, fuit ipse Dei filius Christus, pastorum omnium supremus, qui- *Ioan. 10.* que solus dicere potuit, *Ego sum pastor bonus.*

Plurimæ in bono pastore dotes requisitæ. *Hebr. 7.*

Quot vero, Deus bone, in sincero bonoque pastore dotes & conditiones requiruntur! quam multa ei virtutum ornamenta necessaria? Ea scilicet omnia, quæ Apostolus in epist. ad Hebr. in Christo pastore summo fuisse scribit, *Talis decebat, nobis vt esset Pontifex, sanctus, innocens, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus.* Pastor quippe sanctus sit oportet innocuus, neminì iniuriam aut cõtumeliã irrogans, corde puro & immaculato, cõscientiam mundã habens, à peccatoribus sequestratus & secretus: (vtpote qui improborum euitare debet cõsortia) super cœlos & cœlestia eleuatus, id est, contemplatione supernorum procul à terrenis in sublimia euectus. Et profecto quicumq; egregias hasce dotes concionesque non præfert, boni pastoris nomine prorsus indignus est, & mercenarius potius & stipendiarius dicendus.

Pius ille rex Iosaphat, cum sacerdotes & *2. Par. 19.* iudices officii sui commonefaceret, hac apud eos oratione vsus est, *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini: & quodcunq; iudicaueritis in vos redundabit, Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cũcta facite. nõ est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Quod pius ille rex Præsidibus ac Sacerdotibus Synagogicis dicebat, hodie vobis, ô pastores & præsules Ecclesiæ, occinere & ingeminare visum est; Videte, inquam, ac rebus vestris prospicite, dignitatis ac muniorum pondus pro dignitate ponderate & expendite, cogitate quoque Dei, non hominum vos locum occupare, & venturum aliquando tempus, quo omnium iniquorum à vobis exigetur ratio iudiciorum. Dominũ igitur cœli formidate, & omnes muneris vestri partes pro virili adimplete: personarum acceptores ne sitis, nihil gratiæ tribuatis, at æquitati & iustitiæ omnia: auaritiam denique procul ab animo propulsate, nec munerum apud vos regnet cupido.

Moses populi præsides & coryphæos ac *Exod. 18.* tribuum duces constituturus, hoc ab Iethro socro Madianita consilium accepit, *Proui de de omni plebe viros potentes, ac timentes Deũ, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Vobis hæcce dicta existimate Præsules, hoc vobis consilium datum putate: & quotiescunque Pastores in diœcesibus vestris constituendi sunt, seligite viros in Vniuersitatibus, Deum timentes, scientia omnigenaq; doctrina celebres, virtutibus omnibus decoratos, vitæ honestate commendabiles, auaritiam exosos, sinceros, omnemque simulationem & hypocrisim detestates.

Huc etiam respiciunt litteræ Iehu Regis *4. Reg. 10.* Israel,

Israel quas Samaritis misit, quibus septuaginta filios Acham, & quadraginta fratres illius interficiendos monuit, ac nouum principem constituendum: *Eligite meliorem, & eum qui vobis placuerit, de filiis Domini vestri & eum ponite super solium patris sui.* Vobis hasce litteras directas credite Præsules & principes Ecclesiastici: cumque exterminandum peccatum, hæreses iugulandæ, profana Baalim altaria euertenda, nouusque Pastor eligendus erit: meliorem ex vniuerso cœtu semper seligite, doctiores, pluribusque ornatos dotibus, ad Ecclesiæ solium, id est, ad Cathedras parochiales, euehite.

Reg. 10. Saul, quod humeris & ceruicib. altis vniuerso populo esset eminentior, à Samuele in regem inunctus fuit, quasi omnibus vti maior ita & melior & spectatior: hinc cum coram populo eum inunctum produxisset, ait, Super Leui. *Ecce videtis quem elegit Dominus quod non est similis illi in toto populo.* Ita, ad imitationem rei huiusce consulo, cum pastor aliquis & Ecclesiæ caput eligendum est, non alium ad dignitatem pastoralē promoueri, quam qui alios virtutibus & dotibus animi, vti dignitate & muniis, antecellat: virtutum caput sublime attollens, & vniuerso populo supereminens, id est, qui nullum similem aut parem habeat. Hinc D. Hieron. de pastorum dignitate loquens Pastorem cæteris omnibus doctrinæ, moritis, sanctitate virtutibusque præstare oportere ait: qualem fuisse constat eum, de quo hodiernum Euangelium, qui de seipso aperte testatur, *Ego sum pastor bonus.*

V. Quantum vero, Deus bone, pastoralis dignitatis onus est & pondus: quanta humeris præsulum moles incumbit? quanta animarum illis cura habenda est quod è libro Exod. 28. Exodi facile colligere est, in quo Dominus à summo Iudæorum Pontifice omnium tribuū nomina in humeris gestari voluit, *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino, super vtrumq; humerum ob recordationem.* Tu quidem Episcope gemmas & vniones gestas, & diuitiis transmarinis nites: sed nomina potius duodecim tribuum Israel, & animarum iisdem insculpta, consideres & contempleris necesse est: neque enim tam gemmæ quam hæ inspiciendę sunt: quarum tibi in supremo iudicii die exactissima reddenda erit ratio: quod quoniam graue & ponderosum est, in humeros ipsum sustollere te oportet, vt ita semper ante oculos versetur.

Inter cætera tēpli Salomonici ornamenta hæc in sacris litteris commemorantur: 3. Reg. 6. *Omnes parietes templi per circuitum sculpsit Salomon variis cœlaturis, & fecit in iis Cherubin & palmas.* Quem locum Sanctes Pagninus in thesauro linguæ sanctæ, in qua ad stuporem vsq; excelluit, ita transtulit, *Omnes parietes domus per circuitum sculpsit cœlaturis fundarum, Cherubim & palmis.* Quid an non potius flosculos, siluosa, dumosa, animaliaque omnigena, depinxisset, quæ & maiores ornamenti & spectātium oculis fuissent gratiora? nequaquam sed diuini spiritus instinctu id factum magis credibile est, vt nimirum summus sacerdos, quotiescunque templum ingrederetur, oculosque insculptas illas fundas coniiceret, sibi statim ob oculos poneret, sibi non secus ac pastori omnium, totius populi curam esse commissam: ac proinde, præter fundam pastoralem etiam scientiam Cherubinorum habere se oportere, qua populum nimirum edoceret, & rudiores erudiret: illa inquam gregem ab incursu hostili tueretur, hac vero animas instrueret. Cuius rei signum erant duo illa sacra verba, quæ Rationali instar symboli cuiusdam sacri, summi sacerdotis Iudæorum insculpta legebantur; *Vrin & Thomim* id est doctrina & veritas quæ tamen alii interpretantur, Illuminationes & perfectiones, Doctrinam inquam & vitam: vt nimirum simul & faceret ac doceret: quæ duo ad veri & boni Episcopi omniumque pastorum perfectionem & ornamentum cumprimis necessaria sunt: ac præsertim doctrina, qua semper instructi & ornati sint, ac sine qua ad pastoralem curam administrationemque diœceseos prorsus sunt inepti.

Quid fundæ in templo Salomonis sculptæ designent.

Nonnulli, de quibus Isaias, nouū sibi constituere Principem satagentes, hac eum oratione compellarunt: *Vestimentum tibi est princeps esto noster, ruina autem hac sub manu*

*mea*, id est: Tu, qui omnium virtutum ornamento nites & ornatus es, nostri curam habe: ita namque & nobis in ærumna constitutis succurrere, & ruinæ imminenti te poteris opponere. A quo tamẽ hoc responsi tulêre: *Non sum medicus, & in domo mea non est panis, nec vestimentum: nolite constituere me principem populi.* Responsum profecto viro diuino dignissimum: vtpote qui nec regnum adire, nec aliorum regimen suscipere, quod se aliorum delictis succurrere non posse cerneret: eo quod & panis doctrinæ & charitatis vestimentum quo subditos algentes refocillaret, deesset. Hinc docemur, neminem ad pastoralem dignitatem, aut ad animarum Christianarum regimen sublimandum, qui non peritissimus sit medicus, & domum omnibus rebus habeat instructissimam, id est, qui & peccatores iuuare, ægris opitulari, & animas rudiores erudire queat.

*Apoc. 1.* Pastores in Ecclesia laborent necesse est.

Angelus ille Ioanni in Apocalypsi apparens, oculos flammantes, & pedes aurichalcinos habuisse scribitur. Omnes quotquot in hunc locum commentati sunt Patres, veram & genuinam Præsulum imaginem hic denotari credidere: per oculos enim flammarũ instar rutilantes, tum doctrinæ splendorem ac scientiæ fulgorem, tum in administrando vigilantiam curamque per æneos autem pedes patientiam, & infractam in tolerandis aduersis constantiam denotari dixerunt. Hinc animalia illa Ezechielis, mysteriorum & portentorum officinæ & vera præsulum imago, oculos rutilantes fulgentesque, & pedes vitulinos habuisse scribuntur: *Et planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* Vitulus autem & bos, laboris sudorisq; sunt symbolum, quo denotatur, pastores & præsules Ecclesiarum, non nisi ad labores subeundos, aliosq; edocendos, ad cathedras promoueri. Pastores igitur omnium mortalium perfectissimi sint oportet, & cæteros virtutibus antecedentes.

*Ezech. 1.*

*Exod. 27.*

Tabernaculum illud veteris Testamenti ex auro purissimo conflatum erat, lucernæ item & emunctoria erant aurea, vasa quoque in quibus emuncta exstinguebantur. Aureum illud candelabrum, Auditores Ecclesiæ: & lucernæ, præsulum symbolum dici queunt, quos aureos esse oportet: cum Deus in summitate candelabri illos, quo creditas sibi oues cum doctrina, tum bonæ vitæ exemplo illuminarent constituit: ad imitationem pastoris, qui de se in Euangelio ait: *Ego sum pastor bonus.*

*Ioan. 10.*

Sexcentæ porro, vt dixi, in bono pastore dotes, sexcentæ perfectiones requiruntur: & præter priores benignitas & mansuetudo. Bonus enim pastor in peccatoribus corripiendis, delinquentibus castigandis, mulctisque imponendis, benignus & mitis sit oportet, non rigidus & austerus. Vnde Aristoteles Alexandrum Principem instituens, his eum ad clementiam humanitatemque verbis est adhortatus: *Noli esse crudelis circa delinquentes, sed flexibilis ad parcendum: esto magis clemens quam seuerus, & semper de futuris cogita.* Quod ille, principem sæcularem instituens: nos potiori iure de pastoribus & Episcopis, qui Ecclesiæ principes sunt vsurpemus: quos benignitatem seueritati, mansuetudinem rigori, mel felli præponere necesse est.

Clemẽtia & benignitas pastori necessaria.

*Lib. de regim. principum.*

Dauid hoc se nomine apud Deum orans efferebat, cum diceret, *Non abscondi misericordiam tuam & veritatẽ tuam à concilio multo: tu autem Domine ne longe facias misericordias tuas à me*, quasi diceret, Vt meã erga subditos misericordiam & benignitatẽ ostendi Domine, ita & tu erga me tuam ostẽdas precor. Efficere hinc volo & asserere, principes misereri nescios, rigidos & immites, diuina misericordia & benignitate indignissimos esse clementiam sceptris & pedis pastoralibus, velut indiuiduam comitem, semper annexam esse oportere.

*Psal. 39. Matt. 10.*

*Lib. 2. Offic. c. 7.*

Atque hæc forsitan est ratio, Christiani; cur Dominus noster IESVS, Apostolos suos pastores iam & Episcopos animarum constitutos, baculum aut virgam gestare vetuerit, sed inermes & exarmatos, in clementiæ signum illos per mundum Euangelium disseminaturos miserit. Hæc Ambrosius in decimum Matthæi caput commentatus: qui deinde in officiis Mosem & Dauidem maiorem apud suos, clementiâ benignitateque, quam rebus præclare gestis,

stis, & fortium factorum gloriam laudem ait consecutos. Et sane præclara hæcce virtus pastorem apud omnes celebriorem magisque admirandum reddit, quam si infinita vbique terrarum miracula patraret.

Serm. 70. in Cantica Cap. 2. Bernardus mellifluo illo in cantica commentario verba illa sponsi: *Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia*, exponens, inter lilia, quibus sponsum pasci putat, virtutem elementiæ benignitatisque principem tenere locum putat: vtpote qua nullus Deo gratior iucundiorque ex omnibus in Ecclesiæ horto pullulantibus, flos haberi queat, pastor autem qui Ecclesiam sibi in coniugem adoptauit, hoc semper flore pasci debet, in eoque volutari. Clementia enim, M. Tullio teste, vera ad honorem & gloriam semita est, & apertissima ad laudem & summa aspiranti via: in Philippicis quippe M. Antonium crudelia meditantem perstringens, ita de eadem locutus est: *Illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriæ, gloriosum putes plus te vnum posse quam omnes, & metui ciuibus tuis quam diligi malis.* In quo Oratori libens accedo, gloriosius pastori esse credens benignitatem & mansuetudinem, quam rigorem & seueritatem induere.

Clementia iter ad gloriam est.

Hebr. 9. Arca Testamenti, teste Apostolo ad Hebræos, tria asseruabat, Manna, virgam Aaron, & tabulas Decalogi, quo docemur, Episcopum, qui vera Dei arca, tria quoque cõtinere debere, manna inquam, misericordiæ & placidæ exhortationis, quoad bonos & correptione emendandos: virgam quoque sanctæ & benignæ correctionis, erga eos, qui in peccatis obduruere: tabulas denique sapientiæ discretionisque erga omnes. Ita in Moralibus Greg. tria autem hæc dum in pastore aliquo reperiuntur, næ ille eximius & diuinus dicendus.

Lib. 20.

Isai. 16. Isaias Propheta, cum iniunctæ ab vniuerso humano genere legationis munere fungens, Pastorem bonum à Deo contenderet, ait, *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Quid petis Isaia? anne agnum vis leonibus dominari, vrsis imperare, lupis resistere, peccatoribus inquam, sceleris & impiis? At credendum Spiritus sancti eum instinctu ita locutum esse: pastor enim qui bene alios regere & pascere vult, agninam naturam, non leoninam, ouinam mansuetudinem, non lupinam rabiem, non tyrannicam truculentiam, sed paternam benignitatem assumat, necesse est.

Huius rei manifestum exemplum in libro Regum reperitur. Elisæus cum magnũ Eliam curru igneo in sublime rapi per aera cerneret, inclamasse alta voce dicitur: *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius.* Singula habent emphasin & energiam verba, ne dicam syllabæ. Secundo namque *pater* inclamauit, & *currus*, & *auriga*: quod Pastor patrem benignitate mansuetudineque, aurigam gubernandi arte imitari debeat: currus vero sit oportet subditorum onera sustinendo, laboresque & ærumnas subeundo. Ipse quoque Dei filius, Pater à suis eodem tempore volait appellari. *Pater noster qui es in cœlis*, quo pastoris nomen assumpsit, *Ego sum pastor bonus.*

4. Reg. 2.

Matt. 6. Ioan. 10.

Bonitas igitur & mansuetudo pastori necessaria sunt, & Præsulis est, benignum se & placidum erga oues concreditas ostendere, magna dulcedine bonitateque corripere corripiendos, & in castigando dulcoris radios exercere: vt Apostolus admonuisse olim visus est Galatas, *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne & tu tenteris.* quamuis autem verba hæc ad omnes in genere Christianos dirigantur: ad pastores tamen, & Præsules potissimum referenda sunt. In quibus diligenter perpendenda sunt illa, *Considerans teipsum*: non secus ac si dixisset: Quotiescunque proximi defectus taxare vis pastor, & subditorum delicta reprehendere: reprehensionum aculeos ad mansuetudinis silicem obtunde, amarulentiam correctionis dulcedinis ambrosia tempera: seueritatem exue, teipsum intuendo. Videbis enim te, non secus atque alios, errare posse, vt qui homo sis, à quo proinde nihil humani alienum, iisdemque quib cæteri, defectibus obnoxius viuas.

Gal. 6.

Veteres curiosi, & singula inuestigare solliciti, olim figuram depinxere, quæ manu sphæ-

sphæram, quam fixis oculis intueretur, teneret, & tergo lucidissimum speculum gereret. Quo eleganti emblemate aliud nihil designare voluere, quã eos, qui seipsos ignorant, defectusque proprios in tergum reiiciunt; quidquid in vniuerso mundo, (cuius sphæra imago est) agitur diligenter indagare, examinare, inquirere solere: sed speculum in tergum reiicere, quod si præ oculis haberent, & seipsos intuerentur, aliter se profecto gererent. Nam si dignitas & auctoritas pastorum misericordiæ non imitatur, meram tyrannidem sapit, & tolerari à nemine potest.

*Domin. li. de stigmat.*

Cuius tyrannidis occasione refert scriptor quidam nuperus, historiam quæ huc optime faciat. Princeps quidam Italus cum graui suos tyrannide premeret, & iugum intolerabile imponeret ciuibus, illi tyrannidem detestantes & nefarium depeculatorem exosi, quo eum ad misericordiam benignitatemque excitarent, legatum ei mittere, virum rebus gerendis idoneum, summique ingenii, arte medicum, qui diserta & graui oratione ciuium ei calamitatem exponeret, & expostulationes referret. Hic mox, vt in Principis conspectum venit, sertum è basilico herba contextum eidem obtulit, dicens, non alia causa se à Populo legatum, quam vt herbam illam, verum reip. afflictæ symbolum, Principi offerret. Princeps igitur cum gryphos & ænigmaticam hanc legationem, post longam & sedulam consideratione non intelligeret, legatus mox ait, Herbæ huic subditos tuos esse crede persimiles, quæ cum leniter tractatur, iucundissimum edit odorem, si premitur & violenter conteritur, non modo fœtet, sed scorpios etiam & viperas progignit, ita subditi tui: si enim leniter & placide illos habeas & cum benignitate castiges, omnem tibi fidelitatem, etiam credito maiorem, ostendent, & obsequium sinceriſsimum exhibebunt, itaque amorem & gloriam apud omnes consequeris: si vero opprimas & proteras; præterquam, quod perperam de te sentient & loquentur, maleque apud omnes auditurus sis, inimicitias tecum gerent, conspirationes & coniurationes viperis & scorpionibus deteriora, in

Legatio Medici cuiusdam Itali.

caput tuum excogitabunt. Quæ omnia si ad principes Ecclesiæ, id est, præsules, referantur, non minoris, mihi crede, energiæ, futura sunt: nam vt crudelitas & vehemens rigor illos apud populum exosos reddit, ita benignitas & mansuetudo incredibilem illis amorem & beneuolentiam conciliat. Adeo vt pastor, qui benignus, mitis & moribus placidis sit, cum Christo vere dicere queat: *Ego sum pastor bonus.* *Ioan. 10.*

Inter cæteras, ob quas Esau primogenitus exclusus fuit, causas & illa recensetur, quod manus hispidas, hirsutas, & vti instar pilosas haberet: Iacob vero è contra easdem lenes & lana molliores. Ideo matri Rebeccæ ait: *Vides quod frater meus sit pilosus, ego autem lenis.* Pastores autem & Episcopi, Ecclesiæ primogeniti sunt & natu maximi, ideoque manus leues & tactu molles habere debent: nam qui hirsutas eas, & pilosas habent, ad præfecturas inepti sunt. Hinc Apostolus Galatis scribens dicit: *Huiusmodi instruite in spiritu lenitatis.* *Gen. 27.* *VI. Gal. 6.*

Pastores rigorem benignitate interdũ temperent.

Cæterum cum Pastores ad humanitatem & benignitatem adhortor, nolim eos omnem prorsus seueritatem & rigorem exuere, sed tempore & loco, in corrigendis delinquentibus eadem vt adhibeant suadeo, sed & benignitas vbique prædominetur, & seueritas & rigor dulcedine temperentur, id est, Ad perfecti pastoris ornamentum est, si benignitatis clementiæque oleum aceto seueritatis temperent, aptequeinter se misceant. Cuius rei egregiam in libris Regum figuram reperio. Salomon in basibus columnarum templi sui boues, leones, & Cherubin sculpi è diuino mandato præcepit: quam sculpturam exponens Gregorius, & mysterium illius enucleans, per bouem naturam placidum & lenem, clementiam, per Cherubinos scientiam, per leonem denique crudelitatem putat designari. mystice autem denotari Pastorem, qui basis & columna Ecclesiæ est, erga delinquentes seuerum, prudentem & cordatum esse debere. *3. Reg. 17.* *Greg. lib. 20 Moral.*

Video alium apud Ezechielem Cherubinum, quatuor habentem vultus: *Et quatuor facies* *Ezech.*

Pastor quatuor præferre debet vultus.

*facies vni, & quatuor penna vni*: quem veram pastoris imaginem esse opinor. hic enim quadruplicem faciem præferat necesse est, bouis scilicet, ad dignitatis onera & difficultates sustinendas; item aquilæ, ad negotia præuidenda, & sagaciter disponenda, quin etiam hominis, vt dulcedine & benignitate peccatores ad pœnitentiam alliciat; faciem denique leonis, quo ad castigationē & punitionem errantium, vt nimirum excessus impiorum & sceleratorum impetus retundat, luporum quoque & hæreticorum rabiem comprimat ac refrenet. In quam rem alterius mihi conceptus in mentem venit.

Emblema poeticum.

Finxit olim Martian. Capella, solem regio quodam curru inuectum, quatuor manu vasa continere; primum quidem ferreum, cui nomen esset *caput Vulcani*, ex quo ignis, flammæ, carbones, & fumosæ euaporationes egrediebantur: secundum argentum & *risus Iouis* dicebatur; quod serenitatē, ver, & delicias producebat: tertium autem plumbeum, cognominatum *mors Saturni*, quod pluuias, nubes, grandinem, omnigenamque tempestatem emittebat: vltimum denique vitreum, quod *Mamillam Iunonis* appellarent, è quo, velut è seminario, omnia seminum è quibus animalia procreabantur, genera prodibant.

Carthar. lib. de imag. Deorum.

Interpretem ænigmatis huius agens Cartharius, ait, diuersis hisce figuris, quatuor anni tempestates designari, è quibus velut è quatuor vastis, capacibusque phialis, sol, quidquid ad rerum inferiorum statum conseruationemque necessarium est, depromere videtur: ab æstate, inquam, calorem, velut è flammanti quadam Vulcani fornace, tempestates hyeme, pluuias ab autumno, delicias denique & serenitatem à ridenti vere mutuatus. Verum longius cogitationum mearum curru euectus aio per solem sublimi in throno cōstitutum, tacite denotari, quoniam modo soles illi terreni (pastores & Antistites intelligo) qui dignitatum Ecclesiasticarum thronos, instar capitum, iudicum, & bonorum Pastorum occupant, se se gerere debeant; quos non eodem prorsus cum omnibus, & vbique locorum modo agere par est. ignem enim interdum struant necesse est, quo cæteros calefaciant & succendant; pluuiam & imbres emittant, vt succensos & ebullientes eorum impetus exstinguant; humanitatem aliquando induant, seueritatem etiam aliquando induant, seueritatem etiam aliquando modo scilicet æstatem misericordiæ egerant, modo iustæ correptionis hyemem. Atque hoc est cum Christo Iesu bonum agere pastorem, qui de se in Euangelio ait: *Ego sum pastor bonus*. *Ioan.10.*

Vere, inquam Domine, bonus es, & verus pastor, in quo nimirum quatuor illæ conditiones, quas fidelem pastorem habere debere, in Euangelio docuisti, reperiuntur: voluisti enim pastores oues pascere, easdem cognoscere, à luporum impetu defendere, denique vnum in ouile omnes congregare. Tu videlicet oues pauisti, & singulari quadam ratione pauisti: nam cæteris pastoribus seipsos ouium suarum carne pascentibus, nutrientibusque, tu solus, ô pastor bone, tuas carne propria & sanguine pascis, Dixisti enim: *Accipite & manducate, hoc est enim corpus meum*. *Matt.26.*

Magnus ille Iudæorum amicus Razias, & ipse Iudæus, qui propter nimium quo gentem & ciuitatem prosequebatur amorē, *Pater Iudæorum* est appellatus, videns populum ad magnas redactum angustias, inque extremo versari periculo, adeo vt nullus effugio & auxilio locus pateret, è muro; ne in hostium manus viuus peruenire, præcipitem dedit: ac deinde præruptam petram conscendens; intestina, ventris inquam supellectilem, quæ præ casu effluxerant in confertissimas hostium turmas proiecit, quo facto insignem erga populum & gentem amorem affectumque demonstrauit. Nescio autem, vtrum generosum hoc facinus laudare, an vero vt desperationis indicium culpare debeam: quidquid tamen sit, scio Iesum, Raziam nostrum, & generis humani Saluatorem, quo melius affectum, & extremum, quo hominum genus prosequeretur, amorem testatum faceret, in crucis sublime euehi, & corpus suum clauis, lancea; spinisque aperiri permisisse, vt ita viscera sua & intestina in populum effunderet, Pastor e- *Luc.1.*

*2 Mach.14.* Tragicū quoddam facinus Raziæ Iudæi.

tes suas debet nosse.

de quo Euangelista Zachariæ verbis ait: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus nos visitauit oriens ex alto.*

Hic item pastor oues suas intus & foris perspectas habebat, & omnes ad vnum cognoscebat, quæ secunda in pastore bono requisita conditio est. Dei enim filius mox, vt se bonum esse pastorem dixisset, subiungit: *Et ego cognosco oues meas,* quo cura solicitudoque designatur, quam erga animas pastores gerere debent, quibus adesse, & quas ante oculos semper habere illos par est. in Genesi de Adamo legitur; *Formatis Deus cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea.* Vnde efficere volo, Deum, si voluerit Adamum oculis animalia coram intueri, quo iis nomina imponeret; multo maiori cum ratione velle, pastor vt oues cognoscat, ac nomine quamque suo compellet.

Ioan. 10.

Gen. 2.

Mithridatis regis memoria.

Mithridatem Ponti regem, præterquam quod viginti duas intelligeret & loqueretur linguas, omnium quoque militum nomina nouisse, & proprio quemque compellare potuisse, historiarum referunt monumenta; in quo & viuax illius ingenium ac fœlix memoriæ tenacitas euidenter apparent. Cæterum quod in rege illo historici miris laudibus efferunt, sacræ litteræ in Ecclesiæ principibus pluris facere solent; quando nimirum vniuscuiusque ouis & nomen & cognomen norunt. Vnde Christus: *Qui pastor est ouium, proprias oues vocat nominatim. & adducit eas.* Quod vt commode fiat, inter illas semper agat conuersetur que necesse est, atque ita residentia in propria parochia pastoribus & Episcopis commendatur.

Struthio oua intuendo excludit.

Naturalium rerum indagatores tradunt, Struthionem solo intuitu, eoque perpetuo & assiduo oua excludere: materiæ hoc meæ adaptans dico Pastorum præsentiã magnæ vtplurimum in subditos esse energiæ: solus enim ictus oculi potis est timorem Domini in eorum animis fouere, & sexcentas virtutes, & varia pietatis exercitia cordibus eorũ elicere & educere.

Apoc. 1.

Angelus ille Apocalypseos, quem Ioannes videns exhorruit, in medio septem candelabrorum aureorum apparuit. Quo mysterio Pastoribus residentia præcipitur, vt semper in medio candelabrorum, id est, Ecclesiarum suarum, hæreant, vti Concilii Tridentini Patres apertissimo Canone decreuere. Quoniam vero Pastores sæpenumero à commissis sibi ouibus, & Episcopi à diœcesi sua absunt, grauissimæ in Ecclesia excitari tempestates, & mala plurima euenire solent.

Sess. 6. de refor. & sess.

Interea dum Redemptor in naui, velut absens mente, dormitaret, facta est tempestas magna in mari, ita vt nauis operiretur fluctibus. Nauis hæc Ecclesiæ imago & symbolum est, denotatque mysterium, Pastoribus ab Ecclesiis & diœcesi absentibus, tempestates, procellas, & a duersitatum turbines exoriri, qui naufragium afferant, & plurimos neci dent.

Matt. 14. Marc. 6.

Moses dum ab vniuersa populi multitudine sequestratus in monte cum Domino loqueretur, filii Israel vitulos aureos fundere, victimas eisdem immolare, liberationemque ex seruitute Ægyptia illis ascribere cœpere; quamuis etiam Aaronem, quem fratris loco vererentur, præsentem haberent. Dici profecto non potest, quot in Pastorum absentia, in Ecclesiis & parochiis, etiam vigilantissimis, & maxime sedulis vice-pastoribus suffraganeis Episcopis constitutis, damna contingere soleant. Necesse est igitur, Pastorem oues cognoscere; nec solum cognoscere, verum etiam cum vitæ periculo defendere, & ab omni hostili incursu tueri, dicitur enim in Euangelio: *Bonus pastor ponit animam suam pro ouibus suis.*

Exod. 32.

Pastorem absentia multa in Ecclesiis damna adferre.

Meritis rex Sodomorum, quamuis vitæ contaminatissimæ, & contaminatissimorum rex effertur laudibus; quod subditorum vitam ac salutem, opum & diuitiarum acquisitioni anteferret. Nam cum Abraham Patriarcha eum è manibus regum, qui suos captiuos adduxerant, vindicasset, & varia de hostibus parta spolia secum deferret, aliud ab ipso, quam subditorum vitam non petiit, magno affectu dicens: *Da mihi animas, cætera tolle tibi.* Hunc vtinam imitentur Pastores & Antistites, & animarum salutem omniumque sibi creditarum commodum,

Gen. 14.

dum, proprio emolumento proponant.

Euidentius & notabilius etiam est ipsum Mosis exemplum, & amor illius erga commissum sibi populum multo maior. Conscenso enim altissimi montis ex Dei præcepto, iugo, & audito, terram se promissionis, quam tamen ante oculos cerneret, neutiquam ingressurum; cum & vitæ prolongationem & terræ promissæ ingressum à Domino postulare potuisset, his neglectis, sed populi sibi concrediti imprimis memor, plurima in illius emolumentum postulauit, Num.27. dicens: *Prouideat Dominus hominem, qui sit super multitudinem hanc, ne sit populus Domini sicut oues sine pastore.* Vtinam, vtinam pastores nostri, zelosum hunc populi ductorem sequerentur, & suorum commodorum obliti, solam animarum sibi commendatarum curam & sollicitudinem haberent! Imitarentur inquam, Iacob Patriarchæ in soceri, & suo grege custodiendo diligentiam & vigilantiam: hic enim cum in præsentissimo vitæ discrimine versaretur, cæterarum facultatum oblitus de solis ouibus sollicitus, Esau fratri, qui cum proficiscebatur, aiebat: Gen.33. *Nosti domine mi, quod paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum: quas si in ambulando fecero laborare, morientur vno die cuncti greges.* Hic igitur pastor, omnium bonorum Pastorum imago sit & prototypon, quos tantam, non dico animalium, sed animarum habere curam oportet, vt earum cæteris omnibus salutem anteponant; sed iam meo iudicio in bono pastore describendo satis superque versati sumus, Mercenarios autem & stipendiarios iam depingendi tempus est; hi igitur secundum concionis meæ membrum supplebunt.

VII. *Mercenarius autem, & qui non est pastor.* Ioan.10. Christus, vt bene cum Augustino Leontius obseruat, tria hic malorum pastorum genera recenset; mercenarios, fures, & lupos: quos omnes Ezechiel graphice suis coloribus olim depinxit: Ezech.34. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, lac comedebatis, lanis operiebamini: gregem autem meum non pascebatis, quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis: quod confractum est, non alligastis: & quod perierat, non quæsistis. Et dispersæ sunt oues meæ eo quod non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum.* Quatuor autem malorum pastorum notas & signa hic adfert: primo, quod debilia infirmaque non consolident, veros fideles in pastorum fide non confirmando. Secundo, quod ægris notæ non medeantur; peccatores à via praua ad bonam frugem non conuertendo. Tertio, quod fracta quassataque non alligent; hæreticos prauisque erroribus imbutos ad Ecclesiæ gremium non reducendo. Quarto, relicta desertaque non colligant; Paganos & Infideles ad fidei veritatem non reducendo. Denique, quod diœceses & Ecclesias deserant; quas interea dum in aulis Principum agunt, aut vitam molliorem consectantur, omnium vitiorum colluuies inuadit, & persecutiones tyrannorum, & hæreticorum truculenta opprimunt. E quibus omnibus pastor mercenarius dignosci potest.

Tria praua pastorum genera. Quatuor malorum

Zachariæ Prophetæ hoc olim declaratum voluit Deus, ideoque illi ait: *Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti*, id est, Ostende populo iniquum pastorem, nullam gregis sollicitudinem, aut curam habentem; illius habitum assume, mitram, pedum, annulos, omneque ornamentum Pontificium tibi circũda: qui, quomodo se in curando grege gerat designare cupiens subiungit: *Derelicta non visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, id quod stat, non enutriet, & vngulas eorum dissoluet.* Locum hunc Eusebius Emissenus exponens, ait, illum Episcopum vere mercenarium esse, qui in pascendis ouibus Domini, de nulla alia re, quam de congerendis opibus de coaceruandis diuitiis cogitat, nihil aliud ambit quam aurum & argentum, & magis de auaritia lucroque, quam de animarum salute sollicitus est. Verbà illius sunt hæc: *Mercenarius ille est Episcopus, qui in pascendis & regendis ouibus sola temporalia & transitoria quærit.* Zach.11.

Duo auium genera templa frequentare consueuêre, hirundines scilicet & bubones: hoc tamen discrimine, quod illæ nidificent, cantillent & garriant; hi in iisdem escam quærant, & lampadum oleum noctu euã- Bonorum & iniquorum pastorum discrimẽ.

euacuent. Inter Pastores bonos & malos idem profecto discrimen statui potest: illi templum ingrediuntur, & statum Ecclesiasticum assumunt, vt in iisdem commorentur, in iisdem rerum suarum statum figant, & laudes diuinas noctu diuque decantent: hi vero vt bona temporalia, instar boum absumant, fructus & reditus Ecclesiasticos percipiant, atque ita veri sunt mercenarij.

*Exod.15.* Moses ex Dei præscripto duos Cherubinos in superiori Propitiatorij lamina collocauit, quibus deinde Salomon & alios addidit: ea tamen inter vtrosque erat differentia, quod Mosis Cherubin Propitiatorium fixis oculis intuerentur. Salomonis autem templi ianuam respicerent. Introitus huius allegoricum habere sensum vultis: Primi, bonorum Pastorum imago sunt, qui solum Propitiatorium, id est gloriam diuinam, & animarum salutem respiciunt: alij vero, malorum, solam templorum ianuam intuentium, in solum lucrum, fructus, reditus, beneficiorum emolumenta & propria commoda, oculos coniicientium, atque hos vere mercenarios appellare licet.

*3 Reg.6.*

*Ioan.10.* Mercenarius pastor quid sit.

*Mercenarius autem, & qui non est pastor.* Is autem est, qui ob solum stipendium ouilis curam suscipit, qui simonia & datis muneribus ad pastoratum ascendit, qui pensionem recipit & non residet, alij denique qui malis artibus beneficia pastoratuum possident & acquirunt: quæ omnia lege vetita sunt. Præcepit olim Dominus Moysi, vt in tabernaculo altare constitueret, ad quod tamen per gradus ascendi nolebat. Præceptum hoc mystice explicans Euseb. Emissenus, ait, designare voluisse Dominum, non esse ad dignitates, & præsertim Ecclesiasticas, per gradus illicitos, quales sunt caro & sanguis, pensiones, munera, promissa, & hominum fauor, ascendendum.

Infamia mercenariorum pastorum Epitheta. *Ezech.13.*

Dici autem nequit, quam tetra in sacris litteris fuligine mercenarij hi depingantur, quam infames titulos, quam dedecorosa nomina Propheræ iisdem imponant. Apud Ezechielem siquidem vulpes vocantur: *Quasi vulpes in deserto Israel Prophetæ erant.* Præter pellem nihil, vulpes gallinarum pestis, quod profit continet; ita & plurimi Pastores & Episcopi, animarum prædones & interfectores, veræque propter hypocrisim vulpes, nihil boni, quam schema & habitum illum pietatis quem exterius præferunt, ostentant. Apud eundem leones prædæ auidi nuncupantur, *leones rapientes prædam*; idque propter insatiabilem honorum sitim, & infrenem auri famem. Euangelista lupos rapaces, ouinam pellem indutos vocat, quorum est gregem perdere & deuorare. Isaias canibus mutescentibus & latrare non valentibus comparat: quod subditorum vitia, nec queant nec sciant reprehendere. *Idem c.22.* *Isai.56.*

Idolis denique similes esse dicuntur: nam vt idolum hominis quidem formam & figuram præfert, homo tamen non est, nec quidquam humanum efficit: ita & mali pastores; qui exterius quidem bonorum Præsulum formam præferunt, reuera autem nihil bono dignum pastore gerunt. Atque vt varia apud ethnicos & barbaros idolorum erat reperire genera, terrea inquam, lignea, lapidea; alia etiam ænea, argentea, aurea; ita & apud Christianos non pauciora iniquorum Pastorum possunt dari genera. Per figlina idola carnales intelligere pastores licet, de quibus illud Psalmistæ dici queat: *Vt lutum platearum delebo eos.* Per lignea, induratos & in vitiis peruicaces: quorum meminisse Ieremias vates videtur: *Lignum est auro inuolutum.* Per lapidea, illos qui armis & fortitudine ac potentia temporali subnixi ad dignitates Ecclesiasticas pertingunt: atqui hi lapides offensionis & scandali, non vero angulares, merito nuncupari possunt. Ænea vero, pastores illos designant, qui solum eloquentia quadam sæculari & aulica pollent: æs quippe tinnit & sonitum edit. Ad quod quam proxime in Epistola ad Corinthios Apostolus alludens ait: *Factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens.* Argentea illorum figura sunt, qui data pecunia & auro ad pastoratus & infulas sibi viam fecêre, in quo perfidum Iudam imitari videntur dicentem: *Quid vultis mihi dare, & vobis tradam?* Aurea denique significant eos qui quod natalium splendore illustres sunt, & in aulis regis plurimum possunt, in Præsules & Eccle- *Psal.17.* *Ierem.10.* *Rom.9.* *1.Cor.13.* *Matth.26.*

siæ

Dant. clesię custodes assumuntur; aurum siquidem nobilitatis symbolum: vnde & Nabuchodonosoris statua caput habebat aureum. Quot igitur statuarum & materiæ, è qua conflantur, genera, tot etiam sceleratorum pastorum mercenariorumq; dari poterunt.

Quin & amplius: quid si eos sicarios, homicidas, & animarum interfectores à sanctis Patribus, & in Sacris litteris appellari dixero? Testem huiusce sententiæ habeo magnũ Ecclesiæ verticem & decus Gregorium, qui

Super Ezechiel. Comment. in Ezechiel. ait: *Scire Prælati debent, quia si peruersa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.* Magnum item Africæ lumẽ

Lib. de Pastorib. Augustin. *Omnis qui in conspectu eorum, quibus præpositus est male viuit, quantum in ipso est omnes occidit.*

Iob. 1. Filij & filiæ Iob viri sanctissimi, cum in domo primogeniti iucundissime epularentur, & largiter genio indulgerent, à domo, ventorum fragore ad terram collabente, subito omnes oppressi simul interiere. Non sine mysterio autem factum, vt omnes in primogeniti ædibus perierint: designatum siquidem hic fuit, vti bene obseruauit Pontifex Gregorius, Pastoribus, qui Ecclesiæ primogeniti & maiores sunt, voluptates consectantibus, luxu & deliciis diffluentibus inferiores & subditos in præsentissimo mortis animarum periculo versari. Perire quippe & collabascere respublicæ & regna solent, quæ mercenarios & sceleratos pastores nacta sunt.

Vt homo sine capite viuere nequit, ita nec resp. sine vertice & superiore.

Corpus humanum quamuis brachiis, pedibus, auribus, oculis, aliisq; membris truncatum sit, viuere nihilominus potest; at capite imminutum, quamprimum emoritur. Ad eundem modum resp. aut Ecclesia cum prauos aut subditos scelestos vitiisq; omnibus deditos habet, misera quidem est & deploranda; viuit tamen & spirat, modo capita sancta & docta, & pastores honestæ vitæ nacta sit: at si hi dissoluti sunt vitæque liberioris; omnia pessum eunt, ac quam primum interit, & Ecclesiæ status collabascit, adeo vt Pastorum dissolutio, rerum publicarum ac totius mundi sit dissolutio, eorumque perditio, simul & ruina totius vniuersi.

Deplorandi quidem sunt, quibus huiusmodi pastores obueniunt; at multo magis pastores ipsi, quod eo ipso, quod ad virtutẽ & vitæ honestatem inducendi & incitandi essent, proniores ad vitium ferantur. Sæpe namque videmus contingere, vt quia ad dignitates euecti sunt, quia opibus turgent, omnia ad votum fluunt, non meliores, sed deteriores reddantur, omnibusque flagitiis habenas laxent. Nam quemadmodum, vt docte & scite olim scripsit Seneca: *non faciunt equum meliorem aurea frena, ita neq; hominem præstantiorem fortunæ ornamenta.* Quod sapiens ille de omnibus in genere hominibus, equidem de Pastoribus & Præsulibus dicere malim: neq; enim infulæ, peda, habitus Pontificij, omniaque Episcopalia ornamenta, sæpenumero eos meliores, sed peiores reddunt; suntque hæc fomenta luxus, & æternæ damnationis occasio.

Inter septem illos Angelos, quos phialas iræ Dei plenas Ioãnes effudisse scribit, vnus erat, qui phialam suam aduersus solem effudit, id est, in Pastores & Prælatos, qui creditam sibi Ecclesiam non recte administrassent. At quamuis per Solem hunc alij Pontificem Romanum, alij Antichristum, qui in fine sæculorum tum propter potentiam, tum propter quæ editurus est miracula instar solis in mundo rutilaturus est, designare putent: ipse tamen Pastores hic denotari credo, qui merito soli comparantur, quod & verbis & exemplis illos omnibus in Ecclesia Dei prælucere oporteat. Hinc Angelus ille diuinæ iustitiæ executor grauia & intolerabilia supplicia sceleratis pastoribus, qui plurimi futuri sunt, circa mundi consummationem, interminatur. Hæc igitur animo voluatis velim, mercenarij Pastores, & auditis interminationibus tandem aliquando sapite, auditis tonitruis à fulmine cauete, & discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

*Apoc. 16.*

Tormenta pastoribus improbis in mundi fine denunciata.

Vos vero, Catholici Auditores, debitum bonis Pastoribus honoribus exhibete, cultum obsequiumq; ostendite, eorum vocem audite, eorum præcepta seruate, proque sceleratis domino supplicate. Imprimis vero sequimini bonum illum pastorem, de quo

Cõclusio.

in Euangelio; ab illius ouili ne secedatis, in Ecclesia illius permanete; ipse enim pastorum omnium supremus, ipse pastor benignus & mansuetus, ipse pastor qui pro ouibus vitam exposuit: pastor inquam, qui & alios Pastores in Ecclesiæ suæ regimen constituit & subdelegat; Vnde Apostolus: *Ipse dedit quosdam Pastores, quosdam doctores*; Pastor regius & pastorum primas, qui regibus vt superior maiestas imperat, & à cuius manu sceptra ipsi & diademata accipiunt; qui de se in Prouerbiis ait: *Per me reges regnant, per me principes imperant.* Ephes. 4.

Et sane pastor bonus es Domine; tu enim cœlos deseruisti, quo in mundi huius desertum descenderes, & genus humanum, quod instar ouis errantis perisum ibat, in caulam reduceres: quæsiuisti scil. ipsum in ericeto Ægyptio, in desertis deinde Palæstinæ, quin & in campis Samarię, in mari etiam Galilææ, & scopuloso Caluariæ monte, in sepulchro denique & in infernali abysso: quod deinde inuentum, & in humeros sublatum, in caulam reduxisti. Tu inquam, pastor bone, tanto oues amore & affectu prosequeris, vt proprio eas corpore pascas, sanguine proprio nuttrias, aula tua excipias, deliciis cœlestibus & gaudiis recrees, gloria tandem æterna etiam dones. Iterum igitur obsecro, amantissime Pastor, vt nos quæras; erramus enim omnes, & à via deuiamus: alios quidem deliciæ in transuersum egere, alios peccata, alios denique in mundi deserto errantes videbis, atq; omnes luporum truculentiæ & rabiei expositos, inque hęreticorum vnguibus constitutos. Omnes itaque ad Ecclesiæ militantis gregem reducito, vt ita tandem aliquando triumphantem adire valeamus, ad quam adducere nos dignetur cum Patre & Filio Spiritus sanctus. Amen.

## DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Partes.

1. *De vltimo fine hominis, & de medio ad finem.*
2. *Quid & quale sit modicum.*
3. *Mundi gaudium quam damnosum.*
4. *Quam idem sit lachrymosum.*
5. *Cur iustorum sit hic plorare.*
6. *De Phœbo post nubila, seu gaudio iustorum post tristitiam.*

*Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Ioan. 16.

### FIGVRA.

TANTA Iudæorum omnium, tempore Assueri Regis afflictio fuit & angustia, Esth. 3. Auditores, quando in Persidem captiui abducti, maleuoli vnius odio, per vniuersos regni amplissimi limites, crudelissimæ neci adiudicati sunt; vt, dolore omnem magnitudinem superante, oculi lachrymis natarent, imo omnes mœsti pectore traherent suspiria, aëra replerent gemitibus, & diris pectora tunsionibus fatigarent, expectantes, donec tandem crudele & ferale edictum, quo neci omnes addicti erant, executioni mandaretur. Econtra vero quanta inimicorum Hebraici nominis, ac præsertim Amani, qui omnium primus erat, lætitia, gaudium & exultatio fuerit, dici non potest, vt qui ardentissimis votis diem illum illucescere exoptarent, quo innoxio Iudæorum sanguine manuum cruentandarum plena tandem daretur licentia. At Esther Regina, huic sese stragi calamitatiq; velut murum ac repagulum obiiciens; & iratum regis animum, egregia animi constantia placans, alias, & quidem longe mitiores melioresque, à Rege litteras obtinuit, litteras inquam, quibus & ferale illud edictum reuocatum fuit, & aliud secundum Hebræos, magno inimicorum damno maloque, omnibus in locis, ad quæ prius peruenerat, promulgatum: quo & hi neci adiudicabantur, illi vero facultatum omnium illorum domini declarabantur. Admirabilis profecto & magna rerum mutatio, qua Hebræi qui fletu prius & lamentis emoriebantur, ridere cœperunt: hostes vero sanguinem & cædem spirantes irridere soliti, lamenta induerunt, vitamque amiserunt. Idem propemodum hodierno in Euangelio videre est; Apostoli enim magno mœrore affecti,

affecti, & tædiosa expectatione Domini sui absentiam suspirantes exedebantur: sed non nisi triduo, quo Christus ab iisdem abfuit: hi quidem quod tristi mortis sententia eũ neci traditum; illi vero, quod iucundissima corporis illius præsentia sese orbatos cernerent Iudæis interea exultantib. & plaudentib. sed mox mutatis vicibus, & lacrymis in gaudia, afflictionibus in lætitiam, tristitiaque conuersa in iubilos & cantica illa incredibili affecti fuere gaudio, quod Christum ab inferis reducem, & à mortuis resuscitatum: hi vero odio & liuore contabuere, quod hostem iuratissimum à morte gloriosum, & resurrectione nobilitatum viderent. Atque hæc præsenti vobis hora exponere conabor. Si spiritus paracliti prius opem, & gloriosæ Deiparæ patrocinium supplex postulauerim: quam Angeli more & verbis compellemus dicentes, *Aue Maria*

I. Inter cæteras Aristotelis ingeniorum Principis, quibus ad Christianam fidem quam proxime accessisse, & Christiani hominis more locutus visus est sententias, Auditores, non postremum occupare mihi locum videtur illa, quam & plurimis in locis repetii, qua, omnia quæ in rerum natura existunt naturaliter ad bonum ferri, & ipsum motu quodam & instinctu naturali appetere censuit. Quam deinde & calculo suo confirmans Christianus Philosophus Seuerinus Boetius, & ipsam ad beatitudinem referens, dicere non erubuit, omnem hominum contentionem & industriam ad vnicam beatitudinem, diuerso quamuis calle procedentem, tendere, eamque in omnibus & vbique intueri. verba illius è libro 3. de consolatione proferam, *Omnis mortalium cura quam multiplicium labor exercet, diuerso quidem calle procedit, sed ad vnum tandem beatitudinis finem nititur peruenire.* Ac deinde ad Aristotelis opinionem quam proxime accedens, eodem libro ait, naturam omnium mentibus cupiditatem aliquam veri boni inseruisse, sed errorem deuium, eadem retrahere falsarum rerum desiderium insinuando. *Est enim*, inquit, *mentibus hominum veri boni naturaliter insita cupiditas sed ad falsa deuius error adducit.*

1 Ethic. 3. Top. c. 4. Metaphys.

Lib 13. de Trin. ca. 8.

Illius opinionis fuit & magnus Augustinus, dicitque naturã stimulos quosdã ad beatitudinem exoptandam suggerere, & assiduis calcaribus aç bonorum concupiscentiam exstimulare: quod Creatori asscribi necessario debet, qui huiusmodi hominibus desiderium indidit. *Ad appetendam beatitudinem natura compellit, cui summe bonus & immutabiliter beatus Creator hoc indidit.* His accedit & mellifluus doctor Bernardus, dum quodam loco naturali omnes nos desiderio summum appetere bonum, nec vlla ratione, nisi eodem adepto, posse quiescere. Appetitus autem huius ratio & fundamentum aliud statui non potest, quam quod beatitudo noster sit finis, omniumque voluptatum, ambitionum, affectuum, desideriorumque centrum: finis autem omnia mouet & agere cogit, omnia namque, iuxta Philosophos, agens agit propter finem: atque ipse in intentione primum quod proponimus, & vltimum quod exequimur.

Lib. de vita clericorum.

Vetuit olim in Mosaica lege Deus, ne quis sibi bouem aut ouem, auribus aut cauda trũcatam, ad voti obligationem persoluendam offerret. Cauda porro finem denotat quem Deus semper sibi offerri, nobisque ob oculos perpetuo, in omnibus actionum nostrarum sacrificiis, versari, ac nũquam memoriæ serinis elabi vult.

Leu. 22. Causa finem operis denotat.

Inter cætera quæ Ieremias Propheta in Threnis deplorauit, fuit, quod Ierosolymitana ciuitas vitiis à capite ad caleem vsq; repleta, finem ob oculos non haberet. Verba dabo, *sordes eius in pedibus eius & non est recordata finis sui.* Et est profecto deplorãdum, hominem, cæterorum quam optime recordantem, finis tamen sui nunquam reminisci, in cuius nihilominus cogitatione memoriaque vera hominis fœlicitas ac beatitudo consistit.

Thren. 1.

Finis igitur omnium desideriorum nostrorum scopus est, in quem omnes cogitationum nostrarum sagittæ collimant: cuius signum esse crede rotas illas admirabiles, quas Ezechiel propheres ab impetu spiritus dirigi & impelli vidit. *Quo ferebat impetus spiritus eo ferebantur & rota.* Cæterum impetus

Ezech. 1.

petus ille ſpiritus finem deſignat; qui deſideriorum noſtrorum rotas dirigit ac mouet: impetuoſus autem & violentus eſſe deſcribitur, quod finis vi quadam & impetu nos trahat atque impellat: ita vt quantumuis vel maxime obnitamur, & reluctemur, ipſe tamen violenter abripiat, & in partes ſuas cogitationum noſtrarum rotas perrahat.

Atque hinc eſt quod Magiſter ſententiarum, & Seraphicus doctor Bonauentura, atque adeo omnis Scholaſticorum Theologorum turba, cum principe & capite ſuo Thoma, vnanimi conſenſu tradant, non ob eum, nos finem creatos & conditos à Deo fuiſſe, vt hic in terra perpetuo commorantes genio indulgeremus, ventri obſequeremur, & reb. terrenis Epicuream vitam viuendo, gauderemus: ſed vt bonis operibus diligenter incumbendo, diuiniſque præceptis obſequẽdo ad æternam tandem aliquando beatitudinem pertingeremus.

Omnia naturaliter ad finẽ ſuum tendunt. *2. & 6. Phyſ.*

Cum igitur omnia creata, naturali quodam inſtinctu ad finem ſuum maximopere feſtinent, eumque deſiderent, vt olim Ariſtoteles in Phyſicis tradidit, mirari nemo debet, hominem tanta animi contentione deſiderioque ad tam præclarum finem conniti, omnique ratione, quo eius particeps aliquando reddatur, contendere. Sciendum porro eſt, neminem niſi propriis & conſentaneis ad eundem, ex Philoſophorum ſententia, mediis poſſe pertingere: proprium autem & naturæ conſentaneum ad beatitudinem perueniendi medium, eſt ipſa diuinorum mandatorum obſeruatio, quod & filius Dei in Euangelio olim præſcripſit dicens, *ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata.*

*Matt. 15.*

Nemo enim per latam conſolationum, deliciarum & voluptatum ianuam ad vitæ cœleſtis beatitudinem vnquam penetrauit, ſed per anguſtum tribulationum, afflictionum, ærumnarumque toleratarum oſtium: quod & in actis docuere Apoſtoli dicentes: *Act. 14.* *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum.* Huius rei euidens in hodierno Euangelio argumentum videre eſt: in quo Chriſtus Apoſtolos conſolatus, & cœleſtis beatitudinis ſpem in animis eorum excitans, multis illos ærumnis concutiendos, tribulationibus diuexandos, afflictionibus cruciandos prænunciat, ac tandem per ſcabroſam & ſcrupoſam hanc viam ad cœleſtia gaudia peruenturos: *Triſtitia*, inquit, *veſtra vertetur in gaudium.* *Ioan. 16.* Verum altius Euangelium repetendum eſt, & ex ipſis fontibus eius exordiũ arceſſendum, ad quos nos Euangeliſta Ioannes deducet: *Modicum & nõ videbitis me, &c.* *Ibid.* Vt autem ordinem aliquem in huius Euangelij deductione ſeruem, primo de impiorum proſperitate acturus ſum, ac deinde piorum iuſtorumque tribulationes, cruces, ærumnas ob oculos ponam. Miſta hæc materia futura eſt, riſus dolore miſcebitur, & gaudia & iubilos dolor & lamenta excipient.

Chriſtus patri cõparatur.

Chriſtus igitur, iam ex hoc mundo ad Patrem ſeceſſurus, & cœlos, è quibus iam dudum abfuerat, repetiturus, diſcipulos vnum in locum collectos conſolatus eſt: in quo amantiſſimum filiorum patrem, longam profectionem inſtituere ab eis ad tempus ſecedere volentem eſt imitatus: hic enim primo dolorem verbis lenibus & benignis mitigat, deinde profectionis ſuæ cauſas aperit. Scilicet quod in aulam profecturus eſt, in qua ingentes illis honores acquiret, & diuitias; adhæc quod propediem reuerſurus, nec reditum in longum ſit tempus dilaturus. Hunc imitatus, inquam, eſt Chriſtus Dominus communis omnium noſtrum pater, ex hoc mundo deceſſurus: Apoſtolos enim triſtitia & mœrore affectos ſolatus, vtilitatem primo profectionis ſuæ propoſuit, quod ſcilicet ad cœlum tendant, vnde ipſis & Spiritum paraclitum emittet, & vbi regnum parabit, *Vado vobis parare regnum.* *Ioan. 14.* Deinde promiſit, non longas ſeſe moras tractaturum, at propediem rediturum, *Modicum & videbitis me.*

II. Verbum modicum dupliciter intelligi poteſt.

Dupliciter autem verba hæc accipi poſſunt. Primo namque *modicum* illud de tempore paſſionis, in qua Chriſtus ad aliquot dies deliuit, ac deinde poſt modicum temporis ſpatium, à reſurrectione ſcil. vſque ad diem aſcenſionis, iterum apparuit, intelligitur. Secundo *modicum* illud, omne vitæ huius tempus denotat, quo Chriſtus viſibiliter

biliter à nobis iam non cernitur, eo quod ad cœlos ascendit, & ad dexteram paternam residet, sed post quod, tandem nouissimo die, cum mundum iudicaturus veniet, iterũ videndus est: atq; ita modicum hoc accipiunt cum August. sexcenti alii patres. Notandum a. in vltima eum cœna verba hæc, pridie eius diei, qua mortẽ in monte Caluariæ oppetiit, vsurpasse: quib. mox subiunxit, impios prosperitate & omnium rerum abundantia gauisuros. *Mundus autem gaudebit.*

Ioan. 16.

Gen. 15. In quo Dominus magnum Patriarcham Abraham videtur imitatus, qui bonorũ suorum partitione facta, immobilium omnium ex asse hæredem, Isaac filium legitimum scripsit, concubinarum filiis mobilia muneraque legauit. nam peccatoribus in hac vita, bonorum temporalium abundantiam, consolationes sæculi, quæ mobiles & mutationibus obnoxiæ sunt, elargitur: iustis autem, qui delitiæ illius sunt filiiq; dilectissimi, cœlestis regni successionem, quæ prorsus immobilis & fixa est, reserua. Atque ideo merito gaudia mundanis dari ait, *Mundus autem gaudebit.*

Mundus omnium hypocritarũ præcipuus.

At dici non potest, quam exiguum & breue hocce sit gaudium, quod nonnisi ad breuissimum temporis spacium permanet & instar puncti & fumi euanescit. Hunc Iob Propheta, qui reipsa id didicerat, gaudiiq; mundani fallaciam breuitatemq; ad oculum viderat, olim dixit: *Laus impiorũ breuis, & gaudium hypocritæ adinstar puncti.* Hypocritæ autem nomine mundum intelligit, qui omniũ hypocritarum fraudulentorumq; rex & coryphæus est, & cuius gaudia consolationesque instar fumi euanescunt: atq; vt punctũ, propter exiguitatem sub sensum cadere nequit, ita & mundi huius gaudia sensib. comprehendi non possunt.

Iob. 20.

Cygnus & siren vitæ in Hexameron magnum, cygnum & sirenem mortisque inter, quo ad cantum, esse discrimen, ille iustorũ & quidem totum vitæ tempus in mœrore & impiorum tristitia consumit: morti autem vicinus & fatis vocantibus iucundissime, vbi is proiectus in herbis, concinit: hic vero viceuersa, quam diu viuit, tamdiu & cantat, morte autem imminente, suspirat & plangit. In quibus & iustorum & peccatorum in hoc mundo vitam ad oculum repræsentari crediderim: illi enim quamdiu in hoc mundo agunt, gemũt & lachrymantur, Heraclyti suspiria æmulantes: in morte vero, ad instar cygnorum iucundissime concinunt: hi vero vice versa, lasciuiunt, rident, gaudent, cantant interea dum in terris agunt: morti autem proximi facti flent, eiulant, & velut sirenes lachrymantur. vnde Prouerbiographus. *Risus dolore miscebitur & extrema gaudii luctus occupat.*

Cygnus & siren vitæ

Cum dissimilem hanc vitæ rationem & contrarias conditiones accuratius intueor, ipse mihi firmiter persuadeo, mundum hunc inferiorem domui principis synagogici, de quo in Euangelio, persimilem esse: in qua medio in luctu audiebantur tibicines & citharædi, & permistus lamentis sonus cantãtium & tibicinum. *Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tibicines, & turbam tumultuantem: dicebat. Recedite.* Frequentissimum enim est in aliorum funere cantare & ridere alios, in iustorum autem afflictionib. impios omnium rerum abundantia beari, ac læto fortunæ vultu afflari.

Mundus similis domui archisynagogi.

Matt. 9.

Balthasari regis aula cantu & clamore geniali perstrepebat, ac nonnisi de deliciis, epulis, voluptatibusque loquebatur, & ecce dum minus nihil expectaretur, manus diuinæ iustitiæ administra in pariete scribens apparuit: postquam & mors regis & regni amissio mox secuta. Hanc item aulam mundi regis Balthasari. imaginem credo: nam dum nonnisi de delitiis, tripudiis, voluptatibus, epulis in eodem agitur, vindex ecce Dei manus, ad candelæ vmbram; id est, in otium oculis & conspectu, regnorum euersionem, rerumpub. interitus, imperiorum destructiones, regũque & Impp. funera sæpenumero denuntiat ac prædicit.

Dan. 5.

Item aulæ

In regno autem Nabuchodonosor magnam item rerũ mutationẽ conspicio: hinc nimirũ statuam aureã diuinis honorib. cultam, tibiis & cantu varioq; instrumentorum apparatu adoratã: illinc vero, feralem mortis sententiam in innocuos Hebræos pronunciatam, fornacem succensam, flammã cœlos petentem, pueros igni iniectos, & iustos ad

Regno quoq; Nabuchodonosor.

necem quæsitos. Hæc inquam omnia intuitus, Regnum hoc mundi huius imaginē esse quā primū auguror. in ipso enim omnia casuū genera operire est: hic enim honorem & diuitiarum statuas ab omnibus omnino hominib. adorari & tantum non exosculari videbis, audies etiam carmina, iubilos, pæanas, omniaq; symphoniæ & concentus genera. Illic vero fortuitos & lugubres casus, tristia rerū euenta, funera, calamitates, afflictiones percipies, sanguinē item effusum, mortē præproperam, feralem deniq; crucem cernes.

Luc. 16.

In domo diuitis illius gulonis, infernalis pabuli, nonnisi conuiuia, epulæ & deliciæ quærebantur, de genio solo indulgendo erat sermo, vina & lautissima fercula commendabantur. Verum cum risus & gaudia, potus & epulæ dominarentur, ipsis etiam canibus saturatis: miser ecce Lazarus, fame propemodum euectus, iacet ad ianuam, exiguam stipem postulans: & nullus eheu! ad clamorem illius commouetur, omnes obsurdescunt, & micas etiam mensa delapsas negant. Vidistis mundanorum crudelitatem inhumanitatemque graphice suis depictam coloribus? in mundo siquidem nonnisi de coquina, popina, gurgustiis, gula, ebrietate, ingluvieque est sermo, omnes voluptatem & delicias consectantur, de cruce curanda plus nimio solliciti, vt ipse etiam bestiæ saginentur & esca distentæ sint: piis interea, instar Lazari ad fores illorum, fame morientibus, stipem & eleemosynam, sed incassum, efflagitantibus.

Domui etiam epulantis diuitis.

Et quoniam aliquot iam domuum statum descripsimus, domum quoq; Prophetæ Iob adeamus, quæ vere infelix exstitit, & tragicos casus plurimos peperit. nam interea dum hinc clamore & voce conuiuantium tecta streperent, & Bacchus & Ceres per mensam discurrerent: fera illa parca falce accincta, illinc omnes leto dabat, & crudele spectaculum exhibebat. Idem omnino in mundo hoc quotidie videbimus, quam igitur lugubris ac tristis domus est? Cum enim homines ad gaudia & risum sese disponunt, dum genio indulgere parant: mors in caput eorum conspirat, ac nihil minus opinantes obruit & obtruncat incautos. Adeo vt bene mihi Iob Propheta olim dixisse de mundanis visus sit, *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Hæc scilicet mundi huius gaudia sunt, de quibus in hodierno Euangelio Christus agit dicens, *Mundus gaudebit.* Iob. 21. Ioan. 16.

Quænam obsecro hæc sunt gaudia? falsa & inania, ac verorum gaudiorum nomine penitus indigna, de quibus in Prouerbijs Salomon agens, prudenter scripsit, *Ne desideres de cibis eius in quo est panis mendacij.* Quoloco de mundo haud dubie locutus est, cuius fercula & cibi sunt, honores & voluptates, quibus clientes suos pascit & fouet: at omnia illa nonnisi fallacia, mendaciū, & fucus. Audite quid de iisdem dixerit rex ille Israel, qui regifice quotidie epulatus, & voluptates inter constitutus esurire se clamat, & saturari nō posse, nisi prius gloriam diuinam viderit, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* In quem sensum dicere S. Hieron. solebat, mundum, si exenterari posset, eiusq; interiora penitius inspici, præter fucum & inanes fallacias nihil interius habiturum: quidquid enim habet, aut præteritum est, quod iam reuera nihil est: aut futurum, quod penitus incertum: aut præsens, & hoc ipsum inconstans, mobile, infirmum & instabile. Prou. 23. Mundi fercula falsa sunt. Psal. 16.

Secundo gaudia hæc peritura sunt, ac tādem aliquando desinunt: & cum vita hac ipsa finiuntur: vtpote quæ Iacobus Apostolus vapori ad modicum parenti, & mox in auras euanescenti compararit, & quæ Seneca vir prudens & cordatus, & mundi huius fallaciā perspectam habens, puncto similia esse dixerit, *Punctum est omne quod viuimus & adhuc puncto minus.* Ipsum vidit & Propheta Iob, Philosophis veterib. & acutior & sublimior, dū iam inde se ab vtero matris, & primo vitæ momento nouisse ait, gaudia hypocritarum & laudē impiorum ad instar puncti euanescere. Verba illius emphasim & energiam habentia depromam, *Hoc scio à principio ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Dauid quoq; suam huc symbolam cōferens ait. *Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt.* Nihil porro vanitate ipsa vanius, nihil phantasmate & vmbris leuius aut inanius. Cum igitur hisce figuris Mundi gaudia momentanea. Iacob. 4. Lib. 6. epist. 7. ad Luc. Iob. 20. Psal. 143. Gaudia mundi vmbræ similia.

guris & similitudinibus dies & gaudia vitæ huius exprimi soleant, vobiscum ipsi dispicere potestis, quam exigua, quam fragilia & fugacia sint, quantumq; illis fidere oporteat.

Apertius adhuc & manifestius alio in Psalmo ipsum declarauit, dicens: *Nolite confidere in principib. & in filiis hominum, in quibus nō est salus; exibit spiritus illorū, in illa die peribunt cogitationes eorum.* Quænā, obsecro, sunt mundanorū cogitationes? aurū, argentū, splendida palatia, honores, dignitates, vxores, liberi, conuiuia, gaudia, choreæ, ioci, atq; omne voluptatū & deliciarū genus, in quib. omnibus nulla ratione spem esse figendam suadet Propheta, eo quod mors repente & minime exspectata superueniens omnes illas cogitationes destruit & euertit, atque ita omnia in fumum & inanem vaporem euanescunt.

Psal.145. Nulla in rebus mūdi certitudo.

Tertio mundana gaudia nōnisi somnia & inania sunt phantasmata: quo nomine potētissimus rex Israēlis eadem nuncupauit, dum in Psalmis canit: *Dormierunt somnū suum viri diuitiarum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Perinde ac si dicere voluisset: Diuites & magnates interea dū in iucundo deliciarū lecto dormiunt; interea dum gaudia cōsectantur, dum voluptates quærūt, dum risus & iocos ambiunt, felices sese & opulentos existimāt: at mox vtā vitæ huius somno experrecti fuerint: & mors oculos occlusos aperuerit, nihil in eorū manibus amplius reperire est ac tum demū ad oculum apparet, omnia nōnisi vanitatem, somnum & vmbræ similia fuisse.

Mundi gaudia nonnisi somnia sunt. Psal.75.

Reducit hoc mihi in memoriā Nabuchodonosoris regis somnium, quo ille quadam nocte, cum curis grauis, ac mille sibi animo chimæras fingens, spectaculaq; varia videre se credens, colossæam statuam vidit, caput habentem aureum, brachia argentea, & pectus æneū. Cum vero mane è somno expergisceretur, nil eorum quæ de nocte somniauerat, videre aut habere se vidit, imo ne somnij quidem recordari. Vita hęc, Auditores, somnio persimilis: in qua cum magni & pari reges & coloni profunde dormiunt, & altum stertunt, & mille animo cogitationes versant: varia se videre credūt, & habere fingunt: verum è somno excitati, reipsa comperiunt se nonnisi statuas aureas, regis illius exemplo, vidisse: & cuncta illa brachia argentea, diuitias illas & gaudia nōnisi somnia & fugaces vmbras esse.

Dan.2. Vita hæc nonnisi somnium.

Quam rerū vanitatem rex quidam Israēl perspectam habēs, animoq; accuratius versans, somnio res nostras similes esse ait: *Velut somnium surgentium Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* id est, Veræ gloriæ tuæ splendore, Domine, & gaudiis & delitiis regni tui, quæ solida & perfecta sunt, omnes imagines & figuras terrenarum, quas mortales falsa rerum imagine delusi, & in iudicando errantes, solidas existimant, euertes & destrues, atq; ad oculum iis demonstrabis, nonnisi mera somnia vniuersa esse. Cum igitur quidquid in mundo reperitur, somniū, vanitas, fucus, fallacia, vmbra, stultitia, nihil deniq; sit: quis adeo stolidus erit, qui ipsam amabit, diliget, amplectetur, & magni faciet? At mundo hæc relinquenda, qui teste Domino, *Gaudebit.* *Psal.72.* Res mundi nonnisi somnia. *Ioan.16.*

O gaudia nimium secum trahentia periculum, magnoq; expositā discrimini, gaudia remis velisq; fugienda! & quamobrem? quod sæpius mundanis mortem afferant, eamque sempiternam, & in tartara deturbēt. Testem sententiæ huius habeo sacram Scripturam, & suffragatorem Paulum: *Si secundum carnem vixeritis, morte moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis viuetis.* Porro secundum carnem viuere aliud non est, quam voluptates sæculi consectari, & mundana gaudia perquirere. Mirum est, cur Apostolus venenum & cicutam potantibus similes credat eos, qui voluptatibus indulgent, & mūdanorum lætitiam sectantur: & delicias, animæ mortem & interitum: vitam vero, voluptatum contemptum, deliciarum & gaudiorum valedictionem afferre censeat: ac vere viuere eos qui quidquid ad mundum & carnem pertinet, conculcant & pedibus velut peripsema proterunt. At hoc non suadet mūdus, qui nonnisi gaudia & omnibus è rebus delicias, venatur. *Mundus gaudebit.* Mundi gaudia noxia. *Rom.8.* *Ioan.16.*

III.

Infelix gaudium & noxium imprimis. Ipsum quippe in causa est, cur aduersus animam conspiret corpus, aduersus rationem sensualitas, aduersus spiritum caro, aduersus superiorem pars inferior bellum mo-

ueat & coniuret. Ipsum animæ nostræ imperium & dominatum destruit ac penitus euertit: quos conflictus & seditiones describens Apostolus ait: *Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* In quam rem Prouerbium eudens Sapiens dixit: *Qui delicate à puericia nutrit seruum, postea eum inueniet contumacem.* Corpus porro nostrum nonnisi merum mancipium est, cuius Dominus anima; dicere itaque vult Sapiens: Quicunque iam inde ab adolescentia & prima ætate corpori indulget, gaudia & delitias corporales venatur, & molliter carnem habet: rebellantem tandem aliquando aduersus animam, eiusque iugum excutientem, eam experietur.

*Gal. 5.*
*Prou. 29.*

Quicumque igitur corporales & exteriores voluptates consectatur, ac deliciis sese immergit: corpori animam subiicit hancque seruam efficit, cum tamen iam inde à primo creationis momento, ipsa domina & magistra, & imperium in corpus obtinens à Deo fuerit constituta, quod perpetuo diplomate sanxit Deus, dum illius intuitu nobilitatis dixit: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* In quam rem S. Bonauentur. credidit, quemadmodum vniuersæ familiæ directio à domini & dominæ voluntate dependet: ita & animæ familiam ad solius rationis nutum & voluntatis imperium, velut ex duorum dominorum præscripto & lege gubernari. Hinc etiam in Politicis dixit Arist. corpus in homine regi, & animam regere debere, & hanc dominam, illud mancipium existere.

*Gen. 4.*
*2. Sent. dist. 38. art. 2. q. 2.*
*1. Polit.*

Qui à sensualitate se impelli sinit, homo vere non est.

Adeo, vt quicumque hocce priuilegium perfundat & euertit, quicunq; tantam nobilitatem cum seruitute & plebeia sorte commutat, quicumq; inquam, à sensualitate regi se sinit: hominis dignitatem & præstantiã reipsa amittat, & brutorum conditioni se quodammodo subiiciat. Primus qui hanc sortem subiit, fuit ipse Adam protoplastus, quæ deinde ad nos velut hæreditaria per manus successione transiit: de ipso namque solo libellus ille famosus Psalmorum foribus & postibus affixus, intelligendus est: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Vnus pomi gustus, vnius fructus delitiæ, gaudia illa breuia & inania, tantam in anima illius rebellionem, seditionemque excitarunt, & vniuersum imperij illius statum ita perfum dederunt: vt è nobili & illustri plebeius, ex immortali morti obnoxius, ex homine factus sit bestia.

*Psal. 48.*

Cæterum ad hasce turbas componendas, ad hanc infelicitatem auertendam, nulla inueniri melior potest ratio, quam Angelum cum Iacob Patriarcha luctantẽ imitari. Nam cum cœlestis ille spiritus, Iacobum, qui nonnisi homo mortalis erat, impari secum congressu, vtpote qui Angelus Dei, cœlestis, æthereus, & vnus è substantiis illis diuinis erat luctãtem cerneret, quo præsumptionem & animum illius elatum compesceret, nec tamen vlla eum ratione à se remoueri posset aut superare, in femore illum tetigit, ita vt neruo contracto & marcescente, toto vitæ tempore claudicarit. Hac ratione cum corpore hoc nostro agendum: nam cum præsumtuosius, & familiarius cum anima agere conatur, perinde ac si simile illi foret, cum nonnisi terra & cinis sit & corruptioni obnoxium, ipsa vero ætherea, cœlestis ac diuina: tunc illa, Angelum imitando, quo illius importunitatem retundat, superbiam coerceat, audaciam & temeritatem nimiam compescat: in femore ipsum feriat, feuere in ipsum animaduertat, sub iugum & ferulam redigat, atque inuitum etiam & refractarium parere cogat.

*Gen. 32.*

Imitetur & Saram Abrahæ vxorem: hæc enim cum Ismaelem, ancilla Agar profanatum, cum Isaac filio suo familiarius agentem & ludentem cerneret, domo illum cum matre in desertum exegit: ne forte Isaac, quẽ sanctius instituere, & ad omnem virtutem efformare volebat, libertini commercio familiaritateque, damnum aliquod reciperet. Vt allegoricè hoc exponam, dico corpus hoc nostrum filium idololatram esse, ac semper animæ, quæ cœlo originem ducit, Ismaeli colludere velle, at ille in desertum pœnitentiæ & austeritatis eiiciendus est, ne quid anima illius commercio detrimenti & periculi adeat. At mundus nihil minus quam de pœnitentia loquitur, sed de gaudiis delicias

*Gen. 21.*
Corpus nostrum comparatur.
Ismaeli.

licias quærit, & non austeritatem: voluptates sectatur, non autē rigorem: *Mundus gaudebit.*

Ioan. 16.

Mundi gaudia rationem excæcant.

Gaudium funestum & detestandum: vtpote quod rationem excæcet, spiritui densissimā caliginem offundat, cœlestium nobis diuinorumque obliuionem ingerat, & Dei tandem cogat obliuisci. Quod Sapiens hisce verbis satis declarauit, dicēs: *Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet delitiis cor eius.* Quasi dixisset: Cuius cor delitiis & voluptatibus fuerit occupatum & voluptatibus plenum, meliorum vitæ suæ dierum vix recordabitur. Quod & doctissimus Isidorus calculo suo deinde confirmauit, *Non potest*, inquit, *ad contemplandum Deum mens esse libera, quæ desideriis huius mundi inhiat.*

Eccles. 5.

Li. de summo bono.

Simile.

Atque vt oculus puluere oppletus, cœlum & aërem intueri, vel astrorum splendorem aspicere nequit: ita nec intellectus, lucidus ille animæ oculus voluptatibus oppletus, & mundi huius gaudiis, quæ terræ puluis & atomi quodammodo sunt, refertus: superna & cœlestia intueri potest, nec ad diuina mēte cogitationeque transcendere. Exemplo nobis sit Dauid, qui, quamuis ad regiam dignitatē euectus esset, carnis tamen voluptatib⁹ immersus, in tantum excæcatus erat, nihil vt omnino cerneret, diceretq; calamitatem suam deplorans, *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorū meorum, & ipsum non est mecum.*

Psal. 37.

Iud. 16.

Samsonis cæcitas mundanis accōmodata.

Inter omnia Samsonis mala primum locum tenet cæcitas & oculorum amissio: ad quam voluptates & mundi gaudia vitā strauere Nam cum illecebris fœmineis, & Dalilæ pellicio, & amoris laqueis irretitus inter amplexus illius suauiter obdormisset; Philistæi, qui in necem eius conspirauerant, hac occasione capta, stertentem adhuc captiuū abduxere, & deinde oculos misero eruere: itaque in extremam calamitatem incidit. Quod Samsoni hic accidisse auditis, omnibus in genere mundanis accidere certum est: certum est, inquam, delicias & voluptates vitæ huius ad animarum excæcationem viam parare: quam tamen mundus, nimium quantum dementatus & excæcatus, nō percipit, sed gaudia assidue meditatur & spirat: *Mundus gaudebit.*

Ioan. 16.

O gaudia detestanda! quæ nimirum homini sapientiam conferunt, & insensatum & stolidum reddunt. Hinc Iob vir vitæ sanctissimæ, & in hac re vt in cæteris, imprimis versatus, dicere solebat: nunquam veram sapientiam in territorio suauiter & molliter viuentium reperiri: quem deinde imitatus Apostolus Paulus, Corinthiis scribens asseruit; hominem sensuales voluptates sequentem, & bruti instar victitantem, deliciis & carnalibus gaudiis immersum, delectationes sensuales amplectentem, diuina & cœlestia non cognoscere aut percipere, nedum intelligere posse: *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.*

Gaudia mundi huius hominem sapientia spoliant.

Iob. 28.

1. Cor. 2.

Hinc est, quod qui terrenas voluptates consectātur eodem tempore cœlestibus delitiis & consolationibus internis excidant; terraq; pasti cœlestes epulas gustare nequeant; quod & in Cantico suo apud Euangelistam testata est Deipara: *Esurientes*, inquit, *impleuit bonis, & diuites dimisit inanes*: eo ꝙ qui hoc in mundo pauperes sunt, id est, voluptate carēt, delicias nullas habent, omnisque terreni gaudij expertes viuunt, diuinis consolationibus affluant: diuites vero & voluptuarij, iisdem careant. Idem cecinit in Psalmis suis Dauid Rex: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus* consolationes & gaudia.

Luc. 1.

Psal. 67.

Quamdiu Ægyptiā farina in deserto suppetebat, manna cœlo non descendit, at mox vt illa desiit, cœleste ferculum suis parauit Deus, & manna pluit. Ita quamdiu voluptates carnales & mundana gaudia, farina inquam, illa Ægyptia, in animis mortalium perseuerat: diuinarum consolationum manna non reficientur: at mox vt illa defecerint & consenuerint, ac potius penitus eradicata fuerint: cœlestium consolationum & gaudiorum manna descendet, & esurientes animas reficiet. In quam rem Poëtæ nescio cuius, mihi versiculi in mentem venit, quem quod optime huc facere videatur, apponam:

Exod. 16.

Gaudia mundi farinę Ægyptię comparantur.

*Gaudia cœlestes qui post terrena triumphos*
*Speraret, stulto stultior ille foret.*

Stultitia hac laborat mundus, qui nonnisi gaudia & delicias somniat, ac voluptates cōsectatur: *Mundus gaudebit.*

Ioan. 16.

Mundi gaudia in perpetua tormenta conuertẽtur.

Misera profecto gaudia; quod ipsa tandem aliquando, in altera, inquam, vita, in tormẽta & supplicia sempiterna conuertenda sint. Nam qui hic rident, illic in perpetuum flebunt: qui in mundo delicias habuerint, apud inferos cruciatus amarissimos sustinebunt. Docent nos id sacra monumenta, in quibus legitur: *Tenent tympanum & citharam, & gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ne vero me mendacium obtrudere velle existimetis, diploma & verba legis, in Apocalypseos tabulas relata, quibus meretrix illa magna condemnata fuit, depromam, *Quantum glorificauit se, & in delitiis fuit, tãtum date ei tormentum & luctum.*

*Iob 21.*

*Apoc. 18.*

Huic sententiæ latæ suffragantur & Patres omnes, & vnanimiter in eandem manibus & pedibus concedunt: Gregorius namq; paucis multa complectens dicebat: *Momentaneum est quod delectat, æternum vero quod cruciat.* Augustinus quoq; quamquam pluribus verbis: *Nulla maior insania, quam pro delectatione momentanea, perdere æterna gaudia, & obligare se ad æterna supplicia.* Bernardus item diuine, vt omnia: *Qui in delitiis huius mundi transigit vitæ suæ curriculum, similis est latroni qui per prata florida ducitur ad suspendium.* Omnia hæc explodit mundus, & solas delicias spirat & iocos crepat, *Mundus gaudebit.*

*In serm.*

*In serm.*

*Ioan. 16.*

Mundi gaudia execrabilia sunt & fallacia.

Gaudia infida, fallacia, infelicia, & execrabilia, vtpote quæ per vniuersum sacræ Scripturæ campum abominanda & detestanda censentur. qui enim cũ mundo gaudet, cum diabolo, qui mundi huius princeps est, gaudet: gaudet etiã cum impiis & sceleratis, de quibus locutus Psalmographus est, dum ait: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* Gaudete cum inimicis Dei: *Si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Gaudete medio in sanguine & conflictibus, mundus enim bello & prælio plenus est, vt in Epist. ad Ephes. Paulus scripsit; in maligno etiam positus est & malitia plenus, vt testatur Euangelista: fallacia & dolo, teste Ieremia, scatet: contagio, peste & sceleribus, vt credit Sapiens. Deniq; cum mundo hoc gaudere, gaudere est cum damnatis omnibus; eo quod mundus, vt Apostolus ait, damnandus sit: est etiam Dei se aduersarium constituere, illiusq; odium incurrere. Vnde Iacobus Apostolus dicit: *Qui amicus voluerit esse huius mundi, inimicus Dei efficietur.* Et Ioannes in Epistola: *Si quis diligit mundum, non est charitas Dei in illo.* Ille porro mundum amare censendus est, qui in mundo permanet, qui cũ hoc mundo gaudet, cum mundo lętatur, ac iocatur: nam legum Pandectæ docent inimicum vere illum esse, qui inimici amicus est, teste Baldo, Bartolo, & cæteris Iurisconsultis. Sed infelix mundus nihilominus ridere pergit, & in iocis perseuerat. *Mundus gaudebit.*

*Ioan. 15.*

*Ephes. 6.*

*Ioan. 5.*

*Ierem. 5.*

*Sapient. 4.*

*2. Cor. 11.*

*Iacob. 4.*

*1. Ioan. 2.*

*Bald. in l. si quis testib. C. de testib. Bart. in l. sciendum. ff. si accus.*

Insensatus inquam mundus, stolidus, fatuus gaudet & plaudit; iusti vero plorant & gemunt. atque vt phreneticus moriendo ridet, flentibus amicis & sortem illius & calamitatem deplorantibus: ita peccatores phrenesi mentis in transuersum acti rident, iocãtur, & gaudent morti & damnationi proximi; sanctis & iustis, qui vere amici illorum sunt, calidis lachrymis eorum calamitatem & ærumnam deplorantibus. Manifesto hoc exemplo Christus Dominus declarauit, cum Ierosolymis factus vicinior, & mala eisdem & ciuibus post aliquot annos euentura, animo voluens flere cœpit & suspirare: ciuibus & incolis voluptati interea operam dantibus, delicias consectantibus ac nihil eorum quæ instabant præcogitantibus.

*Ioan. 16.*

Iusti plorant ridẽtibus impiis.

*Luc. 19.*

Cæterum, si quam mundani gaudendi & exultandi, in huius vitæ curriculo occasionem habent; pij profecto & iusti maiorem inueniunt dolendi, lamentandique. Primo, quemadmodũ enim maleficus quispiam, qui feralem mortis sententiam singulis momentis expectat, à risu abstinet, iocos & lusum contemnit, & instantem propediem mortẽ assidue mente agitans, in lachrymas resoluitur: Ita iusti, euidens stultitiæ argumentum esse credunt, in mundo hoc deliciari, lasciuire, gaudere, in quo velut captiui detinentur, (Apostolo mundum & mundana pertæso, dicente: *Cupio dissolui & esse cum Christo,*) & omni hora lugubrẽ sententiam expectant, qua abire hinc iussi, aut damnationis perpetuæ rei constituentur, aut immarcessibile præmium pro laboribus recipient.

*Philip. 1.*

An

An non enim indecens & absurdum foret, Christianos in vigilia Paschatis aut Sanctorum omnium, vel alterius cuiusdam festi, cũ & ieiunio castiganda membra, & sanctus quidam in corpus rigor induendus foret; ridentes, lasciuientes, ineptientes, tripudiantes, choreas ducẽtes, laruatos per plateas incedentes videre? & sane Bernardus, omne vitæ nostræ tempus nõnisi solennitatis cuiusdam magnæ professum, & vigiliam credit æterni illius Sabbathi, quod in cœlesti gloria expectamus, *Vniuersum*, inquit, *tempus præsentis vitæ vigilia est quædam solemnitatis magnæ, & æterni Sabbati, quod præstolamur in gloria.* Ecquæ igitur hoc in mundo ridendi subest ratio? In Serm.

Secundo, Quidquid magni hic mundus in officina sua continet, fraudem & fucum olet, & suspectum est: & imprimis ipse risus & gaudia. Interrogatus olim ingenii & doctrinæ princeps Plato, quandonam potissimum vrbs aliqua fugienda esset, ait, cum lucra non æquipollent sumptibus, sed emolumenta cedunt dispẽdiis: deinde cum improbi & scelesti probos numero superant: adhæc cum rectores illius mendaces sunt & fucum faciunt. Tum, inquit, mutanda est sedes, & aliud habitaculum deligendum, in quo nihil habeatur huiusmodi. Vt porro hoc proposito adaptem meo, dico iustos, cum probe faciant huiusmodi hoc in mundo defectus reperiri, molestè ferre longiores in hac vita moras, sed tædio affectos, & lachrymantes quotidie, ad aliam vitam aspirare. Sciunt inquam, nullum hic lucrum imminere, cum Apostolos dicentes audiant, *Per totam noctem laborantes, nihil cepimus*: & maiorem sceleston rum esse numerum quam piorum, cum scriptum sit, *Stultorum infinitus est numerus.* Principes quoque & rectores illius mendaces & vafros esse, *Omnis homo mẽdax.* Infelix igitur, & vere infelix mundo qui fidit, & in gaudiis illius spem ponit: de quibus non amplius iam decreui loqui, cum clima mutare, alias deligere sedes, ad terram piorum & lachrymantium, nauim dirigere, eorumque lachrymas dicẽdo abstergere sit animus: hoc nempe ex condicto nos prosequi oportebat. Platonis apophthegma. Luc. 9. Eccl. 1. Psal. 115.

Christus igitur, instar sublimis alicuius Philosophi & Theologi, qualis etiam reuera erat, vtpote in quo omnes sapientiæ & scientiæ thesauri reconditi essent; postquam de mundi gaudijs lætitia sæculi huius sermonem absoluisset, partem iis contrariam aggreditur, de tristitia & lachrymis iustorum acturus: quos consolatus ait, oculos eorum in lachrymas, pectora in singultus & tunsiones, animas in luctũ & tristitiam esse destinatos; verum vt idcirco animum non despõderent, nec aduersitatibus fracti succumberent, quod omnia propediem finirentur, & tristia in læta transirent. Atque vt olim Iacobum filium consolata legitur Rebecca, *Nunc ergo*, inquit, *fili audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Aram, habitabisque cum eo dies paucos, postea mittam & adducam te in die hac: pauci dies erunt peregrinationis tui, & laboris tui, vt cito mittam, & adducam te in domum*: ita & Christus suos consolatus est, dicens, Tempus quo à vobis abero exiguum & breue futurum est, breui aderit laborum vestrorum finis, tristia propediem in lætitiam conuertentur, & luctus in gaudiũ; idcirco nolite mirari, si mundo gaudente & ridente, vos lachrymaturi sitis. Gen. 27.

*Plorabitis & flebitis vos.* Mundus hic, Auditores, lachrymarum mare & oceanus est, quę vt plurimum oculis iustorum destillant: ad quas allusisse mihi Ieremias Propheta videtur, dum suorum calamitatem deplorans gemit, *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte.* Profecto si quis omnes lachrymas, quæ iam inde à mundi exordio à variis effusæ sunt, vnum in locum colligeret, altius meo quidem iudicio, quam aquæ diluuii olim, intumescerent, & aquarum montes efficerent; de quibus Psalmistæ illud repeti merito posset, *Mirabiles elationes maris.* Ioan. 16. Mundus mare est lachrymarum. Ierem. 9. Psal. 92.

Iusti porro & pii, veri Heraclitι in hoc mundo dici possunt, vt qui perpetuo lachrymentur & gemant: idque varias ob causas. Primo ob peccata sua, & vitæ huius miserias: Secundo ob delicta proximi & peccata aliena: Tertio ob vitæ huius exilium & elongationem; veteres illos Hebræos, in exilium actos & patria profugos & in solum alienum abductos, atque ideo gementes ac suspirijs alie- Iusti hoc in mundo varias ob causas gemunt & plorant.

Psal.136. assiduis sese conficientes imitando: de quib. vaticinans Psaltes locutus videtur, *Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus, &c. Quomodo*, inquiebant *cantabimus canticũ Domini in terra aliena?* Quarto quod de fine nõdum securi sunt, sed supra modum anxii. Quinto, quod gloria & ipsa beatitudo diutius differatur, & in longum protrahatur. Hinc moræ impatiens Psalmographus lacrymans & gemens exclamat. *Hei mihi quia inquolatus meus prolongatus est?* Alibi vero lachrymas suas & gemitus recensens, aperte profitetur, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* In quem locum Augustinus commentatus ait: *Quia si dulcis est patria, amara est peregrinatio: si amara est peregrinatio, tota die tribulatio.* Quæ omnia Redemptor præsagiens ac prænuntians, hodie Apostolis ait: *Plorabitis & flebitis vos.*

Psal.119. Psal.4. Enarrat. in Psal. 85. Ioan.16.

Honestissima illa puella Sara, Raguelis filia, cum omnem vitæ suæ seriem recenseret, enumeraretque quam olim vitam instituisset, libere ac sincere profitetur, *Nũquam cum ludentibus miscui me, neque cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui.* Ipsa igitur cum mundi huius miserias perspectissimas haberet, sciretque ipsum nonnisi theatrum ærumnarum, oceanum lachrymarum, officinam doloris esse: nunquam in animum voluptates aut delicias inducere poterat, nec iocis puellaribus vacare, aut æqualium suarum cõsortiis interesse. Felices igitur animæ illæ dicẽdæ, quæ puellæ huius mores sequũtur: at multo feliciores, quæ sibi persuadent, omnia terrena lachrymis & miseriis scatere.

Tob.3.

Laudatur à veteribus Solon Philosophus, quod vnum ex amicis, quem aliquando flentem & grauiter afflictum videbat, in summitatem arcis duxerit, vnde subiectas domos & familias demõstrauit, quem deinde solatus, & mœrorem depellens dixit, *Cogita nunc quã multi luctus sub hu tecta, & olim fuerint hodieque miscentur, insequentibusque saculis sint habituri, ac mitte mortalium incommoda tanquam propria deflere.* Declarare se Sapiens volebat, & hoc amicum & simul nos omnes edocere, vrbes & domos nonnisi miserorum receptacula esse, & mundi huius palatium nonnisi lugubre domicilium & lachrymarum demum: quo referri etiam possunt verba illa Scripturæ, *Melius est ire ad domum luctus quam in domum conuiuii.*

Val. Max. lib.7.cap.2.

Mundus domus lachrymarũ

Eccl.7.

Dæmonax orator, cum quendam è ciuibus in filij funere amare lachrymantem cerneret, eum consolatus sancte in se recepit: ad vitam illum reuocare, illiusque vmbram ab altero mundo arcessere; modo ipse vicissim tres, quos nunquam mortem alicuius deplorasse, nec quid aduersi calamitatisq; aliquando passos esse certum sit, ex omni hominum numero sibi seligat. At infelix pater animum intendens secumque mature cogitans, neminem ab hac calamitate reperire poterat immunem. Cur igitur, inquit Dæmonax, tantopere te crucias, & ob rem nullius momenti te affligis, quasi nouum tibi calamitatis genus, aut nemini hactenus nota aduersitas acciderit; Docere ipsum & in ipso nos omnes orator volebat, orbem malis refertum, nec nouum quid aut insolens esse in hoc mundo lachrymari. Vnde Christus discipulos suos præmonens ait: *Plorabitis & flebitis vos.*

Eras. lib. 8. Apoph.

Ioan.16.

Refert magnus Seneca, Lyciorum Legislatorem ciuibus suis legem tulisse, vt, si quãdo luctui & dolori indulgere vellent, viriles vestes exuti muliebrem stolam sumerent; innuere volebat, tam commune esse hocce in mundo gemere & lamentari, vt qui luctui & lachrymis nimis indulget, nõ vir, at fœmina potius dicendus sit: & fletus lamentaque abiecti & vilis, non autem heroici & virilis animi, & aduersus omnes fortunæ insultus infracti, argumenta esse.

In consol.

Interrogatus olim Diogenes, quid sibi Philosophia emolumenti attulisset, sapienter admodum respondit: *Etsi nihil aliud*, inquit, *vel hoc ipsum quod ad omnem fortunam paratus sum.* Si hoc ille de Philosophia sua testimonium dedit, maiori profecto id ratione Christianos de Theologia & sacris litteris vsurpare poterit, cum illa nos ad omnem aduersitatem, casusque tristiores æquo animo tolerandos melius edoceant, & ad fortitudinem adhortentur, atque ipse Dei filius ad eandem Apostolos inuitet, dicens: *Plorabitis & flebitis vos.*

Laertius. lib.6.

Cæte-

Mundus iustorum carcer.

Cæterum mundus hic ad hoc imprimis vtilis est, præter quam quod iustis & piis loco carceris, & caueæ sit: quod, referente in Homiliis Chrysost. plurimas ob rationes permittit Deus. Primo, ne quo inanis gloriæ flabello, interea dum hic in terra agunt, afflentur, & ob merita atque à Deo donatam miraculorum gratiam insolentiores fiant. Cuius rationes duos testes producemus, Regem vnum & Apostolum alterum: Dauidem inquam, qui immensas Deo gratias agit, quod sub tribulationum pondere pressum se humiliarit, *Bonum mihi quia humiliasti me*: & Paulum, dum ait, sibi ne magnitudine reuelationum extra modestiæ limites efferretur, stimulum carnis datum, à quo colaphizetur. Atque ideo Dominus suos plorare iubet. *Plorabitis & flebitis vos*

Psal. 118.

2. Cor. 12.

Ioan. 16.

Secundo, ne forte maior æquo Sanctis habeatur honor, ac Deorũ loco teneãtur, quod profecto euidens stultitiæ, ne dicam maniæ, signum foret: aut ne morti obnoxij maioribus quam conditionis humanæ fors permittat, honoribus afficiantur. Opinionem & rationem meam stabilire videtur Apostolus dicens: *Parco autẽ, ne quis me existimet supra id quod videt in me.* Hinc est quod Dominus lachrymari nos velit, & interea dum viuimus, luctu confici. *Plorabitis & flebitis vos.*

2. Cor. 12.

Ioan. 16.

Tertio, vt virtus Dei in vilibus hisce instrumentis ageus, fiat manifestior & euidentior. vnde eo quo supra loco Apostolus, verba Christi sibi dicta referens, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Quo loco τὸ *virtus* robur & fortitudinem designat, in Græcis namque fontibus reperitur δύναμις. An non enim Deus olim, in huius rei exemplum, Pharaonem Regem & omnes Ægyptiorũ in magis admirationem sapuit, cyniphes & muscas, & ranas immittendo? An non & idem Dominus cum trecentorum, metu tamen exanimatorum, hominũ manu, innumeras Madianitarum copias, duce Gedeone profligasset, ab omnibus, vt Theodoretus ait, legitur adoratus? Ideo & apud Ioelem Prophetam ipse, cuius potentia tanta & robur eximium, erucam fortitudinem suam in appellare non erubuit. *Et eruca fortitudo mea magna quam misi in vos.* Hæc in Homilijs Chrysost. Hinc est quod iustissimos & sanctissimos quosque lachrymari velit Deus. *Plorabitis & flebitis vos.*

2. Cor. 12.

Exod. 8.

Ioel 2.

Hom. 8. in 2. ad Cor.

Ioan. 16.

Quarto, & fortasse non incommode, vt hac ratione virtus, patientia, & infractum in aduersis tolerandis robur iustorum, qui nullo præmio inducti, nullam mercedem exspectantes, Deo obsequuntur, melius pateat & appareat. Ita in Iob viro sanctissimo, Satana nequidquam accusante & calumniante, patientiæ virtus eluxit: aiebat nempe calumniator ille ideo cum ne latum quidem vnguem à diuinorum mandatorum obseruatione diuelli, quod bonis à Deo vicissim cumularetur, nec pura eum intentione aut ex animo numen colere. *Nunquid Iob, frustra* (id est gratis) *timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum?* Quod ne cui forsitan verum esse videretur, afflictiones ei Deus immisit & grauissimas quidem, vt omnes, miserias, ærumnas, suspiria, lachrymas ad oculum cerneret: iuxta quod Apostolis hodie præcedit. *Plorabitis & flebitis vos.*

Iob. 2.

Ioan. 16.

Lachrymę patrię nobis nostræ memoriã refricant.

Psal. 136.

Rom. 5.

Quinto, & vere, vt ita electi iustiq; ad alteram vitam perpetuo aspirarent, eamq; perpetuo ob oculos haberent, veteres illos Hebræos imitati: qui in Babylonicam captiuitatem abducti, quoties dulcissimæ patriæ recordarentur, lachrymabantur ac gemebãt, conquestiq; querulo interdum carmine exilium deplorabant, *Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Atque rationem hanc obiter Paulus ad Romanos tangit dicens: *Tribulatio patientiã operatur, patientia vero probationem, probatio autem spem* vitæ alterius, vt quidem exponit Chrysostomus. Atque hæc ratio est, cur Iustos & electos hoc in mundo affligi, tribulari & gemere velit, vt gementes in hac vita, alterius gratia sibi proponerent: ideo discipulis ait, *Plorabitis & flebitis vos.*

Ioan. 16.

Sexto, quo hac ratione veri Dei amici & filii electi è ceterorum numero agnoscantur: ille enim legitimus Dei filius, non autem spurius & degener, censendus, qui lachrymis in hoc mundo pascitur, & sub afflictionum ponderе fatiscens gemit. Quo argumento

Lachrymę veros Dei filios ostendunt.

& Paulus Dei filios electos declarare voluit, *Hebr.12.* *Tanquam filiis vobis offert se Deus: quis enim filius quem non corripit pater? quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, adulteri & non filii estis.* Innuere cupiens, lamenta, fletus, lachrymas, ceteraſque aduerſitates euidentiſſimum characterem eſſe, quo filii Dei à mundi pullis clientibusque ſæculi dignoſcantur. In quam rem præclaram è Geneſi figuram producam. *Gen 35.*

Rachel, cum, tranſactis doloribus extremis & conuulſionibus inauditis, quas in partu ſenſerat, etiam præſenti vitæ diſcrimine, filiũ enixa eſſet; Benoni, id eſt, idiomate quidem Hebraico, filium doloris mei vocari ipſum voluit; at pater, verſa vice, & mutato nomine, Beniamin, id eſt, filium dexteræ, eũ nuncupandum cenſuit. Myſterii huius medullam minutius elicies, crediderim formoſam illam Rachelem Eccleſiæ noſtræ imaginem gerere, quæ magnis quaſſata anguſtiis, & doloribus variis oppreſſa, plurimos enititur filios; quos illa haud incongrue doloris filios appellare poteſt: ſed eos deinde cœleſtis ille pater dextræ filios nuncupat quod, qui in tribulationibus & aduerſis in fide ſtabiles, ac fortes & infracti in omnibus permanent; tandem aliquando, velut legitimi filii & nihil adulterinum redolentes, à Deo ad dexteram, in regno cœlorum collocandi ſint. Eccleſia Racheli collata.

*Cle. Alex. lib. 4. Strom.* Gloria laboris filia. Hinc Æſchylus Tragicus non inconcinne, mea quidem ſententia, apud Clementem, gloriam laboris filiam nuncupauit: at quod ille de gloria ſæculi huius, ipſe potiori iure de cœleſti dixerim. Ipſa ſiquidem vere laboris filia, vt, quam labores, tribulationes, & perſecutiones pariant; mundus enim ſtadium & arena eſt, in qua luctemur; at cœlum laureæ & triumphorum locus. Atque vt Romani rerum & orbis vniuerſi Domini nunquam eo quo certauerant loco triumphum agebant: nam qui in Galliis, Hiſpaniis, in media Africa, & in extremis Aſiæ finibus bellum gererent; Romæ ſolum triumphabant: ita & nos hic gemere & decertare par eſt, ſi in regno cœleſti præmium immortale & immarceſcibile conſequi velimus. Hinc Apoſtolorũ Princeps Petrus cum quietem & pacem veram in terra, quæ pugnæ, certaminis & belli landi locus eſt, ipſo transfigurationis Dominicæ die quæreret, reprehenſus eſt, quaſi neſciens quid diceret: adeo vt hic gemere & lamentari debeamus, ſi Chriſti Apoſtolis dicta verba veracia eſſe velimus, *Plorabitis & flebitis vos.* *Matth.17.* *Ioan.16.*

Solent arbores feraces frugiferæq; lapidibus & ſaxis à prætereuntibus peti, imo etiam rami interdum iis violenter auelluntur. vnde nucis querela apud poetam. Simile.

*(Nux ego iuncta via, cum ſim ſine crimine vita,*
*A populo ſaxis prætereunte petor.)*

Silueſtres vero & ſteriles, nullumq; proferentes fructum à nemine tanguntur, & quietæ manent. Ita iuſti, qui apud Pſalmographũ arbori feraci ſimiles eſſe perhibentur. *Tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo*; tribulationum & afflictionum ſaxis aſſidue petũtur, aduerſis exagitantur, & ſub ærumnis gemunt aſſidue. Impii vero arbores illæ ſpuriæ & adulterinæ propagines, pace perpetua gaudent, & mundi proſperitate lætantur de quibus locutus Vates regius, *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Hi perpetua malacia fruũtur, illi tempeſtatibus & turbinibus aſſiduis exagitantur. *Plorabitis & flebitis vos.* *Pſal.1.* *Pſal.72.* *Ioan.16.*

Solent medici ægris, de quorum ſalute ac vita deſperant, omnem ciborum vſum permittere, ſuæque eos voluntati relinquere; at de quorum ſanitate recuperanda non dubitant, rhabarbarum, abſinthium, aliaq; amara catapotia præſcribunt, quin & diætam indicunt: ita Deus peritus ille & verſatus medicus, peccatoribus induratis & pernicacibus, de quorum ſalute deſperat, qui tamen grauiter laborant, morti & damnationi proximi, omnia concedit, & indulget, vt bibant, comedant, rideant, tripudient, gaudeant, voluptati incumbant, quoties & quando voluerint; iuſtis autem & piis, quos non ita grauiter laborare perſpicit, cauteria tribulationum inurit, & lachrymarum potiones præſcribit, de quib. loquitur princeps Iſrael! *Potum dabis in lachrymis in menſura*; & alibi vt *Pſal.79.* *Pſal.41.* qui guſtauerat, coram medico aperte confitetur, *fuerunt mihi lachryma mea panes die ac nocte.* & Chriſtus Apoſtolis hodie diætam & Simile.

anam-

anangotrophian indicit, cum ait: *Plorabitis & flebitis vos.* Ioan.16.

Deus animarum medicus.

Et quoniam medici mentio incidit, sciendum est, peritos medicos & in arte medica versatos, quo ægros sanitati restituant; eosque incolumes reddant, sanguinem illis minuere solere, venamq; aperire: Deum quoq; medicorum omnium caput, eosdem hac in re imitari, animas inquam, male habentes & ægras imminuto sanguine persanare, id est, tribulationes, quarum sanguis imago est, immittere, & aperire illis nō venas, sed oculos, vt ita lachrymas emittant. Audite enim quid hac super re Apostolis dixerit: *Plorabitis & flebitis vos.* Ioan 16. 4.Reg.2.

Tribulationes sunt viæ cœlum versus.

Atque vt Regum Annales Eliam Prophetam per turbinem & ventorum fragore adminiculante in cœlū transuectum referunt; ita ipse dixerim neminem nisi per tribulationum turbines & aduersitatum procellam & lachrymarum nimbū, ad cœlos euolare posse, quod iter Dominus discipulis suis exponens, ait: *Plorabitis & flebitis vos.* Ioan. 16.

Magni pisces nō nisi in mari victitāt.

Solent balenę, ceti, delphini, aliaque vasta piscium monstra, nonnisi in salsugine maris, nunquam vero in fluminibus dulcium aquarum, natitare. Idem & de animabus illis generosis dicendum: non posse nimirum illas in limpidis & sapidis mundanorum gaudiorum aquis viuere, at in salsis tribulationum ac persecutionum gurgitibus. Et quoniam nullæ vnquam animæ discipulorum Christi animabus nobiliores exstitere, ideo magister illarum suadet, vt instar cetorum in lachrymarum Oceano perpetuo natitent; dicens: *Plorabitis & flebitis vos.* Sed mœrentes eorum animos solaturus, mox addit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ioan.16.

Tribulationes iustorum breues & consolationes diuturnæ.

Docere nimirum nos voluit, iustorum luctum & amaritudinem, quam hoc in mundo patiuntur exiguam & breuem fore, gaudia vero & consolationes diuturnas. Quod annuntiare se populo iussum Esaias Propheta testatur: *Vt prædicarem*, inquit, *annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo nostro.* Tēpus ecce tribulationum, quæ vindictæ & flagelli species est, diei nomine nuncupat; & consolationum, misericordiæ placationisq; anni; perinde ac si dicere voluisset: Vnum afflictionis habitæ diem, Deus solito consolationis immissæ anno remunerari solet. Quin & idem Propheta alio in loco, aliis item verbis, ait: *Quis mensus est pugillo aquas? & cœlos Isai.40. palmo ponderauit?* aquarum autem nomine tribulationes; cœlorum autem consolationes designat; aitque illas nonnisi pugillo, has vero integro palmo dimetiri: quo ostendat, labores & sudores perbreues esse, at præmia immensa & infinita.

Cum in hunc locum rex Israël Dauid incidisset, velut extra se præ gaudio raptus ait: *Melior est dies vna in atriis super millia, ideo elegi abiectus esse in domo Domini magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Tanta quippe tamque ampla cœlestia sunt gaudia, vt non omnem modo tristitiam & luctum auferant & sopiant, sed omnem etiam memoriam adimant, omniaque æternæ obliuionis sepulchro includant. Adeo vt merito sancti, illud Ecclesiastici vsurpare queant, *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.* Psal.83. Cœlestia gaudia omnem tristitiæ memoriā aboleat. Eccles.9.

Magnus ille Patriarcha Ioseph sibi ad summum honorum culmen euecto, & totius Ægypti domino constituto hanc à Deo collatam ait gratiam, qua omnium laborum, persecutionumque quas in terra Israel subierat, memoriam deponere potuerit: *Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum in terra paupertatis meæ.* Quo audito, statim ipse mihi persuadeo, eadem à Deo Sanctos gratia, mox vt cœlum subierint, diuinæque gloriæ participes facti fuerint, donari; omnium scilicet illos tormentorum, suppliciorum, cruciatuum, & tribulationū, quas in hoc mundo, qui vere terra paupertatis & miseriæ, subierunt, obliuisci. Gen.41. Nō recordantur in cœlis sancti eorum quæ in terra perpessi sunt. 2.Reg.19.

Abisai, vt in sacris libris perhibetur, iniuriarum sibi à Semei factarum memor erat; at Dauid immemor: eo ipso namq; die, quo in regem Israel inauguratus est, & Iudæ regnū adiit, hilari ad inimicum vultu cōuersus ait: *Non morieris, non est hic dies, vt in eo sit memoria priscorum malorum.* Si terreni regni possessio ita Dauidis animum commouere potuerit, vt priscorum malorum memoriā exuerit: an non maiori id ratione regnum æternum & cœleste poterit? Illius namq; gaudia

infinita & æterna, omnes cruciatus temporales absorbent: ipsa quippe mundi huius tristitia & amaritudo nonnisi momentanea est: at gaudia illa suprema, æterna & perpetua. Atque hoc Dominus discipulos consolaturus ait, dicens: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Ioan.16.

Nouerat id sancta illa anus, Tobiæ coniux, cum Domino supplicãs diceret: *Post tempestatem tranquillum facu, & post lachrymationem & fletum exultationem infundis.* Atq; hoc innuere veteres volebant, cum Iouem iuum inter duo vasa medium constituerent, vnum malorum, alterum bonorum, quæ inter se temperans, ac bonis mala permiscens, homines iisdem potabat, dicens: *Neque prospera sine aduersis.* quo allusisse Psalmographus visus est, dum ait: *Calix in manu Domini, vini meri plenus mixto, & inclinauit ex hoc in hoc.* Hanc mixtionem vsurpare Deus solet, tristiaque lætis, & aduersis prospera temperare, ac lætitiam dolore perfundere: mox etiam ventum immutans, summa imis & ima summis permutat, post procellas serenitatem, post notos & aquilones prosperitatum zephyros superinducit. Audite quid de eadem vicissitudine Apostolos suos Dominus docuerit, *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Tob 3. Pictura Iouis. Psal.74. Ioan.16.

Vitæ huius aduersitates breues & exiguas esse ait, & nonnisi *modicum*, atque adeo labores, persecutiones & afflictiones sæculi huius torrentibus comparantur, *Torrentem pertransiuit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.* Torrens enim quamuis breuissimo temporis spatio, confluentibus vndique de summis montium iugis, aquis, excrescat & intumescat, quamprimum tamen, cessante pluuia, detumescit, iram ponit, & nonnunquam etiam exarescit. Ita & tribulationes, quamuis prima fronte terribiles appareant, metumque pusillanimis incutiant, quamprimum tamen, Deo auxiliariam manum supponente, dissipantur, & in nihilum abeunt. Cuius rei figura fuit impetuosus ille torrens, qui postquam ex illo Elias bibisset, quamprimum exaruit, vti bene obseruauit Hieronymus, dum scribit: *Audientes torrentes huius sæculi nolite desperare: frequenter hic torrens deficit. videtur quidem tumescere, videtur habere aquas multas, sed cito deficit, si sustineas: vnde & Elia defecit aqua torrentis.* Atque hinc est, quod ipsa Christi Iesu Passio, quæ & acerbissima & breuissima fuit: torrenti comparetur à Psalmista: *De torrente in via bibet, propterea exaltauit caput.* Ipse quoq; Christus torrentis in morem, Apostolorum afflictiones & tristitiam transituram promittit, id est, momentaneam fore, & in gaudium conuertendam: *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Psal.123. Tribulationes torrenti similes. Comm. in Psal.109. 3.Reg.17. Psal.109. Ioan.16.

Ecquodnam vero illud futurum est gaudium, cum Deum maiestatis & regum Regem libere sine vllo obstaculo videre dabitur? ait enim Isaias Propheta, de Beatis omnibus loquens: *Regem in decore suo videbunt.* Regina Saba aulam Salomonis regis ingressa, eiusque magnificentiam, splendorem, seruorum multitudinem & ordinem intuita, in admirationẽ rapta dicebat: *Beati viri tui, & beati serui tui hi, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.* Verum, Magnum ô regina, si cogitationes tuas efferre sublimius, & altius insurgere velles, atque ea quæ de videre Dei regis terreni aula dixisti, de cœlestis diceres, faciem & Salomonis loco Deum tibi præsentem fingeres: quam beatos spiritus illos cœlestes existimares, quibus coram diuinæ maiestatis conspectu semper datur assistere! Dauid rex, omnibus voluptatibus affluens, huc omnes cogitationes dirigebat, dicebatq; tum se gaudio cumulandum, cum Dei sui faciem coram cerneret: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* non tantum ait se lætaturum, sed lætitia adimplendum. Sumite igitur animos Apostoli Christi: nam, *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* Isai.33. 2.Paral.9. gaudium Psal.15. Ioan.16.

Ecquod enim gaudium futurum putatis, cum omnes sensus exteriores gaudio replebuntur: quidquid exoptaueritis, fiet vobis, omnia ad votum fluent, cum quidquid petieritis, volueritisque impetrabitis? Insinuat hoc Propheta regius, dicens: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Mundus quidem desideria nostra implet, sed vanitatibus, stultitia, inaniis, ac meris nugis, at cœlum bonis voluptatibus, deliciis, & quidem veris. Hinc & idem alio loco: *Replebimur in bonis domus tua:* Psal.102. Psal.64.

id est,

id est, cum domum subire tuam dabitur, omnibus opibus & bonis circumfluemus; quã felicitatem in immensum attollens Augustinus, ait: *Felicitas est, habere omne quod cupis, & nihil habere quod odisti.* Gaudete igitur & exultate Apostoli, quia *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Ioan.16.

Gaudia cœlestia æterna futura sunt.

Quodnam obsecro gaudium, æternitatem consequi, esse perennem, ac nunquam terminari? porro gaudiorum æternitatem Isaias Propheta plurimi facit ac summo loco ducit, dum de beatis loquendo scribit: *Letitia sempiterna super capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt*, eamque sempiternam & nullo æuo terminãdam. Nam præter præmium illud essentiale, visionem inquam Dei, quæ omnibus in genere Sanctis communis est, nouis quotidie gaudiis, & quidem variis & sexcentis, accidentalibus inquam, cumulabuntur: ac præter gaudiorum æternitatem, hoc ad cumulum accedet, quod omnes beatorum sensus incredibili voluptate ac delectationibus nouis perfundentur. Consolamini, consolamini igitur Apostoli, quod *tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Isai.35.

Ioan.16.

Omnibus malis eximentur sancti.

Ecquodnam illud gaudium, quod omnibus omnino malis nos liberat, & solida, nulloque dolore interrupta lætitia perfundit? In Apocalypsi quippe scriptum est: *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis sanctorum, & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra quæ prima abierunt.* Et in Isaia: *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Quodnam, inquam, gaudium illud erit, quod nullo dolore permistum? quod nihil habebit quod metuas, nihil quod formides: quod nullis impedietur lachrymis, lamentis nullis, quo minus perfectum sit interrumpetur. Mors, passio, cruciatus, tristitia, paupertas, inopia hinc exulabunt, imo ne minima quidem eorum in cœlis mentio: at omnia secura hic sunt, certa & nullo aduerso concutienda casu. Gaudete itaque & lætamini Apostoli, tandem enim *tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Apoc.21.

Isai.51.

Ioan.16.

Beatorum corpora præclaris dotibus spendita erũt.

Ecquodnã inquam, gaudium illud, quando corpora omnia tam egregiis, nobilibus & eximiis dotibus donata erunt: splendore scil. qui solis etiam iubar antecellet, nam *Fulgebunt iusti sicut Sol*: subtilitate etiam admirabili, ea inquam, ipsa, qua spiritus cœlestes dotati sunt, qua etiam muros transgrediuntur; de quibus locutus Psaltes videtur cum de se diceret: *De meo transgrediar murum*; agilitate etiã credibili, qua & aues præuertent. Ita intellige vaticinium Isaiæ: *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt.* Denique, vt Angeli, ab omni cruciatu, & ægritudine immunes existent: *Et mors vltra non erit, neq; luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra.* Ingens igitur gaudium erit, tot videre soles, specula, radios, spiritus, aquilas, angelos vno in loco congregatos. Ne igitur animum despondete Apostoli: nam serius aut citius, *Tristitia vestra vertetur in gaudium.*

Matth.13.

Psal.17.

Isai.40.

Apoc.21.

Ioan.16.

Palatium cœleste.

Quantum gaudium erit tam lucidum & splendidum incolere palatium, de quo scribens Apostolus ait: *Structura muri eius ex lapide laspide, ipsa vero ciuitas aurum mundum, simile vitro mundo. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide pretioso ornata. Et duodecim porta duodecim margaritæ sunt, & platea ciuitatis aurum mundum.* Palatium inquam, adeo amplum & magnificum, vt ipsi reges, exquisitas inhabitare aulas soliti, summopere tamen ipsum incolere desiderent, ac nonnisi admirando de eodem locuti sint, & inprimis Dauid: *Quam dilecta tabernacula tua Domine, Psal.83. virtutum, concupiscit & deficit anima in atria Domini.* Palatium adeo eminens & nobile, vt ipsum Dei domus, Seraphinorum aula, Regum sanctorum domus, terra viuentiũ, Beatorum domicilium, Angelorum habitatio appelletur: à Dauide vero tabernaculum admirabile; *Quando transibo in locum tabernacu- Psal.41. li admirabilis, vsque ad domum Dei?* Tristitia igitur ne emoriamini Apostoli: nam *ipsa vertetur in gaudium.* Ioan.16.

Act.21.

Gaudia cœlestia cæteris gaudiis antestant.

Gaudium inenarrabile, omne namque quod hic haberi potest gaudium, & deliciæ, quibus hodie homines hic gaudent, & ad finem vsque mundi gaudebunt, & quibus hactenus gauisi sunt: nihil omnino sunt, & mere inanes, si cum Paradisiacis cœlestibusque, quæ Beatos manent, comparentur. Quod è Philosophorum schola petitis rationibus confirmabo. Hoc namque est Aristotelis

*Lib. 1. Poſter.* axioma huc optime faciens. *Omne quod eſt per eſſentiam, maius eſt & perfectius omni eo, quod eſt ſimpliciter per participationem.* Item illud *2. Metaph.* Metaphyſicum: *Quidquid eſt cauſa aliorum vt ſint talia, illud eſt maxime tale.* Contemplare igitur, homo, & penitus inſpice omnium mundi huius rerum ſplendorem & pulchritudinem, per omnia creata curioſius indagãs obambula, cogita & inſpice delicias, gaudia & delectationes, quas iiſdem incluſas credis, accurate examina: ac deinde altius mente cogitationeq; tranſcendens, illorum auctorem intuere, ac videbis ſolum Deum eadem condidiſſe: nam *ſine ipſo factum eſt nihil, & omnia per ipſum facta ſunt.* Tum etiam conſidera creatorem illorum, ſine vlla comparatione, omnibus illis & pulchriorem & excellentiorem eſſe, ac multo plures in ſe delectationum cauſas comprehendere. Hoc argumẽto & Salomon, aduerſus idololatras quoſdam, qui ſolem, lunã, aſtra, & omnem militiam cœli diuino cultu adorarent, vſus eſt, dum ait eos, ſi qua in aſtris viſa pulchritudine ad hanc maniam & idololatriam deoluti ſunt, oculos altius efferre debere, & eorum conditoris excellentiam dignitatemq; contemplari.

*Ioan. 1.*

*Sapient. 13.*

Deinde, ſi inferiora hæc, in quantũ tamen creaturæ ſunt, afficere oculos noſtros & animos poſſunt, eoſque ad ſe rapere & voluptate perfundere, interea dum hic in terra degimus: ipſe profecto Deus, omnium creator & conditor, maiori nos afficere voluptate poteſt, & maiorem in ſe hominum recreandorum occaſionem ac rationem habet, cum verum illud axioma Philoſophorũ, de cauſis & agentibus loquentium ſit: *Quidquid poteſt cauſa ſecunda, nobiliori & excellentiori modo poteſt cauſa prima.* item illud: *Nobilior cauſa nobiliorem ſemper producit effectum.* Quibus innixi, & Philoſophorum hac in parte opinioni accedentes Patres Eccleſiaſtici, vnanimi ſententia tradunt, eum, qui cæleſtia gaudia aſſidua meditatione contemplatur terrena mox aſpernaturum, & ſæculi huius delicias nullo loco habiturum. Audiamus hacce in re loquentem Gregorium: *Si conſideremus fratres cariſſimi, quanta ſunt quæ promittuntur nobis in cœlis, vileſcunt animo omnia quæ habentur in terris.* Vlterius etiam tranſcendit Auguſt. dum quodam in loco de cœleſti beatitudine ait: *Tanta eſt dulcedo futuræ gloriæ, quod ſi vna gutta in infernum deflueret, totam damnatorum amaritudinem dulcoraret.* Atque hæc forſitan fuit ratio, cur Epulo infernalibus flammis vſtulatus, & in mediis ignibus conſtitutus, aquæ guttam à Patre Abraham poſtularit. Idem quoque Auguſt. lib. de virgin. addit, tantam gaudiorum cœlicorum dulcedinem & excellentiam eſſe, vt quamuis nonniſi horæ vnius ſpacio iiſdem frui daretur, centenæ annorum myriades ſi eatenus extendi vita poſſet, in voluptatibus & gaudiis traducendæ, contemnendæ ac velut nihil deſpiciendæ forent. Diſcite igitur, ô Apoſtoli, æquo animo ærumnas & cruciatus perpeti, *Triſtitia* enim *veſtra* tandem *vertetur in Luc. 16. gaudium.*

*Ariſt. lib. 1. de Anim.*

*Gregor. in Hom. vnius Mart.*

*Ioan. 16.*

Ecquod Deus bone gaudium! nullus oratione complecti, aut animo magnitudinem gaudii illius poterit comprehendere. Hinc quamuis exprimi Oratores, Philoſophi, Arithmetici, Hiſtonequeãt rici, Theologi, omnes etiam homines & Angeli, collatis viribus illa deſcribere contenderent, à nemine putem minimam eorundem partem verbis exponi poſſe: quin & amplius addo, quamuis omnes arborum frondes, vniuerſa firmamenti ſidera, omnes maris guttæ, & oceani arenæ, in Demoſthenicas eſſent conuerſæ linguas, nulla ratione eaſdem minimæ illorum portioni deſcribendæ ſufficere. Quod ita probabo: Si verum & indubitatum illud Ariſtotelis ſit, *nullum finitum poteſt infinitum comprehendere, cum in ipſis non ſit proportio*: certum quoque & penitus indubitatum eſt, beatitudinem & paradiſi gaudia infinitum bonum eſſe, vt Theologi propemodum omnes in quartum ſententiarum tradunt: Cum igitur omnes quæ in mundo ſunt creaturæ finitæ ſint, nihilque cum infinito commune habeant: infinitam illam dulcedinem nunquam comprehendere, nedum exprimere poterunt. Suffragatur opinioni meæ Ariſtoteles, dum ait: *Infinitum magnitudine, & multitudine, ſecũdum quod infinitum eſt, nobis ignotum eſſe*: quam & ſancto- *Homil.* rum Patrum verbis, & inprimis Bernardi cõ- *nius ma-* firmo; dicit enim in ſententiis, *ſi omnium ho-* *tyris,*

*Lib. 1. de cœlo & dephyſ. & 2. Metaph. & in 4. ſent. diſt. 47.*

*1. Phyſic. Bernard. in ſenten.*

*minum*

*minum linguæ simul essent, & mihi loqui vellent de gloria, quam animæ beatæ habituræ sunt: citius in narrando deficerent, quam vel minimam partem illius gloriæ exprimere possent* Deinde & Gregorij, *Quæ autem lingua dicere vel quis intellectus capere sufficit, illa supremæ ciuitatis quanta sint gaudia?* Felices igitur & beati vos Apostoli, hisce gaudiis tandem aliquando perfruituri, *Tristitia* quippe *vestra vertetur in gaudium.*

Ioan. 16.

Sola gaudia cœlestia animã satiant.

Quodnam illud gaudium est, Auditores! quod videlicet solum animam satiare, eique satisfacere potest: mundanæ vero delitiæ eãdem pascere ac reficere nequeunt. Nam licet aliquis omnes consolationes, quæ haberi & optari hoc in orbe possunt, ad votum & libitum haberet: nunquam tamen satiatus foret. Ad quam opinionem viam sternit Philosophus dicens: *A proprio obiecto recipiunt potentiæ perfectionem suam.* Cum igitur oculorũ & visus obiectum sit color, aut corpus coloratum, iuxta Philosophorum omnium, & inprimis Arist. opinionem: certissimum est, si oculis omne symphoniæ genus & instrumẽtorum variorum sonus obiiceretur, nulla ex iis visiuam potentiam voluptate recreandam quod non sit obiectum illius: at si excellens & scitum aliquod corpus, aut colores viuaces eisdem proponerentur, incredibili profecto voluptate perfundetur. Idem de auribus esto iudicium: si enim iisdem diuersa florum genera, mira colorum discrimina, imagines scitissime efformatas, gemmas elegantissimas apponas, cum hæc obiectum illarum nõ sint, nullam his auditui voluptatem paries. Quod cum ita se habeat, petendum restat, ecquod nam animę rationalis obiectum constitui debeat: omnes, crede mihi cum D. Thoma respondebunt, solum Deũ illam sibi vt obiectum proponere. fieri igitur nequit, aliud vt præter Deum obiectũ eandem afficiat, & reficiat, illiusq; desiderium adimpleat.

Arist. 2. de anima & 3. Ethic.

Deus obiectum animæ rationalis.

1. 2. q. 3. art. 8.

In sententiæ meæ confirmationẽ sanctorum Patrum testimonia producam, & Augustini imprimis: ita enim is in confessionibus loquitur: *Fecisti nos, Domine, ad te, & ideo inquietum est cor nostrum, nisi requiescat in te,* te fine turbatur, agitatur, & huc illucque rapitur: at in te, cum requiescit, velut in centro fixum hæret. Deinde & in libris de Ciuitate Dei Platonis sententiam citans ait, *Tam delicata est diuina visio, tantoque amore dignissima, vt quidquid haberi possit, ea non habita, faciat hominem miserum, non beatum.* Hinc Scotus, subtilis ille & profundus Philosophus credidit, *Intellectum nostrum ab aliquo satiari vel quietari non posse, nisi sub ratione infiniti.* Cum igitur vniuersa quæ in mundo hoc inferiori reperiuntur, breuia, transitoria, fragilia, fugacia, finitaque sint: animæ nostræ satisfacere nequeunt, nec illius cupiditatem ac desiderium vllo pacto restinguere. At solus Deus, summum illud bonum, & omni ratione infinitum, ipse siquidem est, qui post toleratas ærumnas, labores, angustias, ac tristitiam vitæ huius, in altera nobis delicias, gaudia, solamina ac voluptates in remunerationem elargitur: promisit enim Apostolis, tristitiam se illorum in gaudia commutaturum.

Lib. 1. confess.

Scot. in 3. sent. dist.

Quidqd in mundo habetur animam satiare nequit.

Cõclusio.

Quæ cum ita sint, Christiani Auditores, vt finem præsenti concioni imponam, quidquid hodierno vobis Euangelio declaratum est, animo vt infixũ geratis, oro: recordamini inquã, quam varia in hoc mundo hominũ sors sit & cõditio: in quo hi gemunt, illi gaudent: in quo hic tripudia, illic tristitia & luctus. Cogitate mũdum lactucarum persimilem esse, in quo & oleum solaminum, & acetum acrimoniaq; aduersitatũ inuenitur: cogitate quin etiã atrium esse, in quo peccatores epulentur & nuptiali gaudio rideant, iusti vero velut in carceribus & vinculis constituti gemant. At imprimis cogitate, eos qui hic modo gemunt, in altero sæculo gaudiis cumulandos, de quibus loquitur Propheta, dicens, *Qui seminant in lachrymis, in exultatione metent.* Id est, qui laborum suorum sementem in vitæ huius agro, lachrymando & gemendo, conserunt, cum gaudio ipsam & lætitia metent: è contra vero, quicunq; gaudentes seminauerint, lachrymantes & suspirantes & aruum fletu humectantes, metent. O casus lugubres, & vere metuendos! ô catastrophen tragicam & luctuosam!

Psal. 125.

Tu vero Deus ter Maxime, à cuius nutu & directione omnia hæc inferiora dependent, qui humanæ vitæ sortes moderaris & quo volente

volente tot in hoc mundo rerum vicissitudines contingunt: qui & hos gementes & illos ridentes conspicis: qui his vt membra ieiunio, inedia & rigore exteriori doment suades, illos vero voluptatibus indulgentes æquanimiter toleras: cuius prouidentiam omnis quæ in mũdo diuersitas sortis apparet, respicit: tu inquam, qui lachrymas, quas iusti hoc in mundo fudere, æterna mercede compensas: delicias vero & voluptates, quibus impii abundant, dignis sæpe suppliciis castigas: nobis obsecro, gratiã concede, vt quamdiu hic agimus, afflictionum acerbitatem tolerare mereamur, veri Heracliti esse, & oculos in fontes lachrymarum conuertere possimus, vt in altera vita lætemur & exultemus, atque afflictiones nostras in cõsolationes, aduersitates in prosperitates, tristitiam in gaudia, gaudia inquam perennia, sempiterna qualiaque æterna beatitudo includit, commutatam videre: quorum nos participes reddat Pater & Filius & Spiritus sanctus, Amen.

## DOMINICA QVARTA POST PASCHA.

Partes.

I. *Aduersa in diuersis sortiri diuersum effectũ.*
II. *De tristitia muta discipulorum.*
III. *Cur expedierit Apostolis abire ab ipsis Dominum.*
IV. *Quid acturus paracletus adueniens.*

*Vado ad eum, qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis?* Ioan. 16.

### FIGVRA.

Tob. 9. RAphael ille Angelus, postquam tantorum maritorum interfectorum dæmonem in desertum Ægypti abegisset, & Tobiã iuniorem saluum & incolumem reduxisset, patris cæcitatem abstulisset, & magna Tobiæ domum felicitate cumulasset: patri ac filio valedicens, ait, Iam tempus est vt reuertar ad eum qui tibi me hactenus coegit adesse: atque ideo benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus mirabilia illius prædicate. Tob. 12. Idem omnino Christus hodie, qui à Propheta magni consilii Angelus vocatur discipulis suis valedicẽs, ait: nam diabolo ad infernales abyssos detruso, mundo illuminato hominum cœcitate pulsa, orbe benedictionibus & gratiis repleto, ita eosdem in Euangelio allocutus est, Iam discessus mei tempus aduenit, tempus quo Patrem, quo tamdiu abfui, adeam: nemo tamẽ vestrum de abitu meo, sollicitus interrogat quo vadam, aut quænam discessus mei sit ratio. Hic nimirum Euangelii hodierni nucleus est, quẽ vt enucleemus, cœleste auxilium, precibus Deiparæ matris, imploremus, ideo salutationem illi Angelicam offeremus.

### AVE MARIA.

I. Quod vni salubre, alteri noxium est.

Quotidiana edocti experientia, quotidie fieri videmus, vt quod vni vita, sanitas & medela est, alteri mors, morbus & virus existat. Serpentes enim & viperæ, vt exemplorem probemus, ceruis salubres sunt, hominibus noxiæ: venenum Mithridati Ponti regi, vt Historiarum monumentis proditur, cibus & vita fuit, cæteris hominibus mortem & interitum adferre solet.

Tribulationes iustis salutẽ & impiis damnationem afferunt. Prou. 12.

Quod tantopere in naturæ ipsius secretis demiramur, in mysteriis etiam fidei & gratię locum habet: quod enim his ad animæ salutem prodest, illis æternum sæpenumero adfert interitum: quod hos ad cælum subleuat, illos ad inferna detrudit: quod his vitã, mortem illis & damnationem parit. Quod plurimis exemplis confirmare volens, tribulationes solas in scenam producam: videmus enim sæpissime, iustis illas prodesse, impiorũ vero capiti damnationem arcessere. Quod Sapiens in Prouerbiis testatur, *Non conturbabit iustum quidquid acciderit ei impij autem replebuntur malo*: cum enim aduersitates & tristitia iis accidunt, commouentur, tam intus quam foris, & ideo miseriis replentur.

Iusti & impii arborib. cõparantur.

Arbores in aperto & patulo campo consitæ, ventorum turbinibus expositæ sunt: at si quæ altas radices egere, & profundas propagines

pagines extendere, eosdem immote persistentes exsibilant, etiamsi in frondes ac ramos venti grassentur: sed quæ nonnisi summa terra hærent, & non ita altas radices iecere, quam primum ad minimam procellam eiiciuntur, & eiectæ emoriuntur. Atque hoc etiam Psalmographus cõparationis genus adhibuit, cum de iustis locutus ait, *Et erit tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum & folium eius non defluet.* Psal. 1. De impiis vero, *Non sic impij, non sic, sed tamquam pulvis quem proiicit ventus à facie terræ.* Atq; hinc apparet, iustos tribulationum turbine non concuti, impios autem eodem ad terram prosterni.

Huius occasione duarum mihi domuum, quas in Euangelica ciuitate ædificatas reperi, in mẽtem venit: vnius quidem, quam stolidus aliquis arenæ inædificauerat, quæ ad primam aquilonis rabiem tempestatemque, ad terram, collabascentibus fundamentis, concidit: alterius vero, quam sapiens in rupe & petra validissime struxerat, quæ ventorum minas exsibilans, immobilis & inconcussa perstitit. Matt. 7. Iustorum hic & impiorum sortem ad oculum expressam video, & in vẽtorum fragore tribulationum imaginem intueor: quæ cum animam concutiunt, domus illius & constantia, omnisque adeo impiorum status, mundi huius arenæ & rebus temporalibus inædificatus, mox ad terram corruit & quasi solo tenus diruitur: sed iustorũ, qui vere sapientes sunt turbinibus non cedit, sed eorum rabiem eludit.

Orat. 26. Nazianzenus Gregorius tum eloquentia tum doctrina præstans, ait se, in littore maris obambulantem, sublimem quamdam Philosophiam didicisse. Cum enim in littore constitutus mare ipsum curiosius cõtemplaretur: videretq; hinc rupes & scopulos in medio mari fluctibus impetitos, tempestatibus circumvndique frementibus agitatos, vndis lambentibus concussos, immobiles persistere: illuc vero, ostrea aliaque conchiliorum genera, mari reciprocanti agitata, modo in littus eiici, modo ad fundum demergi, modo in terra vnda adminiculante ludere, modo in imas voragines trahi cerneret: cogitatione altius euectus, veram hic sibi mundi imaginem repræsentari credit: in quo iusti & electi inconcussi & constantes, scopulorum instar, nequidquam afflictionum procellis sæuientibus, permanent: peccatores vero & impii, instar conchiliorum, cum mundo sursum deorsum voluuntur, modo in sublime elati, modo ad ima depressi.

Hinc bene & proposito meo accõmodate Augustinus olim scripsit, eodem igne aurum & paleam ardere: sed hanc nigrescere & paulatim in cineres euanescere, hoc vero purius reddi & splendidius. Innuere nimirum volebat, tribulationibus, quæ instar ignis animam adurunt, impios & peccatores consumi, dum easdem iniquo animo ferunt, nec à Deo sibi immitti credunt: iustos vero iisdem, vt flamma aurum, maiorem fulgorem nitoremque accipere, virtutes augere, nouamque meritorum materiam acquirere. Vnde Sapiens, *Quasi aurum in fornace probauit electos Dominus.* *Sapien. 3.* Tribulatio ignis est, qui impios in nihilum redigit, piis vero merita adauget.

An non tres illi Hebræi iuuenes mediis in ignibus constituti, & diuina præconia concinentes, illæsi perstitere: Chaldęi vero ministri, qui nonnisi adstabant fornacem succendentes, à flamma erumpente absorpti in cineres redacti sunt? Ingens profecto miraculum, sed euidens exemplum, quo quod dicere cœpi stabilire potero, scilicet iustos & inculpatos nullum à tribulationum fornace & afflictionum flamma detrimentum accipere, sed Deum in eisdem celebrare, eiusque mirabilia deprædicare: Babylonios vero & peccatores, mox vt propius accedunt, & vel leuiter eandem sentiunt, in cineres redigi, & animum despondendo consumi. *Dan. 3.* Tribulationes fornaci Babylonicæ cõparantur.

Ostendere Moysi cum vellet Deus, Israelitas multa quidem in Ægyptiaca seruitute mala toleraturos, verum omnibus iis tandem incolumes emersuros, nullumque vel minimum ab iis detrimentum passuros, rubum ardentem, noctes atque dies succensum, & tamen flammis non cedentem, sed integrum perseuerantem, in deserto Sinai illi exhibuit. Rubus, populi Israelitici: & flamma, tribulationum figura erat: designabatque ad oculum, afflictionibus illos non *Exod. 3.* Magnum spectaculũ est videre constantẽ aliquem in amore diuino ingruentibus tentationibus.

cessuros, sed è contra valentius obnixuros: atq; vt Moyses, tanto spectaculo & rei magnitudine stupefactus, magnam id visionem esse dixit: ita non inferius miraculum nec insolentius spectaculum esse cēseo, hominem mediis in tribulationibus constitutum, in amore Dei firmum persistere, & ab illius obsequio non diuelli.

Huiusmodi erat Apostolus Paulus qui de se aliisque Christum se imitari credentib. locutus, ait, *In omnibus tribulationem patimur. sed non angustiamur, persecutionem patimur, sed nō derelinquimur.* Adeo vt quod cæteri, vt ita ad lineam reuertar, dedecori & ignominiæ sibi verterent, ipse sibi Apostolus laudi & gloriæ duceret: quodque illos ad terram deiiceret, huic noui meriti materia foret. 2.Cor.4.

Tribulatio fornaci comparata

Eadem fornace & carbones nigri & prunæ ardentes egrediuntur: tribulationes porro, vt paulo ante dicere memini, in sacris litteris, igne & fornaci comparantur, & ex illis velut è fornace succensa, peccatores, velut atri carbones, impatientiæ fuligine furui: iusti vero, amore diuino & eximia erga proximum charitate succensi, sicut candentes prunæ prodeunt. Huiusmodi erant illi, de quorum charitate locutus est Apostolus, *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio.* Rom.8.

Gen.40. Duo, carcere Pharaonis, eodem tempore captiui egrediebantur, hic ad regios honores sublimandus, ille vero supplicio extremo afficiendus. Carcer hic, vt allegorice rem exponam, tribulationis symbolum est, quæ diuinæ maiestatis carcer est è quo duo sæpe captiuorum genera egredi videmus, sed diuersa sorte donandorum: iustos quidem cœlestibus honorib. & æterna beatitudine mox post hanc vitam donandos: peccatores vero, velut reprobatos & reiectos grauissimis suppliciis cruciandos.

Tribulatio carcer Dei.

Exod.4. Virga illa prodigiosa, quam Deus Moysi in missionis symbolum dedit, quamdiu in manibus illius erat recta & teres apparebat: sed in terram proiecta, & Ægyptiorum pedibus prostrata, in terrimum serpentem conuertebatur. Ipsa porro tribulatio sæpius in sacris litteris baculo virgæque similis esse asseritur, *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*: hæc igitur quamdiu manibus Mosaicis, id est, iustorum tenetur, recta & innocua est, meritorum & virtutis occasio, prædestinationis argumentum: at in terram prolabens, id est, terrenos illos peccatores, perfidos & sacrilegos Ægyptios impetens nonnisi venenum, virus, damnum, mors, & interitus est sempiternus. Id est, Tribulatio illis ad vitam & beatitudinem prodest & per accidens his æternæ damnationis est causa.

Tribulatio Virgæ Moysi collata.

Psalm.22.

Mare rubrum vndis tumentibus horridum iter præbuit populo Dei, & sospitem eum traduxit: Ægyptiis autem cœmiterii loco fuit, dum quotquot intrarant, vndis sunt absorpti. Cæterum afflictio & aduersitates vere rubrum mare dici possunt, quæ iustis & Dei filiis saluum ad terram promissionis cōductum præstant, filiis vero sæculi huius, nouis illis Ægyptiis, interitum & ruinam adferunt. Hi enim animum, illis ingruentibus, desponden tes, damnationem æternam adeunt: illi vero, æquo animo easdem tolerantes, salutem nanciscuntur, gloriæque cœlestis participes hac ratione fieri merentur: namq; hæ viam sternunt, & per solas angustias & ærumnas eodem peruenitur. Exod.14. Item mare rubrum

Hæc quidem Euangelii hodierni occasione dicta sunt, in quo Dominus Iesus, vti & in aliis omnibus à Paschate vsque ad Ascensionem legi solitis, Apostolos consolatur, ad aduersa tolleranda eos incitando, ad constantiam & animi robur animando, & viros vt se præbeant suadendo. Afflictio & tristitia, lachrymæq; vbiq; hic apparent. rem gestam Ioannes refert, dicens: *Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis.* Hanc pertractaturus, primo Apostolorū è Christi Iesu abitu orientem tristitiam proponam, ac deinde quanta nobis commoda emolumentaque illius ex hoc mundo discessu accesserint, dicere conabor. Ioan.16.

II. Euangelii historia.

Principio igitur, refert Euangelista, Dominum postquam placide ac lenibus verbis suos coarguisset, quod, cum propediem ad Patrem esset abiturus, nemo illorum, quasi de discessu illius parum laborarent, peteret, quonam esset abiturus, aut quæ discessus

illius

illius causa foret, vel post quantum temporis spatium reuerteretur, (quod petere tamen amicus, amico in peregrinam regionem instituere profectionem volente, solet) videreque eos hisce auditis non parum commoueri, & ad tristitiam inclinari eosdem consolando his vsum verbis. *Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Ioan. 16.

Non sine ratione autem Apostoli tristitia & dolore conficiebantur. nam amisso Iesu omnia simul perdiderant. Atque ita dixisse & absentiam filii deplorasse legitur Tobiæ mater, *Heu, heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis.* Tob. 10. Quibus dictis mœrore consumebatur & lachrymas vbertim fundebant. Maior haud dubie Apostolorum mœror & angustia Domino discedente fuisse credenda est, discedente inquam Iesu, qui omne eorum solamen bonum, omneque animæ gaudium erat, quod illo præsente sentiebant, absente vero amittebant. Cogitate igitur vobiscum, quam grauis illis fuerit, quamque molestum, à tam benigno & mansueto Domino diuelli.

Si enim Christus felicitatem eorum deprædicans, olim ait, *Beati oculi qui vident quæ vos videtis, & beatæ aures, quæ audiunt quæ vos auditis, multi enim reges & Prophetæ desiderauerunt audire quæ vos auditis.* Luc. 10. Quanta igitur Apostolorum mœstitia fuerit oportet, cum herum suum & Dominum iamiam abiturum cernerent: cernerent inquam tanto se bono propediem orbandos, oculos tam iucundissimum magistrum non amplius visuros, aures vero feruentissima eius colloquia concionesque non magis audituras, & cor solita felicitate spoliandum: Hinc illis ait, *Quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Ioan. 16.

Regina Saba aulam Salomonis Regis ingressa, felicitatemq; seruorũ & clientum eius demirata, cum omnia coram intuita esset, in hæc tandem verba stupore plena prorupit, *Beati viri tui, & beati serui tui qui adstant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* 3. Reg. 10. Si terreni regis qui sapientia polleret dicebatur, seruos beatos ipsa prædicarit, colligere hinc possumus, quanta Apostolorum fuerit beatitudo, quibus semper Christus adesse, eiusq; sapientiam audire datum fuit: deinde vice versa intueri, quantus eorum mœror & luctus fuerit tanto bono excidisse, eiusq; præsentia carere.

Nam quemadmodum Dei præsentia animam lætitia & gaudio replet, si Psalmistæ verbis credamus, *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo*: ita & absentia, tristitia & afflictione, testatur idem qui ante Psaltes, cum lachrymis obortis ait, *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie. Vbi est Deus tuus?* Ad eundem modum verbis exequi nemo potest, quantam Apostoli, Domino de discessu suo loquente, tristitiam in animo senserint. Dei præsentia animam exhilarat. Psal. 15. Psal. 41.

*Ego vado.* Per discessum hunc, alium Augustinus non intelligit, quam eum, quo in admirabilis ascensionis suæ die, à suis auulsus est, quando nimirum propria virtute, vere se Deum esse demonstrando, cœlos conscendit: non vero, Eliæ instar curru igneo (quo ille, in quantum homo, vt in cœlum raperetur, opus habebat, quem Angeli cœlum versus dirigerent, in quo Deus illum, certo quodam loco, vt circa mundi finẽ apparens Antichristo sese opponeret, eiusque audaciã retunderet, constituit) sublime euectus est. Eusebius vero Emissenus, cum aliis qui in eandem sententiam concedunt, credit Christũ, sub hoc discessus nomine, mortem & passionem suam, qua exspiraturus esset, designare voluisse. Equidem, vt vtramque sententiam colligam, crediderim, non inconcinne discessum hunc de vtroque accipi posse, tam de morte, quam ascensione in cœlos. Solebat quippe Christus sub vno sæpe verbo diuersas notiones designare: vt quando discipulis suis ait, *Ecce ascendimus Hierusalem*, in crucem se ascensurum, & in eadẽ exspiraturum insinuare voluit, quamuis de admirabili ascensu eius capi queat. Vtrumque enim semper præ oculis habebat, suæ & nos habere vult, quo ita semper mortis & ascensionis reminiscamur, & simul itineris, quo in cœlum ascenditur, quodque in æternam beatitudinem viam præbet. Vnum afferre cruciatum solet, voluptatem alterum: vult igitur Dominus, interea dum hic viuimus, ærum- Luc. 18. Christus semper mortis & ascensionis meminerat.

nam semper delitiasque inter vt medii viuamus, spemque metumque inter dubii. In cuius rei confirmationem egregiam è libris sanctis figuram depromam.

*Deut. 24.* Noluit olim Dominus inferiorem vel superiorem molarem in pignus capi, vt allegorice hoc exponam, per lapidem inferiorem timor: per superiorem metus intelligendus est. medium autem inter duos hosce lapides granum illud frumenti Christus, transeat necesse est, spem inquam & metum. neutrum porro horum in pignus vel hypothecam tradi debet alterutrum nisi defuerit, metuendum, ne quod anima periculum adeat. Semper igitur hinc metus mortis, iudicii horror, infernalium suppliciorum grauitas præ oculis habenda sunt: illinc vero cauendum, ne felicitatis certo adeundæ spes in tantum nos extra mentis statum abripiat, vt mortis timor damnationisque æternæ formido animi lasciuientis minimumque confisi impetus aliquando non retardet.

Simile. Examen apum cum derelictis fauis auolat, & in altum sese librans procul ab aluearibus recedit, non alia ad proprios lares & antiqua cunabula ratione reduci potest, quam si crebris terræ glebis impetatur. Vt hoc materiæ præsenti adaptem, dicendum, non aliter cogitationum nostrarum agmen, cum in altum euolare, & cœlum petere, beatitudinis æternæ adeundæ ergo, gestit, impediri, & ad terram, inque humilitatis limitem reduci posse, quam si terræ glebæ in altum coniectæ, iter remorentur: id est, si mortis, quæ nos in terram deducet, terra obruet, inque terram & cinerem rediget, memoria ipsum retardet. Ita Ecclesia superbiæ nostræ tumorem retundit, & passionum insolentiam compescit, quando cineribus & terra frontem nostram, in die cinerum conspergit, dicens, *Pulvis es, & in pulverem reuerteris.*

Falco, vultur, aut accipiter, si Æliano in varia fides habenda est, & cæteræ aues ad prædam natæ, si fabri ferrarii camino apponantur, quam primum mansuescunt, & ciures redduntur. Quo docere vos natura voluit efficacius nullum passionum domandarum compescendarumque si insolescant, aut nimia vanitate in superbiam elatæ effrenscant, si dominari velle & furere incipiant, medium esse quam infernalem illis ignem æternamque damnationem ob oculos ponere. Consuluit hoc olim Sapiens, *Recordare*, inquit, *nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Quod vt nos Christus exemplo suo doceat, *Ioan. 16.* de morte horæ sua deque ascensu in cœlos, quę nouissima illius erant, sermonem instituit, dicens. *Ego vado.*

O tristem discessum, ô lugubrem separationem, absentiam nimis ah lugubrem! Aristoteles de sole hoc mundi agens scripsit olim, accessu & recessu ipsius inferiora hæc & generari & corrumpi. Hinc veteres vitã hanc nostram per solem præsentem, & mortẽ per noctem & tenebras absente sole inductas denotabant. Quare cum Persarum rex Cyrus quadam nocte somniasset, solem manibus suis elapsum, cõsulti augures respondere, regẽ propediem moriturum, hominumque oculis subtrahendum. Hæc Richard. Brixius. Equidem hinc inferre volo, si veteres hoc de sole cœlesti scripsere, potiori nos ratione de Christo sole illo iustitię posse dicere: illo nimirum præsente, omne in anima nostra bonum oriri, absentiam vero illius mortem, ruinam & omnium rerum interitum causari: præsentem illum animam iustificare: & absentem damnationis æternæ ream constituere. Atque hęc Malachias Propheta confirmat dicens, *Orietur timentibus vobis sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Sed occidentem hic & recessum in Euangelio videre est, *Ego vado* Mox vero subiungitur, *Et nemo interrogat me, quo vadis.* *Ecclus 7.* *Arist. li. de cœlo.* *Li. de myst. symbol.* *Mal. 4.* *Ioan. 16.*

Hoc porro modo verba hæc interpretatur doctissimus Rupert⁹, Quamuis ad mortem me properantem videatis, nemo tamen vestrum petit, quo properem, quasi omnes nes. de me deserendo, fugiendo, non vero sequẽdo cogitent. Alio vero modo Augustinus & Vener. Beda: nam de futuro, non de præsenti eadem accipiunt, quasi dicere Christus voluisset, Solebatis olim à me petere, *Domine quo vadis*, quia quid in animo haberẽ ignorabatis, at modo nemo quo abiturus sim petit: omnes enim me nubes transcendentem & cœlos gloriose ascendentem videbitis Leon- Diuersa loci huius expositio *Ioan. 13.*

Leontius, Theophylactus, & alii plerique aliud iter insistunt, aiuntque Apostolorum hic tristitiam coargui: perinde ac si dixisset; paulo ante, cum vobiscum de discessu meo loquerer, eo quod vestri iuris esseris & rectius in animo dispositi, petere solebatis quonam properarem: at modo, cum de persecutionibus capiti vestro imminentibus, deque afflictionibus, sermonem instituti tristitia impleuit cor vestrum, & non minus doletis, quam si omne iudicium amisissetis: ita vt nemo me vestrum roget, quonam discessurus sim, aut quemnam in orbis angulum abiturus. Denique doctissimus Maldonatus longè à cæteris diuersus abit: ait enim sensum horum verborum esse: Nemo vestrum de futuris me interrogat, de cœlo inquam gloria cœlesti, deque visione, de vita æterna ne minimum sollicitus: at omnes terrenis affixi & inhiantes, ac de sola mea præsentia corporali solliciti, cum de discessu ad Patrem auditis, contristati estis. Vos, quam visum fuerit, expositionem sequamini: equidem vlterius pergo. *Ego vado, & nemo interrogat me quo vadis.* Ioan. 16.

Id est. Quid cogitatis ô Apostoli? quid somniatis? ecce post viginti quatuor horas mortem occubiturus sum, & magna cum infamia & opprobrio in crucem sufligendus: nemo tamen vestrum, quasi mei negligens, de rei serie vel verbum inquirit. Magnum verba hæc mysterium includunt. Sunt enim nonnulli, qui quamuis DEVM amiserint, (quo tamen grauius nullum animæ malum potest accidere.) non secus ac prius lætantur & gestiunt: ne minimum de Dei absentia solliciti vel anxii. Sunt & alii, qui quamuis, dum omnia ad votum fluunt, de Deo in animo conseruando solliciti sint: aduersitatis tamen turbine ingruente, aut fortunarum mutationem passi, de illo amittendo parum laborant, extra mentis statum violenter rapti, & animi æquabilitatem deserentes. De his vero Psalmista, quamuis numero singulari locutus est, dum canit, *Confitebitur tibi cum bene feceris ei.* Psal. 48.

Simile. Psittaci, & cæteræ aues cicures, dum suauiter habentur & palpantur, quidquid brutale est exuunt, & humanam vocem sonare incipiunt: at percussæ & obiurgatæ ad veterē brutalitatem redeunt, & siluestrem illum sonum recipiunt, humanum oblitæ. Auibus hisce homines persimiles reperire est, qui quamdiu fortuna læto abblanditur vultu, & omnia ex voto succedunt, in diuinis beneficiis celebrādis perpetui sunt; sanctorum exemplo vitam in hoc mundo instituunt, ac non nisi de Deo loquuntur. At mox vt fortuna vultum auertent, vt aliqua exagitari aduersitate cœperint, velut irrationales psittaci & aues siluaticæ, sancta illa colloquia & vitam sanctorum deserunt, brutorum more & loquentes & viuentes.

Polypi natura.

Sunt item alii, & humoris quidem longe diuersi, ptioribus dissimiles, vt qui Deum afflictionib. & ærumnis pressi custodiant, voluptatibus & deliciis affluentes perdant: in quo polypodem imitantur, qui quamuis in mari viuat, ita tamen interdum scopulis adhæresit, nulla vt ratione ab iisdem auelli queat. at huic si oleo tergum vngatur, quamprimum recedit, & relictis scopulis in mare se coniicit, vt quod violentia & robur efficere nō potuit, ipsa olei lenitas & mollis vnctio efficiat. Ipsum & plurimis hominibus accidit; qui cum nulla violentia frangi, nullo aduersitatis turbine concuti, nullis malis à Dei obsequio & cultu auocari queant; voluptatibus tamen & deliciarum lenitate distrahuntur & auelluntur.

Dauid Polypodi cō paratus. *Psalm. 72.*

Verus Polypus Dauid rex erat, qui diuinitatis scopulo affixus dicebat, *Mihi adhærere Deo bonum est*: ac primo voluptatum vento flante resiliit, & in vitiorum Oceanum sese coniecit. Erat & sponsa illa Canticorū; nam sponso suo adhærens, vt polypus scopulo, dicebat, *Tenui eum, nec dimittā.* Lectulo vero deliciarum indormiens, eundem perdidit, imo ne lectulo quidem ad eum intromittendum surgere dignata est. Solus Apostolus Paulus firmiter ei adhęsit, nec aduersitate vlla ingruente, nec fortunę serenantis aura affiante, à diuino amore separari potuit: ait enim de se, *Certus sum, quod neq; mors, neque vita: neq; persecutiones, neq; virtutes, neq; creatura vlla poterit nos separare à caritate Dei.* *Cant. 8.* *Rom. 8.*

Et est profecto homini lōge vtilissimum, numquā à Deo recedere: cogitet enim, cum

ab eo segregat, aut illum perdit, omnia se pariter eum illo perdere. Salomon denotare cupiens in quo vere reip. salus & felicitas cõsisteret, quatuor animalcula, exterius quidem abiecta & exigua ad modum, sed in rebus necessariis colligẽdis sedula & industria, in exemplum produxit, *Quatuor sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formica, populus infirmus, quæ præparat in messe cibum sibi: lepusculus plebs imualida, qui collocat in petra cubile suum: regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: stellio in manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Quatuor, inquit, sunt, quæ remp. aliquam beatam & felicem reddant Primo, de rebus necessariis & victu commeatuque parando cura ac solicitudo: quod formica insinuat. Secundo, vt ipsa in loco quodam munito & tuto sita sit: quod lepus, vel, vt alii interpretantur, ericius denotat, quod in locis scopulosis semper commoretur. Tertio pax & vnitas, quam locustæ designant: quæ quamuis regem non habeant, pace tamẽ & concordia mutua gaudent, & quo vna se confert, sese & altera conferre solet. Quarto denique regum & Principum fauor, quem stellio repræsentat, vel, aliorum expositione, araneus. Est autem stellio lacertæ genus, regibus ita familiaris, vt nonnisi in aulis & palatiis principum commoretur. Verum Salomon, quod inprimis ad reip. salutẽ facere videtur, omisit, ipsam nimirum Dei præsentiam, sine hac enim nec homo, nec resp. quidquam sunt, imo sine ipsa & pessum eunt, & destruuntur. Dauid porro eamdem cæteris præponens, relictis aliis, hanc solam enumerat, *Deus noster refugium & virtus.*

*Prou. 30.* Quatuor ad reip. felicitatem cõducunt.

*Psal. 45.*

Cæterum Apostoli, cum probe scirent, quantum Dei præsentia emolumenti adferret, & quantum sideris huius aspectus sibi & mundo vniuerso necessarius foret, quamprimum vt Christũ, qui vere Deus erat, de discessu loquentem audiuere, tristitia affecti, & mœrentes animo concidernnt: ita vt Christum, eos consolando, mœroremque verbis lenibus depulsando, dicere oportuerit, *Expedit vobis vt ego vadam*, id est, Nolite deiici Apostoli, nolite animum despondere, etsi de discessu vobis meo fuerim locutus: ipse enim vobis futurus est vt lis, & mundo vniuerso.

Apostoli contristati sunt audito Christi discessu.

*Ioan 16.*

*Expedit vobis.* Multas ob causas hoc eis expedire ait; nisi enim abiret, & pro mundi salute moreretur, Spiritus sanctus non descenderet. Nam quamdiu ille præsens aderat, Spiritu sancto repleri non poterant: eius namque præsentia carnalem Apostolis & mundanam recreationem afferebat, quam, quo cœlesti consolatione frui possent, illis adimi par erat. III. Quamdiu Christus apud Apostolos erat, Spir. S. descendere non poterat.

Inter Ezechiæ regis præclara facinora refertur, quod serpentem æneum confregerit, quem Moses quondam in deserto erexerat, cui filii Israel ad illum vsque diem incensum adolebant. Israelitæ insignem hic animi gratitudinem, quamuis malo exemplo, demonstrarunt, cum serpentem æneum, qui in deserto Sinai à viperarum morsibus suos eorum sanauerat, instar Dei adorarent, & victimas ei immolarent. quocirca merito ab Ezechia rege comminutus & in cineres redactus est Non secus Apostolis hoc loco contingit; nam quod nimio & sensuali affectu erga præsentem Christi Domini visum & vsum afficerentur; necesse idcirco fuit & expediens, illum abire, & oculis corporeis subtrahi. *4. Reg. 18.*

*Expedit vobis vt ego vadam.* Hinc euidenter colligi potest, quantum inter consolationes Spiritus S. & mundi huius intersit. quod Psalmista perspectum habens, terrenis animam deliciis nulla affici ratione testatur, neue vllam è rebus mundi huius voluptatem trahere, at omne illius gaudium & solamen in solo Deo consistere, *Renuit*, inquit, *consolari anima mea*: è rebus scilicet terrenis voluptatem trahendo, *Sed memor fui Dei, & delectatus sum.* *Ioan. 16.* Consolationes Spiritus S. rerum spiritualibus repugnãt. *Psal. 76.* *Leuit. 11.*

Omnes aues quæ volant simul & natant, immundæ olim Deo erant, vt merguli, cygni, nubes, aliæque natatiles. E quibus elicere licet, immundos coram diuinæ maiestatis oculis censeri eos, qui in mundanarum cõsolationum mari natitare, & simul ad cœlestia euolare cogitando contemplandoque gestiunt.

Inter cæteras veteris testamenti leges erat, ne quis agrum suum diuerso semine conseret; *Leuit 19.*

ret. Termini legis in Leuitici codicem relati sunt. *Non seres agrum tuum diuerso semine.* Quicunque igitur in animæ agro diuinæ simul consolationis & terrenæ granum conserit, quod inter se nimium quantum discrepat, legis diuinæ violatæ reus est, eiusque mandata infringit; quin nec diuersum hocce semen se mutuo patitur.

Exod 16. Quamdiu Ægyptia farina in Hebræorũ vasis durabat, manna cœlitus non descendebat, quod vt allegorice exponam, dico consolationes mundi huius, Ægypti vere farinas esse; quæ quamdiu in animarum vasculo hærent, nec consumuntur, diuinarum consolationum imber non descendet, nec manna cœleste in animam stillabit. Quo alludens mellifluus Bernard. olim dicebat, *Mens occupata carnalibus desideriis gratiam Spiritus sancti non sperat.*

serm 6. de Ascen. De.

Gen. 21. Abraham Patriarcha epulum geniale suis instruxisse in Genesi legitur, cum Isaac filiũ ablactaret. Quem locum Augustinus exponens, rationem exquirit, cur Abraham non in die natiuitatis nec circumcisionis, sed ablactationis Isaac, cum scilicet à nutrice rediret, epulum pararit & tandem, ait, diuinam hic sapientiam declarare voluisse, tunc tandem, cum mundi vbera, id est, voluptates, deliciasque Christianus reliquerit, & gaudia mundi insipida illi visa fuerint; Angelos & cœlestes illos spiritus gaudere & exultare: ita namque in Euangelio legitur. *Gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente.*

Non prius filius ille prodigus conuiuio exquisito expertus fuit, vel symphonia illa iucunda recreatus, quam porcos & siliquas porcorum deseruisset. Docemur hic, non prius mundanos, veros illos filios prodigos & bonorum diuinorum dilapidatores, diuinarum consolationum epulo reficiẽdos, nec iucũdissimum illum iubilum audituros quã vilem hunc mundum & propudiosum, qui non nisi porcile & boum stabulum est, reliquerint, & à voluptatibus, quæ vere siliquæ sunt, ablactati fuerint. Hinc Dominus Apostolis suis hoc insinuare cupiens ait, *Expedit vobis vt ego vadam.*

Luc. 16. Mundani filio prodigo compantur.

Ioan. 16.

Non secus ac si dixisset, Expedit vobis, quo diuinarum ita consolationum participes reddamini, mundanas relinquere & sæculares: neque enim cor vestrum Spiritui sancto, & simul mundo patere potest. nam qui illum in animum descendere cupit, amorem quoque & affectum erga res sæculi exuat necesse est. Atque hoc intellexisse Psalmographus visus est dum diuinam sibi misericordiam propitiam reddere satagens, diceret: *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis vnicam meam*: quo loco Hieron. ex Hebraico *Solitariam meam*, conuertit Perinde ac si dixisset, Pauperculæ animæ meæ miserere Domine, eamq; vnguibus caninis eripe: considera obsecro solam eam esse, & ab omni voluptate sequestratã, à mundano gaudio ablactatam, & ab humano solatio alienam.

Cor nostrum Spiritus S. & simul mũdi domus esse nequit.

Psal. 21.

Spiritus illi cœlestes, dum consolationes, quas Spiritus sanctus solitariis immittere solet, admirarentur, in stuporem versi dixere: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Desertum aliud non est quam mera solitudo, ac hoc denotari potest anima, quæ solum Deũ in hoc mundo quærit, eique quam maxime cõiuncta est vt sponso, atq; in ipso omnem spem & desiderium figit. Mysterium porro denotat, neminem amari aut solatium à Deo accipere posse, quã qui solitarius est id est, qui extrinsecas consolationes non admittit, nec mundanas voluptates consectatur: amor n. mundi huius cœlestem impedire solet

Cant. 3.

Eclipseos causa.

Cum terra ex diametro inter solem & lunam interiecta est, luna deliquium pati consueuit, quod terræ orbis interpositus impediat, ne sol, qui in altero mundi extremo est splendorem & lumen lunæ cõmunicet. Hoc quidem Philosophicum est, sed Theologicũ erit, si nobiscum cogitemus, non posse animas nostras radiis Sancti spiritus irradiari, quamdiu rerum terrenarum amor medius interiectus fuerit, & omnẽ accedere gestientis lumi is accessum impedierit. Quamobrem qui a Deo amari desiderat, terrena oderit necesse est.

Cum duæ illæ mulieres inter se de prole litigarent, nefaria prolis suppositrix ait, *Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur*: atque veræ prolis mater

3. Reg. 3.

mater erat, qua erat in viscera sua caritate diuidi hunc noluit, sed integrum aduersariæ tradi. Moralem hinc sensum eliciens, dico Christum verum animæ nostræ Dominum, principem ac patrem omni ratione impedire, ne ipsa diuidatur, & partem illius terra, partem etiam cœlum occupet: at integram sibi deposcere, aut integra mundo vt tradatur velle.

Deus non vult animã nostram diuidi.

*Matt.21.* Christus templum Salomonis ingressus, non modo nummularios, sed & vendentes & ementes columbas in sacrificii vsum, flagello è funiculis cõtexto eiecit, quod ipsum domus orationis, non vero negotiationis esset. Cor nostrum verum etiam Spiritus sancti templum dici potest, Auditores, & generoso hocce Dominus facto signficare voluit, non à peccati duntaxat sordibus, sed ab omni etiam carnis inquinamento cor immune seruandum: nam vbi caro vel mundus sedem sibi delegerint, habere Deus locum, aut domicilium figere non potest. Atq; hæc nimirum ratio est, cur Christus, quo Apostoli Spiritum paraclitum, & cõsolatorem nostrorum, recipere mererentur, hodie ipsis declaret, quam maxime illis expedire se ad Patrem proficisci, & eorum se oculis subtrahere: simul emolumenta & commoda, quæ hoc illis discessu euentura essent recensens. Hæc vltimo concionis huius membro prosequar, vti me initio facturum pollicitus fueram.

IV. Discessus Christi emolumẽta.

*Ioan.16.* Christus igitur suos consolaturus, discessus sui emolumenta enumerans, primo loco Spiritus sancti aduentum collocat, dicens: *Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* quibus verbis plenitudinem gratiarum Spiritus sancti promisit, quæ tamen non prius quam Christus in cruce mortem occumberet, haberi poterat. nam quamuis gratia per Messiam natum iam inde ab exordio mundi collata fuerit: non tamen plene & abunde, nisi prius ille in cruce exspirasset. Atque ita

*Ioan.7.* intelligenda sunt verba illa Ioannis, *Nõdum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus* id est, ante mortem Iesu Christi: per hanc enim ipse immortalem est gloriam & triumphum consecutus. Dabatur quidem Spiritus sanctus, sed paucis admodum, & non apparenter, & vix aliquos effectus producebat. Demum post passionem Dominicam, & plurimis, & visibiliter datus est, & multa effecta, caulabatur prodigiaque inaudita operabatur.

Necesse quoque erat Christum non modo mori & resurgere à morte glorioſum, verũ etiam triumphando in cœlos ascendere, priusquam Spiritus sanctus mitteretur; quo ita eius diuinitas patesceret, atque vniuerso mũdo fieret manifesta, quam exteriora illa opera & interiora, quæ editurus esset, & infinita illa signa; declaratura erant: quæ omnia nõ Spiritu S. sed Christo Iesu, si in terris superstes fuisset mundus attribuisset: ideo vnum in cœlos ascẽdere necesse erat, priusquã alter licet descenderet. Hinc quoq; inferre, prout Theologi quoq; docent, Spiritũ S. à filio procedere: nã vt bene D. Augustinus quarto de S. Trinitate libro, & D. Thomas p. prima, quæstione quadragesima tertia, rationi consentaneum & æquissimũ est, vt persona quæ aliam mittit, eius etiã sit origo & principiũ. hinc est quod Pater à nullo mittatur, eoq; à nulla aliarum personarum dependeat nec procedat: si autem certissimum est, Spiritum à filio mitti, inferre quoque libere possumus, ab illo simul etiam procedere: missionem quippe processio semper sequatur, quam & hisce verbis confirmamus, *Si non abiero, paracletus non veniet.* *Non potuit Spiritus in terram descẽdere, nisi Christus cœlos petisset. Ioan.16.*

Verba hæc obscura admodum & intricata sunt, plurimorumque ingenii aciem non parum torserunt, inquirentium, qui Spiritus S. interpretum descẽdere non posset, nisi prius Christus abiisset. Rupertus imprimis magni ingenii & doctrinæ, qui tamen in singulares nonnunquam & exoticas opiniones abit, credit, ideo Spiritum S. descendere non potuisse, id est, non expediisse vt veniret, eo quod, si Christus Iesus non abiret, id est, non moreretur, nullam consolationis occasionem habuisset. Nam quanam in re Apostolos esset consolatus, si nullam dolendi occasionem habuissent? nulla porro lugendi tristandique causa fuisset, si Dominus non exspirasset, nec abiisset, sed perpetuo apud eos mansisset. Neque enim aliam ob causam descendere Paraclitus poterat, quã vt afflictos discipulorũ animos solaretur, ac vulneris è magistri absentia

Diuersi huius loci interpretatio.

con-

Ioan.16. contracti amaritudinem leniret. Quare *si nō abiero, Paracletus non veniet ad vos.*

Leontius autem & Theophylact. ideo nisi abeunte Christo Spiritum descendere non potuisse putant, quod iter adhuc obstructū & obseptum esset. quod Messiam aperire & reserare par erat. Neque enim descendere ad eos Spiritus S. poterat, quos peccatum adhuc & imperfectio nimia occuparet; auferri vero & aboleri peccatum non poterat, nisi per discessum Christi, id est, mortem in monte Caluariæ: ipse siquidem moriendo peccatum destruendo, & vitam resurgendo reparauit.

Tract. 95. lib. 2. Mor. cap. 17. Serm. de Asc. Dom. Beda ibid. 1. Cor. 2. Augustinus vero, Gregorius, Bernard. ac Beda, allegorice hæc ipsa intelligunt, & hunc horum esse verborum sensum credunt: Nisi omnem carnalem & terrenum affectum penitus auferam, & vos, vt ita dicam, sublimem; nunquam Spiritum S. in cor vestrum recipere poteritis; ait namque Apostolus. *Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt.* Hinc ipse Dei filius, cum sublimem hanc Philosophiam discipulos edocuisset, & quodam tempore ab iis peteret, quodnam hominum & totius mundi de se iudicium foret; Apostoli vero responderent, quosdam eam vt Eliam, alios vt Ieremiam, aut vnum

Matth. 16. è veteribus Prophetis credere: ipse oratione ad suos conuersa dixit. *Vos autem quem me esse dicitis?* Non secus ac si dixisset, Homines nonnisi vt homines loquuntur, eorumque sermones & iudicia terram spirant, ac carnem sapiunt: vos vero, qui carne & sanguine quid sublimius sapitis, & iudicium depuratius habetis, quid de me sentitis? quænam vestra de me opinio? vos enim qui nonnisi spirituales estis, nonnisi spiritualia sapere par est. Quod apertius historiæ huius & interrogatoriæ inquisitionis clausula testatum faciet: nam cum Petrus Apostolus, humanum captum transgrediens, diuinitatem Christi confessus esset, mox ei Christus

Ibidem. respondit, *Beatus es Simon Barionæ, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis.*

Doctissimus autem Maldonatus Societatis Iesu, alia ratione eadem verba exponit, creditque, ideo Spiritum S. venire non potuisse, quod nullus in cœlo qui eum dimitteret, reperiretur; venire autem nisi missus non poterat: atqui nullus eum nisi Christus mittere poterat, nam quamuis eum Pater, vt quem produxerat, mittere posset, tamen certis quibusdam de causis à Filio potius quam à Patre eum mitti par erat; nam hoc ipse promeritus erat, non solum quod principium & fons esset, à quo promanaret, verum etiam alias ob causas; nimirum quod caput, summus Pontifex, princeps & Ecclesiæ gubernator esset, ad quem ex officio incumberet, curare quidquid ad illius perfectionem, excellentiam, dignitatem, gloriam & amplitudinem facere videatur.

Aliam expositionem etiam adfert Euthymius, quæ mihi præ cæteris arridet, & quam libens sequor. ait igitur, Christum hoc modo loquendi, non voluisse indicare, absolute Spiritum venire non posse nisi ipse decessisset: hoc quippe fieri poterat: sed, quoniam ita in concilio diuino statutum & decretum erat, idcirco fieri non posse ait. Decretum inquam erat, vt omnes SS. Trinitatis personæ simul in hominis salutem redemptionemque incumberent, Pater quidem filium in mundum mittendo, Filius hominem morte sua redimendo, Spiritus S. denique eundem gratiæ lumine illustrando. Atque ita vnaquæque effectus suos & tempus habuit, vnaquæque officio functa est suo. Adeo vt nisi Christus ad Patrem ascendisset, Spiritus nunquam cœlo descendisset, atque ita intelligamus Euangelii textum: *Nisi enim abiero paracletus non ve-* Ioan.16. *niet.*

Hic opportune mihi Eliæ Prophetæ in 4. Reg. 2. mentem venit, hic quippe cum in cœlum à Deo eleuandus esset, Elisæus discipulus eū comitatus, non parū ob discessum illius dolebat, non tamen interrogare audebat, quonam iret; donec tandem Iordane transuadato, Elias diceret: Pete à me quodcumque lubuerit, priusquam abeam. Cui respōdit Elisæus, si quam apud te gratiam adeptus vnquam sum sancte pater, transeat obsecro in me duplex ille spiritus, quo te Deus donauit. Quo dicto, ecce tibi mox igneū cū

fragore currum cœlo descendentem, & magistrum à discipuli conspectu sublime auferentem: qui consternatus inclamabat: *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga eius*, quem dum Elias clamantem audiret, pallium è curru dimisit, quo accepto Elisæus ad Iordanem pedem retulit, & eodem aquas secundo percutiens, incolumis & sospes, nec vdus quidem, flumen transiit. His visis omnes Prophetarum filii, qui in altera fluminis ripa consistebant, dicere cœpere, vere Eliæ spiritum in Elisæum transiisse.

Elię raptus cum Christi morte collatus. *Ioan.16.*

Porro historia hæc scite admodum hodierno Euangelio quadrat, in quo Christus discipulis suis ait, *Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis, sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum.* Præmonuerat suos in vltimæ cœnæ verbis, quorum Euangelium hodiernum pars est, Dominus, abiturum se, & in cruce morte occubiturum: hinc cum ipsi non parum angerentur ac dolerent, ipse ad Patrem se propediem iturum, subiunxit, & cœlos magna cum gloria & maiestate conscensurum; vt ita reipsa demonstraret, verum se Deum esse, cuius Elias solum figura exstitisset: nam vt hunc iamiam abripiendum, & à suorum oculis abstrahendum, nemo discipulorum rogauit, quamnam in regionem esset discessurus, ita nec Apostoli Iesum Christum, cum de discessu ageret. Atque vt Elisæus, Elia abeunte, duplicem ab eo spiritum postulauit; ita Christus, in procinctu cum esset, & iamiam abiturus, Spiritum iis sanctum se dimissurum spopondit; sed Spiritum duplicem, eo quod eodem operante & futura, instar prophetarum, prædicerent, & signa ac prodigia varia ederent. Currus autem Eliæ, crux illius fuit, in quam à terra sublimis raptus fuit, igneus autem, quod amoris ardor hic potissimum eluceret; turbo & fragor, passio fuit; & pallium, sacramenta, quæ è latere illius emanarunt, & quibus mundi huius aquas, id est regum, imperatorum, oratorum, & philosophorum peccata dissecuit; per quæ Apostoli sicco & inuiolato vestigio transierunt. Dicite igitur an non egregia inter Iesum & Eliam sit similitudo, & magna inter raptum huius & passionem ac mortem illius, atque vtriusque spiritum conuenientia. Modo ad lineam redeo. *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos.* *Ioan.16.*

Spiritus Sanctus mũdi peccata diiudicat. *Ioan.16.* *Lib.10.c.46*

Alterum, quod è discessu Christi emolumentum sequitur, est, quod Paracletus spiritus descendet, qui mundi peccata diiudicabit. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato.* Augustinus & Chrysostomus de infidelitatis peccato hæc intelligũt, super quod Spiritus S. descendens mundum coarguet, confutabit, atque erubescere coget: Cyrillus autem Alexandrinus de omni in genere peccato accepit: vnde colligere possumus, primo quonam Deus odio peccatum prosequatur, cum primus Spiritus descendentis effectus futurus sit, mundum de peccato arguere. Secundo, concionatoribus ex officio incumbere, peccata coarguere, in sceleratos & impios è suggestu debacchari, eorumque nequitiam reprehendere. *Arguet*, porro hoc loco aliud non est quam reprehendere & cõuincere, vt & illo loco, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Atque ideo Spiritus veniens *arguet mundum de peccato.* *Ioan.8.*

Id est, non modo mundum peccati insimulabit aut velut reum citabit, at eundem ita conuincet, tamque aperte peccatum ob oculos ei ponet, vt negare ausurus non sit, aut aliquam excusationem prætexere. Fuere nonnulli qui per mundum hunc solos Iudæos designari putant, qui horrendi illius sceleris in Christum Domini commissi rei conuincentur, & proinde damnabuntur: verum communis Patrum sententia est, eaque melior & probabilior, de vniuersis omnino peccatoribus & mundanis Christum locutum hic esse: ac sensum huiusmodi hinc elici posse: Veniet tempus, quo, Spiritu descendente, & omnib. quæ per eius auxilium facturi sunt Apostoli, videntibus, (quando nimirum idiotæ & scientiarum omniũ ignari omnibus linguis loquentur, ægros persanabunt, mortuos ad vitam resuscitabunt, plurimaque per orbem signa eaque illustria edent) mundani conuicti; confiteri cogentur, Christum Dominum, in cuius nomine omnia hæc fient, vere mundi Saluatorem extitisse, ac grauiter se deliquisse, cum nec

ipsi,

ipsi nec Apostolis illius fidem Christianam denuntiantibus, credere voluerunt. Atque ita Spiritus S. conuincet mundum de peccato: nec de peccato solum, verum *& de iustitia & iudicio.*

Ioan. 16.

Tertium hoc discessus Iesu emolumentum est; quod post obitum suum daturus sit Spiritum, qui mundum iustitiæ & iudicii coarguet. Quamuis locus hic nonnisi quinque contineat verba, eaque exigua & breuia, non tamen credam difficiliorē aliquem aut obscuriorem magisque intricatum in omnibus Euangelistis reperiri: quē vt nihil ominus intelligamus, notandum est, duo pugilum paria de salute nostra decertasse, & duplex duellum pro eadem commissum, Iesum scilicet & diabolum, Spiritum S. & mundum, Dæmonem Iesus, & mundū Spiritus paraclitus superauit. Deinde sciendum verbum *arguere* Græcè ἐλέγχειν, non modo Accusare, vel accusando conuincere, denotare, verum etiam pro Docere & euidenter demonstrare capi posse. Vt quando à Spiritu S. mundum de iustitia arguendum Christus dicit, credibile sit, Spiritum mundum iustitiæ non accusaturum: (quis enim virtutem accuset? sed iustitiam demonstraturum, docturum, oculisque totius mundi euidenter ostensurum.

Duo pugilum paria de salute nostra certarunt.

Ioan. 16.

*Arguet mundum de iustitia & iudicio*; tum propter homines tum propter Christum: quasi dixisset, Spiritus demonstrabit, mundum peccatis inquinatum esse; à Spiritu autem impios iustificari, vel potius eos, qui in ipsum credunt, iustos esse, atq; hoc modo exponunt Augustinus, Cyrillus, Beda, Rupertus, Bernardus autem omnia mundo attribuit; *Spiritus sanctus arguet mundum de peccato quod dissimulat; de iustitia, quam non ordinat, dum sibi, non Deo, eam dat; de iudicio, quod vsurpat, dum tam de se, quam de aliis temere iudicet.*

In parui serm. 21.

Ibidem.

*Arguet mundum de iustitia & iudicio*: id est, iuxta Chrysostomum, Leontium, Theophylactum & Euthymium, (qui, nonnisi de iustitia Christi exponunt) Spiritu sancto in mundi huius schola docente, mundus cognoscet, Christum quem ille peccatorem nuncupare solebat nulla ratione peccatorem esse, sed iustum potius & à Deo profectum, cum ad illum proficiscatur, quo in æternum cum ipso regnet, & æternæ gloriæ cum ipso particeps fiat. Atque ita mundus se conuictum videbit, & coarguetur, quod iustitiam & Christum perperam iudicarit, atque hoc nomine Spiritus S. eum arguet.

*Arguet mundum de iustitia & iudicio.* Hoc ipsum & filius, cum in mundum venturus esset, iudicaturum se per Prophetam dixit: *Ego cum accepero tempus iustitias iudicabo.* & iudicium Dauid rex celebrans ait: *Sedisti super thronum qui iudicas iustitiam*, id est, Tu es Domine Præses & Iudex adeo seuerus vt quod mundus iustitiam credit, & æquum existimat, tu velut iniustitiam condemnes, & opera quæ mundanis vt apparent iusta, tu velut iniusta coarguas. Notate porro, dici hic, *arguet*, non *iudicabit*, Spiritus sanctus enim nonnisi instar denuntiatoris & accusatoris erit, sed Christus futurus est iudex.

Ibidem. Psal. 74. Psal. 9.

*Arguet, &c.* Id est, Quod mundus Christum vt malefactorem & iniquum habuit, ideo Spiritus S. in orbem veniens contrarium docebit, eumque innocentissimum & æquissimum fuisse demonstrabit: idque ex prophetia Psalmographi, *Reuelabit in conspectu gentium iustitiam suam.* Arguet etiā de iudicio; declaraturus est enim ad oculum, Christum viuorum ac mortuorum iudicem esse: quam dignitatem Psalmista olim ei à Deo Patre dari postulabat dicens; *Deus* Pater æterne, *iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio regis.* ac de ipso in Actis legimus: *Hic est qui constitutus est à Deo iudex viuorum ac mortuorum.* quocirca Spiritus S. in mundum veniens, *mundum de iustitia & de iudicio.* Id est:

Psal. 97. Psal. 71. Actor. 10. Ioan. 16.

Spiritus cum in orbem descenderit, eum iustitiæ neglectæ arguet, cuius tamen infideles & barbari tantopere studiosi fuere. Hinc in Meditationibus suis Augustinus dicebat: *Tot iudicibus inops adstabo, quot me præcesserunt in opere bono: tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exempla: tot conuincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seseque imitandos dederunt iustis actionibus.*

Aug. lib. Medi. c. 4.

*Ioan. 16.* Spiritus S. ostendet iudicium aliquod extremũ instare.

*Arguet mundum de iustitia & iudicio*: Id est denique Spiritus sanctus, cum à me missus fuerit, vniuerso mundo palam faciet, generale aliquod & commune iudicium futurum; quod impii in animum suum nequeunt inducere. Atq; vt fures & prædones cum aliena furantur, cruces & patibula parata esse norunt furantibus; eisdem tamen se nemo affigendum credit, nisi dum affigitur: ita peccator credit quidem esse aliquos manes, & iudicium vniuersale aliquando futurum; at sibi horum nihil asscribit. verum Spiritus sanctus omnia hæc euidenter ostendet, & aperte demonstrabit, Christum æquissimum viuorum ac mortuorum iudicem esse; cum omnes aperte visuri sint mundi huius principem iam ab ipso esse iudicatum. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, & alii innumeri, vel *arguet mundum de iudicio*, id est, Efficiet vt mundus praua quæ fert iudicia perspiciat, & quam temere & excæcatus iudicet, cognoscat. Atque ita interpretatur Bernardus; & ipse pergo vlterius. *Et docebit vos omnem veritatem.*

*Ioan. 16.*

Spiritus S. doctor veritatis.

Vltimum hoc emolumentum est, quod Spiritus omnem nos veritatem sit edocturus: solus siquidem ipse veritatem nos docet; mundus nonnisi mendacia & dolos. Vnde Psalmista, *Omnis homo mendax.* verum non modo mendax, sed ipsum etiam mendacium appellatur, *Vt quid diligitis vanitatem, & quaritis mendacium?* Quidquid Turca, Iudæus, & hæreticus docent, falsum est, & mendacium spirat, at Spiritus sanctus, ipsa veritas: Deus enim mentiri nequit, ipsiusque verba semper à veritate initium sumunt. *Principium verborum tuorum veritas.* Spiritus igitur sanctus semper nobis veritatem suggerit, at mundus nõnisi mendacium: Spiritus doctor & auctor veritatis, mundus vero mendacii.

*Psal. 118.*

Spiritus quoque beatos prædicat pauperes, & vere: mundus è contra inclamat, Beati diuites, qui consolationes vestras habetis; & nequiter mentitur. Spiritus beatos pronuntiat, qui famem, frigus, æstum, persecutiones, adeoq; omnem aduersitatum cumulum æquo animo perferunt; & veritatem pronunciat: Mundus vice versa felices & fortunatos credit illos, qui semper saturi sunt, honoribus abundant, cæteris imperant, deliciis affluunt, & quibus omnia ad votum currunt; & nequissime mentitur. Mutabuntur enim omnia, & alternantibus vicibus humilia exsurgent, & sublimia deprimentur. Epulo ecce moritur & viuus in infernali voragine sepelitur; moritur & inops Lazarus, & ad Abrahæ Patriarchæ sinum defertur, atq; inter iustos collocatur: tu igitur munde nonnisi mendax es, impostor, mango & Pseudopropheta. *Luc. 16.*

Cauete igitur, Christiani Auditores, mundus vobis semper suspectus sit, verbis illius nolite credere: nam fucum olent, & impostor est: verum Spiritui sancto aurē accommodate, credite quidquid ille vobis suggesserit: neque enim ille aliud quam veritatem docere potest. Qui si mundum derelinquendum esse suadeat, credite: si felices pronuntiarit plorantes, nolite dubitare: si paupertatem diuitiis præferendam censeat, credite verum suggerere. Deinde recordemini omnium eorum quæ in hoc Euangelio referuntur, recordemini inquam Iesu Christi, & mortis passionisque, sæpius ipsam animo voluite, menti insculpite, eamque penitius inuestigate. Adhæc, proponite vobis, quæ Spiritus sancti aduentus attulit commoda, primo peccatorum remissionem, deinde iustitiæ & iudicii accusationem, demum omnis veritatis eruditionem, atque hæc nonnisi solis meritis Iesu Christi: nisi enim ille mortuus fuisset, nihil omnium eorum accidisset. Cõclusio.

Tibi vero, ô Saluator, vniuersi immensas gratias agimus, cum tu ipse vnica tantorum bonorum causa exstiteris, tibique cuncta hæc asscribenda sint: Obstricti itaque sumus, ex toto te corde adorare; sine te enim Spiritus non descendisset, mors nobis tua felicitatem peperit, & adscensus tuus in cœlum Spiritum fecit descendere: tu illum hunc in mundum mittere voluisti, quippe qui illum simul cum Patre in cœlo spirasti. Nec alia de causa mittere, quam vt mundum de peccato argueret, iustitiam illius condemnaret, iudicia carperet, & ita omnem

nem vos veritatem edoceret. Tu igitur animarum nostrarum redemptor gratiam elargire tam bene veritatem hanc sequendi, & magistri huius monitis præceptisque credendi, vt & malum declinemus & bonum faciamus, quo ita tandem aliquando recta ad æternam beatitudinem pertingere meeamur; cuius nos consortes Pater & Filius & Spiritus S. mittendus efficiant.

# DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

Partes.

1. *De orationis titulis & commendatione.*
2. *Explanatio Thematis.*
3. *De vi & efficacia orationis.*
4. *Quæ virtutes sint potissima comites orationis.*

*Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ioan. 16.

## FIGVRA.

2. Paral. 7. SALOMON Rex Israel cum varia Deo sacrificia obtulisset, & plurimas victimas immolasset, sequenti nocte secundum quietem à Deo compellatus fuit, vt quidquid sibi deesse putaret, precibus à Deo contenderet; certa cum spe, quidquid postularet, se impetraturum. Verba promissi sunt hæc, Ioan. 16. *Postula quod vis.* Et ecce Christus, qui plusquam Salomon, pridie quam pateretur & incruentum illud sacrificium corporis sui in cruce immolandi Patri offerret, discipulos suos vnum in locum conuocans, eosq; consolatus ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Quibus verbis, meritum ac dignitas orationis & simul eiusdem qualitates includuntur; verba hodierno Euangelio comprehenduntur: quod vt digne vobis exponatur, ad Spiritum Sanctum confugiamus, nobis vt gratia sua auxiliari dignetur; & ad Deiparam Virginem, precibus vt suis opituletur: hanc in rem salutationem ei angelicam offeremus. *Aue Maria.*

I. Oratio ad Dei cultū spectat.

Angelicus doctor Thomas, de orationis excellentia sermonem instituens, ait eandem ad diuinum proprie obsequium pertinere, & cultum latriæ soli Deo debitum respicere: eo ipso enim quo oramus, eum vt verum Numen agnoscimus, quod & malis nostris succurrere, & aduersitatibus nostris opitulari queat. Ipsa quin etiam oratio omnium virtutum armamentarium & tutela est, & simul vitiorum omnium ruina & interitus. Adeo vt dum quis orationi incumbit, omnes eodem tempore virtutes exerceat: ipsa siquidem instar primæ in cursu rotæ est, quæ agitata omnes alias inferiores agitat & ad se pertrahit: vel rotæ in horologio, quæ impulsa omnia ferramenta mouet & impellit.

Oratio rotæ assimilatur.

Et merito his eam similem esse dixi, quod ipsa cæterarum virtutum exercitium & cultum inducat: in oratione enim fides relucet, charitas inflammatur, spes erigitur, humilitas magis se deprimit, patientia manifesta redditur. Atque hinc Apostolus Paulus, Ephesiis scribens, postquam Christianum Christianis armis instruxisset, iustitiæ lorica eum præcinxisset, spei galeam ei imposuisset, clypeum fidei in manus tradidisset, gladio vero verbi diuini armasset, tandem in armorum complementum adiungat: *Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes, in omni instantia.* Perinde ac si dixisset, singularia vobis arma aduersus aliquos hostes suppeditaui, sed iam aduersus omnes in genere & quæ vniuersos prosternat armaturam accipite, quæ nimirum plus aliis gessit; *Per omnem orationem*, quia ipsa sola omnes inimicorum acies profligaret: aliis virtutum armis non semper vtendum, vt ieiunio, pœnitentia, & eleemosyna, at oratione omnibus in locis & nullo non tempore. Adeo vt de ipsa quod de turri Dauidica olim Salomon, vsurpare liceat: *Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.* ex illa namque mille virtutum genera dependent velut clypei & vmbones, & omnis iustorum armatura; sed ita, vt qui hac in turri consistit, in loco refugii & tuto, a-syloque fortissimo versari videatur; extra

Cæterarū virtutum exercitiū inducit.

Ephes. 6.

Cant. 4.

illam vero constitutus, discrimen non paruum adeat.

*Lib. 2. de orat.*

Non abludit à proposito similitudo illa quam Chrysostomus de orationis præstantia tractans adhibet: quemadmodum, inquit, ciuitas muris & vallis denudata facillime ab hostibus expugnatur & stragem patitur; ita quicunque orationis vallo munitus non fuerit, statim inuaditur, expugnatur, & à Satana in captiuitatem abducitur: econtra vero, qui hac virtute velut propugnaculo fuerit munitus, omnium inimicorum impetum facile eludit, atq; infernales potentias perfringit & superat. ac randem ad finem, velut epiphonema, subnectit: *Non rugit ut leonis, sic bestias fugat, vt iusti oratio dæmones.*

Oratio rugitui leonis confertur.

*Psal. 37.*

Didicerat scilicet, sanctus ille Pater hunc loquendi morem & egregiam hanc metaphoram à Psalmographo, qui quodam in loco orationem cordis rugitum appellare non dubitauit: *Rugiebam à gemitu cordis mei*, id est, Cum intrinsecus animus concepto ob peccata luctu, ingemisceret; os meum tanto affectu & ardore Deum precabatur, vt leonis aut vrsi alicuius instar rugire videretur. Idem quoque Chrysostomus orationem alio loco animarum sanctarum neruos nuncupauit; nam quemadmodum corpus hoc nostrum neruorum auxilio viuit, incedit, quiescit, mouetur & cohæret; ita per orationem & preces, quas ad Deum fundit, anima. Atque vt ipsum, neruis ablatis aut resectis, concideret & emoreretur, illiusque fabrica in nihilum rediret; non secus etiam illa orationum fulcris sublatis, & precum neruis eneruata. Tanta scilicet orationis præstantia est & dignitas: quam & Patrum Sanctorum testimoniis confirmatum ibimus.

*Lib. 2. de orando Deo.*

Oratio animæ neruus.

*In tract. de oratione.*

Primus in scenam prodeat Augustinus, qui de oratione tractans, admirando exclamat, Quid orationevtilius? quid pulchrius? quid eadem dulcius aut animæ contingere gratius potest? quid in religione nostra inueniri potest sublimius? Ipsa nimirum cœlos penetrat, nubes transcendit, ad Dei vsque aures pertingit, ipsa vere interpres est, quæ cordis nostri vota desideriaque diuinæ maiestati exponit. Alio autem loco plures eius laudes in vnum congerit: *Oratio animæ sanctæ præsidium, Angelo bono solatium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium, oratio sancta, columna sanctarum virtutum, Deitatis scala; Angelorum cognata, fundamentum fidei. Beatus qui te amat, sed beatior qui te frequentat.* Chrysostomus vero commentario in Matthæum, latius in orationis encomiorum campum excurrens, eandem custodem intemperantiæ, virginitatis sigillum, castitatis nutricem, humilitatis initium, superbiæ moderationem, & pacis stabilimentum dicere non erubuit.

Orationis encomia.

Huius vero discipulus & Diaconus Cassianus, ac deinde presbyter Massilienfis in hac nostra Gallia, qui temporibus Honorii ac Theodosii Iunioris Impp. vixit, singularia quoque in orationem encomia confert, dum quodam in loco scribit: *Oratio est in terrestri corpore incorporea operatio, consistentia animæ ante Deum, suauis clamor cordis, negatio omnium corporalium actionum, restrictio sensuum, obliuio sui & omnis creaturæ, portus vagi spiritus, præsentatio sui coram iudice, verum animæ speculum.* Idem quoque Commentario quem scripsit in Psalmos, noua orationis præconia decantat, dum oratione iram Dei & furorem suspendit, ait veniam delictorum procurari, correptionem pro iisdem auferri, præmiorum largitatem impetrari: cum illam coram Deo loqui, iudicem affari, Deumq; qui videri nequit, inuisibilem reddere affirmat.

*Cassian. de oratione.*

Cassiodorus etiam, Patricius ac Senator Romanus, Theodorici Gothorum regis consiliarius, & deinde Abbas Rauennas, vir incomparabilis, in orationum commendationem non pauciora scribit, *Oratio*, inquit, *serenat cor, abstrahit à terrenis, mundat à vitiis, subleuat ad cœlestia, reddit capaces & dignos ad accipienda dona spiritualia.*

*Cassiod. de anima.*

Climacus succedat, qui in oratione laudanda adeo exuberat, vt hanc solam præ aliis virtutibus laudare videatur; *Oratio*, inquit, *est coniunctio atq; vnio hominum & Dei, constantia mundi, reconciliatio Dei, lachrymarum mater, peccatorum propitiatio, tentationũ pons, tribulationũ interpositus paries, bellorum*

*Gradu 28.*

*lorum contractio. Angelorum opus, infinita operatio, virtutum fons, gratiarum ministra, nutrimentum animæ, mentis illuminatio.*

Oratio opus sublime. Ipse vero, vt tot sanctorum Patrum testimoniis productis, meam quoque symbolam huc conferam, adeo, orationem altissimum, regium, atque excellentissimum opus esse, vt quæ nos contemplatione in sublime rapiat à terra auulsos. Atque idcirco omnes propemodum Theologi, hoc orationem modo definiant, *Eleuatio siue ascensus mentis in Deum*; quæ definitio è libris Ioannis Damasceni deprompta est. Cum vero ascensus aut eleuationis hic fieri mentionem audio, ipse mihi persuadeo, hanc potissimum causam esse, cur toties in sacris litteris oratio monti comparetur. Nam quemadmodum montes alti & eleuati sunt, & ad conscendendum difficiles, ita & oratio sublime quid est & eminens, & ad quam non tam facile, omnibus accessus patet.

In 4. sent. dist. 15. Ex 3. c. 24.

Exod. 19. In huius rei testimonium in Exodo legimus: *Non poterit vulgus ascendere in montem.* Quod triuiales & plebeii, qui fæx quodammodo & opprobrium mundi huius sunt, ad orationem inepti existant, nec vllam ex eadem delectationem aut gustum percipiant. Cæterum ipsa vere mons est, de quo Psalmographus locutus intelligitur: *Mons Dei, mons pinguis, mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Mons inquam saluandis nobis destinatus, cuius vera figura exstitit ille, in quem Loth è Sodomitico se incendio proripiens confugit: *In montem saluum te fac.* Mons denique in quo Dei gloria commoratur, similis illi de quo in Exodo scribitur: *Habitauit gloria Domini super montem Sinai.* Nam si Hieronymi sequi interpretationē velimus, Sinai tantundem valet; atque exitus è tentationibus. Quicumque igitur in montem orationis conscendentes tentationibus paulatim egrediuntur, gratiæ lumine à Deo illustrantur, & spes gloriæ adipiscendæ in eorum animis pullulat.

Psal. 67. Gen. 19. Exod. 24.

II. Quidquid vero hactenus in orationis cōmendationem diximus, Euangelii hodierni occasione dictum est; in quo nonnisi de oratione & precibus mentionem fieri videmus. Ioannes idipsum descripsit, & inter cetera habet: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Hanc porro materiam expositurus, bifariam diuidam; primo de orationis excellentia, dignitate, potentiaque loquar; ac deinde quæ ad eiusdem perfectionem necessaria sunt, paucis exponam.

Ioan. 16.

Christus igitur, referente Euangelio, ex hoc mundo ad Patrem recessurus, Apostolos consolatur dicens, si quid Patrem in nomine suo peterent, haud dubie illos impetraturos, & nunquam preces ipsorum irritas aut vacuas fore. Et quemadmodum sponsus sponsæ valedicens, dum in longinquam aliquam regionem profectionem instituere parat, ipsam suauissime ad extremum amplectendo ait: Vale carissima mea, vale amantissima sponsa; tu vero absentem sæpius litteris interpella, quæcunque tibi necessaria sunt audacter per epistolam pete, quidquid desideres postula: nec frustra, mihi crede, postulabis, aut difficilis ipse in dando ero: sed mox vt voluntatem intellexero, voto quam amplissime satisfaciam, nec vlla te ratione fallam. Ita & cœlestis ille sponsus, amore & affectu incredibili erga dilectam sibi sponsam Ecclesiam flagrans, eidem sub Apostolorum nomine præcepit, vt, si qua re indigeret, Patrem in suo nomine peteret, qui filii nomine audito, quamprimum votis annueret.

Simile.

Cuius rei figura fuit sponsus ille Canticorum, qui sponsæ vltimum valedicens, & ab eius se consortio proripiens, inter cætera amoris indicia, & vltima verba ait: *Fac me audire vocem tuam*, id est, Tanto te amore prosequor, amica mea, viuere vt nulla audita de te fama, non posse videar; sæpius igitur absentem scribendo compella: in hoc amorem erga me tuum demonstra. Ita & Christus à dilectis suis recedens ait: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

Cant. 8. Ioan. 16.

Quotnam Deus bone in hisce verbis latent mysteria: Primo, quod non ad se, nec ad Spiritum S. sed ad solum Patrem vota nostra dirigi velit: ipse enim solus liberalis & dator munerum est, quiq; omnia largissime suppeditat: *Qui dat omnib. affluēter* nec quidquam

Liberalitas Deo Patri propria.

Iac. 1.

quam ab aliquo accipit. Nam quamuis filius essentiam suam Spiritui S. communicet, quam à Patre ipse mutuatur, & Spiritus S. eandem à Patre recipiat & filio, alteri eandem non communicando: Pater tamen solus liberalem se erga Filium & Spiritum S. ostendit, & nihil ab eisdem accipiendo, suam illis essentiam elargitur. atque ideo merito liberalitas illi attribui potest: nec sola hæc, sed & magnificentia, nam donans quidquam, effusissime & superfluenter ipsum donat.

*Seneca lib. 1. de benefic.* Cum quidam, referente Seneca, munus aliquod & honorarium ab Alexandro Magno peteret, sed exigui ipsum momenti; rex rei exiguitate & petentis inopia perspecta, integram ei vrbem donauit, quam beneficentiam demiranti, ait rex, *Vt in te conferam beneficium, non quàm sis, aut quibus dignus; sed quid me elargiri conueniat, attendo.* Idem omnino de Patre æterno Rege illo regum sentiendum; qui benefaciendo nostram vilitatem non intuetur, sed magnificentiam suã; viderque non quid nostra indignitas meretur sed quid diuinitatis amplitudini dare conueniat. Ideo in Euangelio Christus ait, *Ioan. 16.* *Si quid petieritis Patrem in nomine, &c.* id est, Petite quodcunque volueritis, ac scitote Deum largum & munificum esse. Vt & alio loco ait, *Omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis, &c.*

Soli iusti Dei filii. Secundo notandum hic venit, verba hæc nonnisi de solis iustis accipienda; qui soli Patris æterni filii sunt vt peccatores filii diaboli: Vti in Euangelio de Iudæis Dominus ait, *Ioan. 8.* *Vos ex Patre diabolo estis.* & in Epistola sua Ioannes, *1. Ioan. 3.* *Filij Dei & filij diaboli estis.* Et sicut filiorum Dei est, Deum assidue orare; ita horum, ab oratione nimirum quantum abhorrere: ipsorum namque preces Deus non exaudit, vt bene in Euangelio cæcus ille affirmauit, *Ioan. 6.* *Scimus quia Deus peccatores non exaudit*; & olim Isaias, *Isai. 1.* *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt*, i. peccatis; cum caritate & benignitate refertæ esse deberent. Solis igitur iustis verba hæc dicta sunt, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo &c.*

Cœlestia Tertio notãdum est, vt docte admodum olim magnus notauit Augustin. Christum vera sunt hisce verbis vsum, quo nos edoceret, non- terrena ve- nisi cœlestia in oratione à Deo postulanda, ro merita quæ vere & essentialiter quidquam sunt; nõ nihil. vero terrena, quæ nonnisi meræ illusiones, impostura, vanitates, & inania phantasmata. Sunt nimirum cœlestia, entia vera & realia, vt quidem Philosophi loquuntur, terrena vero & mundana, entia rationis & fictitia. Quorum inanias graphice olim Psaltes descripsit, cum de rebus mundi huius ait: *Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, Psal. 4.* *& quæritis mendacium?* Atque hunc conceptum calculo suo confirmans August. quodam in loco scripsit: *Qui vere Christianus* *Li. de vo-* *est, non ista temporalia petere debet, sed totum* *lis Domin.* *pondus orationis & intentionis sua ad expetendam æternam beatitudinem debet impendere.* At hodie, proh dolor! aliter vitam suam plerique mortalium instituunt, nemo cœlestium recordatur, nemo de cœlo sermonem instituit; omnes quæ mundi sunt & loquuntur & spirant, atque à Deo in oratione postulant.

Rogabat Samuelem Saul, Deo vt supplicaret, ne regno Israel priuaretur, nec solio deturbaretur; tantaque instantia & importunitate rogabat, pallium eius vt apprehensum conscinderet: verum, vt delicti sibi veniam obtineret, ne verbum quidem fecit. Ad eundem modum vt plurimos hodie reperire est, qui magno animi ardore contentioneque, regna, dignitates, honoresque à Deo postulant; de gratia vero eius, vel benedictione cœlesti obtinenda vel de animæ salute nemo sollicitus est.

*1. Reg. 15.* Tempo- lia nõ sunt in oratio- ne petenda

Imo sæpenumero contingit, quod vere deplorandum est, vt multi, oratione abutentes, sibi animæque noxia petant, quæ plus obsint quam prosint. Rachel, Iacobi vxor, tanto prolis habendæ desiderio tenebatur, vt honestatis propemodum limites egressa, & sterilitatis impatientissima, marito indignabunda dixerit, *Da mihi liberos, alioquin moriar.* *Gen. 30.* Et ecce Deus, voti eam compotem reddens, desiderioque illius satisfaciens, duos ei liberos concessit, in quorum vnius partu, Beniamin scilicet exspirauit. Vt sancta hæc mulier, liberos petendo, ne-

sciebat

sciebat sibi liberos mortem causaturos : ita plerique à Deo in oratione multa postulant, quæ interitum & ruinam animæ sæpenumero adferunt

Gen. 25. Rebecca, matronarum sui temporis facile princeps, liberos etiam enixe à Deo postulauit; at cum iam in prægnantis vtero gemini decertarent, sesequemutuo calcibus colliderent, voti quodammodo pœnitens, dicebat tristis, *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere ?* Docet hæcce nos historia, mundi huius homines sæpius magna instantia & affectu liberos, diuitias, dignitates, honores aliaque sexcenta in oratione à Deo contendere; & frequenter in eorum eos natiuitate partuque mori, & vitam simul & animam perdere videmus. Quando igitur quid à Deo postulabis, quæ profutura saluti tuæ sint, pete, & in solo Christi nomine. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.*

Ioan. 16. Iudæi veteres Deũ in nomine SS Patriarcharum orabant. Hinc veteres Iudæi, cum quid à Deo postularent, quo ipsum facilius obtinerent, nomina & opera proauorum suorum, Abrahæ, Isaac & Iacob, velut mediatorum, interponerent, dicentes, Memento obsecro Domine, Patrum nostrorum, Patriarcharum illorum veterum, qui ex toto te corde dilexere. Quod fecisse Mosem legislatorem certum est, cum populo diuinum furorem promerito veniam orando obtinuit, Deumque illi propitium reddidit. Ipse quoque rex Israel Salomon, perspectum habens, quam Deo grata parentis sui Dauid opera exstitissent, nomen illius in precibus suis interponere solitus erat, eumque orationibus, quasi interpretem & votorum supplicationumque mediatorem præmittere. Ideo cum superbum illud & magnificum templum Domino construxisset, & regias illas victimas & hecatombas immolasset; genibus in templi medio in terram prostratis, multaque à Deo contendens; hac tandem clausula orationem terminauit, *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Quod testantur & Doctor anonymus, & Rabbi Salomon; dicunt enim, quamuis certo non constet, quis Psalmi huius auctor exstiterit; vero simile esse, nec omnino absurdum, Dauidem regem illius auctorem

2 Par. 6.

Psal 131.

esse; vt qui eundem composuerit, vt in solemni dedicationis templi die decantaretur: quam patris voluntatem filius impleturus eo illum tempore decantari in organis omnique musicorum genere iussit. Veteres igitur in nomine patrum & auorum suorum, DEO gratorum, orabant; Christianorum vero partes erunt, non iam in Patriarcharum, sed Iesu Christi, vnigeniti, inquam, DEI filii nomine, nec in seruorum duntaxat, Deum precari. Audite consulentem id Christum, qui suos in suo nomine orare vult, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo.* Ioan. 16.

Peccator igitur Patrem æternum non in suo, sed in nomine Vnigeniti illius oret, ob cuius merita donanda donare solet. Hoc modo orationem instituit Dauid Rex, cum oraret, *In nomine tuo leuabo manus meas.* Psal. 62. Per manuum autem leuationem in sacris Litteris oratio denotatur, qui orantis gestus est. Dicere igitur Propheta vult, si quid in nomine meo, vel meorum meritorum respectu, à te peterem Domine, merito denegares, vt qui nonnisi tormenta suppliciaque promeritus sim; nihil porro erit, quod in dulcissimo filii tui nomine petere non præsumam. Scio enim, nihil te illi denegaturum.

Filii Iacob, quo veteres iniurias abolerent, vitam conseruarent, & à Iosepho fratre, Ægypti totius vicario, veniam commissorum obtinerent, in patris eum nomine orarunt, veterum vt iniuriarum obliuisceretur, nec de vltione sumenda cogitaret. *Pater precepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro vt obliuiscaris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te.* Gen. 56. Hinc obsecro, discant peccatores, qui magnum illum Deum, non vicarium, sed verum cœli terræque Dominum, grauissimis toties delictis offenderunt, & ad iracundiam prouocarunt, Patrem cœlestem in carissimi filii nomine rogare, veterum vt delictorum veniam concedat, pœnitentes in gratiam recipiat, ac benigne complectatur.

Historia hæc alterius mihi memoriam refricat, quam eidem Patriarchæ accidisse

constat. Fratres illius cum in Ægyptum venissent, & cum frumento dimissi essent, non prius in conspectum illius venire potuere, quam Beniaminum fratrem natu minimum adduxissent, *Alioquin*, inquit, *nõ videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum*. Idem nobis à Patre cœlesti dici credamus, Auditores, qui non prius nos in suum venire conspectum vult, quidquam oraturos, quam fratrem nostrũ, non dico Beniamin, sed Iesum Christum, conducamus. Dicit hoc Euangelista: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, &c.* Id est, virtutem meam meritaque interponentes; sua enim Christus merita nobis vltro resignat, libensque donat, vt eadem Patri æterno offeramus, atque iis orationes nostras roboremus. Quocirca, quamuis oratio infinita Dei misericordia nitatur, iustitia quoque niti dicenda est; cum quæ Christus iuste meritoque promeruit, interponimus; qui sua in nos merita quam cumulatissime gaudet transferre. Atq; vt generosus aliquis Imp. & dux, multis tropæis nobilis & victoriis variis celebris, qui sæpius hostem ad internecionem vsq; deleuit, vrbes plurimas expugnauit, regna Principi suo varia subiecit, si illum nulla recepta ob tot labores & victorias mercede, mori contingat; in extremo vitæ articulo constitutus regem alloquitur, Ecce, serenissime Princeps, plurima tuo nomine discrimina adii, vitã pro regni tui gloria sæpe in præsentissima pericula conieci, hostes, à regni tui finibus exegi, eorum potentiam fregi, cumque nullum laborum hactenus præmium repererim, modo liberos meos vnice tibi commendo, eorum vt memor sis rogo, & enixe suppliciterque te precor, vt si quo ea de causa superstitẽ me præmio affecisses, in illos, quasi in alterum me & animæ meæ partem, omnem beneficentiam transferas. Ita & Christus Dominus, cum morti vicinus esset, & iam dudum diaboli potentiam fregisset, mundum domuisset, & varias de hostibus suis victorias retulisset, omnes nos Patri æterno in cruce moriens commendauit, enixe postulans; sua vt in nos ille merita transferret. Atque ideo hodie nos docet, vt suo in nomine Patrem oraremus, suaque merita, mediatoris loco, interponeremus, *Si quid petieritis Patrem, &c.*

Gen. 43.

Ioan. 16.

Christus sua in nos merita transfert.

Simile.

Ioan. 16.

Notat hic Oecumenius, Christum hisce verbis docere voluisse, vere se Deum esse, cum in suo nos orare velit nomine, & in illo omnia nos impetraturos asserat. Mirabile siquidem & efficax nomen illius sit oportet, in quo omnia petita impetremus, quod soli illi proprium; cuius & potestas infinita & virtus immensa, qualis est Dei. Merito proinde Psalmographus exclamat, *Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* cum in ipso homo omnia à Patre quæ petierit impetret. Hæc scilicet orationis virtus, & precum potentia.

Psal. 8.

III. Orationis vis & potentia.

Hanc igitur expositurus, dico tantam orationis vim ac robur esse, vt nihil non efficiat & effringat: ipsa dominatur omnibus, ipsa captiuos redimit, infernales abyssos occludit, cœlos reserat, bestiis immitibus imperat, oraque frænat esurientium animaliũ, inimicos prosternit, carceres effringit. Vnica oratio est: quæ Ionam Prophetam ceti vtero eduxit, Danielem à lacu leonum, & tres pueros à camino ignis liberauit. Adhæc vnicæ orationi, Filii Dei incarnatio est adscribenda: ait enim D. Thom. sanctos Patres sola oratione & postulatione eamdem à Deo impetrasse, *merito de congruo*. Quod & Prophetæ aperte præsignarunt, & imprimis Psalmographus, *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus*. Nec sola Verbi diuini incarnatio, verum ipsa quoque mundi redemptio salutisque humanæ reparatio vni adscribi imputarique debet orationi, *Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia*. Ipsam quinetiam Gentium conuersionem atque Ecclesiæ exordium & fundationem attribuere soli orationi oportet: ait quippe Psalmista: *Postula à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam*.

3. Parte.

Psal. 12.

Heb. 5.

Psal. 2.

Oratio præterea generale quoddam instrumentum est, quod ad omnia efficienda & agenda conducat, inq; hominum negotiis pertractãdis plurimum prosit: & quemadmo-

Oratio instrumentũ ad vniuersa.

impetrandi accommodum.

admodum ad faciliorem commerciorum rationem pecuniæ vsus introductus, permutatique pecuniaria inuenta, qua nihil in contractibus humanis nec vtilius aut facilius adeo vt, qui pecuniam habeat, omnia se posse & in manibus habere libere dicere queat: Ita oratio spiritualis quædam pecunia dici potest, vt quæ omnia valeat & domet. Caietanus, postquam pluribus docuisset, summum Pontificem plenariam potentiam habere, qua si abuti vellet, vniuersam Ecclesiam subuerteret & pessum daret, dicere non veretur, Deum non Ecclesiæ, ad tantum malum euitandum, remedium dedisse, quam orationem: qua & tantam calamitatem auerteret, cuius virtute tam præsens periculum à ceruicibus suis propulsaret. Nec hæc solius Caietani aliquando opinio fuit, sed & piissimi optimique regis Iosaphat, qui aduersitatibus pressus ad Deum confugiens dicere solebat. *Dum ignoramus quid agere debeamus* periculis circumuallati: *hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*, & preces nostras, velut patronos & mediatores interponamus: oratio siquidem sola malorum vnicum est remedium, & sola spes nostra.

Quæ. de potestate Papæ.

2. Par. 20.

Oratio peccatores in viâ iustitiæ reducere potest, Matt. 7.

Tantam quoque plurimi Doctores orationi vim & robur adscribunt, vt solam eam peccatori, gratiam iustum facientem, impetrare posse putent, & veniam obtinere eumque ab omnibus delictorum maculis emundare: equidem in ea sum sententia, vt hoc, sine interiori Pœnitentiæ actu, fieri posse negem: atq; ita verba illa Euangelii intelligenda credam. *Petite* contritione, *& accipietis: quarite* confessione, *& inuenietis: pulsate* oratione, *& aperietur vobis.*

Oratio Deum euincit, eiusq; iram placat.

Exod. 32.

Ea orationis efficacia est, vt ipsum etiam Deum euincat, ei quodammodo vincula iniiciat, & de diuina maiestate triumphum agat, iustitiæ furorem sistat, flamquellius compescat ac retundat. Testem audacioris huius encomii ipsum habeo Deum, qui importunis Mosis precibus euictus, cum iam populũ idololatrico cultu flagella promeritum funditus delere decreuisset, ait, *Dimitte me, vt iræscatur furor meus contra eos.* Quod Glossa exponens de suo addit, *Deus se fatetur Moysis orationibus teneri: qui postulat se ab eo dimitti.* Cui suffragatus in Elegiis Ouidius ait in eundem propemodum sensum,

*Sæpe Iouem vidi, cum iam sua mittere vellet* Li. 5. Triſt.
*Fulmina, thure dato sustinuisse manum.*

Ipsa à tentationibus liberat.

Baruch. 4.

Sunt & aliæ orationis vires, quas paucis huc adducam. Ipsam à tribulantium insultibus immunem, & ab omni aduersitatum, in huius vitæ curriculo, turbine liberam præstare potest. Hunc in sensum Prophetа quidam ait, *Clamate ad Dominum & eripiet vos de manu Principum inimicorum.* Cur Glossa in quartum cap. Iudith & Origenes commentario in Numeros subscribunt, cum vnanimiter dicunt, vnum orando hominem plus posse, quam aliquot millia præliando: robori bellico orationem, & preces armis præferentes.

Oratio dæmones fugat.

Matt. 17.

Marc. 9.

Quid obsecro oratio non potest? ipsa dæmones compescit, superat, eiicit, iisque legem imponit, in quo Christus ipse mihi præit, dicens, *Hoc genus damoniorum non eijcitur nisi in ieiunio & oratione.* Hinc illam Ambrosius clypeum appellauit, quo omnia nequissimi hostis tela excepta franguntur, *Bonum scutum*, inquit, *oratio, quo omnia aduersarij ſpicula repelluntur.* Quod à Psalmographo didicit, qui in canticis suis ait, *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam*: ad quod etiã referri potest quod alio loco dicebat, *Fulgura coruscationem & dissipabis eos*: *emitte sagittas tuas & cõturbabis eos.*

Psal. 104.

Psal. 123.

Oratio pugnæ comparata.

Hom. 11. super Exo.

Rom. 15.

Adeo quoque potens & valida oratio est, vt in plurimis sacræ Scripturæ locis militiæ & prælio comparetur: comparationem hanc adhibuit Apostolus, Corinthiis de seipso scribens, *In carne ambulantes non secundum carnem militamus.* Origenes etiam Israelitarum cum Amalecitis conflictum & victoriam examinans, Mose in monte ad Deum manus leuante & orante, ita sententiam tandem tulit, *Indicatur, populum Dei non tam manu & armis quam voce & lingua pugnare, ad Deum orationem fundendo.* Quo etiã facit, quod ad Romanos scribit Apostolus, *Obsecro ergo vos fratres per Dominũ nostrũ Iesum Christum, & per charitatem S. Spiritus vt adiuuetis me in orationib. pro me ad Deum.*

*Orig. lib. 10. in Epistol. ad Roman.*

Porro loco *adiuuetis me*, Græcus textus habet συναγωνίσασθαί, id est, simul confligatis, vel confligenti in eodem stadio succurratis quod & obseruauit Origenes dicens, ἀγωνίσασθαι, dixit Apostolus, *ostendens quasi agonem haberet certamenq; orationis.*

*Cant. 7.*

Eodem etiam sensu explicanda sunt verba illa Canticorum: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum*? Ecclesia enim, cuius sponsa figura est, propter varios Sanctorum ordines, diuersasq; hierarchias, tum etiam propter animos masculos armorum que vsum, castris comparatur. Bene autem, inquit Theodoretus, Spiritus S. *choros castrorum* hic vsurpauit, eo quod dum Dei laudes & præconia in choris templorum decantantur, vniuersa Ecclesia quasi armis gloriosa triumphare videatur. Exclamem igitur iure, ô Oratio vere admirabilis ac diuina.

Oratio naturæ vires superat.

Verè inquam admirabilis & potens, vtpote quæ omnem naturæ potentiam longo interuallo antecellat. Natura enim nullum conseruare corpus potest sine alimento & esca: quod & Aristoteles libro de generatione confirmat: *Omne viuens quamdiu viuit, indiget alimento conuenienti naturæ suæ.* At oratio sola hocce efficere potest, vt in Mose Hebræorum ductore aperte apparuit, qui inter alios sexcentos, quadraginta diebus & totidem noctibus, sine vllo alimento, solam orationem cibi loco adhibens, stupente natura & tantum miraculum admirante, in monte vixit.

Angelorũ potẽtiam superat.

Ipsa quinetiam omnibus potentior est Angelis: quod hac ratione probo: Angeli siquidem, si Philosophis & Theologis fides adhibenda, cœlos impellunt, & eorum sunt directores: at oratio ipsum cœlorum conditorem mouet, non quidem motu locali, sed virtute sua & potẽtia: quod ipsum quocumque voluerit, quo nobis in necessitatibus succurrat, & benignum se declaret, impellat ac trahat. His addo multa sæpenumero orationem effecisse, quæ ipsam Angelorum potentiam auctoritatemque exsuperent: ipsa enim cœlos stitit, Planetarum, regem in medio axe ad tempus sistere coegit: ipsa Eliæ ore profusa cœli fontes occlusit, & imbrium thesauros triennio & semestri nemini patere voluit, vt homines præfame & siti in terra emorerentur.

*Ios. 10.*
*3. Reg. 17.*

Omnium etiam creaturarum potentiam antecellit, ita vt quidquid cæteræ possunt, nihil esse aut leue videatur. Ecquæ enim creatura, propria virtute mortuum ad vitam reuocet? nam, Philosophorum placitis inhærendo, à priuatione ad habitum non datur regressus. Verum efficere hoc oratio potest: testis sit Elisæus, qui precibus suis Sunamitidis filium ad vitam reuocauit. Nulla deinde creatura est, quæ propria virtute in creatorem ipsum transmutari queat, at per orationem fieri hoc potest, & quotidie in templo fieri videmus: quando in sacrosancto Missæ sacrificio, panis & vini substantia, per sacerdotis preces & sacra consecrationis verba, non sine miraculo & vehementi creaturarum omnium stupore, in pretiosi corporis & sanguinis Christi Iesu substantiam transeunt: licet enim in quantum homo creatura sit: in quantum tamen Deus creator est. Atque hæc Theologorum omnium in quartum sententiarum est opinio. Verè igitur regia, sancta, diuina, & admirabilis potentiæ oratio est. Hæc prima concionis parte dicere de oratione decreueram, quæ ad eiusdem perfectionem requiruntur dicenda supersunt, qualitates inquam & conditiones requisitæ.

Oratio creaturarũ potentiam antecellit.

*4. Reg. 4.*

IV. Oratio humilis fit oportet.

Prima virtus eidem quam maxime necessaria est humilitas: nam, teste Ecclesiastico, *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Atque ita intelligendam esse docet Iacob cum Angelo luctam Osee Propheta: *Et insualuit*, inquit, *ad Angelum*, scilicet Iacob, *& confortatus est, fleuit & rogauit eum.* Quibus è verbis colligi datur, luctam illam & duellum Iacob cum Angelo aliud non fuisse quã gemitum & humiliationem cordis in Iacob, qui Esau fratris potentiam & occursum veritus, coram Deo se in oratione tum prostrauerat, auxilium cum gemitu & lachrymis effusis deposcens. Adeo vt præcipua orationis illius pars fuerit humilitas admirabilis.

*Eccl. 35.*
*Gen. 32.*
*Osee 12.*

Quin & alio loco Geneseos, cum Abrahã Deo pro Sodomitarũ incolumitate conser-

*Gen. 18.*

uatio-

uationeque supplicaret, vbi Vulgata legit: *Quia semel cœpi loqui.* Hebræi legunt. *Eia, cœpi loqui nunc.* Quasi dixisset, fierine potest, aut credibile est, Domine, me tecum loqui, & precibus te flectere præsumere? Magnæ profecto humilitatis argumentum, at quæ orationem illius Deo acceptam & gratam redderet.

Isti orantes in terra sese prosternunt.

Hinc factum puto, quod Sancti omnes Deum oraturi, quo humilitatem animi declararent, in terram se semper prostrauerint, velut indignos sese arbitrantes, qui cum tanta maiestate oratione interprete, colloquerentur. nam corporis humilitatem Spiritus & animi humilitas sequi solet. Exemplo sit redemptor qui pridie quam mortem occumberet, non modo genua in horto oliuarum reclinauit, Patrem suum orans, sed quo sese amplius humiliaret, etiam pronus in terram procidit, dicens. *Pater mi si possibile est transeat à me calix iste.*

Matt. 26.

Exod. 11. Oratio ab orationis nomine dicitur.

Moses cum, velut Dei altissimi minister, in Ægyptũ descenderet, hac oratione Pharaonem regem compellauit, *Descendent omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me dicentes, Egredere tu & omnis populus qui subiectus est tibi.* Alius autem Interpres loco *adorabunt me*, vertit, *orabunt me*: atq; ita & Syrus interpretatur, & Paraphrastes Chaldaicus. Vnde manifestum redditur, quam humilis barbarorum illorum fuerit oratio, cum adoratio appelletur, & Mosem adorasse omnes dicantur. Maximus autem humilitatis actus ipsa est adoratio, quo nullus maior exhiberi potest; in hac enim tam corpus quã spiritus diuinæ se maiestati & potentiæ omnipotẽti subiiciunt, & obedientiam supplicem spondent. Ac talis sit oratio oportet, quæ sine adoratione fundi non potest, cum hæc euidens fidei & obsequii nostri erga Deum summum testimonium sit & argumentum, vt à quo omnia dependere, dirigi, donarique confiteamur.

Quantum porro huiusmodi oratio commodi afferat, quamq; efficax sit, dici non potest: oratio q̃ humilitas stipat, & comitatur animi submissio. Huiusmodi fuisse legitur oratio resipiscẽtis & supplicis Publicani; qui templum Deum oraturus ingressus, adeo, peccatorum suorum turpitudine ob oculos posita, erubuit, vt nec oculos in cœlum attollere ausus fuerit, sed pectus tundendo, & ingemiscendo supplex dixerit, *Deus propitius esto mihi peccatori.* Talem & Manassis regis orationem fuisse sacri Regum annales testantur: hic namq; genibus in terram prostratis, atque oculos lachrymis suffusos, & cor amaritudine confectum habens, gemensque ad Deum clamabat, *Peccaui super numerum arenæ maris, & nunc flecto genua cordis mei ad te Domine.* Ille porro cordis genua, & non corporis, flectere dicendus, qui coram Deo in oratione sese submittit.

Luc. 18.

*In oratione Manassæ cum captus teneretur in Babylone.*

Cant. 2. Humilitatem sæpe lacrymæ comitantur.

Psal. 38.

Solet vt plurimum sancta hæc cordis humilitas lachrymas oculis elicere: ideoque Psaltes Psalmo trigesimo octauo Deum deprecans aiebat, *Auribus percipe lacrymas meas.* Lachrymæ porro non auribus percipiuntur, sed oculis videntur: pius tamen hic rex insinuare volebat, orationes suas lacrymis plenas esse, sciebat vtiq; preces, quæ lacrymis & piis suspiriis saginantur & referciuntur Deo gratissimas existere: Merito igitur sponsus, omissa certarum auium harmonia, turturis sese gemitu & suspiriis delectatum ait, quæ in terra sua audierat, *Vox turturis audita est in terra nostra.* Vnde colligere est orationem lachrymis mistam & fletu stipatam Deo longe esse acceptissimam.

Cant. 2.

Quam efficax autem, Deus bone, huiusmodi esse solet oratio, quam & lacrymæ poliunt & suspiria sufferciunt, quantasque obtinere victorias! Idcirco armis similis esse in genesi perhibetur: Iacob quippe Patriarcha filio Ioseph portionem hæreditatis dimetiens ait: *De tibi partem vnam extra fratres tuos quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.* Nusquam porro Iacob bellum gessisse aut cum hoste conflixisse, aut arcũ cum hoste tetendisse legitur, quin potius iratus fuisse, quod filii, Sichimitas, ob Dinæ sororis raptũ, arma mouentes exciderint, & sanguinem crudeliter effuderint. Vera igitur Chaldæi Paraphrastæ lectio est dum haber, *quã orationibus acquisiui.* Illæ enim meliora arma sunt & valentiora quã arcus, gladii, aut hastilia. Hinc in libro Iudicum, Madianitæ tum armis tum precib⁹ profligati leguntur.

Gen. 48. Oratio armis similis esse dicitur.

Iud. 7.

*Num.* 22. Balac Moabitarum Rex numerosum aduersus Israelitas colligens exercitum, eosq; armis prosecutus, omnem mox belli curam deposuit, pseudoprophetam Balaam consulendo, vt prosperum belli successum precibus ille à Diis impetraret: nam vti bene obseruauit Origenes, fama didicerat, Israelitas nonnisi precibus ad Deum fusis victoriam consequi, eosque non arma manu præferendo, sed preces fundendo, cum inimicis conflictum ire solere. Quamobrem iisdem illis armis inuadere consultius putauit Quam valida igitur hæc arma futura sunt, quando humilitate temperabuntur.

*Deut.* 14. Pisces illi immundi censebantur, qui pinnulis & squammis carebant: qui vero pinnati & squammati erant, mundi habebantur: eo quod hisce pinnis in aere saliant, & quasi volare videantur; squamis vero velut lorica contegantur. Mysterium denotat eos coram Deo mũdos esse, qui orationis alis in altum se sustollunt, cœlestia contemplaturi, & sub humilitatis squamis, velut lorica è virtutibus contexta, delitescunt, ne ab hominum mundanorum oculis videantur. Viuat igitur & omnium ore celebretur oratio humilis ac demisse de se sentiens.

Orationẽ ornat caritas.

*Tob.* 12. *Ezech.* 1. Altera quæ orantibus necessaria est virtus, ipsa dicenda est caritas: atque hanc intellexit Raphael Archangelus, cum Tobiæ iuniori diceret: *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.* Mystica etiam illa animalia, quæ Ezechiel Propheta vidit, inter cætera quæ præferebant prodigia, manus hominum sub pennis habebant, quo aliud non denotabatur, quam sub oratione & contemplatione, quæ animæ nostræ alæ sunt, manus, id est, opera caritatis latitare debere, quæ binas hasce alas fulciant & sustentent. Senes quoque illi, quos Ioannes in Apocalyp.

*Apoc.* 1. vidit, phialas aureas thymiamate plenas & suffitibus refertas habuisse leguntur: *quæ sunt*, inquit, *orationes Sanctorum.* Emblema hoc expositurus, dico ideo potissimum ab Apostolo orationes, phialas aureas nominari, quod orantium corda carnea iam esse non debeant, sed aurea & luculenta caritate æstuantia.

Huiusmodi porro cor à Domino Psalmographus exposcebat, conceptuique meo quam proxime accedens aiebat: *Dirigatur Domine oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Nam vt thus & incensum acerræ impositum, nisi ignis adsit, nullum emittere fumum aut odorem potest: ita orationis incensum nullam spirare suauiolentiam poterit, nec Deo gratum esse, si cor è quo proficiscitur, diuini amoris igne non succendatur, & dilectionis flammas nõ emittat, nisi inquam ardeat sancto quodam amore, non erga Deum tantummodo, sed & erga proximum, vt nimirum pro omnibus in genere oret, pro ipsis etiam peccatoribus & infidelibus. Huc alluſit Psalmographus, cum diceret: *Effundo in conspectu eius orationem meam.* Effundere autem, est quidquam foras eiicere, quasi diceret: Oro pro iis qui sunt extra gratiam Dei mei constituti pro peccatoribus inquam, ethnicis, amicis, & inimicis pro notis & ignotis. Caritas igitur hac in sphæra operatur, atque ad omnes sese creaturas extendit. *Psal.* 140.

Angelus ille, qui Ioanni in Apocalypsi ante altare apparuit, thuribulum aureum secum deferebat: quo aliud non declaratur, quam neminem coram Dei altari comparere posse, id est, Ecclesiam orandi causa ingredi, quam qui Angelorum vitam imitetur, & cor caritate velut auro radians habeat, è quo incensum orationis egrediatur, & suauissimos odores emittat. *Apoc.* 8.

In tabernaculo Mosis, aut templo Salomonis duo altaria reperire erat, vnum holocaustorum, & ipsum æneum: alterum thymiamatis, & illud aureum. Primum quidem sacrificium crucis denotabat, quod æneum & sonorum erat, quia in omnem terram exiuit sonus eius, eo quod crucis Christi prædicatio omnes terræ angulos penetrarit: quanquam tropologice S. Gregor. pœnitentiam & carnis mortificationem hic designari putet. Alterum vero, de quo Exod. 30. Beda sanctos & iustos denotare existimat, qui rerum cœlestium contemplatione sublime elati, & procul à terrenis constituti, non procul à sanctis sanctorum, Angelorum instar commorantur, quotidieque in altari thymiamatis thus orationum *Exod.* 27. 38. *Li. de templo Salom. cap.* 12.

num adoleant, ac ſuperni ipſum amoris igne ſuccendunt, quod diuinæ deinde maieſtati ſancte pieque offerunt. Ipſe vero per duplex hoc altare, duo orationum genera deſignari putem, mentalem ſcilicet ac vocalem: per altare nimirum thymiamatis mentalem; per holocauſtorum autem, quod æneum ac ſonorum erat, vocalem: vtrumque vero caritatis igne ſemper ardeat neceſſe eſt.

Oratio mentalis & vocalis per altaria tabernaculi deſignatus

Cæterum quando orationem caritate ſuccenſam eſſe debere dico, ſupponendum eſt, orantem omni vacare debere delicto. In cuius rei ſignum præcepit olim Deus, ne quis immundus, aut nævum aliquem corpore præferens templum ingredi, aut tabernaculo propius accedere præſumeret, vel etiam ſacrificium offerre, niſi prius mundaretur. Idem etiam lex Euangelica præcepit, cum neminem peccati ſordibus inquinatum aut culpam aliquam corde fouentem, ad altare ſacrum vult accedere, quo preces Deo offerat: tunc enim oratio robur ſuum amittit, & quodammodo eneruatur, orantique in vitium cedit & peccatum.

*Leuit.* 22.

Oratio gemmæ pretioſæ comparatur.

Naturalium rerum ſcriptores tradunt, gemmæ cuiuſdam genus reperiri, cui nomẽ Dioſcorides; admirabilis potẽtiæ ac ſtupendarum virium, quibus tamen penitus deſtituitur, ſi mortui ori indatur. Naturæ hocce opus ad gratiam transferens, dico orationem lapidem eſſe; quo Dauidis exemplo dæmones proſternimus, lapidem inquam pretioſum, magnæ energiæ atque efficaciæ: qua tamen priuatur, ſi peccatoris, qui coram Deo mortuus eſt, ore exeat; ac tunc tantum abeſt, oranti vt proſit, vt animæ etiam perniciem & interitum adferat, *oratio que*, vt de impio olim Pſalmographus ait, *eius fiat in peccatum*: cumque diuinam iram ſedare, furorem conceptum placare, flagellaque intentata auertere deberet, illa magis magiſque accerſat, & iram acrius ſuccendat. Quod egregio exemplo confirmabo.

*Pſal.* 108.

Bias Philoſophus, cum quodam tempore cum ſceleratis quibuſdam & nebulonibus nauigaret, & vehemens ſubito tempeſtas exoriretur, illique in genua proſtrati Deos inuocarent; ipſe fictam illorum pietatem irridens: *Tacete*, inquit, *ne dij vos hic nauigantes ſentiant*. Sciebat nimirum Philoſophus, impiorum preces & orationes, corde iniquinato prodeũtes, Deum magis irritare quam placare. Prius igitur quam ſe ad orandum quis componat animam purget & ab omnibus liberet ſordibus, neceſſe eſt.

Preces impiorum Deum magis irritant quam placant. *Li. de perf. iuſtitia ad Iulian.*

Refert magnus Auguſt. ſerpentis quoddam genus eſſe, quod priuſquam ad fontem bibendi cauſa accedat, euacuato ſtomacho omne quod intrinſecus repoſitum fouet virus, eiiciat, quam ſerpentis naturam ille propoſito noſtro adaptans, ait Chriſtianos, cum ad orandum ſeſe componunt, omne prius peccati venenum, ſi quod in corde latet euomere debere, quam Deo preces offerant. Hęc igitur oratio, quæ corde puro, & ab omni peccati veneno libero, ſed caritate ſuccenſo proficiſcitur, perfectiſſima eſt, Deoque gratiſſima. At nec hoc ſatis: ſed continua quoque ſit oportet atque aſſidua.

Perſeuerantia igitur & aſſiduitas tertio ad orationis perfectionem neceſſaria eſt. Vnde Apoſtol Iacobus: *Multum valet deprecatio iuſti aſſidua*. Dico igitur, ſi qua in re aſſiduitas & perſeuerantia requiritur, in oratione eam & precibus maxime deſiderari, & in primis neceſſariam eſſe: hanc ſolam non dedecet importunitas huic vni congruit animoſa pertinacia & cõtinua indefatigataque expoſtulatio. Aliis in rebus vitium eſt violentia, at in oratione virtus: de orantibus igitur illud merito vſurpari poteſt: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti*; id eſt, importuni deprecatores, *rapiunt illud*.

Perſeuerantia oranti neceſſaria. *Iacob. vlt.* *Matt.* 11.

Quo loco in Pſalmis legit Vulgata, *In manus tuas commendo ſpiritum meum*, alii habent Interpretes: *In manus tuas commendabo ſpiritum meum*. atque ita Græcus textus præfert & Chaldaica paraphraſis: vnde iuſti in orando perſeuerantiam colligere poſſumus, qui non ſemel tantum orat; ſed firmiter ſecum ſtatuit totum vitæ tempus orando tranſigere, ac nulla non hora & loco precibus & orationi vacare.

*Pſal.* 30.

Iacobi cum Angelo luctа in ſacris litteris celebratur, ſed eo potiſſimum nomine, quod tãta ipſius terreni ac mortalis licet hominis, importunitas fuerit, vt firmiter in animo

*Gen* 32.

animo statuerit, non prius cœlestem illum spiritum dimittere, quam benedictionem petitam ab eodem obtinuisset. Iam paulò ante dixi, luctam hanc veram orationis, quã homo ad Deum fundit, imaginem esse, in hac igitur sola importunitas commendanda est, animosique censendi illi, qui in oratione assidui sunt, nec prius quiescunt quam gratiam à Deo obtinuerint, & votorum compotes facti fuerint.

In vitis Patrum.

Religiosus quidam in oratione assiduus & continuus, fratribus aliis modum orandi Deum rogantibus respondit, à nullo alio orandi se rationem quam à mendicis stipem ante diuitum ianuas postulantibus, vicera sua & plagas, non semel aut bis, sed sæpius demonstrantibus, quo eos ad misericordiam flectant, & eleemosynam in paupertatis subsidium extorqueant didicisse, & ab illis ipsos etiam discere posse. Innuere scilicet volebat, quod cum pauperum instar mendicorum, quotidie ante magni Dei ianuam panem nostrum quotidianum aliaque gratiarum charismata deposcimus; non prius à necessitatibus nostris diuinæ maiestati repræsentandis, cessare debeamus, quam eleemosynam aliquam aut munusculum ab eadem impetremus.

Mendici nos docẽt orare Deũ.

*Esth. 15.* Esther orationis typus.

Esther regina, formosissima sui temporis mulierum, ad regem cum ingrederetur, petiones suas declaratura, duas secum ducebat puellas, vnam cuius humeris inniteretur; alteram quæ syrma traheret. Vera hæc imago fuit rei de qua modo agimus. Regina quippe hæc orationem designabat, per quam ad regem regum Deum accessum habemus cũ eodem locuturi: quæ quo secure incedat, & maiori cum plausu excipiatur, duas habeat virgines, comites necesse est, vnam cuius humeris fulciatur, humilitatem scilicet quæ eandem sustentat; alteram quæ sinuosa vestium volumina subleuet, perseuerantiam scilicet quæ perfectam semper orationem sequitur.

*Psal.* 5. Hac virtute orationes suas exornabat, Psaltes de se siquidem testatur: *Mane adstabo tibi & videbo* Verbũ vero *adstabo* perseuerãtiã denotat, cuius loco Hieronym ad fontes Hebraicos *contemplabor* transtulit, quod tantundem significat, alio item loco, vbi Vulgata præfert: *Anticipauerunt vigilias oculi meis*; alia versio habet: *Tenebas vigilias oculis meis*. Id est. Tam grata tibi orantium perseuerantia, vt oculos meos, quo ad te integras noctes vigilent, & excubias quodammodo agant, cogas, quo ita in oratione perseuerem. Psalmo item 95. vbi legimus vulgo, *Sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius*. S Hieron. transtulit, *Fortitudo & exaltatio in sanctuario eius*. Sanctuarium porro orationi locus debitus est, eius vero comites, fortitudo, ad incessanter orandum, & nunquam deficiendum; & cordis exultatio ad perseuerandum assidueque orandum.

*Psal.* 76.

Verum quod perseuerantia essentialis orationis pars eam propterea omni ratione diabolus impedire contendit & interrumpere Quod exemplo quodam faciam manifestum: Religiosus quidam, vt in Dialogis refert Greg orationem cœptam semper intermittere, & nonnisi quam breuissimas fundere preces, impatiens moræ, solebat: & quamuis fratres hanc in eo leuitatem sæpius reprehenderent, non ideo tamen in orando reddebatur constantior. Accidit interea S. Benedictum ad illud monasterium diuertere, & de monachi huius leuitate certiorem reddi, quem cum ad se vocatum curiosius inspexisset, vidit nigellum quendam pedibus illius aduolutum (dæmonem haud dubie) qui eum à sancto orationis exercitio auocaret. Procidit igitur in genua sanctus Pater, cumque pro salute illius Deum deprecatus esset, dæmon, omnis perseuerantiæ inimicus, ab eo mox decessit.

Diabolus perseuerantiam impedit.

Idem quoque Gregorius huc etiam trahit historiam aliam Geneseos. Abraham cum Dei iussu animalia quædam offerret in sacrificium, ecce volucres cœlo delapsæ in aram descendere victimam deuoraturæ; quas cum sæpius ipse abegisset, iterum tamen atque iterum importunæ illæ harpyiæ ad prædam redierunt: nec prius ab iisdem liberatus fuit, quam somnus eum oppressisset. Qui curiosius hoc introspicere voluerit, & Greg. moralitatem sequi, reperiet haud dubie, orantem, Deoq; gratum precum sacrificium offeren-

*Lib. 2. cap. Moral. Gen. 15.*

offerentem, à rapacibus semper auibus, dæmonibus inquam infestari. Non ideo tamen orationem abrumpat, sed eadem continuo vna cum vanis cogitationib. abigat, nouam attentionem comparet, & in orando perseueret, donec tãdem sol occidat, & dormiendi tempus ingruat, id est, donec vitæ huius dies præterierit; fieri enim non potest, vt quamdiu viuimus, ab importunis illis auibus immunes simus; ideo semper iis resistendum, & omni ratione abigendæ, inque oratione perseuerandum.

*Valer lib. 2 cap. 20.* Xenophon Philosophus solenni Diis sacrificio offerendo impeditus, de filij sui in bello nece certior factus, cœptum sacrificiũ non intermisit, nec vultum ob tam lugubrẽ aut funestum nuntium cõtraxit: aut sacrum abrupit. Et ecce, pro pudor! Christiani hodie musæ importunitate victi filum orationis abrumpunt; & ob nugas aliquas molestiarum à precando cessant: hac igitur Ethnici constantia & in orando perseuerantia confundantur & erubescant.

At non ita viuendum est, Auditores, aliter vita vobis instituenda, amplectenda virtus est; & inprimis virtutum regina Oratio. Audiuistis scilicet partes eius, audiuistis dignitatem ac potentiam, audiuistis præterea quæ ad perfectionem illius necessaria sunt. Hæc igitur omnia animis vestris insculpta permaneant, & mementote cunctorum quæ vobis hactenus dicta sunt; recordemini inquam in sacris literis eam thuri & suffitui comparari, & merito sane; nam quemadmodum odores nidoresque semper in sublime

*Psal. 140.* tendunt: ita & oratio si Dauid experto fidem habeamus. *Dirigatur*, inquit, *Domine oratio mea sicut incensum.* Secundo, quemadmodum aromata & odoramenta putiscentium locorum & sentinæ fœtorem tollunt, ita vt neminem offendat; sic & iustorum orationes pro peccatoribus deprecantium efficiunt, ne eorum delictorum fœtores diuinæ maiestatis nares offendant, vt pro meritis eadem nõ puniat, sed veniam benignus concedat. Tertio, vt odores & suffimenta magis redolent contusa, & thus magis fragrat igni iniectũ; ita & de Sanctorum orationibus sentiendũ; tunc illas feruentiores esse, & suauiorem spirare odorem, cum in persecutionum mundanarum mortario contunduntur vel tribulationum vitæ huius igni imponuntur.

Eia igitur Christiani, orationi diligenter incumbite; ipsa enim hominum & Angelorum interpres, interpres inquam, quæ omnium linguarum nouit discrimina, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Hispanicæ, Italicæ, Germanicæ, aliarumque sexcentarum: ipsa peccantium patrona, cælorum amica, Dei carissima, diaboli terror; ipsa virturum regina, electorum Philosophia; Sanctorum sermo, paradisi ianitrix, & animarum omnium consolatrix. Simul etiam perpendite, quanta illius sit potentia & virtus, ipsa dæmonibus dominatur, infernas potestates compescit, Angelos ad flagellandum accinctos exarmat, tyrannos domat, mundum vniuersum expugnat, tempestates sedat, ignem cælo aduocat, astra sistit, feras siluis elicit, pluuias exsiccat, ventorum alas laxat, & laxatos refrænat. Ipsa præterea morbos depellit, mortuos ad vitam reuocat, montes loco mouet, hominibus vt sine cibo potuque vitam transigant vires suppeditat, terram concutit, elementa inter se conciliat, aliaque infinita effecta, quæ omnem naturæ potentiam superent, producit. Orationis Epitheta.

Hanc igitur diligite, Christiani, & amplectimini, illius perfectiones sectemini, quæ ad eam necessaria sunt quærite: cum igitur ad orandum vos componitis, adsit humilitas, stipet preces caritas, & comitetur eas perseuerantia. Oratio enim, nisi humilis sit, mera est vanitas, si caritate non sustentetur, merum peccatum; si perseuerantia desit, nihil omnino promeretur: primum repræsentat oratio Pharisæi, alterum preces & pœnitentia Achab, tertium Iudæ proditoris quamprimum deficientis, animi amaritudo. Tria igitur hæc simul concurrant necesse est, quæ ad perfectionem orationis non parum faciant; quibus si ornata fuerit oratio, perfecta erit Deoque gratissima. Cõclusio. Humilitate carẽs oratio nonnisi vanitas.

Tu autem omnipotens & æterne Deus, ad quem preces nostræ diriguntur, eas re-

ge, & nos ad eaſdem ſanctè pieque fundendas diſpone: ſæpe, fateor, plenæ imperfectionibus ſunt, nec exaudiuntur, eo quod non bene fuſæ, ſæpe enim cum ſuperbia & animi elatione tibi eas offerimus, ſæpe in peccati ſtatu funduntur, ſæpe minima data occaſione interrumpuntur. Humilitatem igitur veram, quæ eaſdem comitetur; caritatem & dilectionem, quæ eaſdem ſuccendat, & robur, quo in iiſdem perſiſtamus, elargire. Quæ ſi impetrauerimus, vota preceſque noſtræ tibi acceptæ futuræ ſunt, ac per eaſdem in hac vita gratiam, & in altera gloriam immortalem conſequemur, ad quam deducere nos dignetur Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

## DOMINICA SEXTA POST PASCHA.

### Quæ eſt Dominica infra octauam Aſcenſionis.

Partes.

1. *Quod præſcita minus ſint noxia.*
2. *De teſtimonio S. Spiritus & Apoſtolorum.*
3. *De aduerſis à Domino prædictis.*
4. *Cur ſuos affligi velit Dominus.*

*Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Ioan. 15. & 16.

### FIGVRA.

ELIAS Propheta & ſacrificuli Baal, cum inter ſeſe de veri Dei cultu altercarentur, his Baalim Deo vero præferentibus & adoratione dignum aſſerentibus, illo contra firmiter aſſeuerante, & prægnantibus rationibus euincente, ſolum Deum Iſrael adorandum, ſacrificijſque placandum; nec vllum contentio finem haberet, ita tandem inter eos conuenit: vt ſuo vterque Deo ſacrificium immolaret, & victimas, ac quorum Deus primus tunc ignem cœlo demiſiſſet, quo ſacrificium abſumeretur, ille verum adorare Deum cenſeretur. Elias igitur è 12. lapidibus, in memoriam 12. tribuum Iſrael, aram conſtruxit, cui cum & ligna & taurum ſuperimpoſuiſſet, quæ & aqua humectabat, quo miraculi dignitas foret euidentior; in genua procubuit & Deum orare cœpit. Et ecce ignis ſubito cœlo in aram delapſus ligna corripuit, victimam ſuccendit & in cineres redegit. Teſtari ita Deus voluit, Eliæ Deum ſolum adorandum, & omni obſequio & cultu digniſſimum eſſe, reliquos vero omni honore & cultu indignos. Vt autem à figura ad veritatem deſcendam, dico Chriſtum, magnum illud & honorificum crucis ſacrificiū cœlo obtuliſſe, quo Deus iratus homini reconciliatus eſt: altare, in quo oblatum, ipſa fuit crux, ligna, plurima tormentorum genera quæ pertulit; ipſe vero victima, iniuriæ & improperia, quib. eum Iudæi prætereuntes impetebant, aqua fuit qua conſpergebatur. Et quamuis ſingula hæc ita ſe haberent, ea tamen hominum peruicacia fuit, in animum inducere, vt nulla ratione poſſent, Ieſum verum Deum exiſtere, quamuis mors illius & reſurrectio euidentia teſtimonia dediſſent. Eia igitur, inquit tum Chriſtus, egrediamur, & ad vltimū diuinitatis meæ experimentum veniamus: Spiritum S. cœlitus demittam, qui in forma ignea, in ſacrificium ipſe peragi dilabatur. Atque ita lapides fundamentales Eccleſiæ meæ, Apoſtolos inquā, corripiat & ſuccendat, ne qua in poſterum dubitandi ſit occaſio, ſed omnes certiſſime credant, me non ſecus ac Pater verum Deum eſſe, & vt talem omnes, poſt tot diuinitatis argumenta, potentiæ, ſigna, & eſſentiæ notas editas confiteantur. Hoc Euangelio hodierno cōtineri video, quod vt ad illius gloriam & animæ veſtræ ſalutem exponam, is ipſe S. Paracletus in partem operis inuocandus, & Deiparæ auxilium implorandum, quā ideo potiſſimum in genua prolapſi, angelicis verbis ſalutabimus. *Aue Maria.*

Ea ſemper omnium ſapientum opinio fuit, nulla alia re, ingruētia aduerſitatum iacula, & tribulationum mundi huius tela facilius excipi poſſe, inflictaque minus, quam ſi longe ante animo voluantur ac priùs quam ſeriant,

riant, prouideantur. Quidquid enim aiebant inopinato nihilque minus cogitantibus accidit, percellere nos & consternare solet patientiæ nimirum clypeo spoliatos, quem si haberemus, facile omnes malorum ictus eluderemus. Is igitur ictus noxius & metuendus, qui præuisus non fuerit, at quæ postquã præcepta & præuisa fuére, contingunt, angere & lædere minus solent: nec casus eorum adeo grauis, quod nihil noui aut insperati, sed potius aliquid eminus præuisi, nobis accidere videatur.

Primus opinionis huius auctor nominati potest Marc. Tull. Romanæ eloquẽtiæ parens & origo, qui in Tusculanis quæstionibus ait, repentina omnia videri grauiora, quem & in distichis secutus Cato ait:

*Nam leuius ladit quidquid præuidimus ante,*
*Et præuisa minus ladere tela solent.*

Hæc quidem Gentili deprompta pharetra, prudenter tamen inuenta, Christianoq; homine digna, quin & Gregor. Magnus, Ecclesiæ doctor, iisdem propemodum verbis vsus est, & in eundem sensum recidentibus:

In hom. plurim. Mar. 2. *Minus iacula feriunt quæ præuidentur, & nos tolerabiliùs mundi mala suscipimus, si contra hæc prouidentiæ clypeo munimur.*

Diogen. Apophth. Interrogatus olim Philosophus Diogenes, quidnam tandem Philosophia illũ edocuisset; scitè admodum respondit, dicens: *Præuidere*, inquit, *aduersa, & cum euenerint illa patienter ferre.* Egregium profecto apophthegma, & quo vix vllum legi elegantius, Christianæ legi accommodatius, & Philosophia Christi Iesu dignius, qui hoc nos & loqui modo & vitam instituere docet, id est, afflictiones dudum ante præuidere, & cum ingruerint, forti & generoso animo easdem perpeti. Vnde & natum prouerbium: *Tela præuisa minus feriunt.*

Basiliſci natura. Eam basiliſci naturam esse perhibent, vt, si hominem prius videat, mortem ei afferat; si vero ab homine econtra prius videatur, tantum absit ei vt noceat, vt ipse emoriatur potius, aut in fugam saltem se conferat, quod diligenter notans Philosophus Seneca ait: *Nisi quidquid fieri potest, pro futuro habeas, das in te vires rebus aduersis, quas infregit, quisquis prior vidit.* Item alio loco: *Quæ alij diu patiendo leuia faciunt, vir sapiens leuia facit diu cogitando.*

Li. de tranquill. ca. 11. Li. 6. natu. quæst. q. 3. epist. 77.

In quam rem sexcenta producere exempla possem: vt imprimis illud Anaxagoræ, huic enim carceribus detento Athenis, eodem tempore & mortis inferendæ sententia, & filiorum interitus cum denunciaretur: ad primum quidem infracto & elato animo sic respondit: *Iam pridem tam aduersus illos qui me morti adiudicarunt, quam aduersum me, ex æquo natura tulit sententiam*, ad secundum vero ait: *Sciebam me genuisse mortales.* Futurorum igitur præuisio & diuturna eorum exspectatio hanc ei animi dabat constantiam, & infractum illum & incõcussum reddebat. Anaxagoræ Philosophi sententia.

Ideo vero veteres illi sapientes præuidere, & quodammodo præoccupare mala futura & instantia solebant, tum ne, quando præuideinopinato ingruerent, eisdem percellerentur, & ad terram concussi deiicerentur, tum etiam vt minus graues ictus infligerent. Atque hoc magnum prudentiæ argumentum; quid enim aliud prudens quam porro videns? Ita præuidere futura solitus erat Seuerus Imp. vt in vita illius Dion. Cassius refert: mortem siquidem, i. omnium malorum grauissimum, semper vt instantem quouis loco metuebat; quam vt perpetuo ob oculos haberet, loculum suũ quotidie sibi mane ante lectum collocari iussit, quem contemplatus & complexus aiebat: *Tu virum caties, quem totus capere orbu non potest*, atque hac ratione sese ad mortem quotidie disponebat, ne, dũ repente aduenisset, nimium quantum concuteretur. Prudentia est mala re.

Herodot. lib. 3. Huc etiam respexit sancta illa Ægyptiorum veterum consuetudo, qui in solemnib. publicisque epulis, mortui cranium inferebant, omniumque conspectui exponebant, vt ita feralem illam Parcam, dum vere metuenda foret, non metuerent. Quæ enim præuisa & præcepta non sunt, dum aduenĩunt, percellere nos solent, & ad terram penitus deiicere, eo quod incautos opprimant: verum quando longo ante tempore prospeximus, nulla nobis inopina nouaque rerum facies accidit, neq; eorum aduentu, vel minimum consternamur.

*Plut. lib. de animi trãquill.*

Refert ex Homero Plutarch. Vlysse post viginti annorum peregrinationem domum reuerso, cane, qui longo illum prius tempore nouerat, conspecto hero, præ gaudio exspirasse, vnde & ipse lachrymari cœperit. Hinc vero Penelopem vbertim etiam lacrymas fudisse tradit, sed gaudij lacrymas & exultationis: quam licet ille assiduo solaretur, & lacrymantis ab oculis lacrymas extergeret; non minus tamen emotus fuit, quam si dura silex foret, aut Marpesia cautes; cum tamen catellæ casus & interitus ipsi lacrymas expresserit. Cuius rei rationem Philosophus non aliam esse ait, quam quod vxoris suæ lacrymas, subita in re fundi à mulieribus solitas præuidisset, non autem catellæ exspirationem, ad quam inopinatam consternatus illacrymari etiam cœpit, & vbertim flere.

Hæc occasione persecutionum afflictionumque, quas Apostolis suis prædixit in Euangel. Dominus, dicta sunt, quo easdem, dum tolerandæ obueniunt, maiori animi constantia & robore perferrent. Periti igitur naucleri est, pericula maris prędicere, Syrtes & charybdim prænuntiare; boni etiam ducis, pericula belli prædocere: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini, absq; synagogis facient vos.* Verum altius textus repetendus, & Ioan. series tuenda: *Cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* Omnia hæc expositurus, in duo more iam mihi cõsueto, membra concionem diuidam; primo testimonia quæ Spiritus S. & Apostoli de Christo dedere prosequar; In altero, persecutiones quas in hac Euangelij denuntiatione exantlarint, recensebo, quibus pro posse enarratis, finem imponam.

*Ioan. 16.*
*Ioan. 15. 16.*

Euangelij materia.

In vltima illa, quam coram Apostolis in die vltimæ cœnæ, Dominus habuit, admonitione & paræneſi, è qua omnia Dominicarum post Pascha Euangelia depromta sunt, qua & illos consolabatur, & animũ in aduersis quę passuri essent addebat; inter cætera ad diuinitatem suam spectantia ait: Spiritum paracletum, quem à Patre immitteret; amplissimum de diuinitate sua testimonium daturum, testificaturum inquam, verum sese Deum esse, non vero creaturam.

II.

*Cum venerit Paracletus, quem ego vobis mittam à Patre.* Hic obsecro, Theologi notent, vt Christus verbis illis hæreticos, qui post illius in cœlos ascensum in orbem venturi erant, refutarit, eorumque argumenta & iacula infregerit. Dum enim ait: *Quem ego mittam à Patre*, eorum errorem iugulauit, aperte docens Spiritum non à Patre solum, sed & à se, id est, Filio procedere. Dum: *Mittam à Patre*, euidentissime demonstrat, Filium Patri consubstantialem esse, cum Pater & Filius vnum eundemque Spiritum producãt, atque ita Arrianorum errores refellit. Dum: *Qui à Patre procedit*, apertissime declarauit, Spiritum Deum esse non vero creaturam, vt insano commento idem Arrius adstruere ausus est: quidquid enim a Deo procedit, Deus quoque sit oportet, creaturæ namque è Dei substantia non prodeunt, sed è nihilo producuntur (vilem profecto productionem!) Denique dum ait: *Ego mittam à Patre*, ostendit, aliam se à Patre personam esse, non vero vnam eandemque sed distinctam; atque ita nequissimi Sabellij errores destruit & euertit.

*Ibid.* Hæreses veteres hoc loco refelluntur.

*Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre.* A Patre se illum ait emissurum: & bene; nam vt Filius esse suum à Patre habet, ita & Spiritus sancti missionem ab eodem nactus est, vt & à Patre potestatem illius producendi. Pater enim æternus, vt origo & fons omnis diuinitatis, à seipso Spiritus S. & productionem & missionem habet, at ambo hæc Filius nonnisi à Patre: atque idcirco ait: *Mittam vobis à Patre.* Ita loquitur & Hilarius in libris, quos de SS. Trinitate composuit: cum ipso igitur asserо, quemadmodum *creat à Patre*: eo quod simul cum Patre creet, vtpote creandi virtutem & potentiam à Patre nactus, (*quia qui dat esse, dat & qua consequuntur ad esse*, quod & ipse Dominus in Euangelio asserit: *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem*) ita etiam ab eodem & virtutem potentiamque Spiritus S. producendi, & hunc in mundum mittendi nactum esse & habere.

*Ibid.* Filius à Patre patestatem Spiritus S. mittendi habet.

*Lib. 8.*

*Ioan. 5.*

Porro hæc loquendi ratio in Sacris litteris obuia est & frequens: dictum quippe in Gen-

Gen.est: *Pluit Dominus à Domino sulphur & ignem super Sodoma.* Filius scil à Patre. Vna enim & eadem vtriusq; est actio: eam tamen Filius à Patre habet: nam omnia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa. Ita porro hũc locum Genes. Hilar. lib. de Synodis expositi, & Concilium sub Iulio I. Pontifice maximo collectum. Sed relicta sublimi hac Theologia, ad moralem sensum delabamur, *cum venerit Paracletus.* Quanta horum verborum dulcedo! quam ipsa ad audiendum iucunda & suauia: *cum venerit Spiritus.* Ecquis, obsecro, Spiritus? non spiritus malitiæ, non peccati, non præsumptionis, non iræ, sed Spiritus Paracletus, consolationis: scientiarum doctor quique nos homines veritatem edoceat. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

1 Cor. 12. Ezech. 37. Spiritus exosmouent.

Atq; hoc innuit Apostolus, cum diceret: *Alij datur per Spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ.* Spiritus qui spiritibus motum, & animabus vitam donat. Vnde Propheta: *Intromittam in vos spiritum meum, & viuetis.* Designatum hoc fuit in aridis illis ossibus, quæ Deus Prophetæ monstrauit, quæ neruos nacta nouos & musculos & cartilagines & pelle denuo cooperta, mouere se, at viuere non potuerunt, donec spiritus à quatuor ventis, id est, quatuor orbis partibus, eadem perflaret.

Cœlorum orbes, vt quidem Aristoteles & constans omnium mecum Philosophorum opinio tradit, spiritum quendam & intelligentiam aëream, in tutorem & directorem habent: atque omnes axes, sphæræ, sydera, Planetæ à virtutibus quibusdam & potentiis intelligibilibus impelluntur: à seipsis enim nihil possunt, sed grauia sunt & omnis motus expertia, sine vlla virtute, motu aut influxu. Idem & de iustis sentiendum, qui à Spiritu S. mouentur & diriguntur, sine ipso enim omnis sensus erga res diuinas expertes forent, nec ad virtutem proni, inque bonis operibus torpidi. Ipse enim est, in quo viuimus, mouemur & sumus. Quam dulcia igitur faucibus meis verba hæc, *cum venerit Paracletus.*

Diuersa Spiritus

Quis aut qualis ille Paracletus? quidnam efficiet? quidnam potest? potest omnia, mirabilia efficiet: Deus enim est, vt Pater & Filius, plurimaq; munia & functiones habet; munia. ipse peritissimus ductor & director est: nam vt ventus naues ad portum propellit; ita & Spiritus ille animas ad portum cœlestem dirigit ac promouet; vnde Psaltes: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Ipse Angelorum hominumque doctor, ipse Apostolos omnigena dotauit scientia, & linguarum dono cumulauit, ita vt *cœperint loqui variis linguis.* Oculis hyænæ, vt quidem Dioscorides ait, gemma educitur, quæ futura prædicat, & obscura reuelat, cum dormientis capiti subiicitur. Ita & Spiritus Paracletus à Patre simul & Filio procedens, cordi Apostolorum iniectus, disertos eos reddidit, vt futura annuntient, secreta & abscondita reuelent, & omnium linguas nationum loquantur.

Idem Spiritus afflictorum, ærumnisque oppressorum tutor & patronus est: testatur id Apostolus dicens: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Idem hominum Angelorumque mediator: quo eum Ezechiel nomine nuncupat: *Ponam Spiritum meum in medio vestri.* Ipse pusillanimium Achilles, debilium robur ac fulcrum infirmorum: vnde Psalmographus: *& spiritu principali confirma me.* Ipse fidelium merces & laborantium præmia, ita Ioannes in Apocalypsi, *modo iam dicit Spiritus, vt requiescant à laboribus suis.* Ipse denique animarum consolator & gaudium; testabitur hodiernum Euangelium, *cum venerit Paracletus.*

Rom. 8. Ezech. 36. Psal. 50. Apoc. 14.

Quotnam obsecro Spiritus hic cœlestis Spiritus S. nominib. appellatur, quot titulos & epitheta sortitur. Primo appellatur *Sanctus*, vel sacris literis quod nos efficiat sanctos, vel q; sit ipsa sanctitas. Secundo, *Spiritus rectus*: hoc eum nomine Psalmista donauit, *Et spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Tertio, *Spiritus bonus.* Ipse enim gratiã in hac vita elargitur, & gloriam sempiternam in altera; quæ vera bona sunt, vtpote quæ perdi nequeunt, & semper hominem comitantur: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Quarto, *Spiritus principalis.* Ipse namque origo, fons & principium omnium virtutum, & omnium gratiarum in anima nostra causa: *Spiritu*

varia in sortitur. Psal. 50. Psal. 142. Psal. 50.

*principali confirma me.* Quinto, *Spiritus Domini.* Nam qui spiritum hunc habēt, vere Domini sunt: corpori, mundo, & diabolo imperantes, qui vero eodem carent, nonnisi serui & mera mancipia, omnibusque rebus creatis subiecti: *Spiritus Domini super me. Paracletus* denique in Euangelio hodierno dicitur: *Cum venerit Paracletus.* Cum autem iam iam venerit quid facturus est? *Ille testimonium perhibebit de me.* id est de diuinitate mea.

*Isai. 61.*

*Ioan. 15. & 16.*

Spiritus Sancti testimoniū necessariū erat ad firmandam diuinitatē Christi.

*Actor. 10.*

Et sane eiusmodi testimonio opus erat, quo euidens & manifesta Christi redderetur diuinitas; opus, inquam, erat, vt crederent homines, hominem Deum fuisse morti adiudicatum innoxium, passum, immortalem: crucifixum, redemptorem: & quare opus ad idola nempe destruenda, crucem exaltandam, mundum conuertendum, Imperatores confutandos, Monarchias deprimēdas, respublicas expugnandas, & idiotas piscatores Philosophorum doctores constituendos: adhæc scil. omnia Spiritus S. testimonium necessarium erat. Varia quidem olim de Christo Prophetæ testimonia dederant: *Hinc testimonium perhibent omnes Prophetæ,* mille in natiuitate, omnes perhibuerant creaturæ, stellæ, reges, Angeli, bruta quin etiam animalia, deinde & Simon, Anna vidua, Ioannes Baptista. tot adeo Trinitatis testimonia quoq; videre fuit illius in baptismo, testimonia in transfiguratione, testimonia in passione, dum ipsa etiam tellus concussa tremuit, sol deliquium passus est, mortui ad vitam surrexerunt, & petræ scissæ sunt. Et quamuis adeo prægnantia efficaciaq; hæcce fuerint, credere tamen homines non potuere, Iesum Christum Deum fuisse, quamobrem necesse erat Spiritum ipsum cœlo descendere, & de diuinitate testimonium ferre.

*Ioan. 15. & 16.*

*Ille testimonium perhibebit de me.* Et fuit profecto difficile persuadere hominibus Deum humanam naturā assumsisse, se exinaniisse, pauperem nostri causa factum, & in cruce suffixum exspirasse. Huc pertingere humanum ingenium non poterat, nec intellectus hoc comprehendere, imo & Prophetę omnes hæc fieri non posse credebant: vnde de rei grauitate & hominum incredulitate conquestus Isaias exclamat: *Quis credidit auditui nostro?* Idcirco Spiritum S. descendere necesse fuit, qui amplissimum horum omniū testimonium redderet: quo ita mundi incredulitatem conuinceret, ad credendum induceret, & clamare alta voce cogeret, *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

*Isai. 53.*

*Psal 92.*

Spiritus S. ter de Christo testatus est.

*Matth. 3.*

*Matth. 17.*

*Actor. 2.*

*1. Ioan. 5.*

Tertia porro Spiritus S. de Christo Iesu testimonium perhibuit. Primo, cum à Ioanne baptizaretur, quando nimirum, quo diuinitatem illius adstrueret, visibiliter in ipsum columbæ specie delapsus est. Secundo, in glorioso transfigurationis triumpho, quando in nube lucida rutilantique apparuit. Tertio, in ipso Pentecostes die, cum in forma ignis & flammantium linguarum super Apostolos descendit, sic infracta & heroica constantia per omnes terrarum angulos edoceret, Iesum Christum mundi Redemptorem ac liberatorem esse. Vnde Ioannes in Epistolis: *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Cuius testimonio accedens in Euangelio Dominus ait: *Ille testimonium perhibebit de me.*

*1. Ioan. 15. & 16.*

Spiritus S. descensus euidens diuinitatis Christi testimoniū fuit.

Non potuit profecto maius nec apertius diuinitatis testimonium dari, quam tantum ac talem, ad testandum ipsum Deum, Spiritum emitti. Iacob Patriarcha, audito, filium Ioseph superesse & adhuc vescier aura ætherea, dominarique in tota terra Ægypti, velut à somno expergefactus & consternatus est, non secus ac si fabulas narrari audisset, nec fidem filiorum verbis adhibere poterat: sed visis curribus, commeatu & omni suppellectile pretiosa, quam ex Ægypto asportauerant, omni dubitationi postposita, rem ita se habere sibi persuasit. Vnde colligitur, è pretiosis illis quæ Ioseph miserat donis Iacob confirmatum credidisse, filium in Ægypto dominari, ac plurimis regnis cum absoluta potestate præesse. Idem omnino hodie in Euangelio fieri videmus: ait enim quodammodo Christus, Vetulus ille & decrepitus mundus credere vix potest, Deum me esse: quamuis Prophetæ, filij, inquam, eius tam euidenter id designarint: at mox vt pretiosum illum Spiritum gratiis locupletem misero, aperte

*Genes. 41.*

aperte videbunt Deum me esse, ille scilicet de me testimonium feret, ex eoque mundus cognoscet, non ingessisse me vltro, aut falso dignitatem hanc & diuinos mihi honores arrogasse.

Elias Propheta, designaturus verum à se Deum coli, sacrificium eidem offerre voluit, & strue lignorum congesta, & victima mactata, genibus in terram positis orauit dicens, *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, ostende hodie, quia tu es Deus Israel, & ego seruus tuus.* Vix finierat verba Propheta, & ecce ignis cœlo delapsus victimam corripuit, & in cinerem redegit. quo viso clamare alta voce populus cœpit, *Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.* Per ignem scilic. cœlo descendentem, intellexerunt eum, à quo emissus fuerat, vere Deum existere: Ita Christus, misso in Apostolos sub forma ignis Spiritu S. ipso Pentecostes die euidentissime ostendit, Deum se esse. merito igitur in Euangelio de Spiritu ait: *Ille testimonium perhibebit de me.*

Erat inquam clarissimum diuinitatis argumentum, Spiritum sub flammæ specie in Apostolos emittere; cuius rei figura fuit ignis, quo reliquias Agni Paschalis eremari voluit olim Deus, *si quid residuum fuerit igne comburetis.* quo mysterio nihil aliud declaratur, quam Christi Iesu, agni illius immaculati, reliquias, id est, Apostolos, quos post se in mundo relicturus erat, sacro Spiritus sancti igne accendendos & cremandos, quod & in Psalmis longo ante tempore prædixerat Psalmographus. *Ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo.* facies autem hoc loco patris ipse Filius est: ignis autem qui exarsit, ipse Spiritus: carbones vero Apostoli.

Inter vasa figlina cocta & non cocta, sed tantum efformata, hoc statui discrimen potest, quod iis quæ nondum caminum subiere, festucæ & sordes facillime adhærescant, & minima collisione frangantur; cocta vero nullis sordibus inficiantur, nec collisa tam facile dissoluantur. Eadem quoque inter Apostolos & cæteros mundanos inueniri differentia potest: illis enim, non secus ac vasis coctis & Spiritus sancti igne indura-

3. Reg. 18.

Ioan. 15. & 16.

Psal. 17.

tis, nullus vanitatis puluis, nullæ voluptatum sordes adhæresçunt, nec vlla rerum mundanarum collisio nocet: at hi velut incocta & liquida, & nondum camini ardorem experta, ad primum aduersitatum impetum colliduntur & franguntur. Hic igitur ignis Apostolos excoxit, & aduersus omnem tribulationum afflictionumque impetum solidauit. Quod figura quadam veteri demonstrabo.

Ezech. 37.

Mõstrauit olim Ezechieli Prophetæ Deus campum ossibus refertissimum, & ait, *Vaticinare de Ossibus istis, & dices eis, Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his, Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis: & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes.* Et ecce dictum factum, ossa steterc in pedes nouo redanimata spiritu & fremuere ad inuicem collisa, prout Ezechieli prænuntiauerat Deus. Vos vero mysterii huius expositionem discite: Mundum campus ille patens denotat, ossa vero Apostolos, tãquam arida, sicca, & ab omni humore sæculari succoque mundano aliena: quæ postquam Spiritu S. subintrante, reuixere, neruosa solidaq; facta sunt, id est, virtutem & robur tribulationibus resistendi & aduersa quæque superandi nacta sunt. Spiritus igitur S. discipulos hac ratione confortans & solidãs, clarissimum diuinitatis Christi Iesu eiusque maiestatis testimonium dedit. At hoc testimonium satis non erat, requirebatur adhæc, ipsi vt quoque Apostoli hoc testatũ facerent, *Et vos testimonium perhibebitis.*

Apostolõ diuinitatis Iesu Christi testimoniũ dedere.

Quod & reipsa præstitere, dum per omnia mundi climata discurrentes, Euangelium gentibus annuntiarunt: S. Petrus scilic. omnium caput, in Ponto, Bithynia, Galatia denique & Romæ: Ioannes per vniuersam Asiam, S. Paulus Antiochiæ, Cappadocia, Cypro, &c. Iacobus Maior in Hispania, Minor in Palæstina, Thomas in India & apud Antipodes, Philippus in Syria, & Scythia, Bartholomæus in Armenia & Lycaonia, Matthæus in Æthiopia, Simon in Mesopotamia, Thaddæus in Perside, Andreas in Achaia, aliisque sexcentis locis. Per omnes igitur mundi angulos testimonium eorum

eorum auditum fuit & creditum. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* *Psal.18.*

Mirabile testimoniũ Apostolorum de Iesu Christi diuinitate.

Quam liquida probatio, & quam clarum diuinitatis & potentiæ Iesu Christi testimonium fuit, duodecim piscatores, rudes & rerum ignaros, vniuerso orbi arma mouere, formicas elephantis insultare, pygmæos aduersus gigantes & aduersus colũbas gryphes insurgere, & armis adeo imparibus arma siquidem mundi sunt prudentia, sagacitas, eloquentia, potentia, minæ, vana promissa, suppliciorum terror, voluptatum, honorum, diuitiarum, & aliarum rerum illicia: Apostolorũ vero paupertas, simplicitas, humilitas, patientia, & caritas: & aliæ plurimæ virtutes. Explicat vtrumque Apostolus in prima ad Cor. *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Deinde & conflictu iniquo: mundus siquidem suos vento voluptatum vult abripi, & ventri & genio indulgere: Apostoli vero idola deseri, Christum in cruce adorari, spiritum in obsequium fidei subiici, cruces & afflictiones æquo animo tolerari, propriã voluntatem abnegari debere docent: atque hæc vera vitæ, doctrinæ, & diuinitatis Iesu Christi testimonia sunt, quod Propheta innuit dicens, *Vere vos estis testes mei, dicit Dominus.* 1. *Cor.* 4. *Isai.* 43.

An non euidens veritatis testimonium fuit ignaros piscatores, inermes, doctos, omnium Impp. arma & potentiam fregisse? Deus, quo potentiam suam exaltaret, olim Iobo Prophetæ sub ænigmatis inuolucro cit, *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in diem pugnæ?* quod exponens Gregorius, & nucleum allegoriæ explicans, ait: arma hæc & milites sanctos Apostolos exstitisse, qui ante Spiritus sancti in mundum aduentum niue frigidiores erant: quibus tamen Deus in die pugnæ, quando vniuersum mundum subiugauit, & sub potestatem suam redegit, vti voluit. Atque hac ratione amplissimum de Christo Iesu testimonium dedere, miraculis inquam, verbis ac vitæ sanctitate hæc siquidem testimonia intellexit CHRISTVS cum ait, *Et vos testimonium perhibebitis.* *Iob.38.* *Ioan.15.*

Vos, inquam, quibus omnia mea secreta patent, qui singula miracula mea vidistis, qui toties doctrinam meam audiuistis, qui vitæ quam duxi orationem perspectissimam habetis: de iisdem loqui potestis, & velut testes oculati testimonium reddere petentibus. Quod Petrum reipsa præstitisse ex Actis Apostolorum manifestum est: *Hunc Deus suscitauit tertia die & dedit eum manifestum fieri omni populo, sed testibus præordinatis à Deo nobis qui mãducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis.* *Act.10.*

Tria ad testimonio auctoritatem conciliandam necessaria sunt, ne vt vafrum aut teste vero imminutum reiiciatur. Primo vt testis de requirere, quam testatur, certus sit nec opinetur tur. solum dubitans & vacillans, sed certa quadam scientia eam perspectam habeat. Secundo, vt constanter veritatem profiteatur. 1. *Ioan.* 1. Tertio, vt omni exceptione maior sit, omni culpa vacans, nec vlla in re reprehendendus. Tria hæc quam perfecte in Apostolis reperire fuerit, dici non potest: primo enim testabantur ea, quæ oculis vidissent: Audite vt hoc Ioannes de se suisque condiscipulis in epistola testetur, *Quod vidimus, quod audiuimus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vita* & Petrus in sua, *Non incertas fabulas secuti, sed speculatores facti illius magnitudinis.* ac deinde omnes in genere Apostoli: *Non possumus quæ vidimus & audiuimus non loqui, &c.* Deinde infracte & constanter admodũ, sine vllo mortis metu, nullis suppliciis exterriti, veritatem elocuti sunt, denique adeo sancte pieque vitam instituerunt, nulla vt in re digni vel minima reprehensione forent. Idcirco præceptor probitatem eorum & sufficientiam perspectam habens, & testimonio ferendo idoneus sciens, ait, *Et vos testimonium perhibebitis.* 2. *Pet.* 1. *Act.* 4. *Ioan.* 15.

Religiosorum est testimonium dare paupertate & humilitate de Christo.

Non solus autem Apostolos hic allocutus est, sed & omnes in genere religiosos, quibus ex vi voti, de Iesu Christi paupertate, humilitate, & obedientia testimonium ferre incumbit, vt qui ab initio cum ipso fuere, id est, à tot iam annis cum ipso conuersati sunt, illiusq; se obsequio manciparunt. Quadrant hæc etiam in cõcionatores, veros Iesu Christi illiusq; Euangelii præcones, horum

rum namque est, de cruce illius & amore, passioneque luculentissimum testimonium ferre, honestam nimirum vitam instituendo, humilitatem sectando, & mundum contemnendo. Væ autem iis qui secus egisse cõperti fuerint, infame siquidem est & deplorandum, sibi perniciem creare alios nihilominus ad gloriam euocare.

Deut.29. Gaditæ & Rubenitæ quamuis aliis tribubus auxilia & suppetias tulissent, & arma in terra promissionis comparanda subministrassent, tamẽ in eadem commorari noluerunt, aut stabilem fortunarũ suarum sedem ibi figere, sed alias ad habitãdum sedes haud procul à Iordane delegerunt, quod locus ille & pascuus & campestris esset pascendis gregibus peraccommodus. Infœlices igitur illi, qui cœlo neglecto, rebusque cœlestibus proculcatis, caducis vitæ huius bonis contenti viuunt: quo brutali suo appetitui & concupiscentiæ carnali melius commodiusque satisfaciant atque ita gloria cœlesti quæ tum Deo tum Angelis communis est, excidunt.

Vos igitur concionatores Isaiæ consulenti credite, illius vocem audite, *Super montem caliginosum leuate signum, exaltate vocem, leuate manum.* Cæterum mons ille obscurus & caliginosus ipse mundus est, erroribus plenus, ignorantiæ tenebris obsitus: in quo Prædicatores signum, id est crucem, quæ ab omnibus omnino hominibus contemnitur, leuare iubentur, pœnitentiam sc. denuntiare, afflictiones, labores, & cruciatus in signũ proponere. In quo etiam eos vocem exaltare Deus præcipit, aduersus peccata & vitia cum spiritus ardore & zelo detonare: manus quoque attollere, manum scilicet operi admouendo, vt nimirum opere compleant, quod verbis docuere. Hoc nempe pacto vitam instituere, est bonum de Christo Iesu testimonium ferre; & hoc ipsum erat, quod prima cõcionis parte deducere decreueram: secundam iam aggrediar, in qua hæc verba: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini*, explicanda suscepi.

Isai.13. Mundus mons caliginosus est

Ioan.16.

III. Christus Apostolis suis tribulationes prædicit.

Christus igitur, postquam Apostolos post mortẽ suam testimonium perhibituros dixisset, aduersitates que & persecutiones varias ob testimonium hoc subeundas præmonuisset: solari quoque eos & dolorem è verbis prioribus conceptum lenire voluit, simul edocens æquam rebus in aduersis & lætis mentem seruare. Filii Israel cum grauiter angerentur, & hostili iugo premerentur, opem cœlestem implorarunt, & ad Deum confugerunt, qui sospitatorem iis misit Aod nomine, ambidextrum, & sinistra tam prompte vtentem quam dextra, vt ducis huius dotes homini iusto accommodem, dico inter illius perfectiones primã esse, aduersa simul & prospera æqua mente perferre, & in vtrisque æque fortem esse. Iud.3.

Cassianus autem allegoriam hanc exponens, ait per manum dextram prosperitatem spiritualem designari, cuius digiti sunt deuotio; rerum spiritualium dulcedo, cordis teneritas, dominium in concupiscentiam carnis, atque omnium visibilium rerum cõtemptus: per sinistram vero aduersitatem spiritualem, cuius digiti sunt tentatio per tribulationes, deuotionis carentia, exiguus erga res spirituales affectus, cordis ariditas, & spiritus tristitia. Beata igitur anima illa quæ duabus hisce manibus prudenter vtitur: plurimi namque dextra abutuntur, dum in prosperis insolescunt, & sublimia de se cogitant: alii vero sinistra, dum aduersis deiiciuntur.

Aduersitas & prosperitas duæ mundi manus sunt.

Equidem per dextram illam, prosperitatem temporalem designari crediderim, cuius digiti sunt honor, sanitas, pulchritudo, diuitiæ, nobilitas: per sinistram autem, aduersitatem temporalem, cui hos assigno digitos, infamiam, egestatem, morbos, ignobilitatem & persecutiones. Hæc nimirum vtraque mundi manus est, at adeo lectu difficilis, vt vnam sine altera nec ipsa Sale mon postulare voluerit, dicens, *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi.* Solus Apostolus scite vtraque vti nouit, *ego enim didici, in quibus sum, sufficiens esse. Scio & humiliari, scio & abundare (vbique in omnibus institutus sum) & satiari & esurire, & abundare, & penuriam pati, omnia possum in eo, qui me cõfortat.* Apparet hinc ad oculum, quam Paulus ambidexter fuerit: quem vtinam omnes imitentur. Deus autem cum vtraque suos fe- Prou.30. Philip.4. Simile.

riar, æquabilitatem mentis in percussis exoptat.

Eccl. 12. Solent fabri ferrarii haud procul à fornace habere frigidam: sine igne namque ferrum aptare non possent, nec sine aqua temperare; fabros imitari etiam consueuit Deus: modo enim prosperitates hominibus elargitur, quibus velut aqua eos aspergat, modo aduersitatum igne excoquit. vnde Ecclesiasticus: *In igne probatur aurum: homines receptibiles in camino humiliationis.* quo loco alia versio legit: *Homines vero acceptabiles*, supplendo, *fiunt*. Ideo sancti clamare coram Deo dicuntur: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hæc igitur dicta sunt occasione verborum: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.*

Psal. 65. Ioan 16.

Id est, dum aduersitates in caput vestrum ingruent, quas vobis modo prædico, nolite offendi, aut nimium quantum deiici, neque enim vos deseram, sed Spiritum paracletum vobis mittam, qui in aduersis vos consolaturus, & auxilium laturus est. Admirabilem templi Salomonici fabricam & situm dum Ezechiel describeret, ad finem subnectit, dicens: *Ab hoc templo aquæ egrediuntur, vsque ad mare, profluunt, & aquas ipsius maris dulces efficiunt: pisces vero quos producebant, quam plurimi & pulcherrimi erant.* Sublime profecto mysterium: quo aliud non declaratur, quam tribulationes & ærumnas, quibus iusti in hoc mundo affliguntur, etsi ingens lateque stagnans mare efficere videantur, mox vt suauissimis diuinarum consolationum, quæ è templo illo admirabili, i. Christo Iesu, promanant, aquis conspersæ fuerint & tinctæ, dulces & iucundas reddi, ac plurimos in iisdem pisces progigni, id est, plurimorum meritorum causas existere. Atque hoc est, quod Dominus Apostolos suos edocere voluit, dum ait: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.*

Ezech. 47. Allegoria egregia. Ioan 16.

Quamprimum vt eos testimonium daturos dixit, tribulationes mox & afflictiones, quæ hacce in functione eos manerent, subiunxit: ad quarum auditum ne forsitan animum desponderent, consolatur eos & dolorem pellere conatur. Nam vt terra herbis, quas ex seipsa producit vires suppeditat, vt sine vllo hominum adminiculo & crescãt, germinent, & floreant: iis vero quas humana plantauit industria, aut hortulani manus, nihil præter succum & humorem elargitur, ita vt nisi manus plantatoris succurrat & adminiculetur, perituræ sint: sic etiam mundus hic cum mundanis, filiis inquam & germinibus suis, agit, hos enim fouet, honoribus & voluptatibus beat, amplectitur, stringit: iustos autem & electos, filios Dei charissimos contemnit, vilipendit & negligit, imo tantum abest, eos vt exosculetur, vt etiam quam potest acerbissime illos affligat & excruciet. Huc respexisse crediderim Christum, cum Apostolis diceret, *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat diligeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* Hinc quoque Psaltes coram Domino confitetur dicens: *Tibi derelictus est pauper*, iustus scilicet, qui paupertatem voluntariam amplexus est, atque instar pupilli & orphani ab omni se mundano gaudio sequestrauit, ob quod varias tribulationes experitur: verum huic *orphano tu eris adiutor*, atque aderis, ne in aduersitatibus succumbat. ex mente scilicet Euangelii in quo legimus: *Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini.*

Ioan 15. Iustus orphano collatus. Psal. 9. Ioan. 16.

Simile.

IV. Rationes variæ cur iustis tribulationes immittat Deus.

Labores & tribulationes discipulis in Euangelii prædicatione euenturas prænuntiat, eademq; ratione docet, iustos & pios scandalizari non debere, aut velut rem nouam suspicere, si afflictionibus & ærumnis interdum exagitentur & exerceantur, interea dum hic viuunt: multas quidem ob causas suis easdem Deus immittere consueuit, quarum tres præcipuas referam. Primo, quod ingentem semper vtilitatem & commodum secum trahant: quod è prosperitatibus, quæ illarum contrarium sunt, facile intelligi potest, nam, vt olim Aristotel. multis in locis docuit. *Contrariarum causarum contrarij sunt effectus*, adeo vt si vnum malum progignat: alterum bonum proferre debeat. Mundi autem prosperitas Dei semper obliuionem inducit: vnde Propheta, *Homo cũ in honore esset, non intellexit*, & nobilis.

Lib. 2. de gener. & Phys. Psal. 48.

bilis conditionis suæ oblitus est. Seneca item in eundem sensum, *fortuna quem nimis fouet, stultum facit*, atq; ex hac obliuione superbia quædam & fastus intolerabilis procedit, si Psalmographo dicenti, *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos superbia*, fides habeatur. Omnes siquidem prosperis insolescentes, animæ suæ damnum incurrunt, & in voluptatum campo delitiarumque periculum adeunt, teste Poeta,

*Luxuriant animi rebus plerumq; secundis.*

*Nec facile est æqua commoda mente pati.*

Cum igitur prosperitas, malacia, ac mundi huius tranquillitas horum omnium causa sit; credendum est è contra, aduersitatum & tribulationum procellam, quæ illius oppositum est, bonorum omnium causam esse, atque homini miseriam suam in mentem reuocare, & infinitam Dei misericordiam animo illius insculpere. Hinc bene Magnus Boethius: *Plus hominibus reor aduersam quam prosperam prodesse fortunam*; & post eum magnus Gregor. *Nisi tribulationes essent, homines obliuiscerentur Dei, tribulationes quæ nos hic premunt, ad Deum ire compellunt.* Cuius rei egregiam in Genesi figuram legimus.

Agar Saræ ancilla, quod superba & elata esset, atque heram potius ageret, domo Abrahæ exacta fuit, & in desertum ac solitudinem pulsa: vbi Angelus eam compellauit dicens: *Reuertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Quam figuram exponens August. ait: ideo potissimum ancillam hanc afflictionibus & ærumnis vexatam fuisse, vt hac ratione ad dominam reuerteretur, *Ad hoc*, inquit, *ancilla affligitur, vt reuertatur.* Cui etiam Psalmista accedens longe ante ait: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui*, vt auxiliaretur & suppetias ferret.

Tribulationes ad beatitudinem acquirendam conducunt.

Secundo, idcirco Deus tribulationibus iustos exagitari cruciarique interdum permittit, quod ipsæ ad salutem beatitudinemque sempiternam obtinendam imprimis necessariæ sint. Testatur id Christus ipse, cum non aliud sibi ad gloriam adeundam, nisi per scruposam tribulationum semitam paruisse iter confirmat: *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.* Si ipsum Dominum necesse fuerit pati, quo gloriam adiret, an non multo magis nos, qui nonnisi peccatores sumus, & omni flagitiorum genere coopertí, tribulationum iter calcare, & laborum semitam ingredi par est: Atque ita argumentatur Bernardus, dum quodam in loco ait: *Si oportuit Christum pati, & ita intrare in regnum suum quomodo nos miseri intrabimus in regnum non nostrum, nisi prius patiamur?* Vnde etiam exclamat Apostolus Petrus, (clamantem obsecro audite:) *Christus*, inquit, *pro nobis passus est, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.* Ipsa igitur tribulatio cœli ianua; de qua merito illud Prophetæ vsurpare possumus: *Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam.*

Tertiam immissarum calamitatum afflictionumque statuere causam licet, vt his gustatis certissimum iusti prædestinationis argumentum hinc colligerent, & gloriæ æternæ velut arrham acciperent. Testatur ipsum Bernardus, qui in homilia dicere non est veritus: *Qui in hoc mundo flagellari non merebitur, in alio torquebitur.* Tribulationi ideo vnicæ salutem suam adscribit Psaltes, dum ait: *Castigans, castigauit me Dominus, tribulationum* suarum scilicet virga, *& morti non tradidit me*, id est, salutis hæc meæ causa exstitit, & soli huic, quod mortem perennem euaserim, adscribere debeo. Idem & profitetur Tobias, dum immensas Deo ob tribulationes immissas gratias agit, vitamque suam illis attribuit: *Benedico te Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu saluasti me.*

Tribulationum encomiū.

Ipsæ igitur certissima prædestinationis signa, æternæ beatitudinis arrha, securissima ad cœlum via; hominibus imprimis vtiles, iustis honorabiles, & ad animarum salutem maxime necessariæ. Ideo nemo scandalizetur aut offendatur, si quando sibi eas immitti cernat, nemo iis inuitus humeros supponat, nemo dum ingruunt, indignetur; sed omnes libenter eas susciplant, ambabus manibus amplectantur atq; generose illas perferant. Fœlix igitur, hanc qui crucem in hoc mundo gestat;



Luc. 24.

In serm.

1. Pet. 2.

Psal. 117.

Ibidem.

Tob. 11.

per hanc enim recta ad gloriam cœleſtem patet via.

Concluſio. Quamobrem, Catholici Auditores, cum Chriſtus Dominus gratia nobis ſua & infinita miſericordia Spiritum paracletum promittat, cuius iam vires potentiamque a me audiſtis, quas & melius cognoſcetis, ſi ſancto hoc Pentecoſtes die, ad illius dona & chariſmata recipienda vos dignos capaceſq; reddideritis. Animos, quæſo, veſtros diſponite, & cordis habitaculum ad tantum tamq; eximium ac magnificum hoſpitē recipiendum præparate: quod vt præſtetis digne, permulta vobis ſunt neceſſaria; primo ſingularis quædam animi mundicies; neq; enim in loco ſordido putidoque, aut peccatorum mephitim redolente commorari vult, vt alibi Salomon ait, & in Euangelio Dominus, *Beati mundò corde.* Secundo omnium virtutum ornatus & nitor, tam extrinſecus quam intrinſecus, de quo locutus eſt Pſalmiſta: *Omnis gloria filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.* Tertio tam animi quam cordis humilitas, nam, *qui ſe humiliat exaltabitur.* Quarto feruens & aſſidua oratio, vnde Euangeliſta: *Dabit ſpiritum bonum petentibus ſe,* & Sapiens: *Inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ.*

Quid ad accipiendum Spiritum S. neceſſarium ſit.

Sap. 7.
Matth. 5.
Pſal. 44.
Luc. 18.
Luc. 11.
Sap. 7.

Præter etiam hæc requiritur ſingularis quædam animi tranquillitas, & perpetua conſcientiæ quies & pax. ſcriptum namque legimus: *In pace factus eſt locus eius.* & hæc eſt, quam toties Apoſtolus fidelibus precatur, *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* Sexto, verus & ſincerus amor, quo Deus ſuper omnia diligatur: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Poſt quæ deinde dicitur: *ad eum veniemus.* Hæc igitur media ſunt, quibus recipi haberiq; Spiritus S. poteſt: veſtrum vero eſt eadem vſurpare, veſtrum eſt in afflictionibus perſeuerare, nec tribulationibus ſuperuenientib. animo delici; at patienter & heroice eaſdem ferre: interea dum ipſe ſilentium facio, atque operi huic coronam impono.

Pſal. 75.
2. Cor. 13.
Ioan. 14.

Tu autem, Domine Ieſu, æterne ab æterno & omnipotenti Patre Deus, cuius diuinitatem potentiamque Angeli ſimul & homines, Prophetæ ac reges, Apoſtoli quoq; & ipſe Spiritus ſanctus teſtati ſunt, Spiritus, inquam, quem hodie in terram te miſſurum ſpondes, quo de te & veritate teſtimonium perhibeat; eundem nobis, obſecro, mitte; non quidem vt te Deum eſſe teſtetur (neque enim iam dubitamus, ſed firmiter credimus Deum te non ſecus atque hominem eſſe, quamquam hominum caput & Redemptorem) ſed ita eum dimitte, vti olim in Apoſtolos eum deſcendere feciſti, vt in lege nos tua erudiat, & in fide confirmet, amorem in nobis tuum ſuccendat, & mundanum penitus extinguat. Mitte inquam illum, vt omnibus nos linguis loqui, atq; in benedictiones, maledictiones, in virtutes vitia, in bona exempla ſcandala, in laudem & gloriam iniurias & opprobria doceat conuertere. Glorioſum illum Spiritum mitte, vt ita te laudare diſcamus, in cultu & obſequio nominis ille tui nos roboret, in tolerandis aduerſis conſtantiam ſuggerat, in mediis tempeſtatibus conſtitutos conſoletur. Mitte eum, vt in aduerſis defenſor, in lætis moderator, in ignorantia doctor, in neceſſitatibus pater, in periculis ſit conductor; noſter denique nauclerus, quo in mundi huius oceano tam ſecuram inſtituamus nauigationem, vt æternæ beatitudinis portum intrare valeamus; ad quem Pater æternus, Filius vnigenitus, ac Paracletus Spiritus nos deducere dignentur,

Amen.

*Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.*
Pſalm. 50.

FINIS.

Concionū
Petri Bellarii
Dominicas

Tom. I. et II.

C
320

Th
3313